THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

SECUNDUM VIAM ET DOCTRINAM

D. THOMÆ AQUINATIS,

DOCTORIS ANGELICI,

In Celebri Archiepiſcopali Benedictina Univerſitate Salisburgenſi, methodo & normâ ibidem uſitatâ publicè traditæ, & in IV. Tomos digeſtæ,

TOMUS QUARTUS

In III. Partem Summæ Divi Thomæ

DE INCARNATIONE, ET SACRAMENTIS.

Ubi præter theoricas controverſias, reſolvuntur potiores & plereq; quæſtiones ad doctrinam moralem, & S. Fidei Controverſias pertinentes;

Cum duplici Indice.

AUTHORE

Adm. Reverendo, Relig. & Clariſſimo

P. PAULO MEZGER,

Ord. S. Benedicti ex Antiquiſſimo & Celeberrimo Monaſterio SS. Petri ibidem, Theologiæ Doctore & Profeſſore emerito, Celſiſſ. & Reverend. Principis, & Archiepiſcopi Salisburgenſis, &c. Conſiliario Eccleſiaſtico, nunc in eadem Univerſitate S. Scripturæ Profeſſore, & Procancellario.





Cum Licentia & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M. DC. XCV.

INDEX TITULORUM TOMI IV.

In 3. partem Summæ D. Thomæ.

Ar-

Ar-

§. I.

Index Titulorum.

TRACTATUS XVI.

De Sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

Disputatio XXIV.

§. II.

Ar-

Ar-



THEO-





THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ,

Secundùm Viam

D. THOMÆ AQUINATIS. TOMUS IV.

In III. Partem Summæ Divi Thomæ.

TRACTATUS XIV. DE INCARNATIONE.

PROOEMIUM.



Num Verbum *Te volo*, *Lector benevole.* *Vnum*, & inquis, per tot paginas ? *imò* unicum, *quia* Vnigenitum *Dei* VERBUM, *quod* dictum *Ore Patris Æterni ante tempora*; inscriptum *digito Spiritûs Sancti* membranæ Virgineæ *in tempore :* Caro factum *pro temporum & sæculorum instauratione.* *O quantum* Verbum ! Verbum *quidem in assumptæ Humanitatis compendio*, & rubricato *passionis* Stylo abbreviatum ! *sed hoc ipso omnis Sacratioris scientiæ compendium!* Alpha & Omega, *quod complectitur omnes* thesauros Sapientiæ & Scientiæ DEI: *Verbum, quod Veteris & Novi Testamenti* utramque implet paginam, *ubique & in omnibus scripturis* inseminatum, ut loquitur D. Irenæus. l. 4. c. 23. *Verbum quod elinguem facit profanam sapientum eloquentiam :* & infantium linguas facit esse disertas. *Verbum extra quod nihil, in quo omnia se scire arbitrabatur Doctor gentium, dicens :* Neque puto, aliquid me scire inter vos, *nisi* solum JESUM. *Hoc verbum te volo, Lector Benevole, dum Doctoris Gentium secutus exemplum Divinissimum* Verbi Incarnati *mysterium Tibi hisce paginis explicatum porrigo. Aliis Characteribus in exponendo hoc Sacratissimo Verbo uti nec volui, nec potui, quàm Thomisticis; quippe ipsius Divini Verbi ore & signaturâ approbatis; cùm enim Thomas Angelicus elucubrando Incarnationis mysterio animum & calamum impenderet, accepit illud à Crucifixi ore oraculum :* benè de me scripsisti. *Juvat per Angelici Doctoris vestigia in* Verbo *verum*, *in* summo bono *auccupare desideratum* Bene. *Tu sequere & vale.*

DISPUTATIO I.
DE
Existentia & essentia Incarnationis.

1. INcarnatio Catholicis nihil aliud sonat, quàm assumptionem totius naturæ humanæ in unitate suppositi, & Personæ Divinæ: Fundamentum hujus vocis præbente Evangelistâ illis Sacratissimis verbis Io. 1. *Verbum caro factum est*: Quæ exponens D Augustinus. *l. 13. de Trin. c.* 19. *Cùm lego*, inquit, Verbum caro factum est, *intelligo verum DEI Filium in carne, agnosco verum hominis Filium, & utrumque simul in una persona Dei & hominis ineffabili gratia largitate conjunctum.* Quamvis in S. Scriptura non solùm ly *caro* sed etiam ly *anima* quandoque pro homine accipiatur, uti Gen. 12. *Tulit animas quas fecerant in Aran*, tamen præsens negotium non potest catholicè animatio nominari, uti dicitur Incarnatio; quia animatio significat unionem ad corpus per modum formæ informantis, quod catholicè de hoc mysterio dici non posse patebit in decursu. Itaque supposito, quid nominis sit Incarnatio, in præsenti disputatione ipsius existentiam & essentiam expendimus. Proinde sit

ARTICULUS I.
De existentia & possibilitate Incarnationis.

SUMMARIA.

1. *Etymon Incarnationis.*
2. *Possibilitas Incarnationis.*
3. *Et actualis existentia probatur ex loco Gen. 2.*
4. *Ejus genuina expositio.*
5. *Locus Danielis pro Messia adventu explicatur.*
6. *Variæ hæreses contra Incarnationem.*
7. *Refelluntur.*
8. *Ejus possibilitas lumine purè naturali non cognoscitur.*
9. *Angeli lumine naturali non cognoscunt unionem hypostaticam.*

§. I.
Veritas Catholica contra Judæos.

2. JUdæorum perfricta, nunquam satis perfracta contumacia negat Christum in carne venisse. Contra quos Catholica veritas concludit. *Adventum Christi per Divini Verbi Incarnationem & esse possibilem, & de facto contigisse.* Possibilem esse constat primò ex verbis Archangeli: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quibus insinuatur, illud omne esse possibile Deo, quicquid non concipitur involvere contradictionem, sed Incarnatio nullam involvit contradictionem, veluti constabit ex solutionibus objectionum mox sequenti art. referendis, ergo. Secundò. Quicquid conveniens est, etiam est possibile, sed Christum incarnari conveniens est, prout loco prædicto ostendemus; ergo idem possibile est.

3. Eandem quoque actu fuisse peractam & Messiam promissum adventâsse contra Judæos Scripturistæ probant præcipuè ex duplici loco veteris testamenti: primò Gen. 40. ubi Jacob filijs suis benedicens, ita de Juda prophetavit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quæ prophetia expresè est de Messia seu Christo, estque triplex ipsius explicatio. Primò, quòd non antè suprema potestas gubernandi sive Regalis sive Ducalis; sive supremi Consilij, quod Senhedrim Judæi appellabant, sit auferenda à tribu Juda, postquam semel ad illam fuerit devoluta, quàm cùm Christus advenerit. Quod sanè factum est tempore Christi Domini, ante cujus adventum suprema Gubernatio in persona Davidis ad tribum Juda pervenit, & ante Babilonicam captivitatem in Regibus, post illam in Ducibus, postremò in Machabæis Sacerdotibus ex materna saltem stirpe à Davide ex tribu Juda descendentibus permansit, usque ad tempus Regis Herodis Ascalonitæ, qui non fuit Judæus, sed alienigena, sub quo natus est Christus, & brevi pòst totum regnum Judæorum à Romanis oppressum & extinctum fuit.

Quia tamen hæc expositio duplicem patitur 4. difficultatem, primò, quòd apud Judæos maternum genus nullius, aut exiguæ foret considerationis, secundò: Quòd ista conjunctio per lineam maternam communis fuerit omnibus Levitis, siquidem omnes filij Aaron ex tribu Juda per Elizabeth erant oriundi: unde non foret ratio, cur Jacobus sceptrum ducale potius diceret non esse auferendum de tribu Juda, quàm tribu Levi.

Igitur duplex alius respondendi modus est, uterque probabilis. Primus Judæ vocabulo intelligit gentem & tribum Patriarchæ Judæ cognominem, penès quam solam, reliquarum tribuum nominibus & memoria jam extinctis resideret potestas gubernativa & judiciaria. Cùm igitur post captivitatem Babilonicam tota gens Hebræorum ab unica tribu Judæorum nomen acceperit aliarum tribuum distinctione & nominibus extinctis, Prophetiæ sensum esse, non priùs tribum Judæ & gentem Judæorum destitutam habere proprios magistratus, neque ejus imperium ad alienigenas migraturum, donec Messias adveniret. Unde quia Machabæi erant ex gente Judaica, tunc primum defecit sceptrum à tribu Juda, quando Judæis impera-

peravit alienigena Herodes Ascalonita, quem Hebræi non nisi postremis temporibus pro legitimo Principe agnôverunt, quando Christus fuit natus. Alter & magis proprius exponendi modus est, quòd usque ad tempus Herodis Ascalonitæ non defecerint sceptrum & dux de tribu Juda, quia in tribu Juda permansit verè potestas gubernativa usque ad illud tempus, siquidem Hierosolymis, quæ erat caput Judaici regni sita in finibus Judæ, etiam post Babilonicam captivitatem permansit potestas gubernativa, & electiva propriorum Principum & Summorum Sacerdotum. Cui nihil obest, quòd Machabæi Levitici generis simul summi Duces & Sacerdotes multo tempore præfuerint, quandoquidem ab ipsa tribu Juda, quæ ex Babilonica captivitate redierat, sibíque aliarum tribuum reliquias junxerat, fuerunt in Duces assumpti; quemadmodum non dicitur deficere sceptrum in Polonia, si aliquem ipsi sibi præficiant, qui non sit ex stirpe Polonica, uti patuit in Regibus Henrico III. Gallo, Stephano Bathorio Transylvano, Sigismundo Sueco &c. Diceretur verò deficere, si ab alio violenter occuparetur Jus regni, v. g. à Turcis, Tartaris, Moscovitis: ita etiam non defecit sceptrum in tribu Juda sub Machabæis, ab ipsa tribu Juda assumptis, benè autem sub Herode Ascalonita alienigena à Romanis intruso.

5. Alter locus est Danielis 9. ubi Gabriel Angelus Danieli adventum Christi prænuncians dicit 70. hebdomades futuras usque ad adventum Christi ijs verbis: 70. *hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Quæ hebdomades cùm non possint intelligi de hebdomadibus dierum, sed annorum, quorum usus & mentio crebra fuit apud Hebræos, & in Scriptura, ut videre est Levit. 25. *Numerabis quoque tibi 7. hebdomadas annorum* &c. sensus est, futuros 490. annos usque ad Christi tempora, quod temporis spatium cùm pridem effluxerit, constat contra Judæos, etiam Christum Dominum pridem advenisse; cùmque temporis hujus computatio ad Christi prædicationem & mortem rectè & commodè (quanquam varijs modis, ut videre est apud Scripturistas & Suarez d. 1. se. 2.) perducatur, & Gabrielis prophetica prædictio in omnibus coincidat, quæ Evangelica historia de morte Christi, & profana historia de excidio urbis templi & nationis Judaicæ memorat, nempe, *post hebdomadas 62. occidetur Christus* (sunt verba prophetiæ) *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio* &c. Constat adventum Christi hoc ipso tempore, quo Evangelica narrat historia (cui Judæi humanam saltem fidem omnimodè denegare non possunt) contigisse. Accedit mira concordia Prophetarum & oraculorum cum ijs, quæ Evangelistæ de Christi conceptione, nativitate, passione, morte, sepultura, ascensione, item pœnis & excidio Judæorum retulerunt, & ab ipsis etiam Judaicis Scriptoribus, veluti Josepho relata fuerunt. Unde dicitur Act. 2. *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

§. II.

Veritas Catholica contra hæreticos.

CUm dæmonum cultus, & densæ gentilismi tenebræ splendidissimo Christi ortu, & Evangelicæ lucis prædicatione passim essent disjectæ, stygius hostis diversas induxit hæreses, quibus Verbum Divinum, quod in sua divinitate ab origine mundi impugnaverat, nunc etiam impugnaret in assumpta humanitate. Et quidem Saturninos, Marcionem, Cerdonem instigavit, ut dicerent, Christum umbratili quadam imagine corporis, & externa hominis specie oculis mortalium illusisse; Valentinianos subornavit, ut dicerent cæleste corpus ipsi fuisse, quo Virginis uterum, ceu per canalem transijsset; Manichæis suggessit, ut humanam Christi naturam Divinæ auræ particulam fuisse mentirentur; Apelli, ut effutiret, habuisse corpus aëreum naturæ spirabilis, cujus à se relicti, cùm cœlum introiret, particulas in diversa elementa sparsisset. Basilidem dementavit, ut sibi dolorum & passionis vicarium Simonem Cyrenæum substituisse, qui omnia, quæ Christo tribuuntur, tormenta sustinuerit, ipso interea otiosè spectante, & Judæos irridente, somniaret. Apollinari persuasit, ut veram animam: Ario, ut consubstantialem Divinitatem negaret; Nestorianis, ut duabus naturis duas personas & hypostases; Eutychianis, ut uni personæ unam naturam, quasi ex utraque permixtam; Monothelitis, ut unam duntaxat voluntatem Christo tribuerent. 6.

Hæc putrida fœtentis orci mendacia varijs præsentis Tractatûs partibus confutanda manent: Contra illa, quæ ipsam Dominicæ Incarnationis substantiam oppugnant, Catholica veritas docet primò contra Manichæos, & alias hæreticorum quisquilias, quòd Christus habuerit veram humanitatem; ita quippe frequenter se appellat *filium hominis*, & Io. 8. *quæritis me interficere hominem* &c. Secundò in Christo non tantùm fuisse veram animam, sed etiam verum corpus; tum quia Christus est verus homo ex dictis; sed homo non est sola anima, ergo. Tum etiam quia Luc. 20. Christus dixit; *palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Neque verè esset mortuus aut resurrexisset, si vero corpore caruisset. Tertiò contra Apollinarem, quòd in Christo fuerit vera anima, nam sine vera anima non esset verus homo. Et Matth. 26. dicit Christus, *tristis est anima mea usque ad mortem.* Io. 12. *nunc anima mea turbata est, &c.* Quartò contra Arianos, quòd Christus sit verus Deus, increatus & consubstantialis Patri. Nam Io. 1. dicitur: *Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt.* Io. 10. dicit Christus: *Ego & Pater unum sumus.* Io. 16. dicitur. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Rom. 9. Apostolus de Christo dicit: *Qui est Deus.* Quintò contra Nestorianos, quòd sit realis unio duarum naturarum distinctarum in una persona Verbi: nam si essent duæ personæ, idem Christus in SS. Scripturis non rectè diceretur filius Dei, & Filius hominis, homo & Deus: sed utrumque dicitur, ergo. Et ideo Hebr. 1. dicitur; *Novissimè locutus est nobis in Filio &c. per* 7.

quem fecit & sæcula. 1. Cor. 9. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia* &c.

§. III.

Cognoscibilitas Incarnationis.

8. CUm ex fidei Divinæ lumine & modò dictis constet, possibilem esse Divini verbi Incarnationem, eámque actu dari, ulteriùs quæri potest; an non etiam ratio naturalis ad probabilem saltem hujus possibilitatis, aut existentiæ cognitionem suis nativis viribus possit assurgere? Quæ quæstio connexionem habet cum illa: *An mysterium SS. Trinitatis lumine naturali cognosci queat?* Et quidem sermo est de positiva probabilitate, quæ fit per medium positivum, non de negativa, quæ tantùm solvit implicantias apparentes. De hac sit

CONCLUSIO. *Actualis existentia vel possibilitas Incarnationis Verbi Divini lumine purè naturali, nullâ suppositâ revelatione supernaturali, ne quidem probabiliter cognosci potest.*

Ratio universaliter est: Ut naturaliter cognosceretur Incarnatio Verbi vel ejus possibilitas, deberet etiam naturali lumine cognosci mysterium Trinitatis; sed hoc fieri non potest, juxta ea, quæ de Trinitate dixi. Unde eædem rationes, quæ probant mysterium SS. Trinitatis naturaliter esse incognoscibile, etiam probant de Incarnatione: Quia nimirum non habet connexionem cum aliquo effectu naturali, est per substantiam supernaturalis & miraculosa, excedit ordinem creatum, &c. Vide, quæ dixi in Tr. 2. de Trinit. disp. 20. a 2.

Neque dicas: Angeli tam boni quàm mali lumine naturali ex operationibus Christi concludunt, ipsum esse personam & suppositum; sed eodem lumine vident ipsum non esse suppositum creatum; ergo eodem lumine vident & concludunt ipsum esse suppositum Divinum & increatum. 9.

Respondeo negando consequentiam: Quia possunt suspicari modum subsistendi humanitatis Christi sibi divinitùs occultari, quod fieri posset, tametsi subsistentia esset creata. At inquis. Angeli intuitivè cognoscunt humanitatem Christi; ergo vident ut subsistentem. Sed nego antecedens: hoc ipso enim, quòd naturali cognitione non attingant existentiam humanitatis Christi in nostra sententia identificatam cum substantia, eandem non cognoscunt intuitivè, sed abstractivè.

ARTICULUS II.

De Convenientia Incarnationis ex parte Dei.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Incarnatio fuit convenientissima ex parte Dei ratione suæ glorificationis, & bonitatis summè communicativæ.*
3. *Potuisset dari communicatio extensivè, non intensivè major, quam Incarnatio.*
4. *Potest ordinari infinitum ad finitum.*
5. *Objicitur sequela mutabilitatis Divinæ.*
6. *Incarnatio intrinseca Verbi Divini impugnatur.*
7. *Exponuntur textus loquentes de novitate facta per Incarnationem.*
8. *Omnis forma nova receptio est indecora Deo.*
9. *Verbum Divinum in Incarnatione se habet novo modo perfectivè, non perfectibiliter.*

§. I.

Assertio affirmativa.

1. COnvenientia Incarnationis duplici modo potest intelligi: primò, quia est proportionata ipsius Divinis perfectionibus & attributis; secundò quia est proportionata & utilis ad aliquem finem à Deo intentum, qui in proposito præcipuè est duplex: gloria Christi, secundò dignitas & salus humani generis. Porro gloria Divina est vel intrinseca h. e. ipsa Dei increata Majestas, & perfectio; vel extrinseca, h. e. ostensio Divinarum perfectionum in creatis effectibus, ex quarum agnitione à creatura rationali laudatur & glorificatur Deus. Quòd Incarnatio non sit utilis ad gloriam Dei essentialem & intrinsecam, certum est, cùm istam obtineat à se independenter ab ullo creato & temporaneo, neque illa ex ullius rei creatæ accessu major, vel melior fieri possit. De utilitate & convenientia ad dignitatem vel salutem humani generis dicetur sequentibus. In hoc articulo agimus de convenientia proportionis ad perfectiones Divinas & conducentia ad perfectionem Dei extrinsecam.

CONCLUSIO. *Deum incarnari erat convenientissimum ipsius essentiæ & perfectionibus; & maximè conducens ad glorificationem ipsius extrinsecam.* S. D. q. 1. a. 1. Utriusque partis ratio ex S. D. hîc in arg. Sed contra est primò. Perfectiones divinas visibiliter exhiberi est Deo convenientissimum; sed per Incarnationem quàm maximè elucent perfectiones divinæ, ergo. Major constat, quia Deum agnosci, & extrinsecè glorificari est ipsi convenientissimum, sed exhibitione suarum perfectionum in effectibus creatis & visibilibus Deus maximè agnoscitur, & glorificatur: ideò totus mundus est conditus, ut teste Apost. Rom. 1. *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur.* Ergo perfectiones Divinas visibiliter exhiberi est Deo convenientissimum. Minor verò æquè patet: quia in opere Incarnationis primò resplendet bonitas Divina, sese ineffabili & summo modo communicans, ut in sequenti ratione expendemus. Secundò amor, uniendo se naturæ humanæ tali unione, qua major nequit excogitari; quippe quâ factum est, ut Deus sit homo, & homo Deus. III. Sapientia in adinventione medij tam admirabilis, quo justitia cum misericordia conciliaretur. Unde per If. c. 12. antonomasticè vocatur *adinventio Divinæ Sapientiæ.* IV. Potentia in tam stricta communione extremorum infinitè distantium. Unde dicitur Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio suo.* V. Justitia in exhibitione pretij & satisfactionis tam rigorosæ. VI. Clementia & misericordia, *quid enim misericordius*, inquit D. Ans. l. 2. cur Deus homo? c. 20. Quàm ut *Pater æternus peccatori*, 2.

unde

unde se redimat, non habenti, dicat, accipe unigenitum meum, & da pro te, & ipse filius; tolle me, & redime te?

Ratio secunda S. D. est. Deo, cujus natura est bonitas, est convenientissimum, ut se summo modo ad extra communicet: sed se summo modo ad extra communicat per Incarnationem, hic enim modus est præstantior quàm communicatio per naturam, quæ tantùm est naturalis; & communicatio per gratiam & gloriam, quæ tantùm sunt accidentales; communicatio verò per unionem hypostaticam est substantialis pertinens ad divinum & supremum ordinem. Ergo Deo convenientissimum est incarnari. Major deducitur ex communi axiomate ex D. Dionysio c. 1. de Div. nomin. accepto, quòd omne bonum sit sui communicativum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

3. OBjicies tamen primò contra rationem S. Doctoris. Si Deo fuit convenientissimum incarnari, quia per hoc se summo modo communicat, tunc omnes tres personæ Divinæ potiùs debuissent incarnari, quia hæc communicatio fuisset major, quàm tantùm Incarnatio unius Personæ.

Resp. negando sequelam, & probationem distinguo. Fuisset communicatio major extensivè concedo; intensivè nego, h. e. fuisset quidem communicatio à pluribus personis facta, non tamen majoris unitatis & perfectionis, quia in omnibus personis unio hypostatica fuisset ejusdem rationis.

4. Objicies secundò. Inconveniens est, ut infinitum ad finitum, majus ordinetur ad minus bonum, sed per Incarnationem bonum divinum, quod est infinitè majus, ordinatur ad bonum hominis, quod est infinitè minus. Ergo. Respondeo est inconveniens, ita ordinari tanquam ad finem ultimum, concedo, non ultimum nego: is enim est gloria Divina.

5. Objicies tertiò. Inconveniens, imò impossibile est Deum mutari, atqui mutaretur Deus per incarnationem: ergo Incarnatio non modo est inconveniens, sed etiam impossibilis. Minor probatur primò, quia intrinsecè innovari est intrinsecè mutari, sed verbum intrinsecè innovatur per incarnationem, quia incipit novo modo se habere; tunc enim intrinsecè est homo, cùm priùs intrinsecè non esset homo. Secundò Rem aliter intrinsecè se habere, quàm priùs, item recipere novam formam & denominationem intrinsecam, est mutari, sed Verbum per Incarnationem aliter se habet, quàm priùs, & recipit novam denominationem intrinsecam: Quia, ut dictum, per Incarnationem intrinsecè est homo, priùs non erat, tunc est hypostaticè & intrinsecè unitum naturæ humanæ, eámque terminans, & sic pariter recipit intrinsecas denominationes terminationis, unionis, &c. ergo mutatur. Tertiò si per possibile vel impossibile personalitas angeli terminaret naturam humanam, quam modò non terminat, intrinsecè mutaretur: ergò si Verbum terminet naturam humanam, quam antè non terminabat, mutatur intrinsecè. Imò anima humana de novo informando corpus mutatur, creata substantia terminando novam naturam mutatur, ergo & Verbum Divinum.

Ad hanc objectionem, negatâ sequelâ, ad probationem ipsius Respondent aliqui primò cum Martinon. d. 1. se. 4. negando, vel distinguendo majorem: Intrinsecè innovari receptione alicujus novæ perfectionis vel imperfectionis est mutari, concedo. Innovatione tantùm terminativâ absque tali receptione, nego. Ajunt igitur, quòd, sicut in Divinis propter infinitam perfectionem & identitatem essentiæ datur producens & productum sine adjuncta ratione causæ & effectûs, cum qua dantur in creaturis: item datur in divinis generatio viventis absque admixtâ imperfectione mutationis, cum qua reperitur in rebus creatis; ita dari in Divinis innovationem sine conjuncta ratione intrinsecæ mutationis ob eandem infinitam Divinæ essentiæ perfectionem. Et in hujus doctrinæ confirmationem adducunt verba tum S. Scripturæ. Iere. 31. *Novum creavit Dominus super terram; fæmina circumdabit virum* &c. Ubi indicatur mysterium Incarnationis juxta communem Patrum expositionem, tum S. Ecclesiæ canentis in officio: *Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ.* In quem eundem sensum D. Leo Serm. 2. de Nat. c. 2. *Filium Dei*, inquit, *novo ordine, novâ nativitate generatum esse.* E quibus verbis videtur evinci, Verbum Divinum per Incarnationem aliquo modo fuisse intrinsecè innovatum.

Contra hanc tamen responsionem, quæ forsan magis in modo loquendi, quàm re ipsa dissentit à nobis, est, quòd ad conceptum intrinsecæ mutationis satis est, quòd aliquid in se de novo nunc intrinsecè habeat realem formam, quam priùs non habuit: sic enim revera transit de aliquo non esse ad esse, jámque aliter intrinsecè se habet, quàm priùs (quod talis forma debeat afferre perfectionem, vel imperfectionem gratis fingitur, imò non potest non connotare aliquam saltem imperfectionem potentialitatis & receptivitatis, ut mox dicemus) sed per intrinsecam innovationem communiter intelligimus intrinsecam habitionem formæ alicujus antecedenter non habitæ, ac per consequens si Verbum intrinsecè innovatur per Incarnationem, etiam intrinsecè mutatur. Si prædicti Authores dicant, se non intelligere novam intrinsecam receptionem & acquisitionem formæ non habitæ, sed novum exercitium formæ jam habitæ, h. e. novam intrinsecam terminationem naturæ per hypostasin ab æterno existentem, contrà est, quòd illud novum exercitium nihil dicat intrinsecè novum ex parte personæ terminantis; sed naturæ terminatæ, unde nondum rectè dicitur Verbum Divinum intrinsecè innovari, sed potiùs debet dici, quòd innovetur natura humana per Verbum. 6.

In allegatis authoritatibus ly *novum* communiter accipitur pro *insolitum*. Si strictiùs interpretari velis, dicendum est, novitatem & innovationem esse accipiendam juxta subjectam materiam, & capacitatem subjecti, pro extrinseca, si ex parte Dei, pro intrinseca novitate, si accipiatur ex parte naturæ humanæ. 7.

Respondent aliqui secundò cum quodam Recentiore Scotista: non omnis formæ novæ rece- 8.

ptio-

ptionem repugnare Divinæ immutabilitati: sed illam duntaxat, quæ vel arguit defectum prævium, vel est receptio formæ & denominationis indecoræ; cúmque unio hypostatica sit ex ejusmodi formis, quæ minimè sunt indecoræ, idcirco novam illius denominationem & receptionem intrinsecam divinæ immutabilitati nihil nocumenti afferre. Indecoram verò ajunt denominationem, si destruat aliquam perfectionem divinam.

Contra hanc responsionem est primò, quòd transitus de non esse ad esse est mutatio, sed qualemcunque ponas formam, si Deus illam de novo recipiat, transit de non esse ad esse illius formæ: ergo mutatur. Nec refert, quòd Deus esse illius formæ priùs eminenter contineat: nam licèt Sol calorem eminenter contineat, quis tamen negârit, illum mutandum fore, si calorem etiam formaliter reciperet? Confirmatur. Nova acquisitio formæ substantialis facit subjectum mutari substantialiter: ergo acquisitio novæ formæ accidentalis facit illud mutari accidentaliter.

Contra est secundò. Implicat omnis potentialitas, partialitas, & compositio in Deo, sed si Deus intrinsecè reciperet qualemcunque formam accidentalem, respectu ipsius diceret potentialitatem subjectivam, quemadmodum & alia subjecta dicunt capacitatem potentialem ad suas formas. Item faceret cum illa forma compositionem per modum partis subjectivæ: imò quod est indignius, actuaretur per illam formam accidentalem; cùm enim forma recipiatur per modum actûs, impossibile est aliquam formam recipi in subjecto, quin hoc ipso subjectum actuetur & informetur per illam formam. Ex quo simul intelliges, illam propositionem Adversariorum esse destructivam suiipsius, & de subjecto non supponente, quâ dicunt, illas tantùm formas & denominationum receptionem obstare immutabilitati Divinæ, quæ sunt indecoræ, & destructivæ perfectionis Divinæ, cùm hoc ipso, quòd aliqua nova forma accidentalis reciperetur intrinsecè in Deo, esset maximè indecora, inferens transitum immutativum de non esse ad esse, potentialitatem, compositionem &c. quibus destruuntur perfectiones infinitæ actualitatis, simplicitatis, & immutabilitatis divinæ. Sed de his plura in Tract. de Attributis Divinis.

9. Respondeo igitur tertiò negando minorem argumenti & primæ probationis, ad hujus confirmationem dico: Verbum per Incarnationem incipit novo modo se habere perfectibiliter & passivè, h. e. in se ipso recipiendo aliquam novam perfectionem, vel formam, nego; perfectivè, activè, seu terminativè, h. e. naturam alienam intrinsecè perficiendo, & intrinsecè terminando, concedo. Rursus, est intrinsecè homo, ceu terminans intrinsecè naturam humanam, concedo; Quasi recipiens naturam, aut ab illo receptum, contractum, limitatum, sic nego. Eodem modo distinguo secundam probationem. Recipere novam denominationem intrinsecam potentialiter, perfectibiliter, & passivè, est mutari, concedo, merè perfectivè, activè & terminativè nego. Hoc enim solummodò arguit mutationem ex parte rei perfectæ, actuatæ, & terminatæ.

Ideo ad alterum assumptum probationis, quòd Rem se aliter intrinsecè habere sit mutari, vel nego minorem, vel rursus distinguo majorem. Si Tò *aliter* significet intrinsecam alietatem in ordine ad se, concedo, in ordine ad aliud, nego. Sed Verbum aliter intrinsecè se habet, in ordine ad se, nego. In ordine ad humanitatem, quam intrinsecè perficit, & terminat, concedo minorem, & nego consequentiam.

Ad tertium, nego paritatem. Disparitas est; quia omnis forma creata sive physica sive metaphysica ex natura sua habet rationem partis complebilis & contrahibilis à subjecto vel physico, vel metaphysico; physico, ut est corpus, respectu animæ; metaphysico, ut est natura respectu personalitatis; cum hoc tamen discrimine, quòd forma physica hoc habeat ex conceptu essentiali, quatenus forma physica est; forma verò metaphysica hanc contrahibilitatem tantùm habeat materialiter, quatenùs creata, non quatenùs forma metaphysica est, ex essentiali enim suo conceptu tantùm dicitur intrinsecè constituere, complere, perficere; Sicut & forma intelligibilis ex suo essentiali conceptu tantùm habet, intellectum intrinsecè complere & objectum reddere intelligibile in actu. Inde fit, quòd cùm Divina Personalitas excludat omnem limitationem & contrahibilitatem, solummodò terminet naturam alienam præcisis omnibus imperfectionibus partialitatis, relationis, contractionis &c. Sicut etiam essentia Divina in esse intelligibili perficit intellectum beatum per modum speciei intelligibilis separatâ imperfectione inhærentiæ, uti in Tract. de Deo dixi.

ARTICULUS III.

De Convenientia Incarnationis ex parte creaturæ & circumstantiarum.

SUMMARIA.

1. *Incarnatio fuit convenientissima toti humano generi.*
2. *Insuper toti universo.*
3. *Nulla necessitate Deus decrevit Incarnationem.*
4. *Quomodo sit de ratione summi boni se summo modo communicare.*
5. *Summa inclinatio subjectiva non tollit libertatem.*
6. *Quo sensu Deus semper producat optimum?*
7. *Varia circumstantia Incarnationis considerabiles.*
8. *Secunda persona convenientiùs assumpsit naturam humanam quàm alia.*
9. *Humana natura convenientiùs assumpta, quàm Angelica.*
10. *Caro passibilis à Verbo convenienter assumpta.*
11. *Incarnatio facta tempore convenientissimo.*

§. I.

§. I.

Convenientia ex parte Creaturæ.

TRia deducimus in quæstionem. Primum est; an fuerit generi humano conveniens? Alterum, an toti universo? Tertium; an hæc convenientia sit tanta, ut potuerit Deum necessitare ad Incarnationem? quâ occasione respondemus ad illam quæstionem, an Deus sit necessitatus ad creandum optimum? Loquimur autem de Incarnatione ut sic absolutè, abstrahendo à lapsu naturæ humanæ, & necessitate Incarnationis ad istius reparationem.

1. CONCLUSIO I. *Generi humano Incarnatio Christi fuit convenientissima.* Ita communis.

Ratio est primò. Quia in assumpta humanitate totum genus humanum maximam dignitatem, & honorem accepit, ut elevaretur supra choros Angelorum ad dexteram Dei, acciperet cultum latriæ, plenitudinem gratiæ & gloriæ; unde August. de Prædest. SS. c. 15. inquit: *Tam excelsa, & tam summa est ista natura humanæ subjectio, ut quo altiùs tollatur, non habeat.* Secundò singulis hominibus Incarnatio fuit conveniens, quia singulis proprium est, cognitionem à sensibus accipere, & ex visibilibus cognoscere invisibilia; atqui (Ecclesiâ teste) Christus est incarnatus, *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc ad invisibilium amorem rapiamur.* Tertiò, quia Christus *factus est nobis sapientia, justitia, Sanctificatio* 1. Cor. 1. Quartò, quia exinde recepimus filiationem adoptivam, ac tandem innumera emolumenta ex liberatione & redemptione à peccato.

2. CONCLUSIO II. *Incarnatio fuit toti universo conveniens.* Ratio est: quia cùm teste D. Gregorio hom. 29. in Evang. in homine contineatur quodammodò omnis creatura, unde & microcosmus, seu parvus mundus à Philosophis appellatur, Christus assumendo naturam humanam omni quasi creaturæ novum honorem contulit: quò collimâsse aliquibus videtur D. Paulus, cùm Ephes. 1. dixit, *omnia in Christo esse instaurata.* Secundò, quia novus modus essendi per Incarnationem productus fuit; quod cedit in ornamentum universi; nam in rebus creatis inveniuntur plures essentiæ in pluribus suppositis; in ente Incarnato habentur plura supposita in una essentia; per Incarnationem habentur plures essentiæ in uno supposito. Tertiò quia per Incarnationem completus fuit novus modus producendi hominem in hoc universo: nam primus homo fuit productus sine viro & fœmina; Eva ex solo viro; homines communiter ex viro & fœmina: per Incarnationem verò ex sola fœminâ Virgine sine viri consortio gignitur Deus homo.

3. CONCLUSIO III. *Nulla erat necessitas, quæ Deum cogeret ad decernendam Incarnationem.* Ita communis contra Raym. Lull. relatum à Vasq. in Pi. Disp. 1. n. 10. Constat primò; quia opus Incarnationis à SS. Patribus tribuitur misericordiæ & beneficentiæ Dei, quæ quis autem necessariò facit, non facit ex misericordia & beneficentiâ. Secundò. Quidquid Deus ad extra operatur, operatur secundùm consilium suæ voluntatis ad Ephes. 1. Sed quod quis consilio agit, liberè agit. Tertiò. Alia à se Deus non vult tanquam finem, sed tanquam media ad finem, ergo & Incarnationem; sed nullum medium creatum potest Deus necessariò velle, quia nullum est, quod habeat necessariam connexionem cum sua increata bonitate, quippe quam à se ipso habet independenter ab omni creatura. Ergo.

4. Objicies primò ex S. Doctore hic a. 1. in c. De ratione Summi boni est, ut se summo modo communicet; sed quod est de ratione alicujus, est ipsi necessarium; ergo necessarium est, ut Deus ceu summum bonum se per Incarnationem summo modo communicet.

Respondeo ly *De ratione* posse in duplici sensu intelligi. Primò in sensu formali, ut sit idem ac esse de essentia; Secundò in sensu causali, ut sit idem, quod esse ex natura vel essentia. In primo sensu, sic est de ratione Summi boni se ad extra communicare summo modo in actu primo, h. e. habere virtutem & inclinationem sese summo modo communicandi. In secundo sensu sic verum est, quòd sit de ratione summi boni, ut se in actu secundo communicet. Aliàs argumentum nimis probaret. Probaret enim, quòd omnes personæ & quidem ab æterno se debuissent hoc modo communicare, quod enim est de essentia Deitatis & bonitatis Divinæ, id omne necessariò indivisim omnibus Personis convenit.

5. Instabis. Quò major est inclinatio in aliquid, eò minor libertas relinquitur in oppositum, sed inclinatio, quâ Deus fertur ad sese communicandum per Incarnationem, est infinita: ergo nullam relinquit libertatem in oppositum. Respondeo primò. Etiam instantiam nimium probare, quòd nempe absolutâ & physicâ necessitate non una tantùm, sed omnes Personæ Divinæ assumerent non solùm humanam, sed etiam Angelicam naturam.

Respondeo secundò distinguendo Majorem. Quò major est inclinatio formaliter & objectivè seu ex parte motivi, eò minor est libertas (aliqui etiam vocant appretiativè) concedo. Quò est major materialiter, entitativè & subjectivè, nego majorem. Sed inclinatio Divina ad se communicandum est infinita materialiter, entitativè, & ex parte subjecti; concedo (sic enim si inclinationem innatam intelligas, est ipsa natura Dei, si elicitam, est ipse amor Divinus identificatus cum essentia, adeóque infinitus) est infinita formaliter & ex parte motivi, quasi nimirum à proposito motivo decernendi Incarnationem infinito modo traheretur, nullâ relictâ indifferentiâ & præferibilitate alterius medij, negò.

6. Objicies secundò. Deus saltem morali necessitate, necessitatur ad producendum optimum in ordine ad suam extrinsecam glorificationem: sed optimum medium ad sui glorificationem extrinsecam est Incarnatio. Ergo. Major probatur inprimis authoritate Concill. & PP. Nam Concil. Francofordiense: *credamus* inquit, *Deum omnia velle, quæ meliora sunt.* D. August. l. de quant. an. c. 33. *justitiâ summi Dei factum est, ut non modò sint omnia, sed etiam sic sint, ut omninò melius esse non possint.* de lib. arb. c. 3. *quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium Conditorem.* Secundò ratione. Quantò amor est major & perfectior, tantò perfectius bonum

nũ vult amans personæ amatæ, cùm enim simpliciter amare sit velle bonum simpliciter amato, magis amare, est velle majus bonum amato. Atqui amor, quo Deus sibi ipsi vult bonum glorificationis extrinsecæ, est infinitus; ergo sibi vult summam & optimam glorificationem extrinsecam, adeóque optimum medium glorificationis extrinsecæ, quale est Incarnatio.

Respondeo negando tam majorem, quàm minorem argumenti. Majorem quidem, quia implicat in rebus creatis produci optimum, quo melius produci non possit; minorem verò, quia licèt in genere glorificationis extrinsecæ Incarnatio de facto sit præstantissima, non tamen defuissent omnipotentiæ alii modi meliores in infinitum; cum ipsa glorificatio extrinseca pertineat ad ordinem creatum, in quo optimum & perfectissimum, quo perfectius produci non possit, implicat.

Ad authoritatem respondeo primò: sensum esse; omnia à Deo facta esse optima formaliter ex motivo Divinæ bonitatis & in ordine ad finem à Deo intentum, non autem in se ipsis & materialiter. Secundò. Esse optima, hoc est accommodatissima ad singulorum connaturalem inclinationem, & exigentiam. Tertiò esse optima, hoc est, *valdè bona*, prout etiam dicitur Gen. 1. Ad probationem ex ratione. Respondeo. Distinguendo majorem: vult majus bonum amato, si is indigeat ad aliquam suam felicitatem, concedo. Secus nego. Atqui cùm Deus ad suam felicitatem nostrorum bonorum non egeat (unde etiam res creatas respectu Dei propriè non habere rationem medii alibi adnotavimus) quidquid pro sua extrinseca glorificatione producat & velit, eodem modo suum semper ultimatum finem suæ perfectionis & bonitatis increatæ possidet.

§. II.

Convenientia secundùm circumstantias.

7. Ejusmodi circumstantiæ sunt primò persona assumens, ex parte cujus quæritur; fueritne magis conveniens Incarnari Verbum seu secundam Personam Trinitatis, quàm Patrem aut Spiritum S. Secundò, Natura assumpta, & sic quæritur, fueritne magis conveniens assumi naturam humanam quàm Angelicam? Tertiò passibilitas & infirmitas naturæ assumptæ, & sic quæritur, an fuerit conveniens assumi potiùs naturam passibilem quàm impassibilem, & gloriosam. Quartò. Tempus Incarnationis, ratione cujus quæritur, an non convenientiùs Christus venisset ante vel statim post peccatum, vel in fine mundi?

8. CONCLUSIO I. *Convenientiùs Verbum assumpsit naturam humanam, quàm alia persona Deitatis.* Ita S. D. hic q. 3. a. 8. &

Probatur primò ex Damasceno. Opus infinitæ virtutis & sapientiæ Dei appropriatur Filio, qui 1. Cor. 1. vocatur *Dei virtus & sapientia.* Sed in opere Incarnationis maximè elucet Dei virtus & sapientia: Sapientia, quia ut inquit Damascenus. *Invenit difficillimi pretii solutionem quàm decentissimam*; Virtus, quia victum fecit rursus Victorem. Secundò ex parte unionis, tum quia convenientior est unio similium: sed Verbum ex propria ratione habet, quòd sit quædam similitudo exemplaris & idealis creaturarum; ergo convenientior fuit ipsius unio: tum etiam quia per eandem formam artifex restaurat artefactum, per quam illud fecit, sed per Verbum tanquam per formam artis homo fuit formatus. Ergo etiam per Verbum convenienter fuit reformatus. Tertiò, ex fine hujus unionis, qui est prædestinatio ad hæreditatem cœlestem filiis tantummodò debitam. Conveniens nimirum fuit, ut per eum, qui est Filius naturalis, homo consequeretur filiationem participatam & adoptivam, unde dicitur Rom. 8. *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quartò ex parte peccati, cui per Incarnationem remedium fuit adhibitum. Congruum quippe fuit per Verbum, quod est vera sapientia Patris, remedium adhiberi peccato, quod fuit commissum ab Adamo per inordinatum appetitum scientiæ boni & mali.

CONCLUSIO II. *Convenientius fuit humanam naturam à Verbo assumi, quam Angelicam.* Ita D. Th. inf. q. 4. a. 1. & in 3. Dist. 20. q. 1. a. 1. q. 1. ad 3. Ubi pariter rationem assignat dicens: *Natura Angelica non tota corruerat, & angelus peccans statim in malo confirmatus fuit, non autem homo, & ideo natura humana reparari debuit, non autem Angelica.* Vult dicere: Convenientius fuit, illam naturam per unionem hypostaticam assumi, quæ tota per peccatum corruit, quæque ex infirmitate & tentatione peccavit, quàm quæ sponte sine occatione, non tota, & sine flexibilitate arbitrii in bonum peccavit; sed priori modo peccavit homo, modo posteriori Angelus: Ergo. 9.

CONCLUSIO III. *Verbum Divinum convenienter assumpsit carnem passibilem.* Ita S. D. seq. q. 14. a. 1. 10.

Ratio ejus est primò. Quia Christus venit ad satisfaciendum pro peccatis nostris; sed ad præstandam satisfactionem, conveniens medium erat, ut susciperet infirmitates & pœnalitates carnis. Ergo. Secundò, quia sic maximè innotuit veritas carnis assumptæ. Tertiò quia passibilitas carnis serviebat ad exhibenda exempla humilitatis, amoris, fortitudinis, patientiæ, útque etiam scientia experimentali sciret compati infirmitatibus nostris.

CONCLUSIO IV. *Verbũ fuit incarnatum tempore convenientissimo.* S. D. hîc q. 1. a. 5. & 6. 11.

Ratio est: quia non fuit conveniens ut Christus veniret ante peccatum: non enim, ut ipse dixit, *opus est valentibus Medico, sed malè habentibus.* Nec statim post peccatum: primò, ut homo, qui per superbiam ceciderat, ex longiori mora suam infirmitatem magis agnosceret, sícque redderetur magis idoneus ad recipiendam medicinam. Secundò quia si Christus ab initio statim venisset, fervor charitatis tanti temporis lapsu nimium intepuisset. Tertiò quia pertinebat ad tanti mysterij dignitatem, & fidem ampliorem, ut esset multis sæculis expectatum, postulatum à Patriarchis, prædictum à Prophetis, præfiguratum in legis Mosaicæ umbris, cæremonijs & sacrificiis. Sed neque conveniens fuit, illud differri in finem mundi; ubi jam mores hominum essent nimis corrupti, fides prorsus amissa, adeóque & fructus Incarnationis ad paucissimos perveniret: Convenientissimum igitur fuit, ut Christus secundùm Propheticam prædictionem Abac. c. 3. *in medio annorum* & temporum, h. e. inter utrumque extremum veniret, síeq; & anteriora sæcula per fidẽ futuræ, posteriora per fidẽ jam factæ Incarnationis illuminaret.

Dispu-

DISPUTATIO II.
DE
Necessitate Incarnationis.

DUbium est, an ex suppositione decreti, quo Deus humanum genus non nisi per condignam satisfactionem pro peccato exhibitam in gratiam recipere voluit (quòd enim absolutè pluribus alijs modis divina omnipotentia hominé etiam sine condigna satisfactione à peccatis liberare potuisset, certissimum est) simpliciter necessarium fuerit, ut aliqua Divina Persona naturam creatam assumeret? cujus quæstionis solutio pendet à tribus aliis per præsentem Disputationem decidendis (I) An purus homo possit condignè satisfacere pro peccato mortali? (II) An istud in ratione injuriæ vel offensæ sit simpliciter, vel secundùm quid infinitum? (III) An Christi satisfactio habuerit valorem simpliciter infinitum? Nam si purus homo h. e. supposito distinctus à Divina Persona satisfacere posset ad æqualitatem, quæ fuisset necessitas mittendi Filium Dei? Si injuria peccati nullam haberet infinitatem, cur hominis puri & justi finitâ satisfactione absque succursu Divinæ Personæ exhauriri non potuisset? Si tandem valor satisfactorius operum Christi non esset infinitus, quo modo foret adæquatus, vel superabundans pro injuriâ peccati, infinitâ ex suppositione? Quo statu quæstionis supposito, sit

ARTICULUS I.
An purus homo posit condignè satisfacere pro peccato veniali?

SUMMARIA.

1. *Quid sit ratio injuriæ & offensæ?*
2. *Quid propriè & specificè sit satisfactio?*
3. *Quomodo distinguantur honestas, & valor satisfactorius in eodem actu?*
4. *Duplex sufficientia satisfactionis.*
5. *Supponitur impossibilitas satisfactionis à pura creatura.*
6. *Potest homo justus quandoque satisfacere pro peccatis venialibus propriis.*
7. *Non potest pro alienis secundùm præsentem Dei legem.*
8. *Injustus neque potest pro proprio, neque pro alieno satisfacere.*
9. *Non ideo merita Christi desinunt esse necessaria pro remissione venialium.*
10. *Disparitas inter satisfactionem pro culpa & pœna.*
11. *An & quomodo teneatur Deus acceptare satisfactionem puri hominis pro peccato veniali.*

§. I.
Prænotanda.

1. NOtandum primò. In peccato mortali præter rationem gravis malitiæ præterea inveniri rationem injuriæ & offensæ essentialiter in ipsa malitia implicitam & inclusam: quia hoc ipso, quòd peccator everso ordinè rectæ rationis & charitatis ab incommutabili bono ad commutabile convertitur (quæ est malitia peccati) lædit jus rigorosum supremi Dominii, quod Deus habet in omnes nostras actiones, ut in ipsum ceu ultimum finem referantur (quæ est ratio injuriæ) læsione non quidem executivâ (neque enim Deo per essentiam beato & incommutabili nostrâ iniquitate reale damnum inferre possumus) sed affectivâ & intentivâ. Quæ ipsa injuria, quatenus est fundamentum & causa sufficiens justæ indignationis Divinæ, sic offensa appellatur.

Notandum secundò. Satisfactionem accipi posse genericè & specificè. Genericè sumpta, adeóque latissimè significat voluntariam compensationem æquivalentis pro æquivalenti, & sic etiam comprehendit restitutionem rei pro re. Specificè verò accepta propriè significat voluntariam compensationem injuriæ contra alterius honorem & reverentiam debitam illatæ, sicque non ad res, sed actiones extenditur: & rectè ad mentem Isamberti describitur, quòd sit *voluntaria redditio honoris & reverentiæ æquivalentis ex propriis ad compensandam injuriam alicui illatam.* Dicitur primò *voluntaria.* Quia est actus studiosus virtutis, & involuntaria redditio honoris non tam foret satisfactio, quàm satispassio; & quia importat honorificam submissionem satisfacientis erga inhonoratum: honor autem & submissio sunt sub potestate & dominio honorantis tanquam proprius actus ipsius. Dicitur secundò, *redditio*: quia est actus justitiæ tendens ad ponendam æqualitatem cum jure læso alterius, idque vel justitiæ rigorosæ, si habeat omnes conditiones mox enumerandas, vel secundùm quid, si una alteráve ex iis deficiant. Dicitur tertiò, *honoris & reverentiæ*: ut distinguatur partim à satisfactione latè & genericè sumptâ: partim à restitutione rei ablatæ, vel retentæ, prout res condistinguuntur ab actione, cùm hæc specialis satisfactio versetur in impendendo tantũ honoris, quantum injuriæ fuit illatum per actionem offensivam. Dicitur quartò, *æquivalentis*, h.e. quæ sit æqualis in valore & æstimatione prudentum: aliàs quâ parte deficit æqualitas, magis habebit speci- 2.

speciem condonationis à creditore liberaliter factæ; quàm satisfactionis. Dicitur quintò, *ex propriis*. Quia si fiat ex alienis, tunc vel ex bonis ipsius creditoris, vel alterius: Si fiat ex bonis ipsius creditoris, illa potius inducunt novam obligationem & inæqualitatem, quàm ut antiquam compensent. Imò tametsi in hunc finem bona essent liberaliter à creditore concessa, tamen redditio potiùs haberet rationem tacitæ remissionis debiti, quàm satisfactionis. Si verò bona, ex quibus fit redditio, sint alterius, hoc ipso non sunt satisfactivæ compensationi idonea, cùm honor sit ex parte honorantis. Dicitur sextò, *ad compensandam injuriam alteri illatam*. Unde rursus satisfactio distinguitur partim à restitutione rei ablatæ, vel retentæ; partim à merito: licèt enim eadem actio simul esse possit meritoria & satisfactoria, tamen rationes satisfactionis & meriti distinguuntur; Primò, quòd meritum sit in bonum merentis, non præmiantis, cui exhibetur; satisfactio verò fit in bonum creditoris, cui satisfit. Secundò, quòd meritum pariat obligationem aliquam ex parte præmiantis ad præmium retribuendum: satisfactio verò principaliter tollat obligationem ex parte satisfacientis. Unde tertiò meritum dicit habitudinem ad præmium acquirendum; satisfactio verò ad removendam injuriam.

3 Notandum tertiò: Non minùs in actu bono formaliter distinctas esse rationes bonitatis, seu honestatis moralis, & valoris satisfactorii, quàm in actu malo formaliter distinctæ sunt rationes malitiæ & injuriæ; aliunde quoque accipi rationem, seu quantitatem bonitatis & malitiæ; aliunde rationem & quantitatem satisfactionis, vel injuriæ. Nam quia bonitas moralis consistit in conformitate actûs; malitia in ejusdem difformitate ad regulas morum, eáque est tantò major, quantò actus tendit in objectum magis consentaneum, vel dissentaneum rectæ rationi: ideò honestas objectiva, seu bonitas objecti in cognitione repræsentati est mensura formalis honestatis, seu bonitatis moralis, quæ in actu reperitur; uti econtra inhonestas objectiva est mensura malitiæ moralis & inhonestatis formalis, quæ in actu peccati reperitur. At verò injuria & offensa pro præcipua mensura suæ quantitatis habet personam in suo jure & honore læsam, atque offensam. Experientiâ quippe constat, quantò dignior est persona, quæ læditur, tantò graviorem esse injuriam: & hoc ideò, quia quantò persona est dignior, tantò præstantius ipsi jus competit ad honorem & reverentiam sibi exhibendam: cùm igitur per injuriam & inhonorationem illud jus personæ violetur, tantò gravior erit injuria, quantò dignior est persona. Rursus satisfactio pro præcipua mensura sui valoris habet personam satisfacientem: quantò enim dignior est persona, quæ satisfacit, tantò major est valor satisfactionis; & hoc ideò, quia in satisfactione persona satisfacientis ipsa se submittit in exhibitionem honoris & reverentiæ erga illum, cui fit satisfactio. Cùm proinde honor ex parte honorantis, & submissio se teneat ex parte submittentis, consequens est, ut valor satisfactionis (h. e. æstimabilitas & dignitas actionis, quâ fit apta ad æquam compensationem faciendam) pro forma & mensura dignificante agnoscat personam satisfacientis.

Notandū quartò, ex S. D. hic a. 2. ad 2. satisfactionem sufficientem dividi in perfectè & imperfectè sufficientem. Imperfectè sufficiens est, quæ sufficit propter acceptationem creditoris, qui illâ contentus est, quamvis ex se non sit condigna. Perfectè sufficiens est, quæ condignè adæquat gravitatem injuriæ. Quæ rursus potest esse perfecta vel tantùm ex parte materiæ, vel etiam ex parte formæ. Perfecta ex parte materiæ, seu pretii exhibiti est, in quâ exhibetur pretium adæquatum, vel superabundans pro debito. Perfecta ex parte formæ est, quæ fit secundùm formam & conditiones rigorosæ justitiæ: de quibus inf. Disput. 3. cujusmodi enumerantur, ut bona, ex quibus fit satisfactio, sint propria debitoris, alio titulo indebita, sit alteritas jurium inter debitorem & creditorem, sitque obligatio acceptandi satisfactionem ex parte creditoris. 4.

§. II.

Resolutio Thomistica.

Suppono ex tractatu de Jure & Justitia, non posse à puro homine Deo exhiberi satisfactionem pro peccato, quæ habeat omnes conditiones rigorosæ justitiæ, sitque proinde perfecta ex parte formæ: quippe cùm omnia supernaturalia justorum opera ex gratia Dei gratis & liberaliter donata proveniant, sint Deo innumeris titulis debita, eidémque titulo inabdicabilis dominii subjecta, nunquam poterit purus homo verè satisfacere ex bonis propriis, nec unquam erit sufficiens alteritas jurium. Quæstio igitur est, an saltem purus homo possit perfectè satisfacere ex parte pretii, exhibendo videlicet opus tantæ æstimabilitatis & valoris satisfactorii apud Deum, quantæ æstimabilitatis ex opposito est peccatum in ratione injuriæ & offensæ. 5.

CONCLUSIO. *Homo justificatus I. potest condignè satisfacere pro propriis peccatis venialibus. II. Non autem pro alienis secundùm præsentem Dei legem. III. Homo verò extra statum gratiæ constitutus, non potest pro ullo peccato veniali satisfacere.* Ita communiter Thomistæ, cum Suarez, Amico, de Lugo & aliis. 6.

Ratio primæ partis est, quia veniale differt à mortali, quòd istud ab intrinseco sit irremissibile; dum econtra illud est ab intrinseco remissibile: sed in tantum est ab intrinseco remissibile, in quantum datur in homine justo virtus intrinseca, & principium, quo possit reparare lapsum peccati venialis, nec indiget merè gratuitâ remissione Dei, quemadmodum peccatum mortale. Ergo. Secundò, quia actus dilectionis vel contritionis elicitus ab homine justo adæquat, imò superat suo valore & dignitate offensam peccati venialis. Nam peccatum veniale, sicuti tantùm est peccatum secundùm quid, voluntatem non avertens ab ultimo fine, neque destruens amicitiam Divinam, ita tantùm est analogicè secundùm quid offensa Dei, simpliciter finita, & ne quidem infinita secundùm quid; meretúrque solummodò pœnam temporalem, actus verò dilectionis vel contritionis ab homine justo elicitus est satisfactio elicita à persona Deo grata, & participativè Divina, est efficax conversio in De-

um

um ut finem ultimum, estque condignè meritoria vitæ æternæ. Neque refert, quòd etiam satisfactio pro veniali, suam efficaciam & valorem trahat à gratia sanctificante, gratuitò & liberaliter concessâ. Non enim supponitur gratia esse collata & infusa hìc & nunc à Deo ut gratuitò remittente peccatum, quemadmodum confertur & infunditur ad remittendum peccatum mortale; sed suppponitur antecedenter ante peccatum veniale obtenta, possessa, & sub dominio justi constituta.

7. Ratio secundæ partis est. Siquis posset condignè satisfacere pro alterius peccato veniali, posset etiam condignè mereri alteri gratiam, vel augmentum gratiæ; sed hoc juxta præsentem Dei legem nemo potest, quantumvis Justus & Sanctus, ergo. Minorem suppono ex Tract. de gr. & merito, nullus enim homo accepit gratiam capitis perfectivam alieni subjecti, sed tantùm gratiam perfectivam proprii subjecti ejúsque perductivam in finem vitæ æternæ. Major probatur; remissio venialis vel est conjuncta cum remissione peccati mortalis, ut in homine peccatore, vel non est conjuncta, ut in homine justo: Si primum, non fit sine infusione gratiæ simpliciter, si secundum, non fit sine aliquo augmento gratiæ, ut aliunde suppono; ergo si justus condignè satisfaceret pro alterius peccato veniali, deberet ipsi condignè mereri vel infusionem gratiæ simpliciter, vel augmenti gratiæ, quomodo Christus satisfecit pro peccatis tam mortalibus, quàm venialibus. Sed hoc, ut dictum, juxta præsentem Dei legem est impossibile. Dixi, *juxta præsentem Dei legem*: non enim apparet implicantia, quin Deus per absolutam potentiam aliter ordinare potuerit, ut unus homo alius posset de condigno mereri augmentum gratiæ, in qua hypothesi potuisset etiam de condigno mereri remissionem peccati venialis non conjuncti cum mortali peccato.

8. Ratio tertiæ partis est primò: quia in S. Scriptura & PP. omnis peccati remissio generaliter adscribitur gratiæ Christi, ut probatur Rom. 4. *credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei.* 1. Jo. 1 *Sanguis Iesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato*: ex his quæ dicuntur in tr. de Gr. Secundò ut ibidem contra Pelagium dicitur, sine gratia Christi non potest fieri ullum opus bonum conducens ad vitam æternam; sed satisfactio destructiva peccati est opus bonum supernaturale conducens ad vitam æternam: ergo non potest fieri sine gratia. Tertiò. Peccator non potest condignè, imò nec congruè mereri gratiam vel augmentum gratiæ, ergo nec remissionem peccati venialis. Consequentia patet ex probatione superiori. Antecedens probatur ex D. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 1. q. 2. in C. ubi sic loquitur: *Quòd opera satisfactoria sint Deo accepta, hoc dat eis charitas (ab initio quippe accepta & grata esse non poterant) Et ideo opera sine charitate facta non sunt satisfactoria.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

9. Objicies contra primam partem conclusionis primò. Si purus homo condignè posset satisfacere pro veniali, tunc satisfactio & merita Christi non essent necessaria ad illorum remissionem; sicque Deus non esset Redemptor respectu peccatorum venialium, sed consequens videtur absurdum, ergo. Secundò. Justi frustra orarent, *dimitte nobis debita nostra.* Frustra enim à Deo petimus, quod in nostra libera potestate habemus, ut SS. P. P. contra Pelagium arguunt. Consequens autem est contra Trid. Sess. 6. de Justif. c. 11. III. Pro mortali purus homo non potest satisfacere, quia est offensa personæ infinitæ, sed etiam veniale est offensa Personæ infinitæ. Ergo nec potest satisfacere pro veniali.

Respondeo ad primum negando sequelam, quia etiam ad remissionem venialium indigemus partim gratiâ sanctificante, partim gratia actuali sive auxilio gratiæ excitantis & cooperantis, sine cujus viribus uti non possumus ullum opus supernaturale, ita nec satisfactorium pro veniali peccato elicere. Hæc autem gratia confertur nobis per merita Christi. Ad secundum quoque nego sequelam, ob eandem rationem, quia ad eliciendum actum satisfactorium indigemus auxilio gratiæ à Deo gratuitò conferendæ. Ad tertium nego paritatem, & dico: ideo purus homo non potest satisfacere pro mortali, quia hoc est offensa simpliciter personæ infinitæ, illam efficaciter attingens, concedo; quomodocunque, nego; atqui veniale peccatum est offensa personæ infinitæ secundùm quid, ad ipsam efficaciter non pertingens, quia non avertit ab ultimo fine, nec destruit amicitiam ipsius: tunc autem tantùm Persona Divina tribuit infinitatem offensæ, quando conjungitur cum gravi offensa, quæ ab ipsa tollit intentativè rationem finis ultimi.

Objicies contra secundam partem. Potest homo justus condignè satisfacere pro pœnâ alterius peccato veniali debitâ: ergo etiam potest satisfacere pro culpa alterius. Consequentia probatur, quia opus bonum & meritorium ex se non minus est satisfactorium pro pœna, quàm pro culpa proprii subjecti; ergo si potest applicari alieno subjecto ut est satisfactorium pro pœna, etiam poterit applicari, quatenus est satisfactorium pro culpa. 10.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est; quòd satisfaciens pro altero, eidémque applicando aliquod opus pœnale pro pœna ipsius, nihil sibi ipsi deperdit de augmento gratiæ; sed potiùs ob insigne meritum charitatis majus gratiæ augmentum acquirit. Si verò satisfaceret pro culpa, alteri acquireret augmentum gratiæ, sibique deperderet, quod non minùs est contra rectum ordinem charitatis, quàm naturam gratiæ secundùm præsentem Dei legem collatæ. Nec refert, quod ipse etiam satisfaciens illâ satisfactione, quam alteri applicat, indigere possit, sicque se ipsum defraudare videatur. Nam per gratiæ augmentum, quod ex tali actu charitatis acquirit, illud detrimentum satisfactionis abundè compensatur.

Objicies tertiò. Positâ satisfactione puri hominis pro veniali, vel Deus tenetur illam acceptare secundùm leges justitiæ, vel non? Si primum, tunc satisfactio est secundùm totum rigorem justitiæ contra suprà dicta: si non tenetur; ergo Deus utens jure suo potest hominem venialiter peccantem per- 11.

perpetuò privare beatitudine, quia non remissâ culpâ veniali non potest obtineri beatitudo. Atqui hoc est falsum; quia sic peccatum veniale esset ab intrinseco irreparabile, & perpetuò punibile, justus quoque in gratia constitutus non possideret jus ad æternam gloriam; si enim non habet jus ad tollenda impedimenta gloriæ, non habet jus ad consecutionem ipsius gloriæ; sed non haberet jus ad tollenda impedimenta gloriæ, siquidem ipsi non esset debita remissio peccati venialis, quo gloriæ consecutio impeditur. Respondeo cum distinctione, & dico, Deum non teneri ad acceptationem istius satisfactionis, si velit uti supremo jure dominij & potentiâ absolutâ. Unde ex hoc capite satisfactio pro veniali deficit à rigore justitiæ. Teneri verò, si operetur secundùm legem ordinariam, & connaturalem exigentiam causarum, ut rectè probat argumentum: ex quo tamen nondum sequitur, quòd satisfactio pro veniali habeat omnes conditiones rigorosæ justitiæ: siquidem adhuc est operatio supremo Dei Dominio subjecta, pluribus titulis debita ex gratia Christi promanans.

ARTICULUS II.

An purus homo possit condignè satisfacere pro peccato mortali?

SUMMARIA.

1. *Non potest purus homo condignè satisfacere pro mortali.*
2. *Probatur ex illo Apostoli*: gratis justificati.
3. *Et ratione D. Thomæ.*
4. *Ratio S. Doctoris concludit, tametsi peccatum non sit simpliciter infinitum.*
5. *Per nullius puri hominis satisfactionem adæquatur gravitas injuria Deo illata.*
6. *Valor ordinis inferioris non attingit æstimationem ordinis superioris.*
7. *Actus dilectionis in ratione satisfactionis non tantùm placet Deo, quantum displicet peccatum in ratione offensa.*
8. *Quomodo per contritionem tollatur jus in Deo exigendi ulteriorem satisfactionem.*
9. *Pura creatura non potest de condigno mereri remissionem peccati mortalis.*
10. *Purus homo posset mereri primam gratiam, ut sanctificativam, non ut remissivam injuria.*
11. *Potest pura creatura satisfacere imperfectè tam pro suo, quàm pro alieno peccato.*
12. *Supposito decreto condigna satisfactionis ab homine præstanda, simpliciter necessaria fuit Incarnatio Dei.*
13. *Homo justus, neque ut est membrum Christi, potest condignè satisfacere pro mortali.*

§. I.

Resolutio Thomistica negativa.

1. CONCLUSIO. *Non potest homo purus per opera supernaturalia de condigno & perfectè satisfacere pro ullo peccato mortali, proprio & alieno.*

Ita videntur sentire SS. PP. quoties necessitatem Incarnationis adstruunt, ut Cyrillus *l. 5. thes. c. 7. quoniam igitur imperfectum semper esse opus Dei non decuit, nec potuit aliter reparari, quàm per Incarnationem Verbi, necessariò Dei Filius homo factus est.* Fulgent: *de Incarn. & Gr. c. 4. nullatenùs humana natura ad auferendum peccatum Mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei.* D. Augustinus *in Enchirid. c. 108. neque per ipsum liberaremur mediatorem hominem Christum, nisi esset Deus.* Basilius *in illud Ps. 28. Frater non redimit, redimet homo. Non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus: Quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.*

2. Probatur secundò. Si homo condignè posset satisfacere pro peccato mortali, non rectè diceremur *gratis justificari*, quod est contra Apostolum Rom. 8. Sequela probatur: eò quòd meritum habeat condignitatem ad præmium, ideò juxta definitionem Tridentini Sess. 6. de Justif. c. 16. gloria æterna bene operantibus non conceditur gratis, sed tanquam merces & corona justitiæ ex Dei promissione pro bonis ipsorum operibus reddenda: ergo etiam si purus homo condignè satisfacit pro peccato mortali, remissio peccati non conceditur gratis, sed tanquam debitum ex justitia.

Probatur tertiò ratione & authoritate S. Doctoris in 3. dist. 20. q. 1. a. 2. *Ad hoc, ut satisfactio esset condigna, oportebat, quòd haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat, habebat infinitatem quandam; tanto enim offensa est major* (inquit idem S. D. hic art. 2. ad 2.) *quanto major est ille, in quem delinquitur*; sed nullius puræ creaturæ satisfactio est infinita, quia valor satisfactionis desumitur à dignitate personæ satisfacientis juxta suprà prænotata: ergo nullius creaturæ satisfactio poterat esse condigna pro peccato mortali. Quæ ratio S. D. in talem discursum formari & explicari potest. Quod est in suo genere infinitum, non potest adæquari per id, quod in suo genere est finitum; sed omnis satisfactio puri hominis quantocunque gradu sanctitatis instructi in genere satisfactionis est simpliciter finita, econtra offensa peccati in genere offensæ & injuriæ est aliquo modo infinita: ergo satisfactio puri hominis nunquam adæquat gravitatem offensæ. Major probatur: quæ sunt ordinis inferioris, quomodocunque crescant in suo ordine, nunquam assequuntur perfectionem superioris ordinis, ita qualiscunque perfectio in ordine naturæ superaddita intellectui nunquam tamen adæquat perfectionem luminis gloriæ; venialia quantumvis multiplicata non perveniunt ad gravitatem peccati mortalis. Injuria facta in ordine superiori vitæ vel famæ, non potest adæquari per bona pecuniæ tanquam inferioris ordinis; sed satisfactio finita est in ordine inferiori, quàm offensa, quæ est aliquo modo infinita: ergo. Minor etiam patet ex dictis, quia sicut offensa sequitur conditionem personæ offensæ; ita satisfactio sequitur conditionem personæ satisfacientis: ergo quemadmodum offensa ratione personæ constituitur in quodam ordine infinito; sic econtra satisfactio ratione personæ satis-

satisfacientis simpliciter finitæ restringitur ad ordinem simpliciter finitum.

4. Ex hâc Thomisticâ ratione complures deducunt, quòd peccatum in ratione offensæ sit simpliciter infinitum, existimantes cum Gonett. *disp. 4. a. 1. §. 1.* hanc rationem non satis probare, nisi peccato adstruatur infinitas simpliciter dicta. Sed pace illorum Authorum, non videtur mihi communissima veritas & doctrina Theologorum de necessitate Incarnationis & impossibilitate condignæ satisfactionis ex parte puræ creaturæ, in tam lubrico dubióque principio fundanda, quale est, peccatum esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, quod à plurimis DD. tam intra, quàm extra Scholam D. Thomæ negatur. Sive ergo peccatum in ratione offensæ sit simpliciter, sive non simpliciter infinitum, tamen omnem puræ creaturæ satisfactionem toto ordine excedit; ac proinde, independenter ab illa quæstione à puræ creaturæ satisfactione condignè adæquari non potest, ut enim prænotaveram, quemadmodum ordo & quantitas offensæ desumitur à dignitate personæ offensæ & connotantis vilitatem personæ offendentis, sic ex opposito ordo & dignitas satisfactionis desumitur à dignitate personæ satisfacientis, comparatæ ad conditionem personæ, cui satisfit: atqui nullà offensa excogitabilis, quantumcunque alias & alias in infinitum accumules, ascendit ad illam distantiam, quæ est inter dignitatem Dei offensi & vilitatem creaturæ offendentis, adeóque quantitas offensæ Deo illatæ per peccatum, constituit supremum ordinem in genere offensæ. Econtrà cùm pura creatura quantumcunque grata, supernaturalibus donis exculta, & participativè divina, Deo satisfaciens pro peccato, ab eodem adhuc infinitè distet, sitque infinitè vilior quàm Divina persona offensa, non potest constituere supremum ordinem in genere satisfactionis: imò constituit ordinem infimum, cùm qualibet persona creata satisfaciens in ordine ad aliam creaturam offensam sit utique majoris dignitatis & minoris distantiæ, quàm in ordine ad increatam Personam Dei.

5. Dices primò. Possunt ea, quæ sunt ordinis inferioris, in morali æstimatione ita crescere, ut adæquent, vel etiam excedant valorem alterius rei constitutæ in ordine superiori; ergo nostrum fundamentum non subsistit. Antecedens probatur. Quantumvis enim argentum quantumcunque multiplicatum nunquam adæquet perfectionem physicam auri, tamen in morali æstimatione aliquando æquivalet, aliquando præponderat. Secundò. Si malitia peccati tantùm sit infinita secundùm quid, erit tantùm infinita participativè, extrinsecè, & objectivè; sed infinitas objectiva & extrinseca, participativa posset adæquari per operationem puræ creaturæ; nam actus charitatis non minùs habet bonitatem objectivè infinitam, videlicet à Divina bonitate, in quam tendit, quàm offensa habeat malitiam objectivè infinitam à Deo, quem offendit, ergo posset malitia peccati adæquari per satisfactionem puræ creaturæ; præsertim cùm persona hominis justi per gratiam sanctificantem sit participativè divina, sicque possit suis actibus tribuere valorem participativè infinitum.

Respondeo ad primum. Negando antecedens. Et ad probationem Respondeo cum Isamberto, instantiam non esse ad rem, quia licèt aurum & argentum in genere metalli sint diversi ordinis, quoad valorem tamen, & æstimationem in ordine ad usus humanos sunt ejusdem planè ordinis, & tantùm distinguuntur sicut magis & minus; atqui in præsenti difficultate persona satisfaciens, & persona offensa toto ordine distinguuntur & sic pariter valor satisfactionis desumptus à dignitate personæ satisfacientis toto ordine discrepat à magnitudine & æstimabilitate personæ offensæ. Ad secundum distinguo minorem. Malitia peccati posset adæquari per operationem creaturæ in esse malitiæ concedo; in esse injuriæ, nego. Vel secundò posset adæquari quoad honestatem moralem, concedo, quoad valorem satisfactorium, nego. Similiter ad probationem Respondeo. Actus charitatis non minùs habet bonitatem objectivè infinitam in ratione honestatis moralis, concedo; in ratione satisfactionis, nego. Neque enim dignitas & valor satisfactionis ab objecti, sed à personæ satisfacientis dignitate petitur. Nec obstat, quòd homo gratiâ sanctificante instructus, sit persona participativè divina; nam etiam ut sic cum Deo comparatus est infinitè vilior, & ordinis inferioris, quàm Deus, nec proinde potest condignam æqualitatem satisfactioni tribuere, siquidem offensa suum ordinem & quantitatem accipit à persona impparticipativè infinita.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Ille condignè Deo satisfacit pro peccato, qui Deo tantum restituit, quantum abstulit. Sed purus homo per actum dilectionis, vel contritionis Deo tantum restituit, quantum abstulit per peccatum; ergo condignè satisfacit. Major liquet, quia si debeas centum, & totidem restituas, satisfacis ad æqualitatem. Minor probatur: per peccatum aufertur à Deo ratio finis ultimi, non realiter, sed intentativè, & quoad affectum, eadem ratio finis ultimi restituitur per actum dilectionis, quo Deus sub ratione finis ultimi attingitur, & sicuti in actu peccati Deus virtualiter postponebatur creaturæ, sic per istos actus supernaturales præponitur omni creaturæ & appretiativè diligitur super omnia. 6.

Confirmatur. Qui reddit, quantum potest & debet, adæquatè satisfacit; sed homo per actum contritionis & dilectionis Deo reddit, quantum potest & debet, ergo adæquatè satisfacit.

Respondeo distinguendò majorem: ille condignè satisfacit, qui tantum reddit, quantum abstulit, actu adæquante in suo valore gravitatem injustæ ablationis, concedo. Non adæquante, nego; & pariter distinctâ minore, nego consequentiam: in hoc enim differt satisfactio pro injuria illatâ & honore ablato, à restitutione pro re ablata, quòd in hac spectetur æqualitas inter rem & rem; in illa verò æqualitas inter valorem obsequij, & gravitatem injuriæ vel offensæ. Eadem est responsio ad probationem: nempe per actum dilectionis vel contritionis restituitur Deo ratio finis ultimi, actu in suo valore adæquante gravitatem præteritæ offensæ, nego; non adæquante, concedo.

Ad confirmationem pariter distinguo majorem: qui reddit quantum potest & debet, satisfacit adæquatè quoad obligationem, sive satisfactione adæquante obligationem, concedo, quoad gravitatem offensæ, nego. Similiter distincto consequente, nego consequentiam.

7. Objicies secundò. Illud est pretium adæquatum pro offensa, quod tantum Deo placet, quantum displicet offensa: atqui actus dilectionis tantum Deo placet, quantum displicet offensa, habet tantam amabilitatem, quantam odibilitatem habet offensa, ergo.

Respondeo distinguendo majorem: quod Deo tantum placet éstque tam amabile in ratione satisfactionis, quantum displicet, éstque odibilis offensa in ratione offensæ, concedo majorem, quod tantum Deo placet in ratione boni moralis, quantum displicet offensa in ratione mali moralis, nego majorem: sed actus dilectionis tantum Deo placet in ratione boni moralis, concedo, in ratione satisfactionis, quàm offensa in ratione offensæ, nego minorem & consequentiam.

8. Objicies tertiò. Per illam operationem adæquatè satisfit, per quam in creditore tollitur jus ad ulteriorem satisfactionem exigendam: atqui per contritionem homo tollit in Deo jus exigendi aliam satisfactionem, ergo. Major patet exemplo satisfactionis civilis & humanæ, ubi extincto jure aliquid exigendi à debitore censetur adæquatè satisfactum creditori. Minor probatur. Sublato fundamento & jure rationabilis indignationis, aufertur jus exigendi satisfactionem pro offensa; sed per contritionem aufertur fundamentum & jus rationabilis indignationis Divinæ, ergo. Minor probatur. Jus rationabiliter indignandi fundatur in peccato; sed contritio est incompossibilis cum peccato, illúdque destruit: ergo destruit fundamentum, & consequenter jus illius indignationis, quam Deus habuit antecedenter contra peccatorem.

Respondeo distinguendo majorem, Satisfit adæquatè per illam operationem, si tollatur jus ad exigendam satisfactionem propter intrinsecum valorem & æstimabilitatem illius operationis, concedo, si propter aliquam naturalem repugnantiam; nego, & similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Similiter distinguo minorem utriusque probationis: per contritionem aufertur fundamentum justæ indignationis Divinæ, propter naturalem repugnantiam cum peccato, concedo; propter intrinsecum valorem, nego. Item contritio est incompossibilis cum peccato incompossibilitate naturalis repugnantiæ, eò quòd contritio essentialiter sit efficax conversio in ultimum finem, concedo, incompossibilitate ortâ ex valore & æstimabilitate operationis, nego minorem, & consequentiam. Adde quòd etiam post contritionem sæpe remaneat aliqua obligatio satisfaciendi.

§. III.

Corollaria.

9. INferes ex dictis primò. Non posse puram creaturam de condigno mereri remissionem peccati mortalis; supposito quod meritum remissionis aliquatenus distinguatur à satisfactione pro peccato. Ita videntur sentire SS. PP. qui absolutè adstruunt necessitatem Incarnationis, & negant omne medium reparandæ salutis ex parte puræ creaturæ, ut videre est in testimonijs n. 1. adductis, inter quæ media etiam meritum continetur. Expressè etiam meritum excludit D. Leo serm. 12. de Pass. *Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit è cælo Medicus singularis.*

Et ratio est primò. Ad meritum de condigno requiritur æqualitas inter meritum & præmium: sed nulla potest esse æqualitas inter hominis lapsi operationem, & peccati remissionem, ergo. Minor probatur. Tantò majus est præmium in ratione præmij & beneficij, quantò confertur indigniori: sed homo lapsus Deóque injurius per peccatum, est quodammodo infinitè indignus remissione peccati, quia injuriæ quodammodo infinitæ formalis effectus est, injuriantem reddere infinitè indignum remissione offensæ, ergo remissio peccati est beneficium quodammodo infinitum respectu peccatoris.

Secundò, Injuriæ remissio non potest fieri condignè debita, nisi pro opere condignè satisfactorio, sed ut dictum, nulla creatura potest præstare opus condignè satisfactorium pro peccato; ergo nulla creatura potest per suum meritum facere sibi condignè debitam remissionem peccati. Major probatur. Æqualitas justitiæ læsa non redintegratur nisi per restitutionem æquivalentis; sed æquivalens pro injuria est sola condigna satisfactio; ergo æqualitas justitiæ per peccati injuriam læsa non redintegratur, nisi exhibeatur condigna satisfactio: sed remissio peccati in ratione injuriæ non fit condignè debita, nisi redintegratâ æqualitate justitiæ, quæ per peccatum fuit violata: ergo nisi ponatur condigna satisfactio pro peccato, remissio injuriæ peccati non potest fieri debita. Et hæc postrema ratio probat etiam de merito pro remissione peccati alieni.

Dices primò. Potuisset Deus constituere purum hominem pro capite cæterorum; sed is potuisset alijs condignè promereri primam gratiam; ergo etiam remissionem peccati, cùm gratia sit formaliter remissiva peccati. Secundò Vita æterna est majus præmium quàm remissio peccati; sed justus sibi de condigno meretur, & posset alteri de condigno mereri vitam æternam: ergo saltem posset sibi & alijs mereri remissionem peccati. 10.

Respondeo ad primum. In hâc hypothesi purum hominem potuisse condignè alijs promereri primam gratiam, quatenus est formaliter sanctificativa, forma filiationis adoptivæ, & formaliter expulsiva peccati in ratione maculæ seu malitiæ, non autem quatenùs est formaliter remissiva peccati in ratione injuriæ & offensæ, quem effectum solummodò habuisset ex divina ordinatione plenam satisfactionem gratuitò remittente.

Ad secundum. Respondeo, vel negando consequentiam, quia totus discursus nititur hoc falso supposito, quòd, qui potest mereri majus; etiam possit mereri minus; vel secundò distinguendo majorem: est majus præmium entitativè & materialiter, concedo, formaliter & reduplicativè in ratione præmij & beneficij, nego, sic enim magnitudo

tudo præmij crescit ex dignitate accipientis, ut dictum est.

11. Inferes secundò. Posse puram creaturam imperfectè satisfacere tam pro suo, quàm pro alieno peccato mortali: quia ad hoc plùs non requiritur, quàm ut creatura Deo exhibeat aliquam actionem submissivam sui, quæ ipsum aliquo modo moveat ad peccatum liberaliter, & ex quadam congruitate non ex intrinsecâ operis condignitate remittendum: sed hoc fieri potest, & fit de facto per actum contritionis.

12. Inferes tertiò. Supposito decreto Dei, quòd genus humanum esset redimendum per condignam satisfactionem pro peccato præstandam ab homine, fuisse simpliciter necessarium, ut Deus homo fieret. Ita SS. PP. allegati, qui non tantùm de potentia ordinaria, sed absoluta sunt intelligendi, cùm dicunt, hominem aliter redimi non potuisse: siquidem pro ratione necessitatis assumunt gravitatem peccati, ex qua secundùm hactenus dicta evidenter deducitur, simpliciter necessarium fuisse, ut Deus fieret homo. Nam si fuit præstanda condigna satisfactio ab homine pro peccato commisso vi decreti Divini, vel erat præstanda à puro homine, vel à Deo-homine. Non à puro homine: hoc enim esse simpliciter impossibile, hactonus ostensum: ergo à Deo-homine.

Inferes Quintò. Hominem justum, etiam ut est membrum Christi, non posse condignè satisfacere pro mortali. Nam ex eo, quòd est membrum Christi, non desinit esse pura creatura, neque ipsius operationibus confertur valor infinitus. 13.

ARTICULUS III.

De Infinitate peccati in ratione offensæ.

SUMMARIA.

1. *Peccatum non potest esse simpliciter infinitum in ratione malitiæ & demeriti.*
2. 3. *Authoritas S. Thomæ non magis probat infinitatem simpliciter, quàm secundum quid.*
4. *Probatio Gonetii ab effectu infinito posita refellitur.*
5. *Proponitur sententia probans infinitatem ex supremitate ordinis.*
6. *Refutatur.*
7. *Probatio ex regulis partium, & intrinseco constitutivo deducta exponitur.*
8. *Et rejicitur.*
9. *Ad fundamentum sententiæ respondetur.*
10. *Quartus modus probandi infinitatem peccati ex effectu formali proponitur.*
11. *Ejus supposita exponuntur.*
12. 13. 14. *Et impugnantur.*
15. *Respondetur ad fundamentum sententiæ.*
16. *Sententia Petri Labat & Godoy exponitur.*
17. *Ejus probationes.*
18. *Improbatur.*
19. *Ejus fundamenta convelluntur.*
20. *Asseritur peccato infinitas secundùm quid.*
21. *Una offensa peccati est major alterâ.*
22. *Unum præbet majus fundamentum indignandi quàm alterum, quod ostendit inæqualitas pœnæ.*
23. *Responsio Godoy & Contensoni refellitur.*
24. *Authoritas D. Thomæ objecta exponitur.*
25. *Peccatum mortale non potest continere effectum simpliciter infinitum.*
26. *Explicatur textus S. D.*
27. *Deus solum extrinsecè tribuit offensæ gravitatem superioris ordinis.*
28. *Instantia de peccato veniali eliditur.*
29. *Argumentum de infinita distantia offendentis ad offensum solvitur.*
30. *Disparitas inter satisfactionem, & offensam.*
31. *Objecta paritas retorquetur in Adversarios.*
32. *Peccata in ratione offensæ specie non distinguuntur.*

§ I.

Primus modus propugnandi infinitatem peccati reprobatur.

1. PEccatum secundùm triplicem rationem considerari potest, malitiæ, demeriti, & offensæ seu injuriæ. Juxta primam acceptionem non potest esse infinitum simpliciter. Primò, quia objectum non refundit malitiam in actum, nisi prout limitato modo repræsentatur in intellectu: secundò, quia sicut rectitudo moralis est quid finitum, ita & irrectitudo opposita, in quâ consistit malitia peccati. Tertiò; quia licèt privet hominem bono infinito, videlicet Deo, tamen ipsum privat, quatenùs modo finito à creatura obtinetur in hac vitâ per gratiam & charitatem, & per visionem in altera. Neque in secunda acceptione demeriti peccatum potest esse simpliciter infinitum: vel enim esset infinitum ratione formæ infinitantis demeritum, sicuti gratia & meritum Christi est propterea infinitum, propter unionem hypostaticam illud moraliter infinitantem: vel quia causaret pœnam infinitam tanquam effectum demeritorium; sicuti meritum Christi est moraliter infinitum, quia habet vim causativam præmij Syncategorematicè infiniti. Sed ex neutro capite. Non ratione formæ, quia hæc est malitia peccati, quæ est finita: non ratione pœnæ; quia hæc sive sit pœna sensûs, sive damni, semper est finita, & una in damnatis major, quàm altera. Æternitas quoque sicuti nil facit ad infinitatem propriam vitæ æternæ, ita neque ad propriè dictam infinitatem pœnæ æternæ. Controversia igitur tam inter Thomistas quam RR. agitatur de peccato considerato sub tertia ratione injuriæ, vel offensæ. *Sitne simpliciter & propriè* h. e. intrinsecè, vel tantùm *secundùm quid*, h. e. extrinsecè & objectivè infinitum? Quemadmodum actus virtutum Theologicarum dicuntur secundùm quid infiniti; quia terminantur ad objecta increata, & infinita, quamvis ipsi sint intrinsecè & per se finiti.

2. Quam infinitatem conantur aliqui probare partim ex textu, partim calculatorio argumento. S. D. Ex textu *q. 26. de. Ver. a. 2. in C.* ubi dicit: *cùm Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter infinita offensa ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum injuria fit.* Ex calculatorio argumento. *in 3. ad Annib. d. 20. q. un. a. 1. Pro injuria infinita requiritur infinita emenda; peccatum est infinita injuria: tantò enim major est injuria, quantò major*

jor est ille in quem peccatur : ergo requiritur infinita emenda pro eo. Ex quo sic calculatoriè infertur : Quantò dignior est persona, quæ offenditur, & quantò major excessus ipsius supra personam offendentem; tantò major est offensa; sed persona offensa, ejúsque excessus supra offendentem est simpliciter infinitus, ergo etiam offensa ipsius est simpliciter infinita.

3. Verùm Io. à S. Th. aliique notant, nihil ex his efficaciter deduci, cùm hæc loca opposita commodè explicari possint de infinitate objectiva, extrinseca, & secundùm quid, qualem videtur ipsemet indicâsse per duplicem terminum diminuentem, primò cum hîc a. 2. ad 2. dicit, peccatum *habere quandam* (quasi secundùm quid) *infinitatem*, secundò cùm citato loco de Verit. dicit, *offensam esse infinitam ex parte dignitatis ejus &c.* Quibus haud obscurè indicat, infinitatem istam tenere se ex parte objecti, nempe dignitatis personæ offensæ, quæ offensam extrinsecè terminat, ac proinde esse infinitatem objectivam & extrinsecam. Imò idem S. D. in q. 2. de Malo a. 4. ad 15. ubi quantitatem injuriæ non desumit tantùm ex parte offensi, sed etiam ex parte actûs, satis apertè loquitur in favorem sententiæ denegantis peccato propriam infinitatem. Verba sunt : *Quantitas contemptûs non solùm mensuratur ex parte ejus, qui offenditur : sed etiam ex parte actûs, quo quis contemnitur, qui potest esse intensior, vel remissior.* Neque urget calculatorium illud, ut vocant, argumentum : Aut enim majorem, *quantò dignior est persona &c.* accipis secundùm proportionem geometricam, uti est accipienda, & tunc peccas in consequentia, dum à geometrica proportione in consequenti transis ad æqualitatem arithmeticam : vel accipis secundùm æqualitatem arithmeticam, & sic major à sententia opposita negatur. Quâ eâdem inconsequentiâ laborat illa paritas Gonetti : Ideò offensa peccati fit superioris ordinis, quia dignitas personæ est superioris ordinis : ergo etiam offensa erit simpliciter infinita, quia personæ offensæ dignitas est simpliciter infinita. Nam rursus transitur à geometrica proportione inter offensam & offensum ad eorundem æqualitatem arithmeticam : veluti si dicas : Ideò gratia sanctificans est in supremo ordine qualitatum supernaturalium, quia ipsius specificativum est natura Divina, tanquam supremum & fontale prædicatum omnium attributorum, ergo etiam est simpliciter infinita, quia essentia Divina, ut sic est simpliciter infinita.

4. Primò conatur Gonett probare infinitatem peccati simpliciter *hâc ratione* : causa efficiens continens effectum moraliter infinitum, est infinita in genere moris, sed ita se habet peccatum in ratione offensæ; quia ut sic continet pœnam infinitam.

Sed contra est, quòd, ut suprà vidimus, offensæ non respondet pœna infinita : nam vel intelligitur pœna damni, seu privatio visionis beatæ, vel omnis pœna possibilis. Si primum; clarum est, hanc non esse simpliciter infinitam, uti nec vita æterna est infinita; unde sicut actus charitatis, efficienter continens vitam æternam, non est propterea simpliciter infinitus, ita nec offensa peccati, continens pœnam damni est simpliciter infinita. Si secundum, etiam non quodlibet peccatum demeretur omnem pœnam possibilem, & quâ major excogitari non potest; tum quia de facto peccata inæqualiter puniuntur, tum quia carentia omnis boni possibilis, quæ intra latitudinem omnis pœnæ continetur, sub demeritum peccati cadere non potest, sic enim peccatum etiam demereretur carentiam Redemptionis, & destructionem proprij subjecti, quod dici non potest. Non primum; quia Christus non satisfecisset pro tali pœna, quippe quæ per ipsam Christi existentiam omni ipsius merito præsuppositam fuisset extincta. Non secundum : Quia cùm carentia proprij esse secum trahat finem & carentiam omnis alterius pœnæ, quæ est aliquod bonum, sequeretur, quòd peccatum demereretur & non demereretur carentiam omnis boni possibilis.

§. II.

Refelluntur aliæ duæ expositiones.

SEcundò probant aliqui graves Authores infinitatem peccati ex infinitate ordinis hoc modo. 5. Tunc aliquid in linea alicujus ordinis propriè est infinitum, quando ille ordo, quem participat, nullum habet supra se altiorem, infra se verò admittit ordines perfectiores in infinitum, absque hoc, ut pertingant ad illum supremum ordinem : sed ordo, quem peccatum mortale in ratione offensæ moralis participat, est tantus, ut in ratione & linea offensæ moralis supra se nullum patiatur altiorem, infra se verò admittat alios ordines altiores in infinitum, quorum tamen nullus ad suam altitudinem pertingat : ergo peccatum in ratione offensæ moralis habet propriè & simpliciter dictam infinitatem. Major ostenditur à pari. Tunc aliquod ens in ratione intellectivi propriè haberet infinitatem, quando sub hâc ratione nullum haberet perfectius, infra se verò perfectiora in infinitum. Ergo idem dicendum de peccato in ratione & linea offensæ moralis. Minor etiam videtur certa, quia ordo offensæ accipitur ex dignitate personæ offensæ : ergo sicuti non datur altior dignitas, quàm personæ Divinæ, quæ per peccatum mortale offenditur, infra ipsam verò dantur aliæ perfectiores in infinitum; ita non datur altior ordo, quàm offensæ Divinæ, infra ipsum verò sunt dabiles alij ordines altiores in infinitum.

Istius sententiæ totum fundamentum consistit in Majori primi Syllogismi : Illud est simpliciter infinitum, quod est in eo ordine constitutum, quo altior dari non potest, &c. Hoc tamen fundamentum subsistere non potest (I) quia verum non est, illud genus vel ordinem esse simpliciter infinitum, qui supra se caret termino extrinseco, (II.) quia etsi genus sit tale, ut excludat terminum extrinsecum, non tamen sequitur, quòd quævis species in illo genere contenta sit infinita, de quo tamen quæritur in præsenti; sic enim quælibet species deberet etiam excludere terminum extrinsecum, & nulla esse major, quàm altera, quod tamen de offensa peccati negant prædictæ sententiæ Authores. Utrumque assumptum ostenditur varijs instantijs : Gratia sanctificans est in supremo ordine qualitatis supernaturalis, quo sublimior dari non potest, infra illum verò alij perfectiores in infinitum, nec tamen exinde gratia est simpliciter infinita. Antecedens probatur : Quia dignitas quali- 6.

qualitatum supernaturalium constituitur ex dignitate perfectionum Divinarum, quas participant : sed gratia Sanctificans participat supremam perfectionem, scilicet increatam Dei naturam, ut radicem omnium attributorum : ergo constituitur in supremo ordine qualitatum supernaturalium, & tamen quia in hoc ipso ordine & genere una est intensior, & perfectior alterâ, ideò non obstante, quòd totum genus gratiæ dicat negationem termini extrinseci, & ordinis superioris in genere qualitatum supernaturalium, quælibet tamen gratia est simpliciter finita : ergo idem dicendum de offensa peccati mortalis. Secundò. Actus fidei & spei Theologicæ ita participant perfectionem fidei, & spei, ut supra se nullum patiantur actum, qui perfectionem fidei & spei magis participet: infra se verò perfectiores in infinitum, nec ideo tamen in ratione fidei & spei habent infinitatem simpliciter : ergò idem dicendum de offensa peccati. Antecedens est certum, quia fides & spes Theologica desumunt suam perfectionem à motivo formali, quod cùm sit Divinum, supra se nullum perfectius admittit. Tertiò. Tametsi odium Dei constituat ordinem malitiæ moralis, quo non potest dari major, infra illum verò alij & alij graviores in infinitum, non ideo tamen habet malitiam simpliciter infinitam, ergo nec offensa peccati propterea est simpliciter infinita.

7. Tertiò probant aliqui Recentiores hoc fundamento : Cujus intrinsecum constitutivum est simpliciter infinitum, illud est simpliciter infinitum ; sed intrinsecum constitutivum peccati mortalis in ratione offensæ est simpliciter infinitum ; ergo etiam peccatum mortale in ratione offensæ est simpliciter infinitum. Minor probatur : Intrinsecum constitutivum peccati in ratione offensæ est dignitas Personæ Divinæ : sed hæc est simpliciter infinita : ergo. Major probatur. Illud intrinsecè rem constituit, quo posito per locum intrinsecum res ponitur, eóque ablato aufertur ; sed positâ dignitate personæ offensæ per locum intrinsecum ponitur peccatum mortale in ratione offensæ, eâque sublatâ aufertur : ergo.

Confirmatur à paritate valoris satisfactorij in operibus Christi. Licèt persona satisfaciens physicè spectata sit principium extrinsecum satisfactionis, nihilominus est intrinsecum & metaphysicum constitutivum valoris satisfactorij in esse moris, quia illâ positâ per locum intrinsecum valor ponitur, eâ sublatâ aufertur : ergo à pari licèt persona offensa extrinsecè terminet actum peccaminosum, qui est offensa, tamen ob datam rationem erit metaphysicum constitutivum offensæ, in ratione offensæ : uti enim valor resultat ex dignitate personæ satisfacientis, ita resultat offensa ex dignitate personæ offensæ.

8. Sed nec iste modus defendendi infinitatem in regulis partium fundatus, potest in nostris principijs subsistere. Contra enim est primò, quia quod se habet per modum termini, & objecti extrinseci, non se habet ut pars intrinsecè constitutiva, sed tanquam connotatum extrinsecum, ut suppono ex Philosophia : sic enim neque scientia intrinsecè per objectum, neque motus, mutatio, vel relatio intrinsecè constituitur per suum terminum : sed dignitas personæ Divinæ est tantùm terminus & objectum extrinsecum offensæ, neque enim involvitur in recto, sed in obliquo, cùm totum, quod offensa dicit in recto, se teneat ex parte peccantis & offendentis : ergo.

Confirmatur. Vel constituis offensam in positivo, vel in privativo ? Si in positivo? Tunc habet naturam relativorum, & sicut malitia terminatur ad objectum, ita offensa terminatur ad Personam Divinam. Si in privativo ? nempe in aversione ab ultimo fine, rursus Persona Divina & finis ultimus est terminus extrinsecus, à quo peccans avertitur.

Contra est secundò. Cui repugnat essentiale prædicatum offensæ, eidem quoque repugnat, ut sit constitutivum essentiale offensæ, sed personæ Divinæ repugnat essentiale prædicatum offensæ : ergo eidem quoque repugnat, ut sit essentiale constitutivum offensæ. Minor probatur. Personæ Divinæ per essentiam amabili repugnat prædicatum odibilitatis, sed essentiale prædicatum offensæ est odibilitas, ergo. Quòd si creatæ bonitati, cognitæ ut tali, repugnat, quòd sit ratio odibilitatis, quantò magis hoc repugnabit increatæ bonitati per essentiam tali.

Ad fundamentum Adversariorum respondeo. 9.
Ipsis probandum incumbere, quòd ablatâ Personâ Divinâ per locum intrinsecum, hoc est, tanquam per rationem formalem & causalem à priori auferatur ratio offensæ, dicimus enim auferri potius per locum extrinsecum, & tanquam ex defectu essentialis connotati, sicuti ablato termino aufertur relatio, ablatis creaturis possibilibus periret Divina Omnipotentia &c. In valore autem satisfactorio Christi Personæ dignitas est forma intrinsecè constitutiva ex infrà dicendis.

§. III.

Quartus modus defendendi infinitatem impugnatur.

QUartò probant aliqui Doctores Thomistæ hoc medio : omnis forma sive intrinseca, sive extrinseca tribuit suum totum effectum formalem, quem potest, nisi aliunde limitetur, aut subjectum sit incapax talis effectûs, sed forma extrinsecè saltem specificans, & constituens offensam in ratione offensæ, est dignitas Dei ut in se est, adeóque simpliciter infinita, eáque à nullo limitatur, quò minus tribuat moralem infinitatem, aliunde offensa non est incapax hujus infinitatis ; ergo dignitas infinita Dei, ut in se est, peccato tribuit simpliciter infinitatem in ratione offensæ. 10.

Confirmatur à paritate actûs meritorij Christi Domini : nam ideo actus meritorij Christi habent valorem simpliciter infinitum, quia forma ipsos dignificans est Persona Divina, ut in se est, adeóque simpliciter infinita, neque operatio creata est incapax talis infinitudinis : ergo ex eodem capite peccatum est simpliciter infinitum in ratione offensæ, quia ipsius forma quantificans est Deus, ut in se est, & hæc ipsa operatio est capax ejusmodi infinitudinis moralis.

Hæc doctrina tribus nititur suppositis, quæ si 11.
valida fuerint, ipsa quoque subsistit. *Primum* est, quòd forma infinita extrinsecè specificans possit dare effectum formalem infinitatis simpliciter. *Secundum*, quòd Persona Divina specificet offen-

sam, ut in se est, non ut est in cognitione, ex quo dant disparitatem, cur bonitas infinita Dei extrinsecè terminans actum charitatis, non tribuat ipsi infinitatem simpliciter; quia videlicet ipsum specificat, prout est in cognitione, quæ cùm sit limitata, facit, ut etiam actus charitatis ab objecto infinito tantùm finitè specificetur. Probant hoc suppositum ex eo, quia immutatâ dignitate personæ offensæ in se non mutatur ratio offensæ, quantumvìs mutetur cognitio; ergo ratio offensæ specificatur per dignitatem personæ, ut in se est, non ut est in cognitione. e. g. si existimans te percutere Comitem, percutis servum, quamvìs tua actio in ratione malitiæ sit æquè gravis, ac si percussisses Comitem, tamen non est talis in ratione offensæ, quia servus propter suæ personæ vilitatem non habet tantum jus indignandi, quantum habuisset Comes, si ipsum percussisses, quod non aliunde provenire potest, nisi, quia ratio offensæ desumitur à dignitate personæ, ut est in se ipsa. *Tertium suppositum* est, quòd offensa sit capax istius infinitatis, quemadmodùm Christi meritum est capax valoris infiniti.

12. Sed tamen etiam hæc sententia non vacat difficultate: nam contra primum suppositum est, quod infinitas objectiva & extrinseca est tantùm infinitas secundùm quid: sed forma infinita extrinseca tantùm potest dare infinitatem extrinsecam & objectivam: ergo tantùm potest dare infinitatem secundùm quid. Major videtur certa, quia esse extrinsecè & objectivè infinitum, est terminari ad objectum, vel terminum infinitum, quo modo ens supernaturale ut sic, & gratia sanctificans terminantur ad objectum & terminum infinitum: sed hoc tantùm dicit infinitatem secundùm quid: ergo. Minor probatur. Eo modo forma tribuit effectum formalem, quo modo est forma specificans. Ergo si est forma extrinsecè specificans, tribuit effectum formalē extrinsecum, sicut econtra, si est forma intrinsecè specificans, tribuit effectum formalem intrinsecum, siquidem effectus formalis in recto non distinguitur ab ipsa forma. Aliàs sanè esset, & non esset forma extrinseca. Esset ex suppositione; non esset, quia tribuit effectum formalem intrinsecum, quod est proprium formæ intrinsecæ, sed per Authores hujus sententiæ Persona Divina tantùm est forma extrinsecè specificans offensam; ergo tantùm tribuit effectum formalem extrinsecum.

Ajunt, sufficere, quòd offensa dicat intrinsecam habitudinem ad Divinam Personam, ut in se est, ex qua fit capax intrinsecæ infinitatis. Sed contrà. Nisi ipsa habitudo sit in se infinita, non potest dare denominationem intrinsecam infinitatis: denominatio quippe intrinseca necessariò provenit à forma intrinseca, sed ipsa non est infinita, ergo. Minor probatur, non aliâ ratione esset infinita, nisi quia terminatur ad specificativum infinitum, ut in se est, sed ex hoc non est in se intrinsecè infinita, quia ut dictum, terminari ad objectum vel terminum infinitum, est tantùm extrinsecè infinitari.

Confirmatur instantijs. Ens creatum supernaturale dicit habitudinem ad Deum, ut excedit omnem ordinem creatum, & creabilem, gratia Sanctificans dicit habitudinem ad Divinam naturam, ut in se est, & quidem juxta mentem istorum Authorum, quatenus est infinita, ídque independenter à cognitione; nec tamen in genere moris inde accipiunt intrinsecam infinitatem simpliciter: ergo ex habitudine ad objectum vel terminum infinitum, ut in se est, nondum rectè infertur intrinseca infinitas simpliciter dicta. Dicent fortè: ens supernaturale & gratiam sanctificantem, &c. non esse capaces hujus effectûs formalis, sed contra, quòd eo ipso danda est disparitas, cur ens supernaturale, & gratia Sanctificans, quæ non tantùm physicam, sed etiam moralem continent dignitatem, à termino infinito extrinseco non possint infinitam simpliciter dignitatem accipere, cùm hoc possit offensa peccati, quæ physicè spectata non minùs est formalitas finita, quàm gratia & maternitas.

Contra secundum suppositum hujus sententiæ sunt primò instantiæ de ente supernaturali, & gratiâ Sanctificante, quæ sanè terminantur ad objectum infinitum, ut in se est, non ut est in nostra cognitione, nec tamen inde recipiunt infinitatem simpliciter in genere moris. Contra est secundò: clara authoritas Divi Thomæ relata sup. ex quæst. 2. de Malo art. 4. ad 15. ubi dicit, *quantitatem contemptûs non solùm mensurari ex parte ejus, qui offenditur, sed etiam ex parte actûs, quo quisque contemnitur*: ergo mensura quantificans offensam juxta S D. non est præcisè persona, ut in se est, sed prout attingitur ab actu, & consequenter etiam à cognitione offendentis. Contra est tertiò. Mutatâ cognitione, conatu, intensione, mutatur gravitas offensæ, etsi dignitas personæ maneat immutata, ergo personæ dignitas non tantùm quantificat offensam, ut in se est, sed etiam prout attingitur ab actu. Antecedens probatur. Minùs offendit Principem, eique præbet minorem indignandi causam, qui verbis honorem ipsius invadit, quàm qui factis; qui statuam ipsius, quàm qui corpus injuriâ petit; qui hoc ex subito iræ motu, quàm qui ex industria facit: ergo falsum est, quòd tota quantitas offensæ debeat desumi ex dignitate personæ, ut in se est, non prout substat actioni & cognitioni offendentis, quæ ampliùs ex §. seq. patebunt. 13.

Unde instantia Adversariorum de illo, qui existimant se percutere Comitem percutit servum, potiùs videtur efficere, quàm favere Adversariis: nam in tali casu servus percussus non habet jus indignandi, quia percutiens ignorabat circumstantiam hujus personæ percussæ, sicque respectu ipsius offensa tantùm est materialis, non formalis, econtra Comes etiamsi non sit percussus, tamen habet jus indignandi, quia saltem intentativè fuit offensus; nihilominùs tamen, cùm hæc intentiva læsio non fuerit sortita effectum, non habet tantum jus indignandi, quantum haberet, si offensa etiam realiter accidisset; ex quo patet offensam non mutatâ conditione Personæ, mutato tamen modo offensæ posse crescere & decrescere.

Contra tertium quoque suppositum sunt primò instantiæ modò relatæ; si enim gratia non est capax infinitæ dignitatis moralis, cur offensa sit capax? Contra est secundò. Forma extrinseca non est capax dare subjecto denominationem intrinsecam: ergo nec subjectum est capax ab illa recipere denominationem intrinsecam: sed infinitas simpliciter dicta est denominatio intrinseca; dignitas verò Personæ Divinæ est forma extrinsecè specificans offensam: ergo offensa non est capax à dignitate Personæ Divinæ recipere infinitatem sim- 14.

simpliciter. Tertiò. Offensa, quæ pendet à limitatione voluntatis & cognitionis creatæ, ut possit in suo genere recipere magis & minus, non est capax infinitatis simpliciter, ita se habet offensa peccati. Ergo. Minor §. sequenti ostendetur.

15. Hinc patet, quid sit in forma respondendum ad fundamentum hujus sententiæ. Nam vel negatur minor, quoad utrumque membrum, quòd infinitas Divinæ Personæ in tribuendo effectum formalem nullam accipiat limitationem, & quòd offensa sit capax huius infinitatis; vel secundò distinguo majorem: forma dat omnem effectum formalem vel extrinsecè vel intrinsecè, prout nempe specificat, concedo. Tantùm intrinsecè, nego. Et permissâ minore distinguo consequens, ergo confert infinitatem, extrinsecè concedo, intrinsecè nego. Ergo tribuit simpliciter infinitatem, nego consequentiam. Ad confirmationis paritatem respondeo. Latum esse discrimen, eò quòd dignitas Personæ Divinæ sit specificativum valoris meritorii & satisfactorii intrinsecum ac constitutivum in recto, econtra dignitas personæ Divinæ sit specificativum offensæ solùm extrinsecum & objectivum in obliquo importatum, prout infrà expendemus.

§. VI.

Impugnatur aliorum Thomistarum infinitas.

16. QUintus Modus infinitatem explicandi est, quem proponit Labat. Is distinguit *offensam in activam & passivam*: offensa activè sumpta est ipse actus peccaminosus, quo irrogatur malum, & nocumentum personæ injuriatæ, ideóque vocatur injuria activa & causalis, de qua concedit, non continere malitiam simpliciter, sed tantùm extrinsecè infinitam. Offensam passivè, & formaliter sumptam, inquit, non residere intrinsecè in actione peccaminosa, sed ex illa in Deo resultare, non quidē effectivè & realiter, sed moraliter, & secundùm affectum peccantis, quod alii vocant intentativè, ita ut ratione hujus injuriæ Deus dicatur, quasi intrinsecè læsus. Cujus ratio est, quod malum in illo subjectatur, cujus est malum, præsertim, si sit privativum; sed offensa formalis est Deo mala, non quidem physicè, sed tantùm moraliter, quatenùs ab eo tollit intentativè rationem finis ultimi: Ergo in illo subjectatur, præsertim cùm offensa taliter accepta videatur consistere in morali privatione finis ultimi, & supremi juris in nostras actiones.

17. Probatur hæc sententia primò. Forma, quæ de se non exigit terminum, nisi limitetur à subjecto, est simpliciter infinita: sed formalis offensa peccati ex se nullum exigit terminum, cùm sit offensa infinitæ dignitatis, nec limitatur à subjecto, quia moraliter subjectatur in Deo, qui est infinitus: ergo est simpliciter infinita. Major probatur: ideò offensa activa, in peccato & peccatore subjecta, non potest esse infinita, quia est in subjecto finito, & ideò gratia Sanctificans, quamvis ex se nullum petat terminum, non tamen potest esse simpliciter infinita, quia debet recipi in subjecto finito, à quo contrahitur & limitatur; ergo ex opposito, si qua forma & offensa formalis passiva moraliter est in subjecto simpliciter infinito, etiam est in genere moris simpliciter infinita. *Secundò.* Privatio formæ infinitæ simpliciter, est infinita simpliciter, sed offensa peccati est privatio formæ simpliciter infinita, nempe Divini Juris, quod Deus ut finis ultimus habet in nostras operationes, ergo. *Tertiò,* Injuria formaliter & passivè sumpta est moraliter in injuriato, éstque tantæ æstimationis, quantum est jus, quod per ipsam læditur, sed per injuriam peccati intentativè læditur jus infinitum Dei: ergo injuria peccati est moraliter in Deo, éstque tantæ æstimationis, quantæ est jus ipsum Dei, adeóque est simpliciter infinita. *Quartò.* Si Deus per peccatum physicè & realiter offenderetur, tunc propter physicam & realem ablationem Juris Divini peccatum in ratione injuriæ esset simpliciter physicè infinitum. Ergo ex eo, quòd per offensam peccati intentativè & moraliter lædatur Jus Divinum, peccatum in ratione injuriæ, & offensæ erit in genere moris simpliciter infinitum. Quintò. Illa offensa est simpliciter infinita, qua Deus læditur, quantùm lædi potest, sed per offensam passivam quoad affectum Deus læditur, quantum lædi potest. Ergo.

Hinc deducunt primò, authoritates & rationes, quæ videntur probare, quòd peccatum in ratione offensæ tantùm extrinsecè specificetur, & infinitetur à dignitate Divinæ Personæ, esse accipiendas de offensa activè & causaliter, nō de offensa passivè, & formaliter sumptâ. Deducunt secundò, adhuc satisfactionem Dei esse superabundantem, quia accipit infinitatem à Divina personâ modo longè præstantiori, nempe per physicam conjunctionem, quàm offensa peccati, quæ illam tantùm accipit per moralem subjectionem in Persona Divina.

Iste loquendi modus videtur præ reliquis probabilior, & accommodatior ad salvandam propriam infinitatem peccati. Nihilominus in contrariū opponi potest; quod hæc opinio totam peccati infinitatem videatur devolvere ad merissimum figmentum & ens rationis, nam ex denominatione purè extrinseca resultare aliquid in objecto denominato est ens rationis, veluti si concipias ex visione in pariete viso resultare quid intrinsecum: sed Deum activè offendi à peccatore, in hac sententia est denominatio extrinseca: ergo concipere resultantiam offensæ passivæ Deo intrinsecæ ex ista offensa activa, est concipere ens rationis. 18.

Nec satisfacis, si dicas: tantùm concipi moralem resultantiam offensæ intrinsecæ, non autem physicam. Nam contra est, quod ly *morale* est indifferens ad denominationem intrinsecam & extrinsecam, & aliquando dicitur quid morale propter formam extrinsecè; aliquando propter formam intrinsecè afficientem. Unde qui dicit aliquid moraliter extrinsecè inesse, debet assignare formam realem intrinsecam, sicut est in actu humano habitudo ad regulas morum. Ex hoc ipso capite Thomistæ in Tract. de Peccatis negant, quod actus peccati præteriti formaliter insit peccatori, quia scilicet hæc moralitas nullum dicit prædicatum intrinsecum peccatori.

Neque dicas, ideò moraliter inexistere, quia juxta prudens judicium imputatur & æstimatur tanquam inesset. Nam *contra* est *primò*, quod tale prudens judicium esset vel maximè judicium Divinum, sed hoc non est; quia deberet Deus concipere aliquam formalitatem sive positivam sive

ve privativam sibi inesse, quæ tamen non inest, sicque deberet fingere ens rationis, quod est absurdum.

Contra est *secundò*. Implicant simul in eodem subjecto forma, & ejus privatio, sed jus supremum in Deo est tam realiter, quàm moraliter. Ergo implicat ipsi inesse moralem privationem sui juris.

Contra est *tertiò*. Quòd ex activa peccati venialis offensâ non resultet offensa passiva in Deo, ergo neque ex offensa peccati mortalis. Antecedens probatur. Quia illa offensa cùm esset in subjecto infinito, etiam esset infinita. Consequentia probatur, offensæ activæ effectus correlativus est resultantia offensæ passivæ: ergo si hoc fit in peccato mortali, etiam fit in veniali.

19. Hinc patet, quid ad hujus sententiæ fundamenta responderi possit. Nam ad primum negatur suppositum, quòd offensa moraliter subjectetur in Deo. Ad secundum vel nego minorem, vel distinguo majorem: privatio formalis in re est tanta, quanta est forma privata, concedo. Privatio causalis & in effectu nego. Sed, peccati offensa est privatio Divini juris, causalis, & in affectu, concedo. Formalis & in re, nego minorem & consequentiam. Ad tertium distinguo majorem; est injuriato injuriæ intrinsecè capaci, concedo, incapaci, nego. Ad quartum negatur paritas, quia formâ physicè ablatâ resultat opposita privatio ex parte subjecti, in quo forma desiit, adeóque si à Deo auferretur realiter ratio finis ultimi, loco ipsius adesset privatio: Atqui cùm per intentativam ablationem finis ultimi, quæ à parte rei nihil est, quàm aversio peccantis à debito fine ultimo, nihil intrinsecum Deo re ipsa decedat, etiam re ipsa nec moraliter nec physicè potest in Deo esse privatio, sed si qua est, illa se tenet ex parte offendentis, uti enim ipsa intentatio injuriæ est ex parte offendentis intrinsecè; ita etiam intentativa privatio est ex parte illius intrinsecè, ex parte Dei solùm terminativè. His ita pro & contra simpliciter dictam infinitatem peccati ventilatis, sit

§. V.

Eligitur infinitas peccati secundùm quid.

Vidimus diversas vias, quibus gravissimi Doctores conantur explicare & probare simpliciter dictam infinitatem peccati quorum tamen pace sit opposita

20. CONCLUSIO. *Peccatum in ratione offensæ & injuriæ tantùm est infinitum secundùm quid.* Hanc probabilem asserit Jo. à S. Th. tuentur Sotus, Nazarius, Suarez, Lugo, Isambertus: ex nostris Salisburgensibus Thomas Ringmair, Christ. Rassler, Augustinus Reding. Ratio est primò inductiva rejectio aliarum opinionum per priores §. §. præmissa, & *Confirmatur primò*. Si peccatum esset simpliciter infinitum in ratione offensæ, deberet esse assignabilis forma illud intrinsecè infinitans, sed nulla talis est. Non enim est ipse actus peccati, ut fatentur Adversarii. Non Persona Divina offensa: quia hæc tantùm est terminus extrinsecus offensæ, non jus infinitum Dei: quia privatio illius juris Deo tantùm chimæricè tribuitur: non habitudo offensæ ad Personam simpliciter infinitam: nam & hæc est intrinsecè finita, indistincta ab actu peccati, & tantùm extrinsecè ad illam terminata; ideóque non nisi extrinsecam infinitatem inde potest accipere. Major constat? quia quod in se ipso per intrinsecam denominationem non est infinitum, non est simpliciter infinitum: ideóque licèt plurima sint, quæ extrinsecè terminantur ad formam infinitam, tamen sunt simpliciter finita, & infinita solùm objectivè, terminativè, & secundùm quid. Sed quod caret formâ intrinsecè infinitante, non est in se ipso per intrinsecam denominationem infinitum, ergo. Confirmo secundò. Quicquid offensa peccati formaliter dicit in recto, est quid finitum; ergo peccatum in ratione offensæ est simpliciter finitum: antecedens probatur: offensa peccati dicit formaliter aversionem ab ultimo fine, læsivam Divini juris, & dantem Deo rationabile fundamentum indignandi: sed hoc totum est aliquid finitum: ergo.

Ratio est secundò. In eo genere aliquid non est infinitum simpliciter, in quo genere admittit majus & minus: sed in genere offensæ unum peccatum potest esse majus altero: ergo peccatum in genere offensæ non est simpliciter infinitum. Majorem ostendimus in impugnatione primæ & secundæ sententiæ. Minor probatur. Deus magis offenditur per plura peccata, quàm per unum, magis per odium sui, quàm per furtum: ergo unum peccatum est altero majus in ratione offensæ. 21

Confirmatur primò. Injuria peccati formaliter est læsio Divini Juris sub ratione finis ultimi: sed una læsio Divini juris potest esse major quàm altera: ergo. Minor probatur: intentiva ablatio & læsio juris non tantùm est mensuranda ex jure, quod læditur, sed etiam ex intentatione, per quam læditur: sed læsio Divini juris est intentativa non executiva: ergo. Major constat ex S. D. in impugnatione quartæ sententiæ allegatæ, & probatur ulteriùs paritate ibidé indicatâ. In civilibus & humanis, quamvis eadem sit persona & idem honor seu jus, quod realiter & executivè læditur, nihilominus juxta diversum modum injuriandi, una injuria est major alterâ: major enim est injuria realis, quàm verbalis; ergo multò magis injuria contra Deum, quæ non est executiva, sed intentativa, & ex parte affectûs, quò major est modus injuriandi, intensio, affectus, & intentatio, tantò major erit injuria Dei.

Confirmatur secundò. Privationes in fieri suscipiunt magis & minus, quia tantùm sunt privationes causales, quæ nó purè mensurantur ex forma opposita, ad cujus formalem privationem tendunt, sed etiam juxta quantitatem causæ, E. g. licèt mors, quæ est privatio vitæ in facto esse, sit eadem in omnibus; tamen morbus, qui est privatio causalis, & in fieri, non est æqualis, sed unus altero major; atqui injuria peccati est tantùm privatio & ablatio causalis Divini Juris, hoc ipso, quia tantùm est talis intentativè, ergo recipit magis & minus juxta quantitatem causæ, sive affectum peccantis: ideóque majorem Deo injuriam infert, qui datâ operâ ex expressa intentione Deum suo summo jure privandi peccat, quàm qui tentatione victus, non nisi interpretativè Deum contemnit.

Ratio est tertiò. Unum peccatum præbet Deo majoris indignationis fundamentum, quàm alterum, ergo unum peccatum in ratione offensæ est ma- 22.

majus, quàm alterum. Consequentia probatur. Quia offensa formaliter est causa & fundamentum justæ indignationis; ergo causa majoris indignationis est major offensa. Antecedens verò probatur: quod est Deo causa magis puniendi, est etiam Deo causa majoris indignationis: sed unum peccatum est Deo causa magis puniendi; certum quippe est, à Deo unum peccatum magis puniri, quàm alterum, & plura, quàm unum. Ergo unum peccatum est Deo magis causa indignandi, quàm alterum. Major probatur, quia sicuti amor Dei erga hominem non est affectivus, sed effectivus, in quantum Deus homini confert gratiam & gloriam, ita indignatio Dei erga hominem non est affectiva, sed effectiva, in quantùm auferendo gratiam & gloriam & inferendo pœnas afflictivas, exhibet modum alicujus irati, & indignantis: ergo sicuti Deus dicitur magis amare hominem, cui majora confert beneficia gratiæ & gloriæ, sic dicitur magis indignari, vel odio habere, quem deputat ad majora supplicia damni vel sensûs. Unde gratis respondent Adversarii, quòd pœna pro peccato inflicta solùm respondeat malitiæ, non etiam rationi offensæ. Contrà enim est; quòd peccatum etiam in ratione offensæ non minùs Deo sit odibile, utpote repugnans divinis perfectionibus ipsius Divini Juris & ultimi finis; quàm peccatum in ratione malitiæ: ergo si peccatum in ratione malitiæ ideo punitur à Deo, quia ut sic est ipsi odibile, eâdem de causa punietur in ratione offensæ. Ideò cùm in Sacrâ Scripturâ fit mentio pœnæ, pro causali assignatur Divina indignatio, adeòque offensa. Ita Deut. 32. ubi dictum est, *vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia provocarunt eum filii sui & filiæ*, sequitur pœna, *abscondam faciem meam ab eis*, &c. & Isaiæ. 3. postquam dictum est, *ruit Ierusalem & Iuda concidit*, causa pœnæ subjungitur, *quia adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos Majestatis ejus.* Adde quòd Deus ut Judex universalis punit, quidquid committitur contra bonum universi: sed peccatum etiam in ratione offensæ est contra bonum universi, quia est contra Deum, qui est bonum totius universi: ergo.

Confirmatur. Perfectè contritus dolet magis de uno peccato, quàm de altero, & quidem in ratione offensæ: ergo supponitur unum peccatum etiam in ratione offensæ esse majus altero. Confirmatur: Imperfecta cognitio causat, quòd offensa peccati venialis quasi toto genere differat ab offensa peccati mortalis: ergo minùs vel magis perfecta cognitio pariter causabit, ut unum peccatum mortale secundùm magis & minùs ab alio distinguatur in genere gravis offensæ.

Respondent Godojus & Contensonus, una
23. offensa potest esse major alterâ secundùm principia objectiva & ex parte offendentis, concedo, ex parte personæ offensæ, nego. Sed contra est. Quod est per principia intrinseca finitum, non est intrinsecè & simpliciter infinitum, sed juxta hanc responsionem peccatum in ratione offensæ per principia sibi intrinseca est quid finitum: ergo. Minor probatur: per quæ principia unum peccatum est majus altero, per eadem est finitum; sed per principia intrinseca, nempe quæ sunt ex parte offendentis, unum peccatum est majus altero in ratione offensæ: ergo per eadem principia intrinseca peccatum est intrinsecè finitum.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Authoritatem D. Th. in 24.
textibus ad initium articuli adductis, præsertim illud calculatorium ex 3. ad Annibald. tantò major est injuria, quantò major est ille, in quem peccatur, sed Deus est infinitæ dignitatis, ergo injuria erit etiam infinitè gravis.

Respondeo, S. Doctorem suam mentem satis explicâsse primò per particulas diminuentes & limitantes, cùm hîc a. 2. dixit: peccatum habere *quandam infinitatem*, ubi tò *quandam* idem videtur ac aliqualem infinitatem & secundùm quid. Et rursus in q. 28. de. Ver. a. 2. in C. ubi dixit, *peccantis mortaliter infinitam esse offensam ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum injuria fit*, ubi implicitè indicat, ex alia parte, nimirum ex parte actûs (quod tamen offensæ est intrinsecum) non esse infinitatem, sed tantùm ex parte dignitatis, quod est offensæ extrinsecum, & consequenter, quod ipsa quoque infinitas offensæ non sit intrinseca, sed extrinseca.

Ad illud calculatorium argumentum Respondeo. Tantò gravior est injuria, quantò major est ille, in quem peccatur, si fiat comparatio secundùm proportionem geometricam, item quantitate extrinseca, vel intrinseca concedo. Si secundùm æqualitatem arithmeticam, & quantitate tantùm extrinseca, nego majorem. Ergo injuria est infinita secundùm quid & extrinsecè concedo. Simpliciter & intrinsecè nego consequentiam.

Objicies secundò. Causa continens moraliter 25.
effectum infinitum, est infinita simpliciter in genere moris, sed ita se habet peccatum in genere moris; quia ut sic continet pænam infinitam: ergo. Major constat à paritate meriti & satisfactionis Christi, quæ quia continet effectum moraliter infinitum, est infinita simpliciter. Minor probatur ex difficili loco S. Doctoris in 2. Sent. d. 42. q. 1. a. 5. ad 2. ubi habet: *Dicendum, quòd ex hoc, quòd contra infinitum peccat, debetur sibi pæna infinita, non autem potest esse infinita acerbitate, quia creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per durationem infinitam.*

Respondeo negando minorem. Hinc enim sequeretur, quòd satisfactio Christi non esset superabundans pro peccato; quia tanta esset vis & efficacia demeritoria peccati, quanta esset vis & efficacia satisfactoria operum Christi, dum non minùs peccatum mereretur infinitas pænas possibiles, sicut Christi opera satisfaciunt pro infinitis peccatis. Aliunde quoque virtutem infinitè demeri-

meritoriam peccato non convenire suprà indicavimus, quia sequeretur, quòd aliquis peccator mereretur negationem propriæ existentiæ, & consequenter carentiam pœnæ, adeóque mereretur & non mereretur omnem pœnam possibilem. Siquidem merendo carentiam existentiæ, etiam mereretur carentiam pœnæ.

26. Ad locum S. Doctoris Respondeo, ly *debetur* non esse recipiendum in strictiori sensu, quasi nimirum pœna infinita debeatur ob intrinsecam condignitatem & efficaciam demeritoriam offensæ, sed quia per infinitam dignitatem personæ offensæ, offensa constituitur in superiori ordine ad omnem pœnam, cui proinde omnis pœna & tormentum comparatum, minus est in suo genere pœnæ, quàm sit offensa in suo genere offensæ: sic enim etiam malitia peccati, quamvis non sit simpliciter infinita, tamen superat infinita peccata venialia, quia est ordinis superioris. Sed

27. Objicies tertiò. Deus per peccatum mortale offensus communicat offensæ gravitatem superioris ordinis, quàm sit satisfactio cujuscunque creaturæ: ergo etiam ipsi communicat gravitatem infinitam simpliciter. Consequentia probatur. Ideo Deus offensus communicat offensæ gravitatem ordinis superioris, quia ipsius majestas & dignitas est ordinis superioris: ergo etiam communicat infinitam gravitatem, quia non tantùm est ordinis superioris: sed simpliciter infinita.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem; nam non ideo solùm Deus offensus communicat offensæ gravitatem ordinis superioris, quia ipse est in ordine superiori, sed etiam quia ad hoc sufficit terminatio extrinseca; & ideò non tribuit offensæ infinitatem simpliciter, quia ad hoc non sufficit terminatio extrinseca; sed deberet simul induere rationem formæ intrinsecæ, quod implicat. Instantia habetur in gratia sanctificante, cui natura Divina communicat ordinem superiorem præ infinitis alijs qualitatibus supernaturalibus, nec tamen communicat dignitatem infinitam simpliciter, sic etiam ens supernaturale per terminationem ad ens increatum quâ tale sortitur ordinem superiorem super infinita entia naturalia, nec ipsum tamen intrinsecè infinitatur, &c.

28. Instabis. Etiamsi peccatum veniale terminetur ad infinitam majestatem Divinæ Personæ, non tamen exinde accipit supremum ordinem in genere offensæ: ergo ut peccatum mortale accipiat supremum ordinem in genere offensæ, præter terminationem & infinitatem extrinsecam Persona Divina etiam communicat ipsi infinitatem simpliciter.

Respondeo, hanc instantiam esse solvendam Adversarijs, nam quia Deus etiam per veniale peccatum offenditur, etiam offensa peccati venialis erit moraliter subjectata in Deo offenso; ergo Deus erit forma moralis constituens gravitatem offensæ peccati venialis: cur ergo non tribuit ipsi infinitatem simpliciter? Respondent, quia cùm sit offensa levis, non est capax recipiendi formalem effectum infinitatis. Hanc ipsam dico esse rationem, cur non ponatur in supremo ordine offensæ, quia licèt propter terminationem ad Divinam Majestatem infinitæ dignitatis, sit in superiori ordine, quàm omnis offensa humana; quia tamen Deum & rationem finis ultimi tantùm inefficaciter attingit, adeóque tantùm est fundamentum levis displicentiæ, propterea habet supra se altiorem ordinem, videlicet gravis offensæ efficaciter attingentis rationem finis ultimi, & præbentis fundamentum gravis indignationis in Deo.

Objicies quartò. Gravitas offensæ & injuriæ desumitur à distantia inter offendentis vilitatem & dignitatem personæ offensæ; sed est distantia simpliciter infinita inter peccatorem offendentem & Deum offensum, ergo etiam gravitas offensæ est simpliciter infinita. 29.

Respondeo primò. Hoc argumentum etiam esse solvendum Adversarijs in gravitate peccati venialis: cùm illic quoque sit infinita distantia inter offendentem & offensum.

Respondeo secundò. Desumitur à distantia connotativè, seu tanquam à connotato extrinseco, concedo. Constitutivè & formaliter, nego. Sed distantia est infinita simpliciter; ita ut tantùm respiciatur connotativè ab offensa, concedo. Constitutivè, nego minorem & consequentiam.

Objicies quintò. Quamvis persona Verbi Divini in esse physico sit principium extrinsecum operationis, tamen in esse morali tribuit infinitum valorem intrinsecum satisfactorium operationibus Christi; ergo etiamsi Majestas Divina in esse physico sit extrinsecus terminus respectu offensæ peccati; tamen in esse morali poterit ipsi tribuere infinitam gravitatem. Consequentia probatur: sicuti quantitas satisfactionis & meriti crescit juxta quantitatem operantis, & satisfacientis; ita quantitas offensæ in Prudentum æstimatione crescit juxta dignitatem personæ offensæ: ergo sicuti propter infinitam dignitatem personæ satisfacientis in æstimatione morali satisfactio est infinita, sic etiam propter dignitatem personæ offensæ, offensa peccati erit simpliciter infinita. 30.

Respondeo negando omnimodam paritatem inter dignificationem satisfactionis à persona satisfaciente, & quantificationem offensæ à persona offensa. Disparitas est primò: quia quælibet persona propter intimam unionem, terminationem & suppositationem totam naturam, eáque mediante potentias ac operationes ejusdem naturæ specialiter suas facit, & sicut ipsi naturæ, sic etiam potentijs & operationibus moralis dignitatis capacibus à se ipsa dignitatem & valorem tribuit, ita ut ipsa sit pars formalis & intrinseca totius pretij & valoris adæquati, qui in operationibus spectatur: cùm igitur Persona Verbi sit infinitæ dignitatis; ideo non tantùm naturæ humanæ, quam intrinsecè per intimam unionem terminat, sed etiam operationibus ad eandem naturam pertinentibus, ejúsque dignitatis capacibus infinitam tribuit dignitatem, velut formale & intrinsecum principium ejusmodi valoris. Econtra persona offensa neque cum natura offendentis, neque cum operationibus ipsius unitur, neque potest ullo modo esse principium formale ipsius, unde ad ipsam offensam solummodò comparatur velut terminus ipsius, prout sæpe dictum.

Disparitas est secundò: quia omnis forma tribuit suum effectum formalem omni subjecto sibi debitè

debitè unito, & denominationis formalis capaci; sed persona Verbi est formaliter infinita Sanctitas: ergo dat hunc effectum formalem omni subjecto capaci debitè unito: atqui tam ipsa natura humana, quàm ejus operationes rationales ipsius sunt hujus effectûs capaces, sunt debitè unitæ in natura assumpta: ergo tribuit ipsis moralem effectum infinitæ dignitatis & Sanctitatis, qua de causâ operationes Christi Theandricæ, h. e. Divino-humanæ à SS. PP. vocantur, de quo infrà. At verò offensa peccatoris non est subjectum respectu Personæ Divinæ, nec proinde capax ab illa intrinsecè recipere dignitatem, sed habet se contrariè & adversativè ad illam.

31. Insuper contra Adversarios urgeo disparitatem. Si esset paritas inter satisfactionem Christi & offensam peccantis, tunc sicuti satisfactio Christi dignitatem & quantitatem accipit à dignitate Personæ independenter à cognitione operantis, & æqualiter in omni operatione: (nam si per impossibile Christus non cognosceret dignitatem suæ personæ, tamen operationes ipsius haberent infinitum valorem, & æquè minimus actus virtutis fuit infiniti valoris, quàm omnes alij) sic etiam offensa peccati esset infinitæ gravitatis independenter à cognitione, nec una esset major alterâ, sed utrumque est falsum: nam siquis haberet ignorantiam invincibilem offensæ, Deum quoque graviter non offenderet, & de facto propter defectum sufficientis cognitionis & advertentiæ, actus, qui aliàs ex objecto foret mortaliter peccaminosus, fit venialis tantùm offensa. Una quoque offensa magis Deo displicet, & magis punitur, quàm altera: ergo.

Colliges ex dictis, quamvis unum peccatum sit 32. majus altero in ratione offensæ; non ideo tamen peccata sub ratione offensæ inter se specie distingui; quia specifica differentia non debet peti ab aliquo transcendentali; quod in omni peccato reperitur; sed ratio specifica offensæ in esse talis reperitur in omni peccato, est námque læsio Divinæ Personæ in jure & ratione finis ultimi: ergo. Nihilominùs specifica differentia peccatorum, quam in ratione moralis malitiæ accipiunt ab objectis specie differentibus, confert intensivam saltem & gradualem diversitatem peccatorum etiam in ratione offensæ, quatenus in una specie peccati, v. g. in odio Dei ratio ultimi finis clarius cognoscitur, formaliùs, directiùs aut majori voluntatis conatu contemnitur, quàm in altera.

DISPUTATIO III.

DE Satisfactione Christi.

EXpensâ magnitudine offensæ, nunc oppositam virtutem & valorem satisfactionis à Christo præstitæ expendimus: ubi tria præcipuè in quæstionem veniunt. I. An fuerit satisfactio Christi ab intrinseco condigna & superabundans? II. An valoris simpliciter infiniti? III. An actus rigorosæ & perfectæ justitiæ?

ARTICULUS I.

Sitne satisfactio Christi ab intrinseco superabundans?

SUMMARIA.

1. *Statuitur condignitas Satisfactionis Christi.*
2. *Et superabundantia intrinseca probatur authoritate S. Scripturæ.*
3. *Conciliorum, Canonum. 4. Et SS. Patrum.*
5. *Et ab intrinseca eminentia satisfactionis Christi.*
6. *Ut satisfactio Christi prosit, requiritur applicatio.*
7. *Non erat necesse, ut satisfactio Christi extingueret omne malum pœnæ, nisi æternæ, vel pro altera vita.*
8. *Superabundantiâ satisfactionis Christi etiam statuitur æqualitas.*
9. *Instantia à casu impossibili ducta eliditur.*

§. I.

Statuitur veritas Catholica & Thomistica.

QUamvis inter Catholicos certum sit, satisfactionem Christi pro peccatis nostris fuisse sufficientem; controversia tamen est inter Thomistas & Scotistas, an Christi satisfactio ab intrinseco habeat istam condignitatem ad tollendam peccati offensam, ut volunt Thomistæ; vel utrùm non ex suo intrinseco valore, sed acceptatione & extrinseco favore Dei illam acceperit. Ut Scotus docet in 3. dist. 19. q. un. n. 4.

CONCLUSIO. *Satisfactio Christi ex suo intrinseco valore non tantùm fuit sufficiens & condigna pro omnibus peccatis, sed etiam superabundans.* 1.

Prima pars est definita in Trident. Sess. 6. Can. 21. ubi definit, Christum datum esse nobis *in Redemptorem & Legislatorem*. Et eam probant omnes & plurimi textus S. Script. in qua Christo tribuitur munus Redemptoris, & dicimur *mundari ab omni iniquitate*, ut Tit. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Gal. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Aliæ habentur Apoc. 5. Heb. 9. 1. Cor. 6. &c.

Secunda & tertia pars probatur ejusdem S. Scripturæ authoritate: Nam Rom. 5. Apostolus instituens comparationem inter Adæ delictum quoad vim nocendi, & merita Christi quoad virtutem sanandi; præfert efficaciam meritorum efficaciæ peccati, dicens: *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia hominis unius Jesu Christi in plures abundavit.* Et infrà. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Quòd si verò Christi satisfactio non fuisset ab intrinseco superabundans, non rectè diceretur magis 2.

gis abundare, quàm peccatum: peccatum quippe ab intrinseco habuit vim nocendi omnibus hominibus: satisfactio verò Christi virtutem satisfactoriam & meritoriam haberet ab extrinseco favore & acceptatione Divina. Secundò Coloss. 2. dicitur de Christo: *tenens quod adversum nos erat, chirographum traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Sed si Christi satisfactio non ab intrinseco & ex se, sed ex acceptatione Dei fuisset sufficiens, Christus non in semetipso de nobis à se redemptis triumphâsset, sed potiùs in acceptatione Dei. Tertiò 1. Cor. 6. dicimur *redempti pretio magno* passionis Christi; sed pretium emptionis valorem condignum cum re empta ex se habet: ergo etiam merita & satisfactio Christi ex se ipsis habent condignum valorem ad redimendos homines.

3. Probatur secundò authoritate Concilii Tridentinensis & Clementis VI. Nam Concilium prædictum c. 19. asserit, in calice misceri vino unam aquæ guttam, ut significetur valorem sanguinis Christi per vinum designati esse multò majorem, quàm populi per aquam significati fragilitatem. Clemens VI. verò in *Extrav. Unigenitus* infrà referendâ affirmat merita Christi esse infinita; & quidem causam infinitatis nominat unionem ad Verbum: Sed infinitas meritorum est ipsis intrinseca & independens ab acceptatione divina, utpote promanans ex unione hypostatica: ergo & condignus valor est ipsis intrinsecus: cúmque infinitas meritorum & satisfactionis Christi sit longè major infinitate offensæ, non erit tantùm æqualis, sed superabundans.

4. Probatur tertiò authoritate SS. PP. quos pro astruenda necessitate Incarnationis suprà adduximus: qui omnes nihil probarent, nisi satisfactio Christi haberet intrinsecam condignitatem ad delendam offensam peccati. Nam si valor & condignitas satisfactionis Christi desumitur ab extrinseca ordinatione & acceptatione Divina, Deus æquè potuisset alicujus puræ creaturæ operationem acceptare, quàm operationem Christi, sed positâ hac acceptatione non fuisset necesse Christum incarnari, siquidem per illam acceptationem operatio puræ creaturæ non minùs fuisset elevata ad valorem condignum pro peccato, quàm operatio Christi, ac proinde absque Incarnatione potuisset condignè satisfieri pro peccato. Superabundantiam quoque meritorum & satisfactionis Christi SS. PP. crebrò commendant, nominatim Chrysost. in Præfat. Ep. Rom. dicens, Apostolum eo loco ostendere, quòd *non solum tantum nobis Christus profuerit, quantum nocuit Adam, sed multò plus & longè magis*, &c.

5. Probatur quartò hac ratione. Satisfactio Christi ab intrinseco est perfectior, & in ordine superiori, quàm offensa: ergo non est tantùm condigna, sed etiam superabundans. Antecedens probatur primò. Quia in nostra sententia peccatum tantùm est objectivè & extrinsecè infinitum secundùm quid; econtra satisfactio Christi est infinita etiam subjectivè, intrinsecè, adeóque simpliciter, ut dicemus a. seq. Secundò. Quia dignitas satisfactionis Christi fundatur in reali & physica unione hypostatica, per quam saltem mediatè operationes uniuntur Divino supposito, ideóque appellantur Theandricæ, hoc est, Deiviriles, sive Divino-humanæ; econtra offensæ gravitas fundatur in Divinæ Personæ dignitate, solùm ut extrinsecè terminante. Tertiò quia per satisfactionem Christi Persona Divina suam dignitatem realiter submittit; per peccatum verò tantùm intentativè dignitas personæ deprimitur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Si Christi satisfactio fuisset æqualis & superabundans, nulla posset ampliùs ab homine exigi satisfactio pro peccatis, consequens est falsum, imò hæreticum: ergo. 6.

Respondeo negando sequelam, quia licèt opera Christi habeant omnem sufficientiam, & condignitatem intrinsecam ad extinctionem peccatorum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, tamen ex ordinatione Christi etiam requiritur applicatio hujus satisfactionis per Fidem, Sacramenta, Indulgentias, bona opera, ut illa satisfactio in nobis operetur effectum, unde Apost. Hebr. 5. dicit, *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Objicies secundò: Si Christus satisfecisset ad æqualitatem, tunc extinxisset omne debitum non tantùm culpæ, sed etiam pœnæ, sed hoc non extinxit, siquidem homo adhuc patitur fomitem peccati, est debitor mortis, & alijs corporalibus pœnalitatibus subjectus, quæ à peccato originali trahunt originem. 7.

Respondeo primò. Negando sequelam, quia sufficit extinxisse debitum pœnæ æternæ; aliæ verò miseriæ & pœnalitates cùm tantùm indirectè & per accidens sint effectus peccati, tanquam removentis prohibens, per se verò consequantur conditionem naturæ sibi relictæ, meritò ad majorem meritorum occasionem relinqui potuerunt.

Respondeo secundò. Christus extinxisset omne debitum pœnæ pro statu hujus vitæ, nego; pro aliquo statu, nempe vitæ æternæ: concedo.

Objicies tertiò. Videtur Deus fecisse contra Legem justitiæ, si à Christo exigebat satisfactionem majorem, quàm esset offensa: est enim contra justitiam plus exigere, quàm debetur: ergo satisfactio Christi non poterat esse superabundans. 8.

Respondeo negando sequelam, quia tunc solùm est contra Leges justitiæ, exigere superabundantem satisfactionem, quando æquale debitum absque superabundantia est possibile, non autem si est impossibile, ut in satisfactione Christi, in quâ superabundans satisfactio per accidens exigitur, eò quòd sit impossibile propter infinitatem suppositi, ut Christus ad æqualitatem pro peccato satisfaciat, quin simul satisfaciat superabundanter.

Objicies quartò. Si per impossibile una Divina Persona aliam offenderet, tunc illa offensa esset minor, quàm ista, qua homo Deum offendit, quia non est tanta distantia inter Divinas Personas, quàm inter Deum & hominem; sed illam offensam in casu impossibili satisfactio Christi solùm adæquaret: ergo offensam, quâ pura creatura Deum offendit, non adæquat. 9.

Respon-

Respondeo. Illa offensa in casu impossibili non tantùm condigna, sed & superabundans fuisset, in quantùm infinitas satisfactionis modo jam explicato fuisset perfectior in suo ordine, quàm infinitas offensæ.

10. Objicies quintò. Christus non satisfecit adæquatè Deo pro acceptis beneficijs, ergo nec pro peccatis alienis. Antecedens probatur, quia ut quis adæquatas gratias rependat pro beneficio, debet plus rependere, quàm accepit, ut indicat S. D. 2. 2. q. 106. a. 6. Sed Christus non potuit plus reddere quàm accepit; partim quia accepit infinitum beneficium unionis hypostaticæ, partim quia ipsa gratiarum actio est novum Dei beneficium. Unde satisfaciendo pro alijs, pro illo tamen ultimo beneficio non satisfaceret.

Respondeo negando antecedens; quia propter infinitam dignitatem Personæ Christus non tantùm pro acceptis beneficijs creatis obtulit actiones creatas, sed etiam valorem increatæ Personæ, quæ nullam habebat ex beneficio obligationem; imò dona, quæ respectu humanitatis erant gratiæ & beneficia; respectu Personæ Divinæ erant debita per modum proprietatis.

ARTICULUS II.

An valor satisfactorius & meritorius operum Christi sit simpliciter infinitus?

SUMMARIA.

1. *Valoris satisfactorij & meritorij descriptio.*
2. *Quid operatio Theandrica in Christo?*
3. *Operationes Christi tam quoad esse physicum, quàm honestatem moralem sunt simpliciter finitæ.*
4. *Valor satisfactorius, & meritorius operum Christi est simpliciter infinitus à dignitate Verbi.*
5. *Quæ non minus operationibus, quàm naturæ sustentatæ tribuit infinitam dignitatem.*
6. *Estque intrinsecum constitutivum valoris satisfactorij.*
7. *Ad objectam paritatem offensæ.*
8. *Respondetur.*
9. *Absurditates objecta &c.*
10. *Solvuntur.*
11. *Infinitas satisfactionis non desumenda ex infinita dignitate objecti infiniti.*
12. *Alius modus, quo per Verbum merita Christi, & quo per gratiam dignificantur merita justi.*

§ I.

Resolutio affirmativa.

1. SUppono ex dictis primò: Sicuti Valor satisfactorius est intrinseca, & passiva æstimabilitas operationis, vi cujus est idonea ad æquivalentem compensationem pro illata injuria; ita valorem meritorium esse vim moralem movendi præmiantem ad conferendum præmium. Quæ rationes, quamvis inter se sint formaliter diversæ; quia tamen connexas habent difficultates, easdem hoc loco conjungimus.

2. Suppono secundò, operationem in Christo non esse conflatam ex Divina & humana: nam in 6. Synodo definitum est à Papa Agathone, duas esse in Christo operationes inconfusas & impermixtas, Divinam & humanam. Cujus ratio est; quòd operatio sequitur naturam, sed naturæ in Christo sunt impermixtæ, ergo & operationes. Unde Christus aliquando operabatur ut Deus; suscitando Lazarum, imperando ventis; aliquando verò ut homo, vigilando, orando, &c. Nihilominus à SS. Patribus etiam illæ operationes Christi, quæ per humanam naturam exercebantur, vocantur Deificatæ & Theandricæ, eò quòd licèt ab humana natura tanquam à principio physico elicitivo ut quo procederent, tamen etiam procederent à supposito Divino operante ut quod, & ab illo moralem dignitatem ac valorem traherent, siquidem operationes sunt suppositorum.

Suppono tertiò. Operationes Christi in esse physico, nec non secundùm rationem honestatis sive bonitatis moralis esse simpliciter finitas. 3. Ratio primi est quia ut sic proximè & physicè procedunt à potentijs naturæ humanæ finitis & limitatis, & consequenter ab ijsdem accipiunt esse finitum & limitatum. Ratio secundi est, quia habitudo ad objectum, ut limitatè propositum, est limitata, sed honestas moralis operationis humanæ est habitudo conformitatis ad objectum consentaneum rectæ rationi, ut limitatè propositum in intellectu, siquidem limitata & creata cognitio nullum objectum potest illimitatè proponere: ergò etiam est limitata. Quæstio igitur procedit de operationibus Christi, consideratis secundùm esse suum morale in ratione valoris meritorij & satisfactorij.

CONCLUSIO. *Opera Christi habent ab intrinseco valorem satisfactorium & meritorium simpliciter infinitum.* 4. Ita communis DD. cum D. Thoma *hic q. 1. a. 2. & in 3. dist. 20. a. 2.* in C. dicente; *pro mortali requiri satisfactionem Dei hominis, quia requiritur satisfactio infinita.*

Probatur primò ex illis Scripturæ locis; ubi extollitur magnitudo satisfactionis Christi, ut Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* 1. Ioan. 2. *non pro nostris* (peccatis) *tantùm, sed etiam pro totius mundi.* In quibus locis tametsi expressè non adstruatur infinitas satisfactionis, indicatur tamen valor quidam ipsius inæstimabilis: & præsertim in postremo loco significatur, Christi satisfactionem esse sufficientem pro infinitis peccatis, quod fieri non potest, nisi ipsa quoque habeat aliquam infinitatem.

Probatur secundò. Authoritate Clementis VI. *in Extravag. Unigenitus de Pœnit. & Remiss.* ubi dicit: *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè, velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Et postea: *Volens suis thesaurizare filijs pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, de cujus consumptione vel minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita &c.* Ubi utraque tam

satisfactionis quàm meriti infinitas, ejúsque causalis scilicet unio ad Verbum clarè significatur.

5. Probatur tertiò ratione. Tunc opera Christi habent valorem simpliciter infinitum, quando valoris tam satisfactorii, quàm meritorij forma intrinsecè constitutiva est simpliciter infinita, sed est: ergo, &c. Minor probatur. Id, à quo operationes Christi per se primò & formaliter accipiunt, quòd sint acceptabiles ad præmium, vel compensationem pro peccatis; illud est forma intrinseca constitutiva valoris meritorij & satisfactorij, sed per infinitam dignitatem Verbi per se primò & formaliter accipiunt hanc acceptabilitatem; ergo. Minor probatur: Opera hominis justi à dignitate personæ operantis nimirum gratiâ habituali accipiunt intrinsecam condignitatem meriti & satisfactionis pro peccato veniali; ergo etiam opera Christi à dignitate personali & infinitâ Verbi Divini accipiunt intrinsecè valorem infinitum, & ideo Hebr. 5. dicitur: *cùm esset Filius Dei, exauditus est pro sua reverentia.*

Confirmatur primò. Unde opera Christi habent, quòd sint intrinsecè Theandrica sive Divino-humana, inde accipiunt intrinsecum valorem: sed ab infinita dignitate Personæ Divinæ habent, quòd sint formaliter Theandrica: ergo inde accipiunt intrinsecum valorem. Major inde constat, quòd SS. Patres ideo opera Christi appellent Theandrica, quia suam dignitatem & æstimabilitatem non tantùm habent à forma creata gratiæ Sanctificantis, sed ab increata Persona Verbi.

Confirmatur secundò. Vis meritoria præmii syncategorematicè infiniti, est valor meritorius infinitus, sed opera Christi habent ejusmodi vim meritoriam: ergo habent valorem meritorum simpliciter infinitum. Major probatur. Causa continens effectum syncategorematicè infinitum est simpliciter infinita, eò quòd ipsius virtus exhauriri non possit, quâ de causa omnipotentia Dei est simpliciter infinita; sed prædicta vis meritoria est causa continens effectum syncategorematicè infinitum, siquidem meritum est causa moralis effectiva præmii: ergo. Idem argumentum applicabis satisfactioni, quia vis compensativa pro debitis infinitis syncategorematicè, est valoris infiniti: sed opera Christi habent vim compensativam pro debitis infinitis, & peccatis totius mundi: ergo, &c.

6. Probatur quartò: Verbum Divinum tribuit infinitam quandam Sanctitatem & dignitatem naturæ humanæ, cui per hypostaticam unionem immediatè jungitur: ergo etiam infinito valore afficit operationes ejusdem naturæ capaces moralitatis, quibus vi ejusdem unionis hypostaticæ mediatè conjungitur. Consequentia probatur. Sicuti Verbum immediatè sustentat naturam humanam, ita mediatè sustentat operationes ipsius, eásque specialiter suas facit; ergo sicuti Verbum propter immediatam conjunctionem infinitâ Sanctitate & dignitate morali afficit naturam, ita propter mediatam conjunctionem, & sustentationem operationum simili dignitate afficit operationes ejusdem naturæ. Quæ causa est, quod à SS. PP. Dionysio, Damasceno, aliisque appellentur Deificatæ, & Deitate perfusæ.

Probatur quintò. Ipsa persona operans est intrinseca pars satisfactionis: ergo dignitas personæ intrinsecè concurrit ad constituendum valorem satisfactionis. Antecedens probatur. Per satisfactionem alteri præstitam ipsa persona satisfacientis submittitur in obsequium alterius & ad compensandam injuriam ac depressionem honoris alteri illatam ipsa cedit aliquid de proprio honore, unde operatio satisfacientis non tam est pretium, quod compensat injuriam, quàm subjectum & medium, per quod defertur pretium, hoc est dignitas & honor personæ satisfacientis, ita ut tota compensatio non constet in operatione abstracta, sed in illa ut conjuncta cum operante, ejúsque dignitatem secum deferente, quod significavit Apostolus Eph. 5. de Christo dicens: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Et Philipp. 2. *humiliavit, exinanivit semetipsum* &c. Ideo aliqui operationes Christi satisfactorias vocant reflexas, non in hoc sensu præcisè, quòd Christus illas eliciendo fecerit reflexionem mentis supra proprium suppositum, illud simul offerendo, sed quòd in esse satisfactorio secum trahant & deferant dignitatem suppositi, à quo procedunt.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. Objicies primò. Persona offensa non dat offensæ infinitatem simpliciter: ergo neque persona satisfaciens satisfactioni. Consequentia probatur. Non minùs persona satisfaciens est principium extrinsecum operationi satisfactivæ, quàm persona offensa est terminus extrinsecus actioni offensivæ: ergo sicuti offensa propterea non accipit intrinsecam & simpliciter dictam infinitatem, ita nec satisfactio.

Confirmatur I. Personalitas non influit in operationes: neq; enim est ratio, sed potiùs conditio operandi. II. Imò tametsi influeret, tamen ille influxus foret limitatus per potentias finitas animæ, tanquam principia proxima, quibus mediantibus operationes à Christo eliciuntur. III. Præsertim cùm illæ actiones satisfactoriæ, & meritoriæ procedant à Christo non ut Deo, sed ut homine.

8. Respondeo. Disparitatem in præcedentibus indicatam esse, quòd licèt persona satisfaciens sit principium extrinsecum operationis, quatenus spectatæ in esse physico, sit tamen in esse moris principium formale intrinsecè constituens valorem satisfactionis & meriti. Econtrà persona offensa etiam in esse moris est objectum terminans offensam; unde illic persona importatur in recto, hîc in obliquo: operatio Christi propter dignitatem personæ rectè dicitur Theandrica & Deificata: offensa verò peccati non rectè dicitur Divina, sed offensa Dei: uti neque injuria in Regem commissa idcirco regia appellatur.

Ad primam confirmationem respondeo. Personalitatem non quidem proximè influere ut quo per modum principii physicè efficientis, benè autem ut quod & per modum principii moraliter & formaliter dignificantis. Et ad secundam Resp. Operationes Christi procedunt mediantibus potentiis animæ in accipiendo physicam entitatem, & speciem honestatis moralis, concedo, in accipiendo valorem meritorium, aut satisfactorium,

hego,

nego. Ergo moralis ille influxus personæ limitatur, nego consequentiam. Ad tertiam Resp. Illas operationes procedere à Christo ut Deo homine, ita ut humanitas sit quidem principium, quo elicitivum & productivum operationis satisfactoriæ: principium verò quod productivum efficienter, & dignificativum formaliter sit Persona Divina.

9. Objicies secundò varia absurda, I. Quòd Deus nec possit præmiare de condigno merita Christi, nec defacto iis proportionatum præmium tribuat. Prima sequela pugnat contra Divinam Omnipotentiam; secunda contra justitiam. Sequela probatur, quia nec potest reddi, nec defacto redditur præmium infinitum. Ergo nec potest reddi condignum, neque actu redditur præmium proportionatum. II. Quòd merita Christi essent increata. III. Quòd in una operatione Christi valor non esset major, quàm in altera: imò, IV. Quòd Christus non fuisset plus meritus toto vitæ suæ tempore, quàm primo & unico instanti vitæ, ac prinde omnes actus simul sumpti non habeant majorem valorem, quàm singuli. V. Quòd Deus necessitaretur ad acceptandam satisfactionem Christi, quod repugnat ipsius supremo Dominio.

10. Respondeo ad I. negando utramq; sequelã. Ad probationẽ primã sequelæ Resp. non potest reddi præmium infinitum categorematicè, transeat, syncategorematicè nego: sed ad meritum infinitum sufficit, quòd tantam habeat vim movendi ad retributionem, ut dato quocunque præmio habeat ulterius proportionem ad aliud & aliud præmium in infinitum. Ad probationem secundæ sequelæ dico: esto non reddatur defacto præmium infinitum, tamen reddi proportionatum ad merita Christi, non ut absolutè & in actu primo spectata, sed ad illa spectata in actu secundo, & ut includentia intentionem ac determinationẽ Christi merentis. Cùm ergo Christus non potuerit habere intentionem merendi omne præmium proportionatum, siquidem implicat infinitum actu, ideo sua merita direxit ad certum & definitum præmium, quod proinde spectatâ hac intentione meritò fuit proportionatum. Ad secundum Resp. I. distinguendo antecedens. Sequitur merita esse increata inadæquatè ratione formæ dignificantis, concedo; adæquatè, & ratione ipsius operationis: nego. Ad tertium distinguo sequelam: valor non esset major in una, quàm alterâ; valor personalis, & in esse meritorii ac satisfactorii, concedo: objectivus & in esse honestatis moralis, nego. Et ad quartum. Christus non fuisset plus meritus intensivè & quoad sufficientiam, concedo; extensivè, & quoad actualem applicationem: nego. Igitur propter infinitam dignitatem personæ in una Christi operatione tantus fuit valor & virtus merendi omne præmium possibile in actu primo, quàm in omnibus simul sumptis; sed quia Christus non unicam tantùm actionem, sed omnia vitæ suæ opera usque ad mortem, per modum unius meriti in ipsa morte consummandi, ordinavit ad præmium & completam satisfactionem pro peccatis; ideo juxta hanc actualem applicationem plus meretur per plura & omnia merita simul sumpta, quàm per unum, vel singula seorsim sumpta. Ad quintum Resp. Deus fuisset necessitatus, necessitate consequente ad oblationem & acceptationem satisfactionis Christi, concedo; necessitate absolutâ & antecedente talem suppositionem: nego. Hoc autem non repugnare supremo Dei Dominio sequenti articulo declarabitur.

§. III.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò, satisfactionem Christi non ex eo capite esse simpliciter infinitam, quòd Christus per eandem se ipsum suúmque Sacrum sanguinem tanquam pretium infinitum obtulerit. Nam primò ut sæpius dictum, infinitas merè objectiva est extrinseca, & secundùm quid, sed sub hac ratione satisfactio Christi habuisset infinitatem merè objectivam ratione infinitæ rei oblatæ. Secundò oblatio illa, quâ Beatissima Virgo Christum in templo præsentavit, non habet valorem simpliciter infinitum, quantumvis offeratur res valoris infiniti. Tertiò, quia licèt Christus aliquid creatum obtulisset, tamen oblatio ex personæ operantis infinitate fuisset sortita valorem infinitum. 11.

Inferes secundò. Alio modo dignificari operationes meritorias Christi per infinitam dignitatem Verbi, quàm meritum hominis justi per dignitatem gratiæ Sanctificantis: cùm enim dignitas Verbi sit substantialis, personalis, infinita, consistens in indivisibili, nec subjecta usui liberi arbitrii, ideò sicut ipsa non recipit magis & minus, & omnem omnis meriti valorem continet, ita etiam se totâ influit, & facit, quòd actus à se dignificatus non possit esse magis vel minùs, sed infinitè sit meritorius & satisfactorius. E contra, quia dignitas gratiæ Sanctificantis in meritum & satisfactionem influit per modum habitûs, radicaliter operativi, qui recipit magis & minus, & subest usui liberi arbitrii, ideo prout à voluntate operante applicatur ad influendum, sic influit & communicat suum valorem. 12.

ARTICULUS III.

An Christus satisfecerit ex justitia rigorosa?

SUMMARIA.

§. I.

Resolutio assertiva.

1 CONditiones rigorosæ justitiæ in decursu exponendæ numerari solent I. ut sit *adæquata*, II. *ad alterum* tanquam actus justitiæ, quæ est virtus ad alterum. III. *è bonis propriis*, IV. *cum alteritate jurium*, ut nempe dominium debitoris, non sit subjectum dominio creditoris, V. *ut non sit alio titulo debita.* VI. & creditor obligetur acceptare talem satisfactionem. De prima conditione liquet ex hactenùs disputatis, Christi satisfactionem fuisse non tantùm adæquatam, sed superabundantem, quippe simpliciter infinitam. De reliquis est Controversia, dum varii graves DD. ex defectu unius alteriúsve conditionis censent, Christi satisfactionem non fuisse actum justitiæ rigorosæ; ita sentiunt Vasquez, de Lugo, Amicus. Alii cum Alvare, J. à S. Th. Suarez, Isamberto tenent oppositum. Cum quibus sit

2 CONCLUSIO. *Christus satisfecit ex justitia rigorosa.* ita frequenter indicatur in S. Scrip. ubi à Prophetis. Is. 51. & Jer. 33. Christus appellatur *justus & germen justitiæ*, & satisfactio Christi appellatur *justitia.* uti Rom. 3. *propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ suæ.* & c. 5. *Sicut per unius delictum in omnes in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Coloss. 2. dicitur Christus, *delens, quod adversùs nos erat, chirographum decreti.* Et 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno*: emere autem & delere chirographum, sunt actus justitiæ proprii. Acccedit *Authoritas* Ecclesiæ, dum crucem veluti instrumentum nostræ redemptionis appellat *stateram*. D. Augustini l. 13. de Trin. asserentis: *Diabolum à Christo victum, non potentiâ sed justitiâ*; D. Basilii Seleuc. *Or. de Incarn.* dicentis: *per Christum omnem justitiæ rationem fuisse expletam.* Ratio positiva est singularum conditionum ad rigorosam justitiam explicatio & applicatio: Quæ si ad Christi satisfactionem accommodari possint, non est, cur eidem ratio perfectæ & rigorosæ justitiæ denegetur.

§. II.

Probatur sufficiens alteritas.

3 VIdetur ergo imprimis *difficultas in secunda conditione.* Nam juxta S. D. 2. 2. q. 58. a. 2. *Justitia propriè dicta requirit diversitatem sive alteritatem suppositorum*; justitia enim tendit ad ponendam æqualitatem; *nihil autem est sibi æquale; sed alteri.* Atqui Christus satisfaciens non habet alteritatem suppositi, & distinctionem à Persona creditoris, cui satisfecit: Sicut enim tota Trinitas per peccatum fuit offensa; ita toti quoque Trinitati debebat exhiberi satisfactio, & consequenter Christus etiam sibi ipsi exhibuit satisfactionem; nec proinde fuit alteritas suppositorum inter creditorem & debitorem.

Verùm Resp. Ad actum justitiæ propriè dictæ requiritur alteritas suppositorum vel formalis, vel virtualis, concedo: tantùm formalis, nego. 4
Sed Christus ut satisfaciens non habet alteritatem formalem à seipso ut acceptante satisfactionem, concedo. Non habet virtualem, nego minorem & consequentiam. Si tibi videatur S. D. loc. cit. etiam formalem alteritatem exigere. Respondeo illum loqui de via ordinaria justitiæ, qualis inter homines reperitur. Sensus & ratio dictorum est: Illa alteritas requiritur ad rigorem justitiæ, qua salvatur distinctio jurium & voluntatum, siquidem dominium & jus proprietatis, quod est *potestas disponendi de re sua ab alio inimpedibilis*, in voluntate fundatur: Ideo cùm in creatis impossibile sit, in uno eodémque supposito reperiri duas voluntates (hoc ipso quippe duæ naturæ distinctæ deberent sustentari ab uno supposito creato, quod fieri non potest) etiam ad exercendum actum rigorosæ justitiæ necessaria est alteritas suppositorum. At verò quia Verbum Divinum in Christo continet & exercet munus duplicis suppositi, Divini & humani, sicque est æquivalenter & virtualiter duplex, secúmque compatitur duas distinctas voluntates, Divinam & humanam, & consequenter distincta jura & dominia, non est, cur illud ipsum suppositum quatenus subsistens in natura humana, & per voluntatem humanam non possit rigorosè satisfacere sibi ipsi, quatenùs subsistenti in natura Divina & habenti voluntatem increatam: Sicuti si vel per possibile eadem Divina Persona plures humanitates, vel per impossibile suppositum Angelicum simul naturam humanam terminaret; non est, cur inter illas naturas non possent intercedere contractus, aliíque actus justitiæ. Et certè fuit in Christo sufficiens alteritas suppositorum in genere Religionis & obedientiæ, teste Apostolo Philipp. 3. *Factus obediens usq; ad mortem.* Cur igitur non pariter in genere justitiæ, cùm etiam religio & obedientia sint virtutes ad alterum & quidem inferioris ad superiorem.

§. III.

Quomodo Satisfactio Christi fuerit ex propriis.

IN *tertia* quoque *conditione* est *difficultas*: ille non satisfacit ex rigore justitiæ, qui non ex propriis, sed ex bonis ab ipso creditore non tantùm antecedenter, sed etiam concomitanter, & quidem in ipsum finem satisfaciendi liberaliter collatis, satisfacit: Sed Christi satisfactio fuit facta ex bonis à Deo liberaliter collatis, etiam concomitanter, & quidem in finem satisfaciendi, nam & virtutes supernaturales, & gratia Sanctificans, & unio hypostatica, & ipsa satisfactio, quid sunt nisi gratuita 5.

Dei

Dei dona? Ergo Christus non satisfecit ex rigore justitiæ. Major constat, quia talis satisfactio non tam est satisfactio, quàm virtualis condonatio debiti; & per illam potiùs nova obligatio contrahitur, quàm contracta dissolvitur.

6. Verum respondeo cum Io. à S. Th. Christi satisfactio fuit facta ex bonis à Deo liberaliter collatis, per ordinem ad naturam & humanitatem operantem, concedo. Per ordinem ad suppositum, nego. Sunt igitur gratia Sanctificans, virtutes, ipsáque unio hypostatica gratiæ Christo collatæ, præcisè ratione humanitatis, concedo; ratione suppositi, nego. Et sic satisfactio Christi non fuit ex proprijs, quatenus procedens præcisè ab humanitate, tanquam principio ut quo, concedo. Procedens ab humanitate, quatenus terminata & dignificata per personam Verbi, & tanquam operatio ipsius, nego. Neque enim ipsa Persona Verbi per unionem hypostaticam, aliáque dona consequentia accepit gratiam, sed potiùs exinde fuit humilitata: *humiliavit enim semetipsum formam servi accipiens*: Gratiæ quoque humanitati collatæ, eidem quatenùs Verbo unitæ debebantur per modum proprietatum.

§. IV.

Applicatur alteritas jurium satisfactioni Christi.

7. Circa *quartam conditionem dubitatur.* Ibi non est perfecta alteritas Jurium, ubi jus debitoris, ejúsque satisfactio totaliter est sub dominio creditoris; ideo inter servum & dominum, patrem & filium non est perfecta alteritas jurium: sed jus & dominium Christi in suas operationes erat totaliter subjectum Divino & inabdicabili dominio, quod Deus jure creationis habet in omnes creatas operationes & voluntates humanas: ergo.

Confirmatur primò: Omne jus & dominium fundatur in libera voluntate, vel ergo Christus habuit dominium suæ satisfactionis ratione voluntatis Divinæ, vel ratione voluntatis humanæ. Si primum, patet, quòd nulla sit alteritas inter dominium sive jus debitoris & creditoris. Si secundum, voluntas illa humana utpote creata totaliter pertinebat ad dominium voluntatis Divinæ, adeóque carebat debita alteritate.

Confirmatur secundò. Valor satisfactionis sumitur ex ipsa Persona Verbi Divini, sed ipsum Verbum Divinum est creditor, utpote Persona offensa; ergo valor satisfactionis desumitur ab ipso creditore, & bonis ipsius. Verùm relictis diversorum varijs responsionibus

8. Respondeo distinguendo minorem. Jus & dominium Christi in suas operationes erat totaliter subjectum Divino Dominio, si spectetur materialiter & entitativè, concedo. Si spectetur formaliter & terminativè, quatenus nempe terminatur à Divino supposito, nego: sic enim voluntas, & quod in illa fundatur, jus, dominium, ac operatio sunt Christo propria: neque enim personalitas Verbi ullâ ratione continetur sub dominio Divinæ voluntatis, sed cum illa solùm intimè unitur.

Unde patet Responsio ad primam confirmationem. Nempe habuit Christus Dominium & proprietatem suæ satisfactionis, non ratione Divinæ voluntatis, sed humanæ, non quidem ut entitativè acceptæ, sic enim jure creationis & conservationis totaliter pertinebat ad Divinum Dominium, sed terminativè sumptæ, seu quatenùs terminabatur à Persona Divina, sicque erat idonea producere satisfactionem infiniti valoris.

Si dicas: Dominium voluntatis humanæ est ejusdem speciei in Christo, ac in alijs hominibus, nec additur ipsi aliquid intrinsecum ex terminatione Verbi; ergo sicut in hominibus dominium est Deo inferius & subjectum, sic etiam in Christo. Respondeo distinguendo secundum membrum antecedentis, nihil additur ipsi intrinsecum formaliter, concedo. Terminativè, nego; superadditur quippe unio ad esse Divini suppositi, cujus est, & cujus fit propria terminativè.

Instabis. Opera eorúmque valor etiam terminativè sumpta pendent à Deo, sicut & ipsa humanitas. Resp. Pendent à Deo ut supponitante, nego: ut generali influxu communiter causante, sic concedo. Ad secundam quoque Confirmationem distinguo majorem, valor sumitur ex Persona Verbi, ut subsistentis in naturâ Divinâ, nego, ut subsistentis in natura humana, ejúsque operationes sustentantis, concedo: sed Verbum est ipse creditor, ut subsistens in naturâ Divinâ, concedo, ut subsistens in natura humana, nego minorem & consequentiam.

§. V.

Quomodo plures tituli non noceant rigorosæ satisfactioni?

Circa quintam conditionem, quod satisfactio non debeat esse debita, dubitatur. Satisfactio alijs pluribus titulis debita non est actus rigorosæ justitiæ; sed satisfactio Christi est titulis pluribus Deo debita, ergo non est actus rigorosæ justitiæ. Major probatur: quia, ut mox dicetur, satisfactionem rigorosæ justitiæ tenetur creditor acceptare; sed operationem alijs pluribus titulis debitam non tenetur creditor acceptare: ergo talis operatio non potest esse satisfactio rigorosæ justitiæ. Minor constat: quia satisfactio Christi erat debita titulo gratitudinis, religionis, obedientiæ, &c. 9.

Respondeo, ne hanc quidem conditionem derogare satisfactioni Christi, quin sit actus justitiæ rigorosæ. Et in forma Respondeo primò distinguendo majorem: Operatio alio titulo incompatibili cum satisfactione debita non necessariò acceptatur à creditore, concedo. Alio titulo compatibili debita, nego. Exemplum est in illo, qui pauperi in extrema necessitate constituto solvit centum nummos debitos, ubi simul satisfacit charitatis & justitiæ obligationi: sed satisfactio Christi erat alijs titulis debita, qui tamen erant compatibiles cum satisfactione, concedo. Incompatibiles, nego minorem, & consequentiam. 10.

Respondeo secundò negando majorem, & probationis minorem distinguo: non tenetur creditor acceptare, nisi sit infiniti valoris, ut est satisfactio & operatio Christi; transeat; secùs, nego. Ratio est, quòd operatio Christi ratione infiniti valoris nullo debito exhauriri possit, ac proinde sufficiat tam pro debito gratitudinis, quàm religionis & justitiæ. *Neque dicas* cum Vasquez 11.

& Gonet, quòd Deus titulo supremi dominij sibi possit exigere omnem infinitatem operationis, atque ita quoad omnes titulos exhaurire: hoc ipso enim operatio secundùm valorem non esset infinita, si quo debito exhauriri posset, omne quippe debitum in quantum tale fundatur in aliquo finito & creato, atqui infinitum à finitis quantumcunque multiplicatis exhauriri nequit. Consequentiùs tamen ad prædicta

12. Respondeo tertiò negando minorem, ejusque probationem distinguo: satisfactio Christi erat alijs titulis, puta gratitudinis, Religionis &c. Debita, entitativè accepta, & quatenus erat ab humanitate satisfaciente ut quo, concedo: terminativè accepta, & quatenùs erat à supposito satisfaciente ut quod, nego: ergo non necessariò acceptatur à creditore, entitativè spectata, prout est ab humanitate præcisè, concedo. Terminativè sumptâ, nego consequentiam.

§. VI.

Removetur scrupulus de obligatione acceptandi.

13. De sexta etiam conditione movetur dubium. Rigorosam satisfactionem creditor tenetur acceptare; sed satisfactionem Christi Deus non tenetur acceptare, ergo satisfactio Christi non est rigorosa. Minor probatur primò, quia injuriatus non tenetur acceptare satisfactionem nisi illam, quæ fit ab injuriante: secundò, quia repugnat absoluto Dei dominio, ut Deus teneatur remittere peccatum, infundere gratiam, conferre auxilia gratiæ.

14. Respondeo negando minorem, & ad primam probationem distinguo antecedens. Offensus non tenetur acceptare satisfactionem ab alio, quàm ab injuriante factam, absolutè, concedo. Ex suppositione, quòd alium in Vadem & fidejussorem pro debitore ad satisfaciendum impotente acceptaverit, nego. Cùm igitur Christus à Deo sit missus & acceptatus in Vadem, fidejussorem, & caput omnium debitorum; ideò secundùm moralem æstimationem in Christo, & per Christum ipsa natura humana satisfacit.

Ad secundam probationem. Resp. Repugnat supremo Dei dominio absolutè teneri ad acceptandam satisfactionem, concedo. Ex suppositione suæ voluntatis, & decreti, quòd velit procedere secundùm viam justitiæ in exhibenda & acceptanda satisfactione, nego. Quamvis enim absolutè Deus non teneatur acceptare satisfactionem Christi, & sic non obstante infinito valore operum Christi, adhuc potuisset homini lapso denegare gratiam & gloriam: ex suppositione tamen, quòd sibi velit juxta viam & rigorem justitiæ satisfieri, tenetur satisfactione Christi esse contentus, ita ut ulteriorem, majorémve exigere non possit: quia hâc voluntate suppositâ tenetur Deus operari conformiter judicio justi Judicis: sed ipse ut justus Judex practicè judicat, satisfactionem Christi esse condignam & superabundantem pro illa injuria: ergo debet conformiter huic judicio operari, & consequenter eandem ut condignam acceptare.

§. VII.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Si Christus satisfecisset ex justitia, satisfecisset ut æqualis Patri, sed non ita satisfecit; ergo. Minor probatur. Christus in quantum satisfecit, est inferior Patre, quia satisfecit ut patiens, ut humiliatus, ut homo: ergo non ut æqualis. 15.

Respondeo negando minorem, ad cujus probationem distinguo antecedens, in quantum satisfecit, si ly *in quantum* reduplicet principium quo humiliandi & satisfaciendi, concedo. Si reduplicet principium quod, nego. Sic enim satisfecit ut æqualis, prout indicat Apost. ad Philippens. dicens: quòd *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; satisfecit ergo ut inferior ex parte naturæ, ut æqualis ex parte suppositi.

Objicies secundò. Inter patrem & filium, dominum & servum non datur perfecta justitia, sed Christus est Filius Dei, vocatur etiam in Scripturis servus Dei, ergo inter ipsum & Deum non intercedit perfecta justitia. 16.

Respondeo primò ad primam partem majoris, inter patrem & filium in creatis, & quà tales, non datur perfecta justitia, concedo. In increatis, nego. Disparitas est, quòd Filius creatus gratuitò accipiat esse à Patre, cum inferioritate, & dependentiâ ab illo, atqui Filius increatus necessariò accipit esse à Patre sine ulla dependentia vel inferioritate, imò cum omnimoda æqualitate.

Respondeo secundò permissa majore, distinguendo primam partem minoris: Christus est Filius Dei, si ly Deus supponat pro persona Patris, concedo. Si supponat adæquatè pro tota SS. Trinitate, nego. Ergo inter Christum & Deum non intercedit perfecta justitia, si ly Deus accipiatur pro tota Sanctissima Trinitate: nego, si pro sola Persona Patris, transeat. Ad secundum membrum distinguo minorem: Christus dicitur servus ratione naturæ, concedo. Ratione suppositi, nego. Et sub data distinctione, nego consequentiam.

Objicies tertiò. Si Christus ex justitia commutativa satisfaceret, tunc etiam in Deo creditore correspenderet justitia commutativa: sed hæc in Deo non datur juxta illa, quæ diximus in tract. de Jure & justitia: ergo etiam Christus non satisfecit Deo ex justitia commutativa. Sequela probatur, qui satisfacit alteri ex justitia, facit sibi illum ex justitia obligatum ad non petendam aliam satisfactionem, sed ubi est obligatio ex justitia commutativa, est etiam justitia commutativa: ergo si Christus Deo satisfecit ex justitia, etiam datur in Deo justitia commutativa. 17.

Respondeo vel negando, vel distinguendo sequelam. Correspondere justitia commutativa, virtualis, eminentialis, concedo. Formalis, nego majorem, & pariter distinctâ minore, nego consequentiam. Est igitur in Deo justitia eminenter, quatenus ex suppositione suæ voluntatis, quâ se determinat ad acceptandam condignam satisfactionem juxta ordinem justitiæ, quem solet observare justus judex, procedendo secundùm modum justitiæ commutativæ, se ipsum constituit debitorem non exigendi aliam satisfactionem:

non

non verò est in Deo justitia formalis, quia non constituitur debitor per debitum legale resultans ex creata actione & jure activo satisfacientis, sed ex propria sua determinatione, qua non obstante adhuc absolutè & in sensu diviso potest uti jure supremi dominij, & non acceptare satisfactionem. Ad probationem dico, majorem tantùm procedere in creatis, nam sicuti propter incapacitatem & repugnantiam ex parte Dei relationes aliàs mutuæ inter creaturas in Deum translatæ non sunt mutuæ, uti patet in Maternitate B. Virginis, quæ ex parte Filij non habet correspondentem sibi relationem; ita etiam justitia commutativa ex parte Christi non potest inducere debitum rigorosum justitiæ formalis correspondens in Deo, propter ipsius incapacitatem & Divini Dominij inabdicabilitatem. Suppletur tamen istud debitum ex hoc, quòd Divina voluntas se determinando ad procedendum secundùm justi Judicis sententiam; hoc ipso ex debito justitiæ eminentialis obligatur, ut ulteriorem satisfactionem non possit exigere.

18. Objicies quartò: Fidejussor in se non suscipit majorem obligationem, quàm habeat debitor principalis; sed homo, qui est debitor principalis, non habet obligationem satisfaciendi ex justitia commutativa; non enim datur hominis ad Deum perfecta justitia: ergò nec Christus Fidejussor habet hanc obligationem.

Confirmatur. Actus justitiæ rigorosæ opponitur actui injustitiæ seu injuriæ rigorosæ: sed peccatum, cui opponitur Christi satisfactio, non est injustitia vel injuria rigorosa: ergo etiam satisfactio Christi non est actus justitiæ rigorosæ.

Respondeo distinguendo majorem: Fidejussor in se non suscipit majorem obligationem; si in debitore principali minor obligatio proveniat ex defectu juris activi in parte læsa, concedo. Si ex defectu & impotentia subjecti, nego: sed homo non habet obligationem ex justitia commutativa satisfaciendi, propter impotentiam & defectum subjecti, Divino Dominio totaliter subditi, concedo. Propter defectum juris activi in Deo, nego: nam Deus offensus habet jus ab homine aliam, aliámque satisfactionem pro peccato exigendi in infinitum.

Ad confirmationem Resp. Actus justitiæ rigorosæ opponitur actui injustitiæ, vel injuriæ rigorosæ, qui sit injuria rigorosa in hoc sensu, quòd lædat jus rigorosum perfectum formaliter vel eminenter commutativum; concedo. Quòd sit injustitia vel injuria rigorosa, quasi procedat ab habitu justitiæ rigorosæ contrariè opposito, nego majorem. Sed peccatum non est talis injustitia, in posteriori sensu, concedo. In priori sensu nego minorem & consequentiam.

§. VIII.

Corollaria.

19. Inferes ex dictis primò: A Deo factam fuisse promissionem Christo, & initum quasi pactum sub onerosa conditione, ut si pro genere humano passionem ac mortem subijsset, homines, quibus ipsius merita vel ex opere operato in Sacramentis, vel ex opere operantis per pœnitentiam fuissent applicata, perfectam peccatorum veniam vitámque æternam consequerentur. Nam primò cùm gloria corporis titulo connaturalitatis Christo deberetur, tamen Christus libera optione elegit corpus passibile. Secundò Christo patienti promittitur prædestinatio Electorum, & ablatio peccati; utrumque habetur in S. Scriptura & quidem promissio habetur Is. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur, pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur, in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit: ideo dispertiam ei plurimos.* Optio verò, quia Christus elegit corpus passibile, ipsámque passionem, habetur apud Apost. Hebr. 10. ubi Apostolus recensens, quòd Christus unico cruento sui corporis in cruce oblati Sacrificio cuncta veteris Legis Sacrificia antiquârit, ista habet: *ingrediens mundum* (h. e. in primo Incarnationis instanti) dicit: *hostiam & oblationem* (veteris Legis) *noluisti, corpus autem aptâsti mihi* (ad patiendum) *tunc dixi: Ecce! venio.* Quasi diceret: Cùm non placeant tibi Deus Sacrificia veteris Legis; utpote insufficientia ad tollendum peccatum mundi, corpus passibile mihi præparâsti, ut in illo meipsum offerrem in Sacrificium, & eodem momento spontaneè relictâ corporis gloriâ meipsum ad patiendum & sacrificandum obtuli. Hoc ipsum significavit Apostolus in ead. ep. c. 12. dicens: quòd Christus *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta*, h. e. quòd, cùm gloriam corporis posset absolutè eligere, liberè acceptaverit carnem passibilem & passionem Crucis pro hominum redemptione.

Inferes secundò: Christum non satisfecisse ex rigore Justitiæ legalis, distributivæ, vel vindicativæ. Prima & secunda pars per se patet: quia satisfactio Christi neque respicit distributionem bonorum communium, neque per se primò ordinatur ad exhibendum aliquod debitum bono communi, sed ad reparationem boni Divini, sive ad constituendam æqualitatem inter debitum humanæ naturæ, & Jus Divinum peccato læsum. Tertiæ partis ratio est primò; quia actus justitiæ vindicativæ non est subjectivè in solvente, & patiente pœnam; atqui satisfactio est in Christo subeunte & patiente pœnam pro peccatis. Secundò: Quia justitia vindicativa supponit debitum & obligationem sustinendi pœnam: Atqui Christus seclusò pactò & præceptò nullam habebat obligationem & debitum sustinendi pœnam aut satisfaciendi pro peccatis generis humani, ergo. Tantum igitur similitudinariè & secundùm quid dici potest satisfecisse secundùm rigorem justitiæ vindicativæ, quatenùs sua passione & morte plenissimè extinxit reatum pœnæ æternæ, quem homo peccando incurrit. 20.

Inferes tertiò: Christi satisfactionem fuisse actum Justitiæ commutativæ. Ita communiter Thomistæ: idque probant imprimis textus S. Scripturæ suprà citati. Prætereà Ps. 88. Passio Christi vocatur *commutatio*, *exprobraverunt commutationem Christi tui*. 1. ad Cor. 6. dicimur *empti pretiò magnò*. Et 1. Rom. 1. *redempti non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine.* Ipse Christus 1. Cor. 1. dicitur factus pro nobis *justitia & redemptio*. Sed emptio, redemptio, commutatio 21.

ratio significant actum justitiæ commutativæ. Sequitur secundò ex dictis : nam Christus satisfecit ex rigorosa justitia, sed non ex alia specie justitiæ, ut in præced. Coroll. dictum. Ergo ex specie justitiæ commutativæ. Probatur tertiò. Christus satisfaciendo implevit omnes conditiones Justitiæ commutativæ : ergo ipsius satisfactio fuit actus Justitiæ commutativæ. Antecedens probatur. Præter conditiones æqualitatis, alteritatis, aliásque superiùs expositas & probatas, ad justitiam commutativam requiritur debitum rigorosum non tantùm morale, sed legale in satisfaciente. Sed Christus habuit tale debitum, quia debitum fidejussoris ex pacto & promissione fidejussionis præstandæ ortum est verum legale & rigorosum debitum; sed Christus habuit ejusmodi debitum, postquam spontè se obtulit in fidejussorem ad satisfaciendum pro peccatis nostris. Probatur quartò. Satisfactio Christi, quatenus formaliter tendebat ad reparandam æqualitatem Juris Divini læsi per peccatum alienum, erat actus alicujus virtutis; sed non alterius, quàm justitiæ commutativæ; ergo fuit actus justitiæ commutativæ. Major patet, quia hoc objectum est honestissimum. Minor probatur. Aut esset actus Religionis, aut pœnitentiæ : sed neutrum potest dici. Non actus Religionis : quia Religionis finis intrinsecùs est exhibere Deo debitum cultum propter excellentiam primi principij creativi & gubernativi rerum omnium : sed hic non erat finis intrinsecus satisfactionis, tum quia finis intrinsecùs satisfaciendi est reparare æqualitatem peccato læsam (uti patet in virtute pœnitentiæ; nam finis iste cùm sit honestus, & specialis & à nulla alia virtute per se respiciatur, requirit distinctam & specialem virtutem, quæ in nobis est pœnitentia) tum quia etiamsi Christus nullum habuisset debitum satisfaciendi pro peccatis, tamen exhibuisset cultum Deo debitum ut primo rerum omnium principio. Non secundùm : primò, quia D. Th. inf. q. 84. a. 3. ad 4. & alibi docet, pœnitentiam nec actu, nec virtute fuisse in Christo, sicut nec materiam pœnitentiæ, nempe peccatum. Secundò. Quia ideò pro fine exhibendi compensationem pro peccato datur in nobis virtus pœnitentiæ, quia in nobis implicat alteritas jurium, & æqualitas compensationis in ordine ad Deum : sed hæ conditiones in Christo non implicant, ut ostendimus. Ergo cum necessariò in Christo sit admittenda aliqua virtus, quæ ipsius actiones & pœnalitates ordinet ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam : eáque alia esse non possit, quàm justitia commutativa; ipsius actiones satisfactorias ex justitia commutativa processisse dicendum est.

Inferes quartò cum Labat & Io. à S. Thom. 22. Hanc virtutem justitiæ commutativæ esse diversæ rationis & speciei physicæ à justitia commutativa, quæ reperitur in nobis, non tantùm, quia est superioris ordinis, eò quòd per se respiciat actiones Theandricas pertinentes ad ordinem hypostaticum, ex quo saltem moraliter differt à nostra justitia, quæ per se tantùm respicit operationes ad ordinem naturæ, vel gratiæ pertinentes; sed etiam quia habet objectum formaliter diversum. Nam Jus Divinum per solas actiones Theandricas adæquabile formaliter differt à jure creato per actiones humanas adæquabili; sed illud per se respicitur à Justitia in Christo; istud verò à justitia commutativa subjectata in nobis: ergo. Major probatur. Excellentia Divinæ personæ specie differt ab excellentia personæ creatæ; sed jus Divinum ad conservationem vel reparationem sui honoris fundatur in excellentia Divina; econtra jus personæ creatæ fundatur in excellentia creatâ : ergo hæc jura specie differunt. Major constat ex S. D. 2. 2. q. 101. a. 3. & 104. a. 2. ubi pietatem, observantiam, & religionem inter se formaliter distinguit, quia respiciunt diversas excellentias personarum, videlicet pietas excellentiam parentum, observantia superiorum, religio excellentiam Dei. Imò ex hoc ipso capite latria, quæ cultum supremum Deo debitum respicit, distinguitur specie à dulia, quæ respicit cultum Sanctis debitum. Adde, quòd nostra justitia commutativa tantùm habet rationem justitiæ, justitia verò commutativa Christi simul formaliter & eminenter continet rationem misericordiæ, magnificentiæ, & religionis. Cùm enim non solùm reddat pro offensis æquale, sed etiam superabundans, idque necessariò ita, ut satisfacere aliter non possit, invenitur ratio propria magnificentiæ. Cùm etiam non possit pro proprijs, cùm Christus sit impeccabilis, sed tantùm pro alienis offensis offerre satisfactionem, adest ratio misericordiæ. Et quia exhibendo actum valoris simpliciter infiniti simul Deo æquale reddit pro excellentia & cultu debito, atque beneficijs acceptis. Simul continetur eminenter ratio religionis & gratitudinis.



DISPV-

DISPUTATIO IV.

DE Quidditate Incarnationis ſive unionis hypoſtaticæ.

Ad q. 2.

UNio humanitatis cum Verbo Divino tripliciter poteſt accipi. Primò formaliter, prout ſignificat formalem nexum inter humanitatem & Verbum: ſecundò effectivè prout ſignificat actionem unitivam, quæ magis propriè unitio nuncupatur; tertiò conſecutivè. Prout ſignificat relationem prædicamentalem, quæ conſequitur unionem extremorum. Tertia acceptio eſt extra quæſtionem: Illam primo & ſecundo modo acceptam hoc loco conſideramus. Ideò ſit

ARTICULUS I.

An Unio Verbi facta ſit in natura?

SUMMARIA.

1. *Hæreſes oppoſitæ circa unionem hypoſtaticam.*
2. *Unio Verbi non eſt facta in natura.*
3. *Ratio è S. Scripturà deſumpta.*
4. *Unio Verbi cum humanitate facta eſt in perſona.*
5. *Et primariò in hypoſtaſi.*
6. *Non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis.*
7. *Et ne quidem de genere accidentis metaphyſici.*
8. *Eſt facta etiam ſecundum exiſtentiam.*
9. *Explicantur textus S. Script. ab hæreticis objecti.*
10. *Et authoritates quorundam PP.*
11. *Per pluralitatem naturarum non tollitur unitas Chriſti.*
12. *Neſtorianorum objectiones è S. Scriptura enervantur.*
13. *Argumentum è Dialectica & metaphyſica deſumptum expeditur.*

§. I.

Veritas Catholica.

1. DUarum hæreſum monſtra ſibi ex diametro oppoſita olim Oriens, an potius Orcus infelici partu effudit. Prima eſt Neſtoriana à Neſtorio, qui ex duplicitate & diſtinctione naturarum in Chriſto malè inferens diſtinctionem perſonarum, aſſerebat, non minùs duas perſonas, quàm naturas eſſe in Chriſto. Altera Eutychiana ab Eutychete Presbytero & Archimandrita Conſtantinopolitano, qui circa annum D. 450. poſt Neſtorium egregiè oppugnatum incidit in hæreſin è diametro oppoſitam, & ex unitate perſonæ inferens unitatem naturæ, dicebat, duas naturas Chriſti ante unionem ab invicem diſtinctas, poſt earum adunationem in unam naturam tranſiiſſe, ut habetur in art. 1. Concilij Chalced. Quæ hæreſis plures complectebatur errores. Primò, quòd humanitas Chriſti priùs tempore extiterit, quàm fuerit unita Verbo, ut refert S. Leo ep. 11. & in reſcripto contra hæreſin Eutychetis. Secundò quòd non ſint duæ naturæ diſtinctæ & inconfuſæ in Chriſto, ſed duntaxat unica. Tertiò, Quòd hæc una natura ſit Divina, in quantum humana per unionem fuerit converſa in Divinam. Quartò quòd Chriſtus non habuerit verum corpus, ſed tantùm imaginem corporis, & quod hinc ſequitur quintò, quòd Chriſtus non ſit nobis & Beatiſſimæ Virgini conſubſtantialis. Quæ omnia colliguntur ex ep. D. Leonis 18. ubi dicit de Eutychete: *tantum hic à Catholico tramite deviavit, qui de eadem Virgine editum non noſtræ credidit eſſe naturæ, ut quòd formam ſervi geſſit, quòd noſtri ſimilis fuit, atque conformis, quædam noſtræ carnis fuerit imago, non veritas.*

CONCLUSIO I. *Unio Verbi non eſt facta in natura, quaſi duæ naturæ per unionem tranſierint in unam.* Ita contra Eutychetem definitum eſt in cit. Concil. Chalcedon. a. 1. 2. & 5. ubi cùm art. 2. legeretur epiſtola S. Leonis Epiſcopi, clamaverunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum doctrina, ita credimus, anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt, Apoſtoli ita docuerunt.* Conſtat etiam ex Symbolo Athanaſij, ubi de Chriſto dicitur: *unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Et ex Concil. Lateran. in c. *Firmiter. de Sum. Trin.* 2.

Probatur primò ratione ex S. Scriptura formatâ: Si Chriſtus non haberet diſtinctas & inconfuſas naturas Divinitatis & humanitatis, non eſſet ſimul verus Deus & verus homo, Filius Dei & filius hominis. Conſequens eſt hæreticum contra fidei Symbolum & S. Scripturæ claram authoritatem: ergo. Sequela probatur. Quia non verificatur terminus concretus ſubſtantialis, niſi verificetur ſignificatum formale, ſeu forma ſubſtantialis denominans. Sed hæc in ly *Deus* eſt natura Divina, in ly *homo* eſt natura humana: ergo niſi in Chriſto ſit utraque natura Divina & humana impermixtæ & indeſtructæ, Chriſtus non eſt ſimul verus Deus & verus homo: Filius quoque non dicitur, niſi propter conſubſtantialem ſimilitudinem naturæ; ergo ſi Chriſtus eſt ſimul Filius Dei & filius hominis: ſimul debet eſſe conſubſtantialis Patri in natura Divina, & conſubſtantialis Matri in natura humana. Minor verò quoad primam partem conſtat ex Symbolo Fidei. Item ex Jo. 3. 9. 10. 26. & Matt. 16. ubi Chriſtus tum à ſeipſo, tum ab Apoſtolis vocatur *Filius DEI & unum cum Patre.* Quoad ſecundam partem rurſus ex Symb. Fidei conſtat *eſſe conceptum & natum ex Maria Virgine.* ex Luc. 1. *concipies in utero & paries filium,* 3.

& omnibus iis Scripturæ locis, ubi frequenter Christus se vocat filium hominis.

Probatur secundò ratione. Unio totius per se ex pluribus naturis fit vel ex naturis perfectis & transmutatis, ut in mixtione, vel non transmutatis sed imperfectis & incompletis, ut ex anima & corpore fit homo: sed implicat hoc modo uniri naturam Divinam & humanam; quippe cùm naturæ Divinæ repugnet omnis mutatio & vicissitudinis obumbratio, nec non ratio entis incompleti, actûs informantis, &c.

4. CONCLUSIO II. *Unio Verbi Divini cum humanitate facta est in Persona; ita ut in Christo sint duæ naturæ & una tantùm persona.* Est de fide definita in Concilio Ephesino, Chalcedonensi art. 1. Lateran. 1. consult. 5. can. 6.

Probatur. Quoties duæ formæ, quæ de se invicem non prædicantur in abstracto, tamen de se prædicantur sumptæ in concreto, toties illæ duæ formæ habent idem suppositum, ratione cujus talis prædicatio fit mutua; omnis quippe prædicatio fundatur in aliqua identitate. Sed humanitas & Divinitas sunt duæ formæ, quæ cùm de se invicem in abstracto nequeant prædicari, in Christo tamen de se prædicantur sumptæ in concreto: nam in Christo *Deus est homo*, & *homo est Deus*, & de Christo *homo* simul & *Deus* prædicatur: ergo Divinitas & humanitas in Christo requirunt identitatē suppositi. Minor patet ex locutionibus S. Textûs in sup. concl. adductis & præsertim Jo. 9. ubi Christus ad cæcum: *Tu credis in Filium Dei? quis est Domine, ut credam in eum?* respondit Christus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*

§. II.

Corollaria.

5. INferes ex dictis primò. Unionem naturæ humanæ cum Verbo etiam & quidem primariò esse factam in hypostasi, prout est definitum in Concilio Ephesino. 1. can. 3. & in 5. Synodo can. 5. Nam hypostasis includitur in Persona, sicut genus in specie, quia hypostasis dicit absolutè suppositum, abstrahendo, an sit suppositum naturæ rationalis vel non? Persona verò superaddit dignitatem naturæ rationalis: ergo si in Christo est una persona, etiam unica debet esse hypostasis. Dixi, esse factam primariò in hypostasi, nam unio hæc debuit fieri primariò in eo, quod est proprium Verbo, & in quo Verbum realiter distinguitur ab alijs personis, aliàs quippe non esset ratio, cur non omnes tres Personæ æquè primò terminarent humanitatem: sed hoc est relativa hypostasis, alia enim omnia sunt communia tribus Personis: ergo.

6. Inferes secundò contra Durandum. Naturæ humanæ cum Divina unionem non esse accidentalem, sed substantialem, ut habet. S. D. q. 2. a. 6. Et primò habetur in Concil. Ephes. can. 13. dicente. *Ex Virgine natum est sacrum corpus, cui substantialiter est unitum Dei Verbum.* Et in 5. Syn. Gen. act. 5. can. 4. *qui non credit Filium Dei carni substantialiter uniri, anathema sit.* Secundò probatur ratione. Unio, quæ fit per formam aliquam substantialem, est substantialis, sed forma, ratione cujus natura humana formaliter unitur naturæ Divinæ, est quid substantiale, nempe hypostasis Verbi secundùm dicta: ergo est unio substantialis.

Dices: formam, quâ natura humana constituitur formaliter unita, non quidem esse accidentalem de genere accidentis prædicamentalis; bene autem de genere accidentis prædicabilis. Sed contra est, quòd illa, quæ prædicantur in quid, non sint accidens prædicabile, sed homo de Christo & Verbo, & è converso Verbum & Deus de homine prædicantur in quid, non in quale: non enim tantùm dicimus: *Verbum est humanatum*, sed *est homo*: ergo unum respectu alterius non est accidens prædicabile. Confirmatur. Homo non minus univocè prædicatur de Christo, quàm alijs hominibus: Sed de alijs prædicatur in quid: ergo etiam de Christo. Instabis I. Quod potest adesse vel abesse sine alicujus corruptione, hoc ipsi advenit accidentaliter; sed ita Deitati advenit natura humana: ergo. II. Quod advenit enti completo, & extra essentiam ipsius, est accidens Logicum; sed ita advenit Verbo humanitas: ergo. Respondeo distinguendo utramque majorem: nisi trahatur ad esse alterius, concedo. Si trahatur, nego: nam licèt corpus possit abesse ab anima absque destructione ipsius, tamen quia trahitur ad esse ipsius, est unio substantialis. 7.

8. Inferes tertiò. Unionem naturæ humanæ cum Verbo etiam esse factam secundùm existentiam; ita ut humanitas Christi non habuerit propriam existentiam, sed extiterit per existentiam Verbi. Ita contra Suarez habet S. D. inf. q. 17. a. 2. Colligitur primò clarè ex Synodo 6 act. 11. in qua approbantur hæc Verba ex Epistola D. Sophronii. *In Verbo, non in semetipsa habuit* (humanitas) *existentiam unam.* Et rursus: *Christus est unum, & duo, unum secundùm subsistentiam duo secundùm naturas, ex quibus esse unum sortitur.*

Ratio est primò. In Christo non possunt esse duæ existentiæ: sed in Christo est existentia Verbi increata: ergo præter illam non datur alia creata. Major probatur. Si darentur plures existentiæ, quælibet esset ultima rei actualitas & perfectio: cùm iste sit essentialis conceptus existentiæ: & non esset, quia humanitas per propriam existentiam existens adhuc esset actuabilis per aliam. Secundò: quia in nostra Philosophia subsistentia & existentia non distinguuntur realiter; sed in Christo est una subsistentia increata: ergo & existentia. Tertiò: quia sequeretur primò suppositum increatum existere existentiâ creatâ. Secundò humanitatem Verbo uniri accidentaliter, quia existentia adveniens enti in actu completo advenit accidentaliter. Tertiò quòd Beatissima Virgo non verè esset Mater Dei. Quia si humanitas priùs naturâ, quàm sit assumpta à Verbo habeat propriam existentiam, tunc completus terminus concursûs generativi Beatissimæ Virginis non foret Deus homo: sed hoc posito Beatissima Virgo non esset Mater Dei: ergo. Sequela probatur: quia cùm effectus habet existentiam, totus concursus causæ censetur completus, cùm enim existentia sit ultimus actus, quo res ponitur extra omnes causas, nullum aliud complementum vel actualitas expectanda relinquitur: Sed humanitas pro illo priori haberet existentiam: ergo haberetur totus terminus completus illius concursûs, quo Beatissima Virgo con-

cru-

currit ad generationem Christi. Dices: Humanitas Christi non fuit assumpta ad aliquid commune toti Trinitati, sed existentia est communis toti Trinitati: ergo. Respondeo non fuit assumpta ad aliquid commune primariò, concedo. Secundariò, nego.

§. III.

Objectiones Solvuntur.

9. OBjiciunt contra primam conclusionem Eutychiani primò c. 2. Epistolæ ad Philipp. Ubi dicitur Christus *factus in similitudinem hominum & habitu inventus ut homo.* Item 1. Cor. 15. ubi Christus appellatur *secundus homo de cœlo cœlestis.* Ex quo inferunt; in Christo post unionem cum Divinitate non mansisse terrenam divinámque substantiam, sed tantùm quandam ipsius speciem & figuram. Sed Respondeo in primo loco ab Apostolo significari, Verbum incarnatum in assumpta humanitate coram oculis hominum apparuisse, quasi esset purus homo, cùm tamen esset Deus homo. Ita exponunt D. Ambr. l. 2. de Fide. c. 4. & D. August. Serm. 6. & 31. d. V. Ap. In secundo verò loco Christus appellatur *homo de cœlo* ratione Divinæ generationis, & cœlestis propter dotes corporis gloriosi, quas habuit post resurrectionem.

10. Objiciunt secundò authoritatem Cyrilli relati in cit. Conc. Chalcedon. dicentis: *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi increatam.* Item Divi Gregorii Naz. in ep. ad Celidonium dicentis: *Carnem Christi fuisse Deificatam.* Athanasii in Symbolo dicentis: *sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus.*

Respondeo ad authoritatem Cyrilli. Illum per ly *naturam* intelligere ipsum Verbum, nec aliud velle, quàm quòd Verbum solum humanæ naturæ citra ullam confusionem sit unitum. Prout S. D. seipsum explicat in Ep. 29. ad Acat. & in l. ad Evoptium def. 4. dicens: *Nos unionem secundùm substantiam factam esse dicimus, nihil aliud, dicendo secundùm substantiam, significare volentes, quàm hoc solum, quòd Verbi natura, quæ est ipsum Verbum humanæ naturæ, unita sit citra ullam conversionem & confusionem.* Unde hæc propositio *natura Verbi seu divinitas est incarnata*, si mediatè accipiatur, nempe mediante hypostasi, & non immediatè, facit Catholicum sensum. Ad secundam authoritatem Naz. Resp. carnem Christi dici Deificatam, in quantum per unionem cum Verbo facta est caro Dei. Ad tertiam authoritatem Athanasii Resp. Illius exempli & paritatis vim procedere secundum comparationem unitatis personalis non naturalis: nam sicut inconfusæ substantiæ partiales animæ & carnis conveniunt in unitate personali unius hominis, ita totales substantiæ & naturæ inconfusæ Divinitatis ac humanitatis conveniunt in unitate personali unius Christi.

11. Objiciunt tertiò. Si plures essent naturæ in Deo, non ampliùs daretur unus Deus: ergo si sint plures naturæ in Christo, non rectè dici poterit unus Christus.

Respondeo negando consequentiam. Quia, ut infra dicetur, nomina substantiva concreta ad sui multiplicationem requirunt multiplicationem tam suppositorum quàm naturarum.

Objiciunt quartò contra secundam conclusionem Nestoriani varias authoritates primò Jo. 2. 12.
Christus suam humanitatem vocat templum, *solvite templum hoc.* Atqui templum & domus supposito distinguuntur ab inhabitante. Secundò. Christus in S. Scriptura vocatur *servus, vermis, opprobrium hominum, derelictus à Patre.* Sed hæc Divinæ Personæ non possunt convenire: ergo conveniunt personæ humanæ. Tertiò S. Basilius in Ps. 139. Christum appellat hominem *Deiferum.* SS. Ambr. & Aug. in hymno dicunt. *Filium Dei assumpsisse hominem.* Quartò S. August. in Enchir. c. 3. dicit, Christum esse *aliud propter Verbum, & aliud propter hominem.*

Respondeo ad primam, à Christo humanitatem metaphoricè templum denominari primò comparativè ad Divinitatem, quòd illa per unionem hypostaticam substantialiter & intrinsecè sit in humanitate sicut in templo: quo sensu Apostolus Coloss. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Secundò etiam comparativè ad ipsum Verbum, quamvis eidem hypostaticè unita, sicuti corpus dicitur per metaphoram domus & tabernaculum animæ, licèt eidem substantialiter sit unitum. Ad II. Resp. Ad ejusmodi oppositas denominationes recipiendas sufficere distinctionem naturarum, habentium distinctas proprietates, & consequenter denominationes. Ad III. Respondet Isambertus, à Basilio loc. cit. carnem Christi appellari *Deiferam*, quia videlicet Verbo unitam; non autem Christum vocari hominem Deiferum. In hymno autem Ambrosiano ly *homo* accipitur pró abstracto humanitatis. Ad IV. Respondeo ut in Tr. de Trinit. dicitur, quòd ly *alius* significet distinctionem personarum, ly *aliud* verò pertineat ad distinctionem naturarum. Ideo in Deo non datur aliud & aliud, datur tamen alius & alius. In Christo autem licèt non detur alius & alius, datur tamen aliud & aliud.

Objiciunt quintò. Si unio facta fuisset in persona Divina, etiam facta fuisset in natura: 13.
sed in natura non fuit facta, juxta supra dicta: ergo. Sequela probatur: quod dicitur de uno extremo, dicitur etiam de altero penitus identificato cum illo: sed persona Verbi est intrinsecè identificata cum natura Divina, ergo si unio fuit facta in persona, fuit etiam facta in natura Divina.

Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem distinguo majorem: dicitur etiam de altero, quod est identificatum tam formaliter quàm virtualiter, conc. si sit virtualiter distinctum, nego. Sed persona Divina est identificata cum natura, ita tamen, ut virtualiter sit distincta, concedo. Secus nego minorem & consequentiam. Cujus distinctionis sensum suppono ex Tractatu de Deo.

Articulus II.

An Persona Christi sit composita?

Summaria.

1. *Quid & quotuplex sit unitas?*
2. *Deo non repugnat compositio extrinseca cum his.*
3. *Astruitur, Personam Christi esse verè compositam.*
4. *Non idcirco est pars vel ex partibus.*
5. *In compositione cum his fit unum per se absque habitudine actûs & potentiæ incompletæ.*
6. *Ubi utrumque extremum est finitum, totum est perfectius, quolibet seorsim sumpto.*
7. *Non sequitur, quòd Verbum possit dici compositum.*

§. I.

Resolutio affirmativa.

1\. Notandum primò ex dictis in Tractatu primo Disp. de Simplicitate Dei. Unitatem, quæ est indivisio entis in plura, adæquatè dividi in simplicitatem & compositionem: ubi simplicitas est unitas expers compositionis, compositio est distinctorum unio.

2\. Notandum secundò. Etsi repugnet in Deo compositio intrinseca ex his, h. e. ex partibus intrinsecè constituentibus, non tamen repugnare, ut Deus veniat in compositionem compositione extrinsecâ cum his, sive ut ipse unacum aliquo alio constituat aliquod totum, dummodo talis compositio absolvi possit ab imperfectione partis, quo modo diximus, fieri compositionem in esse intellectivo inter essentiam Divinam sub ratione speciei intelligibilis, & inter intellectum videntis Deum: neque enim tunc essentia Divina habet se per modum partis incompletæ, & ab altera comparte determinabilis, sed per modum formæ totalis intrinsecè terminantis & perficientis: quod genus compositionis S. D. appellat ad modum numeri: quia sicut in numero ultima unitas non propriè habet rationem partis, neque à reliquis determinatur, sed ipsa trahit & determinat reliquas ad certam speciem numeri, ita cùm essentia vel Persona Divina venit in compositionem cum aliqua creatura, non ipsa à creatura, sed creatura ab essentia Divina determinatur. Addunt Thomistæ compositionem in his, quæ nihil aliud est, quàm conjunctio extremorum in aliquo medio dante & non accipiente unitatem, quemadmodum Petrus & Joannes conveniunt in unitate naturæ specificæ. Hoc posito sit

3\. CONCLUSIO PRIMA (1.) *Persona Christi est verè & propriè composita (2) tum ex natura divina & humana, tum ex subsistentia Verbi & humanitate.* Ita cum S. D. hîc q. 2. a. 4 communis Theologorum. Prima pars constat authorit. Concil. & SS. PP. nam in 5. Syn. Gen. dicitur: *Si quis non confitetur unionem Verbi ad carnem, conjunctam animæ rationali secundùm compositionem, anathema sit*, & in 5. Syn. Gen. collat. 8. can. 4. *Sancta Dei Ecclesia unitatem Verbi Dei ad carnem secundùm compositionem confitetur.* In concil. 6. Gen. act. 11. *Persona Christi* vocatur *composita ex inconfuso constans temperamento.* Et Damascen l. 3. de Fid. *in Domino Jesu Christo duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasin ex utraque compositam.*

Ratio est: quia unio distinctorum est compositio; sed in Christo est unio distinctorum: ergo in Christo est compositio. Ex quo sequitur secunda pars conclusionis: nam in Christo non tantùm duæ distinctæ naturæ, sed etiam hypostasis Divina, & natura humana inter se uniuntur, ac proinde Persona Christi utroque titulo rectè & propriè dicitur composita; siquidem inter simplicitatem & compositionem sub genere unitatis non datur medium.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Si Persona Christi esset composita, tunc vel ipsa haberet rationem partis, vel esset ex partibus. Neutrum potest dici, ergo. Minor constat: quia in Deo & Divinâ naturâ repugnat omnis potentialitas & perfectibilitas. Sequela probatur: Omne totum habet partes: sed omne compositum est aliquod totum: ergo omne compositum habet partes. Confirmatur. In quod aliquid resolvitur, est pars ipsius; sed omne totum resolvitur in ea, è quibus constat, ergo illa habent rationem partis. Respondeo negando sequelam majoris. Cujus probationem distinguo; omne totum habet partes, si ly *totum* strictè sumatur & correlativè ad membra incompleta, per se ordinata, ut ex iis resultet aliquod ens completum perfectius utroque seorsim sumpto, concedo. Si ly *totum* latiùs accipiatur pro ente completo oppositivè ad ens incompletum, sic nego. Sed omne compositum est aliquod totum vel in prima, vel in secunda acceptione, concedo; semper in prima, nego minorem & consequentiam. Ad confirmationem nego majorem; sed sufficit, quòd sit extremum ipsius. 4.

Instabis. Nisi extrema compositionis habeant rationem partis, ex iis non fit unum per se, ergo si Persona Christi est composita, debet admittere rationem partis. Antecedens probatur. Nisi extrema compositionis ad se invicem dicant habitudinem actûs & potentiæ, non constituunt unum per se, sed actus & potentia dicunt habitudinem partis: ergo etiam extrema compositionis dicunt habitudinem partis. 5.

Respondeo distinguendo antecedens ejúsque probationem: in compositione naturali ex his; (ubi extrema naturali inclinatione ad se mutuò ordinantur, ut ex eorum unione resultet aliquod totum nobilius quâlibet parte seorsim sumptâ) concedo majorem; in compositione supernaturali cum his, vel in his, nego. Ad compositionem cum his satis est, quod potentia obedientialis creaturæ intrinsecè perficiatur per formam, quo modo personalitas Verbi intrinsecè explet & terminat capacitatem obedientialem humanitatis Christi. Ad compositionem in his sufficit, quod duo

duo extrema accipiant unitatem ab aliquo tertio, quam ipsi tamen non tribuunt, & hoc modo natura Divina & humana in supposito Christi conveniunt: quia illo mediante uniuntur. Quin ex earum unione resultet unitas suppositi.

6. Objicies secundò. Omne compositum est majus & perfectius quocunque ex componentibus seorsim sumptis, sicuti omne totum est majus suâ parte. Sed Christus non est perfectior quàm natura divina, vel personalitas seorsim sumpta: ergò non est verè compositus.

Respondeo, Majorem esse veram, quando utrumque extremum est finitum, non autem quando alterum extremum est infinitum, tunc enim alterius totá perfectionem in se eminenter continet.

7. Objicies tertiò. Si Christus esset verè compositus, tunc per communicationem idiomatum de Verbo Divino & Filio Dei dici posset, quòd sit compositus, quemadmodum de eodem dicitur, quòd sit passus, mortuus &c. Sed hoc non potest dici: ergo.

Respondeo negando sequelam. Quia si absolutè diceretur Filius Dei esse compositus, faceret sensum, quod Persona secunda Trinitatis ut subsistens in natura Divina esset composita; cùm tamen ly *compositum* Filio Dei tantùm conveniat, quatenus subsistit in natura humana, & dicit, Christum ex utraque natura aggregatum. Ly *natus*, *passus* &c. per communicationem idiomatum de Verbo dicuntur, quia in ijs sufficienter intelligitur, quòd dicantur de Verbo Divino, non ratione Divinæ naturæ, sed humanæ.

ARTICULUS III.

In quo formaliter consistat unio hypostatica?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Negatur modus unionis inter humanitatem & Verbum.*
3. *In quo formaliter & realiter consistat unio hypostatica.*
4. *Non est adæquatè increata, nec creata.*
5. *Fundamentum remotum unionis relativa.*
6. *Humanitas per unionem est mutata non Physicè sed Metaphysicè.*

§. I.

Rejicitur modus unionis inter Verbum & humanitatem.

1. DUplex est sententia è diametro opposita. Una contendit per actionem unitivam humanitatis cum Verbo produci nexum & modum intermedium unionis realiter modaliter ab utroque extremo distinctum, quam sententiam docet Scotus in 3 d. 1. q. 1. Durandus, Suarez, Tannerus, Lugo. disp. 11. n. 2. ex Thomistis Herrera, Arravio & Godoyus tract. 2. disp. 11. Altera & opposita negat unionem esse ab extremis distinctam, asseritque Verbum Divinum se ipso immediatè uniri cum humanitate, quam tuentur Cajetanus, Nazarius, Alvarez, Jo. à S. Th. Gonet, & communis Thomistarum, præcipuè nostrorum Salisburgensium.

2. CONCLUSIO. *Verbum Divinum se ipso sive suâmet hypostasi formaliter & immediatè unitur naturæ humanæ absque omni intermedio nexu.* Ita DD. citati, & relicta universali rejectione modorum ex Philosophia propter essentialem ipsorum superfluitatem. Probatur hâc ratione. In tantum Verbum Divinum formaliter unitur naturæ humanæ, in quantum ipsam formaliter intrinsecè terminat, eique tribuit esse suppositi: sed hoc præstat formaliter per suammet hypostasin absque alio superaddito: ergo. Major inde constat, quia Verbum unitur naturæ humanæ in ratione termini illam intrinsecè complentis & sustentantis, ergo per quod formaliter illam terminat, per hoc ipsum formaliter unitur. Minor quoque probatur. Quod est per essentiam tale, non potest per aliquid superadditum fieri tale: atqui vis infinita actualiter & formaliter terminandi convenit per essentiam hypostasi Divinæ: ergo implicat, ut per aliquem modum vel nodum superadditum fiat talis.

Confirmatur primò. Quia essentia Divina per essentiam est actus purus infinitè perfectus in ratione intelligibilis & intellectivi, ideo non potest formaliter per aliquam speciem creatam fieri intelligibilis vel intellectiva in actu secundo. Ergo etiam, quia Persona Divina in ratione termini hypostatici est infinitè perfecta & actus purus, implicat, ut per entitatem creatam formaliter constituatur in ratione actûs terminantis naturam humanam.

Confirmatur secundò. Si Persona Divina deberet per entitatem creatam formaliter determinari ad terminandam naturam humanam, esset intrinsecè in potentia ad hanc determinationem & per aliud à se complebilis & determinabilis; sed hoc repugnat actui puro, ergo. Confirmatur tertiò. Natura humana ratione potentiæ obedientialis longè magis est perfectibilis à Persona Divina in esse suppositi, quàm materia prima à forma Physica in esse specifico, & ipsa Divina Persona habet infinitè præstantiorem virtutem perficiendi hoc modo naturam humanam, quàm forma physica habeat virtutem perficiendi materiam; sed quia forma physica & materia ad se invicem comparantur tanquam perfectivum & perfectibile, supervacanea est unio modalis, quæ ipsas conjungat; ergo ex eodem capite supervacanea est unio distincta, quæ formaliter conjungat naturam humanam cum Verbo Divino.

§. II.

Corollaria & Objectiones Adversariorum.

3. COlliges ex dictis primò. Unionem hypostaticam formaliter & à parte rei nil aliud esse, quàm hypostasin Verbi Divini connotantem in obliquo humanam naturam à se sustentatam: & ipsam naturam humanam connotantem hypostasin Verbi Divini sese complentem & supponentem, eo proportionali modo, quo in Philosophia unio formæ cum materia explicatur.

 Colli-

Colliges ſecundò. Unionem hypoſtaticam entitativè acceptam nec eſſe adæquatè creatam, nec increatam: quia, ut patet ex dictis, ex parte humanitatis eſt creata, ex parte Verbi Divini increata. Formaliter tamen loquendo ſicut eſt temporanea, ita etiam eſt creata: quia hoc modo conſiderata ſemper vel in recto vel in obliquo importat aliquid creatum, in recto prout eſt humanitas ſubſtrata Verbo, in obliquo prout eſt Verbum connotans humanitatem terminatam.

5. Colliges tertiò. Fundamentum remotum unionis relativæ ſive relationis, quâ humanitas refertur ad Verbum ſibi unitum, eſſe actionem unitivam, quâ humanitas effectivè aſſumitur ad perſonalitatem Verbi; proximum verò fundamentum eſſe paſſivam terminationem humanitatis, ſive ipſam humanitatem ut terminatam perſonalitate Verbi.

6. Objicies. Juxta S. D. relatio humanitatis ad Verbum cauſatur ex mutatione non Verbi, ſed humanitatis, ita ut humanitas ſaltem in priori naturæ priùs concipiatur mutata, quàm relata ad Verbum: ſed niſi concipiatur recipere de novo aliquam formam intrinſecam, vel aliquam perdere, non concipitur mutari; ergo pro illo priori humanitas concipitur de novo recipere aliquam formam intrinſecam: ſed alia non eſt aſſignabilis, quàm modus ſubſtantialis: ergo. Reſpondeo. Priùs concipitur mutata mutatione vel phyſicâ per receptionem formæ phyſicæ, vel metaphyſicâ per acquiſitionem formæ metaphyſicæ aliàs indebitæ, concedo. Solùm phyſicâ nego: ſed niſi concipiatur humanitas recipere formam intrinſecam phyſicam, non concipitur mutari phyſicè, concedo. Metaphyſicè nego minorem & conſequentiam: vel ſubdiſtinguo conſequens: ergo humanitas concipitur de novo recipere aliquam formam metaphyſicam, concedo: phyſicam, nego iſtam & alteram conſequentiam. Senſus eſt: quòd ad conceptum metaphyſicæ & latiùs ſumptæ mutationis, ſatis eſt, quòd ſubjectum aliquo modo ſe aliter habeat, quàm ſe habet in aliquo priori ſaltem naturæ: ſed humanitas Chriſti, quatenus in priori naturæ præſuppoſita aſſumptioni habet inclinationem in propriam creatam ſubſiſtentiam, per ipſam verò actionem unitivam acquirit increatam & Divinam; ſicque per aſſumptionem concipitur mutari, & aliter & novo modo ſe habere, eò quòd terminetur ſuppoſito Divino ſibi aliàs indebito, quæ terminatio eſt nova formalitas non phyſica, ſed metaphyſica.

Aliæ objectiones eandem habent difficultatem, ac proinde ſolutionem, quam habent argumenta in Philoſophia pro modali unione proponi ſolita: quæ hîc repetere non eſt operæ pretium.

ARTICULUS IV.

De Unione effectiva humanitatis cum Verbo.

SUMMARIA.

1. *Principalis cauſa unionis hypoſtaticæ eſt ſolus Deus.*
2. *Beatiſſima Virgo non fuit cauſa inſtrumentalis ipſius.*
3. *Omnis operatio Dei ad extra eſt formaliter immanens, & virtualiter tranſiens.*
4. *Unio activa realiter diſtinguitur à creatione animæ, & generatione humanitatis.*
5. *Exponuntur objectæ authoritates SS. PP.*
6. *Per actionem agentis effectus accipit eſſe vel eſſentiæ, vel exiſtentiæ.*
7. *Nihilominus B. V. eſt Mater Dei.*
8. *Aſſignatur terminus totalis & formalis actionis aſſumptivæ.*
9. *Terminus totalis Incarnationis formaliter eſt quid novum & factum.*
10. *Quomodo unio hypoſtatica ſit omnium unionum maxima?*

§. I.

Aſſeruntur diſtinctæ actiones.

1. Certum eſt, ſolum Deum fuiſſe, & eſſe potuiſſe principalem cauſam Incarnationis, quippe qui ſolus omnipotenti virtute poterat conjungere extrema infinitè diſtantia, humanam ſcilicet Divinámque naturam: ſolus quoque connaturalem reſultantiam creatæ ſubſiſtentiæ ex humana natura impedire potuit. De inſtrumentali concurſu diſceptant Theologi, è quibus nonnulli exiſtimant, non tantùm ad unitionem humanitatis cum Verbo creaturam inſtrumentaliter aſſumi potuiſſe, ſed B. V. ita de facto inſtrumentaliter concurriſſe.

Verùm licèt nulla appareat implicantia ſive ex 2.
parte termini uniti, ſive ex parte ſubjecti, h. e. creaturæ humanæ, quin actio ipſius ad inſtrumentalem concurſum Incarnationis aſſumi poſſet; Non ex parte termini, quia non eſt neceſſe, ut actio attingat terminum formalem, dummodò attingat totalem, determinando ſubjectum ad unionem cum tali actu perficiente, ut fit in generatione hominis: non ex parte ſubjecti, quia ſubjectum hujus actionis poteſt eſſe humanitas, quatenus tendens ad receptionem eſſe Divini. Nihilominùs non exiſtimo talem inſtrumentalem concurſum de facto interveniſſe, aut B. V. eſſe tribuendum, velut omninò dicendum in ſententia S. D. qui infra q. 31. a. 5. & 32. a. 4. in C. dicit, quod Beatiſſ. V. in ipſa Conceptione Verbi nihil activè fuerit operata, ſed ſolam materiam miniſtrârit. Atqui inſtrumentalis concurſus eſt activus, prout ex Philoſophia ſuppono. Sed & iſte concurſus inſtrumentalis nihil facit ad dignitatem B. V. ſed eidem magis officit. Ille quippe concurſus decet Virg. Beatiſſ. ſupra quem fundari poteſt relatio, & conſequenter ineffabilis dignitas Maternitatis: ſed iſta fundari nequit ſupra concurſum inſtrumentalem, utpote qui nullatenùs ad tribuendam denominationem & dignitatem Maternitatis ſufficeret, cùm Deus ad illum etiam inanimatam potuiſſet creaturam aſſumere; fundatur autem in hoc, quòd B. V. miniſtrârit puriſſimum ſanguinem, è quo virtute Spiritûs S. fuit inſtantaneè formatum Chriſti corpus, & ultimatò diſpoſitum ad receptionem animæ rationalis,

lis, moxque per actionem assumptivam humanitatis impedita propriæ subsistentiæ resultantia, Divinâ subsistentiâ Verbi eandem humanitatem, & simul tam concursum B. V. quàm actionem generativam humanitatis ultimatò terminante.

3. Alia est quæstio, fueritne una actio, an plures realiter distinctæ, quibus & anima Christi corpori unita, & humanitas generata, & eadem ad hypostasin Verbi sit assumpta. In qua suppono ex prima parte & Tractatu primo, operationem Dei ad extra esse formaliter immanentem, & tantùm virtualiter transeuntem; ac proinde si activè sumatur ex parte Dei, esse actum increatum ab ejus essentia indistinctum, passivè verò & ex parte creaturæ acceptum, sic esse quid creatum, utpote effectum illius increatæ actionis. Ideò si actio unitiva accipiatur activè ex parte Dei, non est dubium, ean, cùm sit actus formaliter immanens, esse unam simpliciter actionem, quia Deus creat animam rationalem, generat humanitatem, eámque assumit ad unionem Verbi. Sed difficultas est de istis actionibus passivè acceptis, cùm enim in utero B. V. virtute Divina generata sit humanitas Christi, anima quoque Christi, ut in aliorum hominum generatione contingit, per creationem producta & corpori unita, ac tandem tota humanitas ad personalitatem Divini Verbi assumpta, quæritur, an hoc totum negotium unicâ reali vel triplici fuerit actione peractũ. De quo sit

4. CONCLUSIO. *Tres actiones, creatio animæ, generatio humanitatis, & assumptio ad Personam Verbi Divini sunt realiter distinctæ.* Ita Gonet, Reding, & plures Thomistæ. Probatur primò. Illæ actiones sunt realiter distinctæ, quæ habent terminos realiter & formaliter distinctos; sed istæ actiones habent terminos realiter & formaliter distinctos: ergo. Major probatur in Philosophia. Minor constat, quia Christus, qui est terminus totalis Incarnationis, seu assumptionis à natura, & natura humana, quæ est terminus adæquatus generationis ab anima rationali, distinguuntur realiter inadæquatè, velut includens ab incluso. Secundò. Actiones diversorum ordinum sunt realiter distinctæ; sed actio Incarnationis est alterius ordinis, nempe superioris & hypostatici, quàm generatio & creatio, quæ pertinent ad ordinem naturæ: ergo. Tertiò. B. V. ad actionem creativam animæ Christi nec potuit principaliter nec instrumentaliter concurrere; ad generationem verò humanitatis in probabili sententia non tantùm ministerialiter sed etiam principaliter concurrit. Ad Incarnationem verò ad summum potuit instrumentaliter concurrere: ergo signum est, has actiones realiter distingui. Quartò. Actio generativa & assumptiva sunt ex præsupposito subjecto; creatio animæ est ex nihilo; sed istæ actiones sunt realiter distinctæ; ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. Objicies primò authoritatem quorundam SS. PP. Nam D. Leo ep. 11. ad Julian. *Natura, inquit, nostra non sic assumpta est, ut priùs creata postea assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.* Fulg. l. de Inc. & Grat. c 3. *Ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio Virginitatis.*

Respondeo. SS. PP. disputantes contra Nestorium, qui volebat humanitatem Christi prius tempore extitisse, antequam esset assumpta à Verbo, loqui in sensu concomitanti, non formali, quia omnes istæ actiones fuerunt in uno reali instanti, earũ nque terminus fuit completus per actionem assumptionis, nam creatiò animæ & generatio humanitatis dabant solùm esse essentiæ, quod assumptio in suo termino facit complere subsistere. 6.

Objicies secundò. Actio productiva agentis est, per quam effectus accipit esse; sed unica est actio nempe actio unitiva, per quam anima & humanitas Christi accipiunt esse; ergo etiam unica realiter est actio unitiva, per quam anima & humanitas producitur. Minor constat: quia anima & humanitas non habent aliud esse, quàm esse Divinum: sed sola actio assumptiva dat esse Divinum: ergo etiam hæc sola est, quæ dat esse humanitati & animæ Christi.

Respondeo distinguendo majorem: per quam effectus accipit esse, vel essentiæ, vel existentiæ, concedo; semper existentiæ, nego. Sed accipit esse per actionem unitivam & assumptivam esse existentiæ & subsistentiæ, concedo. esse essentiæ, nego minorem & consequentiam.

Dices. In hoc distinguitur causa efficiens extrinseca à causa intrinsecà componente, quòd illa sit causa in existendo, ista verò tantùm in essendo; ergo actio non tantùm pro suo termino habet esse essentiæ, sed etiam existentiæ.

Respondeo distinguendo consequens: habet pro suo termino secundario esse existentiæ, concedo: pro primario nego, & dico in hoc esse distinctionem præcipuam causæ intrinsecæ & extrinsecæ, quòd ista totam essentiam rei extrinsecè ponit, & ipsa substernit existentiæ ac subsistentiæ, sive ipsa quoque existentiam producat, ut in generatione compositi materialis, sive aliunde & concomitanter advenientem admittat, uti in generatione hominis. Causa verò intrinseca tantùm concurrit ad essentiam per modum partis intrinsecè componentis & constituentis.

Dices ulteriùs: saltem creatio est actio primariò & formaliter attingens esse existentiæ: quia est actio propria causæ primæ attingens terminum formalem ipsius, qui est esse rei.

Respondeo negãdo antecedens. Creatio enim pro termino formali habet ens ut sic, in quo primarius terminus est essentia, secundarius, existentia: & siquidem sit completa, attingit utrumq; si non completa & aliunde impedita, sufficit, quòd attingat primarium terminum essentiæ. Adhuc inquis: produci nihil aliud est, quàm esse existentiæ accipere: ergo producere nihil aliud est, quàm dare esse existentiæ.

Respondeo. Nihil aliud est, quàm esse existentiæ accipere primariò & formaliter, nego. Secundariò & concomitanter concedo antecedens, & nego consequentiam.

Objicies tertiò. Si generatio humanitatis sit distincta & præsupposita assumptioni, sequitur B. V. non esse Matrem Dei. Consequens est absurdum, ergo. Sequela probatur: si generatio humanitatis habet pro termino completo & adæ- 7.

quato

quato humanitatem, tunc B. V. non est Mater Dei, quia non nisi propter generatam humanitatem est Mater Dei. Sed si generatio humanitatis est distincta ab assumptione, habet pro termino adæquato humanitatem: ergo.

Respondeo negando utramque sequelam. Nam in probabili sententia D. Th. quòd Mater tantùm passive concurrat ad generationem prolis, ex hoc solo sufficienter B. V. dicitur Mater Dei, quòd ipsa materiam ministraverit, ex quâ formata fuit humanitas Christi ad Verbi Personam assumpta, licèt neque ad generationem humanitatis, neque ad ejus cum Verbo unionem activè concurrerit. Respondeo secundò distinguendo sequelam probationis. Si generatio humanitatis pro termino completo habet humanitatem, non simul in eodem instanti terminatam & completam per hypostasin Verbi Divini, B. V. non dicitur Mater Dei, concedo. Si habeat in eodem instanti reali ita terminatam, nego: tunc enim etiam terminus generationis per ipsam assumptionem ad hypostasin Verbi fuit ultimatè completus, supplente assumptione, id quod deerat generationi.

§. III.

Corollaria.

8. Colliges primò. Terminum totalem *quem* assumptionis & Incarnationis esse personam Christi compositam ex natura Divina & humana; formalem verò esse subsistentiam Divinam ut communicatam humanitati.

Ratio primi est, quòd terminus totalis actionis unitivæ est illud compositum, quod resultat ex conjunctione duorum extremorum; sed assumptio humanitatis est actio unitiva Divinitatis cum humanitate, ergo persona Christi ex utrâque composita tanquam terminus resultans ex tali unione est terminus totalis *qui*. Ratio secundi est: quia per terminum formalem *quo* intelligimus illud, quod in composito unito habet rationem actûs & perfectivi; sicut in homine est anima rationalis; sed in assumptione humanitatis ad personam Verbi subsistentia Divina se habet per modum actûs, & perfectivi: ergo.

Neque dicas: Terminus formalis productionis debet esse productus; sed subsistentia Divina non est producta; ergo non potest esse terminus formalis hujus rationis productivæ, quæ est assumptio. Nam, Resp. Majoris falsitatem patere primò ex productione Divinarum personarum, ubi in productione Verbi terminus formalis est natura communicata, non producta, ut dixi in Tract. de Trinit. Secundò ex generatione hominis, ubi anima rationalis est terminus formalis, & tamen non producitur per generationem, sed creatione productus solummodò materiæ unitur. Quando igitur actio seu productio solùm est unitiva, qualis est assumptio naturæ humanæ, sufficit terminum formalem vi talis actionis conjungi, & ex ea communione resultare terminum totalem, sive deinde terminus formalis sit aliâ distinctâ actione productus, sive etiam sit improductus.

Colliges secundò. Terminum totalem Incarnationis, si materialiter sumatur, esse partim creatum ratione humanitatis, partim increatum ratione Divinæ Personæ. Sin verò sumatur formaliter in ratione termini & uniti, sic esse quid factum, novum & creatum, siquidem ly *creatum* latiùs sumatur, pro eo, quòd modò de novo per aliquam actionem habet esse ex aliquo priori, quod anteà non habebat: sic enim revera Christus habet de novo esse compositum ex humanitate & Divinitate vi actionis unitivæ, quod anteà non habebat, quo sensu dicitur Jo. 1. *Verbum caro factum est.* Et in Symb. *homo factus est.* Nam ad hujus propositionis veritatem non requiritur, quòd extrema compositi fuerint producta, sed quòd ad invicem fuerint copulata. Sic enim verè diceretur producere album, qui albedinem præexistentem parieti conjungeret. 9.

Colliges tertiò. Quo sensu unio hypostatica dicatur unio omnium maxima à S. D. hîc q. 2. a. 9. Nam magnitudo unionis accipitur vel ex parte extremorum, quæ uniuntur, & tunc illa unio dicitur maxima, in quâ est summa proportio, & mutua ad invicem convenientia extremorum: Vel accipitur ex parte ejus, in quo extrema uniuntur, & tunc illa est maxima unio, in qua ratio & medium formale uniendi est simplicius, & minùs differt ab extremis; si primo modo spectetur unio hypostatica, non est omnium maxima, quia natura Divina & humana, persona quoque Divina & humanitas longè magis à se distant, & minorem habent proportionem ad invicem, quàm materia & forma. Si secundo modo sumatur post increatam unionem Divinarum personarum ad invicem, hypostatica est omnium maxima: nam constat, quod suppositum Divinum sit simplicissimum & unum per essentiam, & ab altero extremo, nimirum natura Divina, non nisi virtualiter distinctum, in eóque utrumque extremum substantialiter uniatur. 10.



DISPV-

DISPUTATIO V.

DE

Motivo finali Incarnationis

EXplicatâ Incarnationis essentiâ nunc extrinsecas causas ipsius, & primò quasi finalem discutimus, h. e. motivum illud, propter quod Verbum naturam humanam assumpsit. Nec est quæstio de fine generali & ultimato omnium Divinorum operum, qui est ipsius gloria, & Divinarum perfectionum ostensio: sed de fine speciali, quem Deus defacto Incarnationem decernendo respexit, & propter quem Verbũ incarnari voluit; ita ut si ille finis non esset, vi præsentis decreti Christus non venisset. Et quæritur, an adæquatum motivum Incarnationis vi præsentis decreti (nam ab hoc præscindendo Deus haud dubiè alios fines potuisset eligere) fuerit generis humani redemptio? Unde aliis terminis proponi solet hæc quæstio: *an Christus venisset, si Adam non peccâsset*? ad quam duarum celeberrimarum scholarum Principes contradictoriè respondent, dum Scotus concedit fuisse venturum in 3. d. 7. q. 3. n. 5. *sine præjudicio dici potest*: negat S. D. hic 2. 3. Iste adæquatum motivum Incarnationis constituit in redemptione generis humani: ille verò præter motivum redimendi hominis, ratione cujus Christus venit ut Redemptor, & in carne passibili, admittit alterum, nempe gloriam ipsius Christi, ratione cujus Christus fuisset venturus ut Caput omnium prædestinatorum, quantumvis Adamus non peccâsset. Scoto accedit Suarez cum multis RR. præter motivum redemptionis admittens excellentiam ipsius Incarnationis. Hanc difficultatem ut ordinatè discutiamus, sit

ARTICULUS I.

An Christus venisset, si Adam non peccâsset?

SUMMARIA.

1. *Quo sensu ponantur distincta signa in Divinis decretis.*
2. *Distinguuntur Divina decreta in intentiva & executiva.*
3. *Christum vi præsentis Decreti non fuisse venturum, si Adam non peccâsset, probatur authoritate S. Script.*
4. *Et ratione.*
5. *Probatur eversione fundamenti contrarii.*
6. *Responsio Adversariorum de authoritate negativa impugnatur.*
7. *Impugnatur altera responsio, quòd Christus non venisset in carne passibili.*
8. *Testimonia adducta evincunt substantiam, non modum Incarnationis.*
9. *Proponitur potissimum fundamentum Adversariorum ex S. Script. petitum.*
10. *Responsio Lorca.*
11. *Impugnatur.*
12. *Responsio Gonett de distinctione in finem qui & cui.*
13. *Impugnatur.*
14. 15. 16. *Triplex responsio ad Scripturas oppositas.*
17. *Constituitur ordo signorum.*
18. *Quomodo verum sit, priora in intentione, esse posteriora in executione.*
19. *An media propinquiora fini sint priùs eligenda?*
20. *An majus bonum possit minori subordinari?*
21. *An Incarnatio Christi sit bonum occasionatum?*
22. *Propter quod bonum permiserit Deus defectum naturæ humanæ?*
23. *An gratia Adami fuerit ex Christo?*
24. *An in statu innocentiæ fuerit cognitio Christi?*
25. *An Angeli sint prædestinati per Christum?*
26. *An peccata actualia potuerint prævideri ante Christum?*

§. I.

Negativa D. Thomæ assertio probatur.

NOtandum primò ex iis, quæ dixi in Tract. I. 1. de Prædestinatione. In actibus & Decretis Divinis designari & coordinari quædam signa rationis, ad distinguenda & coordinanda objecta à Deo volita, & denotandas habitudines diversas ejusdem simplicissimi actûs ad diversa objecta. Ideo assignare in Deo diversa signa antecedentia & consequentia, nihil aliud est, quàm dicere plura objecta ita esse à Deo volita, ut velit unum esse dependenter ab alio, & unum tanquam rationem & finem, aliud tanquam effectum vel medium ipsius v. g. dicere Deum in priori signo elegisse ad gloriam, in posteriori ad gratiam, est dicere à Deo hominem eligi ad gratiam, dependenter ab electione ad gloriam; ut in intentione Dei ratio gratiæ sit gloria, non ratio gloriæ sit gratia. Ita in præsenti materia authores, qui docent Incarnationem Christi habuisse dependentiam à remedio peccati, tanquam motivo adæquato, communiter dicunt, ante prævisionem & decretum Incarnationis in priori signo rationis Deum prævidisse, & decrevisse permissionem peccati, in posteriori verò Incarnationem, quo significant dependentiam objecti voliti, quod est Incarnatio, à motivo adæquato, quod est generis humani redemptio includens & supponens permissionem peccati. Ubi tamen ad-

adverte, in istis instantibus & signis rationis nullum debere formari conceptum futuritionis, quem in Divinis implicare contra Suarez ostendimus in Tract. de Deo, eò quòd in ente per essentiam necessario & æterno implicet unum non coëxistens alteri: quod tamen in successione præteriti & futuri concipitur: Unde ista prioritas signorum & instantium, de quibus loquimur, non est prioritas durationis, sed virtualis prioritas causalitatis & dependentiæ desumpta ex connexione & dependentia objectorum volitorum inter se.

2. Notandum secundò. Quamvis in Deo realiter non sit nisi unus simplicissimus actus intellectûs & volitionis identificatus cum ipsius essentia, intellectu & voluntate, tamen per analogiam ad nostros actus, quos omnes Divini actûs simplicissima entitas eminenter & æquivalenter continet, varios in Deo actus & decreta distingui: unde quia agens intellectuale creatum, antequam se determinet ad executionem finis, per illos actus, qui pertinent ad ordinem executionis, nempe imperium & usum, priùs in ordine intentionis constituit sibi finem, & ordinat media ad finem consequendum per amorem & intentionem finis, ac electionem mediorum ad finem; ideo in Divinis distinguuntur decreta, in decreta intentiva, quæ pertinent ad ordinem executionis, & in decreta executiva pertinentia ad ordinem executionis.

3. CONCLUSIO. *Si homo non peccâsset, vi præsentis decreti non fuisset facta Verbi Divini Incarnatio.* S. D. h. 2. 3. Probatur ratione & fundamento D. Thomæ. Sublato motivo principali & proximo præsentis decreti, in quod alia omnia reducuntur, vel in illo fundantur, Christus vi præsentis decreti non fuisset incarnatus, sed si homo non peccâsset, cessaret hoc motivũ efficacis decreti, quo Deus de facto decrevit Incarnationem: ergo. Minor probatur. Illud est motivum principale & radix cæterorum, quod nobis ut tale è Sacrâ Scripturâ & Patribus innotescit, sed hoc est remedium peccati: ergo. Major est S. D. loc. cit. ita loquentis: *ea, quæ ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne debitum naturæ* (ut est unio hypostatica, ejúsque decretum) *nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacrâ Scripturâ traduntur, per quam Divina voluntas nobis innotescit; unde cùm in Sacra Scirptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientiùs dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non existente, incarnatio non fuisset.* Hæc S. D. Minor probatur. Nam Christus ipse, qui utique noverat sui adventûs motivum Lucæ 15. inquit, *non veni vocare justos, sed peccatores.* Et cap. 19. *venit Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.* Joan. cap. 3. *Sic Deus Dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam: non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* ad Galat. 4. *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* 1. Timoth. 1. *IESUS Christus venit in mundum peccatores salvos facere.* Matt. 1. ab Angelo denunciatur nomen Christo imponendum, quo exprimatur ipsius munus & officium homines salvandi; *Vocabis nomen ejus IESUM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Joan. 4. *Misit Deus Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Huc quoque pertinent Vaticinia Prophetarum, præsertim Isaiæ 61. & Dan. 9. in quibus Messias promittitur venturus *ut medeatur contritis corde, ut consummetur prævaricatio, ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,* &c. Item diversæ figuræ & similitudines, ut Moyses Exod. 3. missus ad populum Israëliticum liberandum ab Ægyptiaca servitute, parobola Patris prodigum Filium recipientis, & Pastoris quærentis ovem perditam. Lucæ 15.

Probatur secundò ratione. Tunc Christus homine non peccante non venisset, quando vi præsentis decreti venit ut passibilis; sed venit ut passibilis: ergo. Sequela constat, quia etiam ex mente Adversariorum, motivum adæquatũ passibilitatis fuit redemptio, quæ necessariò præsupponit peccatum. Minor probatur. Vi efficacis intentionis sive decreti intentivi Christus debebat venire ut passibilis, vel impassibilis. Sed non ut impassibilis, aliàs ita actu venisset, cùm decretum efficax ponat suum effectum: ergo ut passibilis. 4.

Dices, quòd vi efficacis decreti Christus venisset ut impassibilis, si homo non peccaret; ut passibilis, si peccaret. Sed contrà est: quòd terminus efficacis intentionis est finis in singulari ut substans determinatis circumstantiis assequibilis per determinata media: neque enim Providentia specialis est de rebus in communi, sed de agibilibus in singulari, præsertim Divina Providentia, quæ habet omnimodam intrinsecam certitudinem; sed Christus in singulari & in statu realis assequibilitatis est vel determinatè impassibilis, vel passibilis, ergo ut talis determinatè debebat intendi.

Confirmatur. Christus intendebatur ut finis omnis creaturæ rationalis: sed non erat finis omnis creaturæ rationalis, nisi ingrederetur status passibilis: ergo Christus intendebatur ut positus in statu passibilitatis. Minor probatur: Christus est finis omnis creaturæ rationalis, in quantum est caput totius Ecclesiæ, in omnia ejus membra influens per sua merita, sed non influit per sua merita, nisi ut consideratus in statu passibili, quem status merendi supponit: ergo.

Probatur tertiò eversione fundamenti contrarii, Si Christus venisset, etiam homine non peccante, ideo maximè, quia fuit prædestinatus ante prævisionem peccati, & quia sufficiens motivum incarnationis præter remedium peccati erat ipsa excellentia incarnationis: sed neutrum potest dici: ergo. Non primum, quia Christus est prædestinatus ut Redemptor, quâ de causa Apostolus 1. ad Corinth. 2. inquit: *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est* (hoc est Incarnationem) *quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Sed Christus ut Redemptor præsupponit peccati prævisionem, nisi velis dicere, quòd Deus præpostero modo voluerit intendere remedium & Medicum ante morbum, & morbũ permittere propter medicinam: ergo Christi prædestinatio præsupponit prævisionem peccati. Non etiam secundum, quia si excellentia Christi, vel Incarnationis simul est motivum concomitans mittendi Christum, cum veritate dici posset, quòd Christus *propter se ipsum & gloriam suam fuisset incarnatus,* 5.

quòd

quòd Deus *sic dilexisset Christum, ut ipsum mundo daret*, quòd *propter nimiam charitatem suam, quâ Christum tanquam finem rerum omnium dilexit, convivificavit nos in Christo*, at consequens repugnat claro textui Scripturæ & Symboli Nicæni: nam Scriptura ad Rom. 5. ait: *commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. ad Ephes. 2. *propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, convivificavit nos in Christo* Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Sequela probatur, ex argumentatione D. Augustini contra Pelagium Enchir. c. 32. & ad Simplicianum q. 2. ubi sic probat gratiam Dei non posse cum libero arbitrio ex æquo concurrere ad salutem, quia eodem modo, sicut Paulus dicit: *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: ita dici posset, *non est miserentis Dei, sed volentis hominis*, quod tamèn concedere non tantùm Augustino, sed etiam Pelagio videbatur absurdum: ergo etiam si præter redemptionem & salutem hominis insuper excellentia ac bonum ipsius Incarnationis erat motivum concurrens, & sufficiens ad decernendam incarnationem; sicuti dicitur, quòd *sic Deus dilexit nos, ut daret Christum prò nobis*, sic æquè dici posset; quòd *sic Deus dilexerit Christum, ut vellet ipsum mittere, vel nos redimere per ipsum*; quod tamen juxta consequentiam D. Augustini videri debet magnum absurdum. Adde quòd hæc sententia Suarez contra fundamenta melioris Philosophiæ admittat duplicem causalitatem adæquatam respectu ejusdem effectûs.

§. II.

Evasiones & responsiones Adversariorum enervantur.

6. REspondent Adversarii ad fundamentum D. Thomæ primò, hoc argumentum tantùm esse ab authoritate negativa, & reticendo aliud motivum, non ideo negari, quòd Deus in præsenti decreto habuerit aliud motivum Christum mittendi in hunc mundum.

Sed contra est I. Quòd tametsi in profanis & Philosophicis authoritas negativa non sit magni ponderis, habet tamen maximum robur in eruendis & explicandis Sacris fidei mysteriis, quia ut S. D. primùm dicebat, quæ ex solâ Dei voluntate proveniunt super omne debitum naturæ, nobis innotescere non possunt, nisi qnatenus in Sacra Scriptura traduntur. Si ergo ista nullum aliud motivum Incarnationis, quàm generis humani redemptionem agnoscit, & tradit, gratis & absque fundamento sufficienti aliud motivum divinatur: ut enim D. Hieron. in Matth. c. 23. *quod è S. Scripturis vel æquivalentibus authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

Contrà est secundò. Quia Doctor & Instructor non censetur alteri integram & sufficientem doctrinam tradere, qui præcipuas partes & causas alicujus veritatis reticet, præsertim cùm D. Paulus Act. 20. de se ipso dicat, *non subterfugi, quò minùs annunciarem omne consilium Dei vobis.* Sed Christus instruens Nicodemum, eique sui adventûs causam indicans cit. cap. 3. Joan. Angelus quoque principale Christi munus & causam nominis imponendi significans. Matth. 1. ac tandem Apost. eandem Incarnationis causam, *ad Timoth. 1.* commemorans, non aliam recensent, quàm salvationem generis humani; ergo hæc vel est adæquata causa Incarnationis, vel dicendum, quòd Christus Angelus, Apostolus nobis sufficientem de tanto mysterio doctrinam non reliquerint.

Respondent secundò: In allegatis authoritatibus significari quidem, quod si peccatum non extitisset, Christus non fuisset venturus in carne mortali, & passibili, non autem, quòd Christus absolutè non fuisset venturus in carne gloriosa & passibili, cùm istius adventûs alia fuerint motiva sufficientia, veluti perfectio & consummatio Universi, excellentia ipsius unionis hypostaticæ, &c. 7.

Contrà est. In eo sensu accipienda est Sacra Scriptura, quem agnoscunt & amplectuntur SS. PP. & Ecclesia Catholica, sed isti agnoscunt & docent adæquatum, unicúmque motivum Incarnationis quoad substantiam fuisse redemptionem generis humani: ergo etiam in hoc sensu Sacra Scriptura est accipienda. Minor imprimis probatur ex Symbolo Nicæno, in quo Ecclesia expressè profitetur. *Verbum propter nos homines & propter nostram salutem descendisse de cælis*, hoc etiam ipso sensu in benedictione cerei Pascalis canit: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*, quatenus nempe præbuit occasionem ad Christi Passionem juxta præsens decretum necessariam. Probatur secundò unanimi consensu SS. PP. tam Latinorum, quàm Græcorum; quorum aliquos referemus. Athan. Serm. 3. contrà Arianos, *ut Christus*, inquit, *fieret homo; nunquam prædestinatum fuisset, nisi hominum necessitas huic rei causam præbuisset.* Et rursus ibidem; *necessitas, indigentiáque hominum anterior est, quàm illius nativitas, quâ sublatâ carnem non induisset*. Irenæus l. 4. adversùs Hæreses c. 14. *si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis Justorum inquiri nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Greg. Naz. oratione 36. *quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa est? profectò, ut nobis salus pararetur, quid enim aliud causæ afferri potest?* D. Chrysost. hom. 5. in Epist. ad Hebræos, *propter hoc carnem assumpsit nostram propter misericordiam solam ut misereretur nostri, non enim est alia quæpiam causa dispensationis, quàm hæc sola.* D. Aug. Ser. 8. de Verbis Apost. *Si homo non peccâsset, Filius hominis non venisset* & Serm. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo, nisi peccatores salvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicina causa.* D. Hieron. in c. 2. Ecclesiast. *quia homo infixus in limo profundi indiguit majori auxilio, idcirco venit sapientia.* S. Ambr. lib. de Incarnatione c. 6. *quæ erat causa, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* & tandem S. Leo Serm. 3. Pentecostes: *Si homo in perfectione & honore, quo creatus est, permansisset, creator creatura non fieret.* Ubi vides, quomodo Ecclesia, & tam Græci, quàm Latini Patres unanimiter negent, aliam causam Christo veniendi fuisse, quàm generis humani redemptionem.

Nec potest dici, quòd tantùm intellexerint Incarnationem quoad modum & circumstantiam passibilitatis. I. Quia hi termini *de cœlis descendere, carnem fieri, carnem sumere, habere, creatorem fieri* 8.

fieri creaturam &c. Apertissimè significant ipsam substantiam Incarnationis. II. quia absoluta negatio est malignantis naturæ, ut dicunt Dialectici, quæ tollit, & negat rem ipsam absolutè, non solummodò modum rei: sed SS. Patres absolutè negant, Christum fuisse venturum Adamo non peccante: ergo non tantùm negant adventum Christi quoad circumstantiam passibilitatis, sed etiam quoad substantiam ipsius adventûs, nisi velis admittere, Sanctos Patres vitiosâ æquivocatione & fallaci mentis restrictione uti voluisse. III. Ut optimè urget Joannes à S. Th. Si nostra salus tantùm fuit causa, ut Christus veniret passibilis, non autem ut simpliciter veniret, tunc qui passibilitatem à substantia Incarnationis separando diceret, quòd Christus propter nos de cœlo descenderit, propter nos incarnatus, aut propter hominum dilectionem mundo datus fuerit, falsum diceret, quia motivum veniendi quoad substantiam Incarnationis à passibilitate separatæ non fuisset nostra salus, sicuti falsum diceret, qui de Principe alijs de causis in civitatem veniente diceret, quòd propter vitandos sumptus civitatem intrârit, si civitatem relictâ tantùm pompâ intravit, ut sumptus vitaret, atqui consequens repugnat Symbolo fidei, dictis, Scripturæ, & SS. PP. ergo &c. IV. Si hæc propositio, *Verbum non sumpsisset carnem, Adamo non peccante*, ideo est vera, quia Verbum non sumpsisset carnem passibilem, etiam hæc propositio erit vera: *Verbum post resurrectionem non habet carnem, quia non habet carnem passibilem*: consequens est falsum, ergo. Item si quis diceret: *Princeps non ingressus est civitatem*, quia illam in curru, non in equo, sine pompa, non cum comitatu magno intravit, falsum diceret: ergo etiam falsa erit hæc propositio: *Christus non venisset, si Adam non peccâsset*, quando tantùm intelligis Christum non fuisse venturum modo passibili, qui tamen venturus fuisset modo impassibili. V. Hæc propositio: *si Adam non peccâsset, non fuisset ejectus è paradiso*, accipienda est de substantia ejectionis, ergo etiam ista, *si Adam non peccâsset, Christus non venisset*, est intelligenda de substantia Adventûs Christi.

§. III.

Præcipuum fundamentum Adversariorum expensis diversis responsionibus solvitur.

9. POtissimum fundamentum Adversariorum è S. Scripturæ authoritate hoc modo deducitur. Tunc Christus venisset etiam non existente peccato, quando Christi incarnatio fuit prævisa & intenta in signo antecedente prævisionem peccati, sed fuit ita prævisa & intenta: ergo. Minor probatur varijs Scripturæ Authoritatibus. Nam primò Proverb. 8. dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*. Ubi 70 Interpretes legunt, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, quod SS. Patres interpretantur de Sapientia incarnata. Atqui Christus non nisi in intentione & prævisione Divina poterat esse initium rerum omnium conditarum: ergo Christus fuit intentus & prævisus ante omnes creaturas. II. Coloss. 1. Christus vocatur: *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa, & ipse est ante omnes.* Heb. 1. dicitur: *in omnibus primatum tenens.* III. 1. ad Cor. 3. nominatur *finis omnis creaturæ*, cùm dicitur: *omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*: sed non esset omnium finis, Primogenitus ante omnes, nisi esset ante omnes prævisus & intentus: ergo. IV. Rom. 8. vocatur causa exemplaris nostræ prædestinationis, cùm dicitur: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: ergo Christi prævisio omnium hominum prævisionem, adeóque & peccati prævisionem antecedit, & sic Christus fuit prædestinatus ad incarnationem independenter à peccato hominum, sicut est prædestinatus ad incarnationem ante ipsum hominem.

Respondet ad hoc argumentum Lorca: Christi incarnationem, tanquam finem in intentione Dei præcessisse hominum redemptionem, & istam tanquam medium fuisse assumptam ad incarnationem Christi, ex quo tamen non sequitur, quòd Christus fuisset venturus non existente peccato, quia Incarnatio Christi non quomodocunque fuit intenta, sed modo redemptivo per tales occasiones & media; sicuti ex hoc, quòd Deus quosdam elegerit ad gloriam ante prævisionem meritorum, non sequitur, quòd sint gloriam consecuturi sine meritis, quia Deus intendit electis suis gloriam, tanquam per merita in executione obtinendam. Ita similiter non sequitur, quòd Christus esset venturus non existente peccato, quia sic determinatè est intentus à Deo, ut in executione sit Redemptor generis humani, & auferat peccatum, ex prævisione tanti boni inde eliciendi permissum. 10.

Contra hanc tamen Resp. est primò: Juxta allegatas authoritates unicum motivum incarnationis est destructio peccati, sed juxta hanc explicationem destructio peccati non esset motivum, sed medium assumptum ad exequendam incarnationem, sicuti merita non sunt motivum eligendi ad gloriam, sed medium ad illam exequendam, unde oportet, ut hæc sententia cum Scoto & Suarez pro motivo incarnationis assignet excellentiam ipsius operis, vel perfectionem Universi. 11.

Contrà est secundò. Quando finis efficaciter intentus potest obtineri per diversa media, nec habet majorem connexionem cum uno, quàm cum altero, tunc vi istius intentionis finis poneretur, quantumvìs hoc vel illud medium determinativè non poneretur: sed opus incarnationis ex se non habet necessariam connexionem cum hoc, ut sit in remedium peccati: ergo si est secundùm se, & per modum finis efficaciter intenta, vi talis intentionis poneretur à parte rei, quamvìs non esset in remedium peccati. Sed consequens est contra prædictos Authores, & mentem S. D. ergo. Ex quo patet disparitas inter decretum incarnationis & electionis ad gloriam, quia præmium habet necessariam connexionem cum merito, non autem incarnatio cum remedio peccati. Unde posito, quòd Deus quosdam efficaciter eligat ad præmium gloriæ, hoc ipso præparat ijsdem beneficia & merita, quibus hoc præmium consequantur: atqui posito, quòd Deus efficaciter intendat incarnationem, non ideo sequitur, quòd vi talis intentionis ac decreti velit remedium peccati ob defectum talis connexionis.

Con-

Contrà est tertiò, quòd, ut suprà dictum, juxta hanc explicationem deberet potiùs dici, quòd Deus propter dilectionem Filij sui & charitatem erga illum voluerit remedium peccati, quàm quòd propter remedium peccati, mundúmque salvandum Filium daret. Item sequitur, quòd præpostero modo Deus priùs voluerit dare medicinam & medium, quàm prævideret morbum.

12. Aliqui Thomistæ cum Labat & Gonet subtiliter distinguunt finem, *in finem qui*, seu *cujus gratiâ* (hoc est bonum, quod appetitur, & cujus gratiâ media assumuntur) *& in finem cui* (hoc est subjectum, cujus utilitati & commodo bonum illud appetitur) ubi finis *qui* vel *cujus gratiâ* comparatur ad finem *cui*, tanquam causa formalis ad materialem, ita ut in eodem subalterno genere causæ finalis, finis *qui* dependeat à fine *cui* in genere causæ finalis materialis; econtrà in genere causæ finalis formalis faciat finem *cui* à se dependere, sitque eodem prior in intentione: constat enim ex Philosophicis, quòd in eodem genere causæ subalternæ duæ causæ possint sibi esse invicem causæ, & à se mutuò dependere: sic enim dispositiones concomitantes in eodem genere causæ materialis sustentativæ sunt posteriores composito genito, & illo priores in genere causæ materialis dispositivæ. Quo posito

Respondent ad propositum argumentum: Tunc Christus venisset non existente peccato, quando incarnatio Christi fuit prævisa & intenta in signo antecedente prævisionem peccati tam in genere causæ finalis formalis *qui*, quàm in genere causæ materialis finalis *cui*, concedo. Antecedenter in genere causæ finalis *cujus gratiâ*, consequenter verò & in signo posteriori in genere causæ finalis *cui*, nego; Sed Christus, vel ejus incarnatio fuit prævisa in signo antecedente decretum in genere causæ finalis *qui*, vel *cujus*, concedo. In genere causæ finalis *cui*, nego minorem & consequentiam. Eadem est Responsio ad omnes authoritates adductas in objectione: dicunt enim, in ijs ostendi, Christum fuisse prævisum & intentum non tantùm ante peccatum, sed etiam ante omnes creaturas in genere causæ finalis *qui*. Ad authoritates verò in favorem nostræ conclusionis allatas, dicunt ijsdem probari, Christum esse posteriùs prævisum & intentum in genere causæ finalis *cui*. Unde & triplicem ordinem signorum constituunt, unum in intentione, & alterum in executione, & illum in intentione dividunt in ordinem signorum juxta genus causæ finalis *qui*, ubi Christus Redemptor est primò prævisus ante ordinem naturæ & gratiæ, & in ordinem signorum in genere causæ finalis *cui*, ubi Christus est prævisus post ordinem naturæ & gratiæ, & post prævisionem peccati.

13. Hæc explicatio, quamvis ad utriusque sententiæ authoritates, & penè Scotum cum D. Thoma conciliandum subtiliter excogitata, videtur tamen nimiùm à mente S. D. & litterali sensu Sacræ Scripturæ, ac SS. Patrum in Philosophicas subtilitates & adversæ. opinionem declinare, & non tam solvere antiquas, quàm illas novis difficultatibus involvere. Unde contrà est primò. Vel aliud fuit motivum, & ratio incarnationis, quàm destructio peccati seu salvatio & redemptio passiva generis humani, vel non? si aliud fuit, contradicis textibus Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ & Patrum ac D. Th. hìc in C. asserentis, quòd ratio veniendi Christo fuerit remedium peccati, & quòd Christus ordinatus sit in remedium peccati. Si aliud non fuit, ergo remedium peccati non tantùm est finis objectivus *cui*, sed finis formalis *cujus gratiâ*, quid enim aliud Philosophi intelligunt per finem *cujus gratiâ*, quàm id, quod est ratio movendi, veluti sanitas animalis est finis *cujus gratiâ*, quia movet ad quærendum Medicum & medicinam? atqui remedium peccati quatenus manifestativum Divinæ charitatis & misericordiæ erga hominem, ceu finem *cui*, est ratio sive motivum incarnationis, & quidem solum & unicum ex hactenus dictis: non ergo est finis *cui, sed cujus*. Si finis *cujus*? ergo non tantùm in genere causæ finalis materialis, sed etiam formalis antecedit decretum incarnationis.

Contrà est secundò. Ex fine *cujus* & fine *cui*, ceu è partibus integratur totus finis *qui*; atqui non ex Christo Redemptore & naturà redemptà, sed ex passiva redemptione & homine redempto integratur unus adæquatus finis, qui est homo redemptus: sicuti non ex Medico sanante & ægro sanato integratur finis mittendi Medicum, sed ex ægro tanquam parte materiali, & ex sanitate tanquam parte formali: ergo non Christus est finis *qui* vel *cujus gratiâ*, sed homo redemptus, & ideo dicitur in Symbolo Nicæno: *qui propter nos homines* (notando finem *cui*) *& propter nostram salutem* (designando finem *cujus*) *descendit de cœlis.*

Contrà est tertiò, quòd, ut suprà arguebamus, si Christus ejúsque incarnatio propter suam summam excellentiam fuit præintentus ante prævisionem ordinis naturæ & gratiæ, & peccati saltem in genere causæ finalis *qui*, & *cujus gratiâ*, tunc saltem in isto genere fuit aliud speciale motivum Incarnationis, quàm remedium peccati; quod in hoc signo nondum supponitur prævisum: ergo non erat ratio, cur Incarnatio Christi magis determinaretur ad hunc finem *cui*, qui est homo redimendus, quàm ad alium finem *cui* nempe Universum perficiendum, siquidem ex se non habet majorem connexionem cum uno, quàm cum altero: ergo vi istius intentionis & decreti Christus fuisset venturus, quamvis homo non redimeretur: quia stante motivo formali incarnationis Christus fuisset incarnatus: sed motivum formale Incarnationis stetisset, quamvis Christus haberet alium finem *cui*, quàm hominem redimendum, siquidem propter suam excellentiam fuit præintentus ante omnem ordinem naturæ & gratiæ.

Neque dicas, Christum fuisse præintentum ut Redemptorem, adeóque in genere causæ materialis præsupposuisse prævisionem peccati. Contrà enim est, quòd hujus ipsius quæritur motivum, cur Christus fuerit efficaciter intentus, ut Redemptor, quippe, qui ex se nullam habet connexionem cum officio Redemptoris? hujus autem ratio motiva non est excellentia Christi, sed remedium peccati, ut manifestativum Divinæ erga hominem bonitatis & misericordiæ, ergo.

Contra est quartò, ly *propter* in proprio sensu acceptum intra genus causæ finalis, potiùs significat finem *cujus gratiâ*, quàm *finem cui*: ergo si Chri-

Christus in genere causæ finalis *cujus gratiâ* prius fuit intentus, quàm redemptio hominis, Apostolus, & Ecclesia potiùs debuissent dicere, quòd propter se ipsum Christus sit incarnatus, quòd sic Deus Filium dilexerit, ut ipsum mundo daret; quòd propter nimiam charitatem suam, quâ Christum dilexit, convivificavit nos in ipso, quæ omnia claro textui vim faciunt, juxta superiùs dicta.

Contrà est quintò. Si Christus incarnatus, fuit prævisus & intentus ante omnes creaturas, tunc omnes creaturæ & consequenter etiam gratia & gloria Angelorum & gratia innocentiæ, quam Adamus habuit, referebatur in Christum incarnatum, ceu finem *cujus*: atqui hoc est contra S. D. q. 29. de Veritate a. 7. ad 5. expresse affirmantem; quòd Christus Angelis quantum ad præmium essentiale nihil meruit, nec gratia innocentiæ à Christo processit. Atqui si Christus efficaciter fuit prædestinatus ante prævisam Angelorum & Adami gratiam in statu innocentiæ, non est ratio, cur non Angelo præmium essentiale, & gratiam innocentiæ Adamo meruisset.

Contra est sextò. Si Christus fuit prædestinatus in signo antecedente prædestinationem Angelorum, tunc peccatum hominis non potuit prævideri in signo antecedente decretum Incarnationis etiam in genere causæ finalis *cui*: consequens est contra Adversarios, ergo & antecedens. Sequela probatur. Peccatum hominis non potuit prævideri ante reprobationem malorum; siquidem homo tentatione Diaboli jam damnati fuit inductus ad peccandum; sed reprobatio Angelorum non poterat prævideri in signo antecedente decretum Incarnationis; nam in sententia Thomistica in eodem signo est Angelorum bonorum prædestinatio, & reprobatio malorum: atqui prædestinatio bonorum est juxta Adversarios posterior prædestinatione Christi, & ne quidem prior in genere causæ finalis *cui*: ergo & reprobatio. Minor probatur: quia Angelus nullo modo est objectum, aut subjectum Incarnationis, vel Redemptionis Christi; neque Christus ullo pacto propter Angelos venit in mundum; sed potiùs è converso secundùm Adversarios Angeli fuerunt conditi, & prædestinati propter Christum: ergo Angelorum prædestinatio ne quidem in genere causæ finalis *cui* poterat esse prior prævisione & prædestinatione Christi: & consequenter à primo ad ultimum nec reprobatio malorum Angelorum, neque lapsus Adami etiam in genere causæ finalis *cui* potuisset prævideri ante Incarnationem.

14. Respondeo igitur, cum Contensonio, Reding, Santgallensibus primò: Christum apppellari *Initium viarum Domini & Primogenitum omnium creaturarum*, prioritate & primatu dignitatis ac authoritatis, non prioritate voluntatis, seu causalitatis & motivi finalis; sicuti etiam Iob. 40. de Behemot dicitur: *ipse enim principium viarum Dei*; hoc est vastitate corporis cæteris bestijs antecedit, & Iacobi 1. dicimur *esse initium aliquod creaturæ ejus*. Hoc est inter creaturas corporeas principatum tenere. Unde non sequitur, Christi Incarnationem in aliquo signo priori esse prævisam & intentam ante lapsum Adami & conditionem Universi. Ex quo patet solutio ad primam & secundam authoritatem ex Proverb. 8. & Coloss. 1. petitam. Illum quoque locum ad Coloss. *Omnia in ipso sunt condita*, communiter Expositores referunt ad Christi Divinitatem, teste Vasq. Quamvis etiam in sensu mox referendo dici possit, omnia in Christo esse condita, non antecedenter, sed consequenter, h. e. quod omnia condita relata sint ad gloriam Christi. Unde

Respondeo secundò. Christum esse *finem, initium, primogenitum omnis creaturæ* non ut producendæ, sed ut productæ, in hoc sensu, non quia propter incarnationem Verbi, ejusque excellentiam Deus produxerit hoc Universum; sed primò, quia propter excellentiam Christi Incarnati, & amorem ipsius Deus omnem creaturam jam antè præconceptam & intentam; ipsam quoque hominum redemptionem ordinavit in honorem & gloriam sui Filij, ita ut Christus quâ glorificandus fuerit finis præintentus ad omnes creaturas, quâ relatas & destinatas ad glorificationem ipsius; non verò quâ simpliciter productas: quemadmodum Respubl. ex motivo procurandæ salutis Medicum mittens ad ægrotum, potest ipsum effectum procuratæ sanitatis ordinare ad Medici majorem famam & celebritatem: & ad gloriam Imperatoris, propter bonum Reipubl. electi, ipsum Imperium & Respublica ordinatur. Secundò, Quia post efficaciter intentam humani generis reparationem totum Universum ordinabatur ad hominum, præcipuè Electorum salutem; unde dicit Apost. Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; & sic iterum Christus est finis omnis creaturæ, non ut in statu suæ naturæ, sed ut in statu reparationis consideratæ. 15.

Respondeo tertiò. Rectè dici *caput finem, causam exemplarem, primogenitum omnium Prædestinatorum*, quia efficax ipsius prædestinatio priùs fuit prævisa & intenta, quàm prædestinatio Electorum: ex quo tamen non sequitur; quòd Christus fuerit efficaciter intentus ante remedium peccati, quia remedium peccati pertinet ad providentiam generalem, & voluntatem antecedentem, quâ Deus vult omnes homines Salvos fieri; prædestinatio verò ad providentiam specialem; quâ Deus voluntate consequente vult remedium peccati per merita Christi certis hominibus applicari, & hinc patet solutio ad 3. & 4. ex Apost. Rom. 8. & 1. Corinth. 3. 16.

Quæ omnia ut fiant planiora, talis ordo signorum circa efficax decretum Dei est observandus. Primò Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videns omnes creaturas possibiles, decrevit suæ bonitatis & perfectionis ad extra effusionem, Divinorúmque attributorum ostensionem. Secundò. In hunc ipsum finem ex infinitis creaturis possibilibus elegit hoc Universum suis gradibus corporeis incorporeísque distinctum producere, voluitque ordinem gratiæ, seu elevationem creaturæ intellectualis ad ordinem supernaturalem. Tertiò. Voluit lapsum permittere primorum parentum. Quartò. Naturæ humanæ absolutè mederi decrevit voluntate antecedente, quâ omnes homines Salvos fieri, neminem vult perire: & hæc decreta pertinent ad providentiam Dei generalem. Quintò. In hunc finem efficaci decreto (ubi incepit ordo providentiæ specialis) voluit Unigenitum carnem sumere, & hominem redimere. Sextò. Posito hoc 17.

decreto

decreto Christi Redemptoris eundem prædestinavit, ut esset caput totius Ecclesiæ, imò mundi, eique omnia, quæ in signis prioribus producere decreverat, subjecit, & in ejus gloriam ordinavit, simúlque in ipso & propter prævisam efficacem ipsius meritorum oblationem & applicationem quosdam efficaciter voluntate consequente elegit ad gloriam, aliis econtra in massa perditionis justo judicio relictis & reprobatis. Ubi vides, quamvis Christus ut glorificandus sit finis omnium creaturarum, quatenus omnes illæ productæ ordinantur in gloriam Christi, huic tamen decreto glorificationis præsupponi, & præintendi Christum ut Redemptorem, siquidem motivum Christum glorificandi fuisse ipsius redemptionem, passionem ac mortem pro nobis acceptatam verbis expressis docet S. Scriptura, præsertim Isaiæ. cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur: pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur, in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitatem eorum ipse portabit, ideo dispertiam ei plurimos*, hoc est, in ejus gloriam prædestinabo Electos. Et Apost. ad Philipp. 2. *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

In ordine verò executionis signa seu decreta executiva ita sunt ordinanda, ut Deus primò decreverit ordinem naturæ, tum gratiæ. 3. permiserit lapsum Adami. 4. decreverit Christum Redemptorem, 5. propter merita & mortem Christi exemerit Beatissimam Virginem ab Originali, remiserit peccatum, & restituerit primis parentibus, aliisque, quos in Christo elegit & vocavit gratiam & ordinaverit Genealogiam Christi. 6. Decrevit exaltationem & gloriam Christi. 7. Christi & per Christum gloriam omnium Electorum, & in his omnibus suæmet Divinæ gloriæ æternam exaltationem.

18. Dices. Quod est prius in intentione, est posterius in executione, & è converso: ergo cùm Christus in decreto executivo sit posterior ordine naturæ & gratiæ, etiam debet esse prior in intentione, quàm ordo naturæ & gratiæ. II. Juxta hanc signorum dispositionem Christus in decreto executivo est prior, quàm omnis gratia & meritum prædestinatorum, ergo è converso in decreto intentivo gratia Sanctorum deberet præcedere, quod est contra inferiùs dicenda.

Respondeo primò, illam regulam valere, quando, quod est prius in intentione, habet rationem motivi, & exercet finalem causalitatem respectu alterius; non verò si tantùm objectivè in intentione præcedat per modum dispositionis vel subjecti præsuppositi, quo modo in intentione Christum præcedit ordo naturæ & gratiæ, & hinc patet solutio ad primum.

Respondeo secundò. Illam regulam habere locum, quando finis simul est effectus in executione, sicuti gloria Electorum est effectus meritorum, sanitas est effectus medicinæ, non autem si finis intentus simul sit causa in genere efficientis & ordine executionis, quomodo Christus intentus est causa meritoria omnis gratiæ & meriti nostri, & sic patet solutio ad secundum.

§. IV.

Solvuntur reliqua objectiones.

Objicies primò. In ordine intentionis prius eliguntur media propinquiora fini; quàm remotiora: sed nullum ex omnibus operibus ordinariis ad manifestandam Dei bonitatem & gloriam, est huic fini propinquius, quàm Incarnatio Christi; ergo hæc debuit esse prima in intentione. 19.

Respondeo. Priùs eliguntur media propinquiora fini, in movendo & attingendo finem; sive propinquitate utilitatis ad finem intentum, concedo. Media propinquiora in essendo, seu propinquitate perfectionis entitativæ, nego, & pariter distinguo minorem. Nam finem à se intentum ostendendi divitias suæ tum justitiæ tum misericordiæ & charitatis erga genus humanum Deus meliùs assequebatur, ordinando Christum in remedium peccati, quàm si ipsum absolutè misisset. Nec ideò sequitur, quòd Deus Christum Redemptorem minùs dilexerit, quàm hominem redimendum; si iste erat quodammodò finis illius. Tunc enim solummodò finis magis diligitur, quàm media, quando est finis ultimatus, & finis necessitatis: non autem si finis non sit ultimatus, & liberè assumptus, vel (ut appellat Contensonus) finis pietatis & clementiæ: veluti si ex charitate ministres infirmo, nemo exinde te convicerit, quòd infirmum magis ames, quàm teipsum. Præsertim cùm dilectio Dei non sit affectiva, sed effectiva: ideóque Christus præ omni omnino creatura sit magis dilectus, eò quòd ipsius humanitati Deus majora, quàm ulli creaturæ, gratiæ dona contulerit, aliáque omnes in ipsius gloriam ordinaverit.

Objicies secundò. Redemptio hominis est minus bonum quàm Incarnatio: Sed est inconveniens, ut majus bonum ordinetur ad minus bonum. Ergo etiam erat inconveniens, ut incarnatio Christi ordinaretur ad hominem redimendum, quod tamen fuisset factum, si motivum mittendi Christum fuisset solùm redemptio passiva hominis. 20.

Confirmat primò Gonet ex S. D. *in 1. dist. 15. q. 1. a. 1. ad 6.* dicente, quòd sit inconveniens, & contra ordinem naturæ, ut *aliquid sit propter vilius se*, & subjiciantur præstantiora vilioribus. Cùm igitur de motivis Divinorum decretorum loquendum sit consentaneè ad rerum naturas, etiam erit inconveniens, ut Incarnationis decernendæ motivum fuerit redemptio hominum, quæ est bonum longè inferius ipsâ.

Confirmat secundò Scotus loc. cit. Videtur absurdum, quòd tantum bonum, quale est Incarnatio, solummodò sit bonum occasionatum; sed esset, si non nisi ratione peccati prævisi & hominis redimendi fuisset efficaciter intenta.

Confirmat tertiò. Sequeretur, quòd liceret gaudere de peccato, quia licet gaudere de occasione boni; sed occasio istius maximi boni fuisset peccatum, ergo.

Respondeo ad primum distinguendo antecedens. Est inconveniens majus bonum ordinari ad minus bonum; item subjici præstantiora vilioribus subordinatione naturali, necessariâ, non relatâ ad ulteriorem finem præstantissimum, transeat, subordinatione morali, liberâ, & relatâ in ulteriorem

riorem finem præstantiorem, nego; hoc quippe frequentissimum reperitur in moralibus, ubi Sacerdos rectè offert Sacrificium Missæ pro obtinendo aliquo fine temporali, v. g. sanitate recuperanda, dum ista ulteriùs refertur in laudem & gloriam Dei. Christus in altari se præsentem relinquit in consolationem fidelium: Medicus pro Reipubl. bono curat pestiferum: Angeli pro gloria Dei mittuntur in ministerium & custodiam hominum.

Respondeo secundò. Est inconveniens majus bonum subordinari bono minori, si sit formaliter majus, concedo. Si tantùm materialiter majus, nego: sed subordinaretur bonum majus bono minori, quod est majus materialiter spectatum juxta suam entitatem, concedo, quod est formaliter majus; quatenus videlicet substat Divinæ intentioni hominum redemptionem ordinanti in ostensionem suæ bonitatis & charitatis, nego minorem, & consequentiam. Sic enim redemptio generis humani induit nobilitatem & præstantiam ultimati motivi, ex quo quicquid Deus intendit, vel eligit, non potest non esse optimum.

21. Ex quibus patet responsio ad primam confirmationem. Neque de motivis Divinorum decretorum tam est loquendum consentaneè ad modum agentium naturalium, quàm moralium, non necessitate, sed libertate & ratione agentium.

Ad secundam confirmationem Resp. ly *bonum occasionatum* accipi posse duplici sensu: primò, ut significet bonum, quod etsi habeat bonitatem per se amabilem, eligitur tamen dependenter ab aliquo motivo, objecto, materiâ, occasione, & sic nihil est absurdi, quòd Incarnatio Christi sit bonum occasionatum. Aliàs & ordinariè significat aliquod bonum, quod non per se, sed tantùm ratione vel occasione alicujus alterius eligi & amari potest: sicut pœna non eligitur, nisi occasione culpæ præteritæ. Et hac ratione Incarnatio non est bonum occasionatum.

Ad tertiam confirmationem nego sequelam, & probationem distinguo: licet gaudere de eo, quod est occasio boni, si in se ipso habeat aliquam bonitatem, concedo, secùs, nego. Cùm ergo peccatum in se careat omni bonitate, etiam non licet gaudere de illo, quamvis licitum sit gaudere de extrinseca ordinatione, vel misericordia Dei malum peccati ordinante in aliquod bonum, quo sensu aliqui admittunt, peccata quandoque esse effectus prædestinationis, & Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis cantat: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

22. Objicit tertiò Gonet. Defectus totius naturæ humanæ non potuit permitti à Deo, nisi propter maximum aliquod bonum, sed nullum aliud bonum congruentiùs ostendi potest, quàm bonum Christi Redemptoris: ergo propter Christum fuit permissum originale peccatum, & consequenter Christus fuit priùs à Deo volitus & intentus in ratione finis *qui*.

Respondeo negando minorem. Nam Scripturæ non dicunt, quòd sic Deus dilexit Christum, ut propter illum voluerit permittere miseriam & ruinam peccati, & quosdam ex illa liberare (quod tamen dicendum foret, si propter Christum priùs intentum tanquam finem *qui* voluisset permittere lapsum hominis ejúsque reparationem decernere) sed quòd sic Deus dilexit mundum, hoc est, genus humanum, ut Filium daret &c.

Quodnam igitur, *inquis*, est illud bonum, ratione cujus Deus permisit ruinam generis humani? *Respondet* Contenson, non posse nec debere à nobis præscribi rationes, cur Deus voluerit permittere peccatum, cùm in hoc puncto maximè verum sit, *judicia DEI abyssus multa.* Resp. Tamen ulteriùs, cùm omnia, quæ Deus voluit & permisit, principaliter ordinaverit in gloriam suam, suarúmque Divinarum perfectionum ostensionem, ideo sicuti ex parte Dei volentis ad permittendum lapsum irreparabilem Angelorum, sufficiebat finis ostendendi perfectionem justitiæ suæ; ita ad permittendum reparabilem lapsum hominis sufficiebat finis ostendendi divitias tum justitiæ, tum charitatis & misericordiæ suæ; ex parte verò objecti voliti, cùm remedium peccati pendeat à prævisione peccati, & non è converso, item determinatio certi remedij pendeat ab absoluta voluntate medendi, & non è converso, idcirco oportuit prævideri lapsum Adami ante intentionem remedij, & absolutè intendi remedium peccati, antequam speciali intentione determinaretur talis modus medendi per Incarnationem & mortem Christi.

Objicies quartò. Gratia Innocentiæ fuit Adamo collata ex meritis Christi. Ergo decretum de incarnatione Christi præcessit prævisionem peccati: consequentia patet, quia gratia innocentiæ præcessit prævisionem peccati. Antecedens probatur. Illa gratia est ex meritis Christi, vi cujus tribuitur gradus gloriæ, siquidem omnis prædestinatio & gloria Electorum est ex meritis Christi, sed Adamus accepit gradum gloriæ correspondentem gratiæ innocentiæ, ergo gratia innocentiæ fuit ex meritis Christi. Minor probatur. Quia ut docetur in tract. de Pœnitentia, gratia per peccatum mortificata reviviscit per pœnitentiam: ergo etiam gratia innocentiæ post pœnitentiam Adami revixit, adeóque Adamus recepit gradum gloriæ debitum gratiæ innocentiæ. 23.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem distinguo minorem, Adamus accepit gradum gloriæ correspondentem pro gratia innocentiæ ut reparatâ per Christum, concedo, secùs, nego. Ergo gratia innocentiæ ut reparata, est ex meritis Christi, concedo; secùs nego consequentiam. Igitur gratia Adamo in statu innocentiæ collata non processit ex meritis Christi, neque erat effectus providentiæ specialis prædestinatricis, sed providentiæ generalis volentis hominem primitus elevare in finem supernaturalem.

Objicies quintò. Si Christus non nisi ut Redemptor fuit incarnatus, tunc ubi Adamo in statu innocentiæ facta est revelatio Christi incarnandi, fuisset etiam facta revelatio proprij lapsûs & peccati, quippe sine quo Redemptorem cognoscere non potuit. Hoc autem repugnat statui innocentiæ, utpotè excludenti omnem mæstitiam, quam tamen præscientia proprij peccati causâsset. Quòd autem Adamus in statu innocentiæ per revelationem cognoverit Incarnationem Christi, est communis Theologorum sententia ex D. Th. 2. 2. q. 1. a. 8. 24.

Respon-

Respondeo negando sequelam, & dico ex S. D. hic. a. 3. ad 5 *Nihil prohibet alicui revelari effectum, cui non revelatur causa : Potuit igitur primo homini revelari Incarnationis mysterium sine hoc, quod esset præscius sui casus &c.* Itaque cognovit Adamus (sicut & Angeli in primo instanti) per revelationem mysterium Incarnationis, ejus dignitatem & gloriam, quin tamen cognosceret causam finalem & effectum ipsius, qui est redemptio, prædestinatio, & consummatio gloriæ.

Dices : In statu innocentiæ fuisset Ecclesia, & matrimonium; ergo etiam in illo statu fuisset Christus. Consequentia probatur: quia Ecclesia dicit ordinem ad Christum, tanquam suum caput : & matrimonium juxta Apostolum Ephes. 5. ita explicatum à D. August. *l. 1. de Nupt. & Concupisc.* est institutum ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Respondeo negando consequentiam. Et probationem primi membri distinguo : Ecclesia naturæ reparatæ dicit ordinem ad Christum tanquam caput, concedo : Ecclesia ut sic, qualis etiam poterat esse in statu innocentiæ, nego. Ad probationem secundi membri dico, matrimonium est institutum ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut decretam post prævisionem peccati, concedo : ante istam negò. Nam antecedenter ad illam matrimonium tantùm fuit institutum in officium naturæ.

25. Objicies sextò. Tunc decretum Incarnationis antecessit prævisionem peccati, quando Angeli fuerunt prædestinati per Christum, sed fuerunt prædestinati per Christum, ergo. Sequela constat, quia cùm homo non nisi per instigationem mali Angeli peccârit, non minùs prædestinatio bonorum, quàm damnatio malorum Angelorum debuit præcedere peccatum Adami. Minor probatur, quia Christus non tantùm est caput hominum sed etiam Angelorum : ergo non tantùm in homines, sed etiam in Angelos gratiam influit.

Respondeo distinguendo majorem, quando sunt prædestinati prædestinatione substantiali secundùm influxum gloriæ essentialis, concedo. Quando sunt prædestinati per Christum prædestinatione accidentali, secundùm aliquem influxum gloriæ accidentalis, nego. Ita S. D. *q. 2. de Veritate a. 7. ad 5.* dicens: quòd *Angelis Christus, quantum ad præmium essentiale nihil meruit, valet tamen quantum ad præmium accidentale.* Itaque Angeli fuerunt efficaciter prædestinati ad gloriam essentialem ante prævisum peccatum Adami; & redemptionem Christi; Christus tamen ipsis fuit meritus charismata quædam supernaturalia, ratione quorum etiam Christus est caput Angelorum.

Objicies septimò. Christus non tantùm venit propter destructionem peccati Originalis; sed etiam omnium peccatorum actualium : sed non omnia peccata actu lia fuerunt prævisa ante Christum : ergo nec originale peccatum necessariò prævideri debet. Minor probatur. Multa peccata actualia fuerunt commissa in ipsam Personam Christi, v. g. à crucifixoribus, quæ ante ipsum Christum prævideri non potuerunt. Præterea, actualium peccatorum prævisio sequitur reprobationem negativam, sed ista sequitur decretum de Christo Redemptore : ergò etiam prævisio peccati actualis sequitur decretum de Christo Redemptore. 26.

Respondeo distinguendo minorem : non fuerunt omnia prævisa ante Christum explicitè, formaliter & secundùm omnes circumstantias, concedo : implicitè, virtualiter, & in generali seu Originali peccato Adami, sicut in radice, sic nego. Quo modo etiam respondeo ad utramque probationem.

ARTICULUS II.

An Christus venisset existente solo Originali?

SUMMARIA.

1. *Christus venit etiam propter delenda personalia.*
2. *Principalius tamen propter originale.*
3. *Venisset Christus, etiamsi solum fuisset originale.*
4. *Christus venit propter peccata personalia ut radicata in originali.*
5. *SS. Patres exponuntur.*

§. I.

Assertio Thomistica.

1. Suppono primò tanquam de fide certum, Christum vi præsentis decreti venisse non tantùm propter delendum originale, sed etiam actualia peccata. Constat primò ex. 1. Io. 1. *Sanguis IESU Christi emundat nos ab omni peccato*, item, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Secundò authoritate Concilij Toler. 6. c. 1. dicentis: *Fatemur, Filium ad redemptionem generis humani propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda à secreto Patris arcano prodiisse.* Tertiò, Quia vi præsentis decreti Christus venit, ut perfectus Redemptor, adeòque ad removendum omne obstaculum impediens ab ingressu regni cœlestis; sed ab hoc non solùm impedit peccatum originale, verùm etiam omnia alia peccata actualia : ergo etiam venit propter abolenda actualia.

2. Suppono secundò ex S. D. hic a. 4. & communi Theologorum, Christum principaliùs venisse propter delendum originale peccatum. Nam primò hoc indicatur 1. Io. 1. ubi Christus à Joanne ex principali munere & effectu demonstratur : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; sed mundi peccatum juxta expositionem Patrum & Trid. Sess. 5. Can. 3. est peccatum originale, adeòque principalis Christi finis & effectus fuit tollere peccatum originale. Secundò venit propter salutem, & ut Redemptor generis humani : ergo principaliùs venit propter delendum illud peccatum, quod magis repugnat saluti, & bono totius generis humani : sed peccatum originale magis repugnat bono & saluti totius generis humani, siquidem per illud tota natura fuit infecta, & exclusa à sua beatitudine : ergo principaliùs venit

venit propter peccatum originale. Quod ipsum significavit Apost. opponens Christum ut causam nostræ salutis & resurrectionis Adamo ut causæ mortis ad Rom. 5. & 1. ad Corinth. 15. *Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Tertiò. Quia peccatum originale est radix omnium cœterorum, qua de causa in Sacra Scriptura numero plurali effertur Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.* Atqui peritus Medicus principaliter intendit tollere radicem morbi, ergo.

3. CONCLUSIO. *Vi præsentis Decreti Christus venisset, quantumvis fuisset solum originale, non autem si sola actualia extitissent.* Ita communior Theologorum.

Prima pars patet ex dictis: Stante principali motivo Christus venisset, sed solo existente originali principale motivum, nempe salus humani generis per originale totaliter destructa, subsistisset: ergo.

Secunda pars etiam deducitur ex dictis primò, quia cessante principali motivo præsentis Decreti Christus non fuisset incarnatus, sed principale motivum est salus generis humani totaliter lapsi, quod non esset cessante originali: ergo. Secundò, quia vi præsentis decreti Christus venit in carne mortali & passibili; sed non ita venisset, si non fuisset originale, cùm juxta Apostolum ad Rom. 5. mors per originale peccatum intrârit in mundum, *per unum*, inquit, *hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Tertiò, quia SS. Patres causam, cur Deus potiùs homini, quàm Angelo peccanti per incarnationem subvenire voluerit, hanc assignant, quòd per peccatum primi hominis tota natura à gloria cœlesti exciderit, nec propriâ, sed alienâ voluntate peccârit, quæ ratio non haberet locum, si non esset originale peccatum: tunc enim propter perfectionem status integritatis, non adeò multi homines iique solùm propriâ voluntate peccarent. Quo etiam sensu Ecclesia in benedictione Cerei cantat: *O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*, non enim alia potest esse peccati originalis necessitas, nisi quòd sine illo tantum bonum redemptionis Christi humano generi non obtigisset. Si petas, quid vi alterius decreti fuisset factum? Respondeo. Hoc divinari non posse, neque in Sacra Scriptura ullum extare fundamentum, quidquam asserendi. *Quis autem*, inquit Tertullianus, lib. de Anima. cap. 1. *revelabit, quod Deus texit? Unde si scitandum est, quod ignorare tutissimum est, præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quàm per hominem scire, quia ipse præsumpserit.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Cessante totali motivo Incarnationis, Christus non venisset, sed si nulla essent peccata actualia, non esset totale motivum Incarnationis, siquidem Christus non tantùm venit propter originale, sed etiam propter delenda peccata actualia: ergo. 4.

Respondeo primò negando minorem, ad cujus probationem dico: Christus non tantùm venit propter originale, sed etiam actualia peccata, quatenus ista continentur & radicantur in originali, concedo; secùs, nego. Ergo actualia pertinent ad totale motivum Incarnationis, ut contenta & radicata in originali, concedo; ut seorsim spectata, nego.

Responderi potest secundo. Cessante totali motivo secundùm partem sui principalem & primariam cessaret Incarnatio, concedo; secundùm aliquam partem secundariam & ex consequenti moventem, nego: sed actualia pertinent ad totale motivum primariò, nego; secundariò, & tanquam aliquid consequens ac impellens, concedo minorem & nego consequentiam.

Objicies secundò. SS. Patres affirmant subinde unam hominis animam à Christo tanti fieri, ut pro illa sola esset paratus mortem subire, idque colligunt ex Apostolo ad Gal. 2. *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: ergo Christus venisset, etiam pro delendis peccatis actualibus, quibus singularum animarum salus impeditur. 5.

Respondeo. Ab Apostolo & SS. PP. solùm hoc intendi, quòd Christus suam passionem ac mortem tanto affectu & charitate non tantùm pro omnibus collectivè obtulerit, sed etiam pro singulis hominibus seorsim, ut ex abundantia illius dilectionis fuisset paratus hoc totum pati pro singulis, quod pro omnibus. Unde quilibet ita debet hoc redemptionis munus gratus agnoscere, quasi pro se solo fuisset impensum, ex quo tamen non sequitur, vi præsentis decreti hoc futurum fuisse, ut Christus pro anima aliqua in particulari incarnaretur & pateretur.

Objicies tertiò. Etsi peccatum originale sit gravius actuali extensivè, non tamen est gravius intensivè, cùm istud tam ratione objecti, quàm voluntarij habeat majorem malitiam: ergo si propter illud solum, etiam propter hoc solum Christus venisset. 6.

Respondeo negando consequentiam, quia ut dictum, Christus venit ad reparandum bonum commune totius generis humani, cui magis opponitur peccatum, quod est majus extensivè.



DISPV-

DISPUTATIO VI.

DE

Causa dispositiva & meritoria Incarnationis.

POtissima hoc loco, & celebris est controversia, an Incarnatio de facto habuerit, vel habere potuerit causam sui meritoriam? Ubi supposita divisione meriti in meritum de condigno & congruo, de qua in tract. de Gratia, quæstio in primis esse potest, de Incarnatione seu unione hypostatica Christi vel quoad substantiam, vel quoad circumstantias, ut sunt Nativitas ex Matre Virgine, ex talibus Patriarchis, Resurrectio &c. Causæ etiam meritoriæ possunt esse vel ipse Christus, vel B. V. vel Patriarchæ Progenitores. Unde multiplex emergit difficultas, an omnes isti meriti sint, vel mereri potuerint Incarnationem Christi, quoad substantiam, vel circumstantias, merito condigni, vel congrui? quas ut ordine expediamus, pauca de dispositione præmittimus.

ARTICULUS I.

An Gratia Sanctificans fuerit dispositio prævia ad gratiam unionis hypostaticæ.

SUMMARIA.

1. *Gratia habitualis non erat dispositio physica ad unionem hypostaticam.*
2. *Neque moralis.*
3. *Nisi solùm per modum congruitatis.*
4. *Ad formam operativam superioris ordinis, quæ non est ipsum esse simpliciter, datur dispositio.*

1. CONCLUSIO est *negativa*, & S. D. q. 2. a. 10. & q. 6. a. 6. cum communi DD. contra Alensem, & quosdam Antiquos.

Ratio est primò. Dispositio Physica necessariò secum trahit formam, ad quam disponit, omniáque ipsius obstacula è subjecto depellit (ita quippe calor ut octo, ultimò dispositivus ad formam ignis eandem sui sequelam necessariò trahit, eliminatis impedimentis frigoris & humiditatis obsistentis) atqui hoc in proposito non potest gratia Sanctificans: ergo non est dispositio Physica ad unionem hypostaticam. Minor probatur: Forma unienda humanitati (non modo Physico, sed metaphysico & hypostatico, ut priùs dictum) est ipsamet hypostasis Divina, sed gratia Sanctificans cùm toto ordine distinguatur, & in infinitum excedatur à personalitate Divina, neque ad illam ullo pacto ordinetur, non potest illam secum trahere, neque subsistentiam creatam humanam & naturalem, quæ foret ipsius impedimentum, expellere: ergo.

Ratio est secundò. Dispositio debet esse in subjecto, quod disponit: atqui gratia Sanctificans non est in corpore, sed in sola anima; cùm tamen non sola anima, sed etiam corpus sit hypostaticè unitum Verbo, ergo non est dispositio ad unionem hypostaticam. Tertiò. Etiam creatura irrationalis est assumptibilis à Verbo, sed illa non potest disponi per gratiam Sanctificantem, ergo. Quartò. Si humanitas Christi fuisset disposita ad unionem hypostaticam, tunc pro illo priori dispositionis constitueret Christum Filium adoptivum, & sic Christus priùs esset Filius adoptivus, quàm naturalis, quod est erroneum. Sequela probatur. Effectus formalis gratiæ Sanctificantis in subjecto capaci & per filiationem naturalem non impedito, est filiatio adoptiva, sed in illo priori humanitas esset subjectum capax, nec impeditum filiatione naturali, quippe quæ confertur in signo sequenti per unionem hypostaticam: ergo.

Colliges. Gratiam habitualem ne quidem propriè habere rationem dispositionis moralis: primò, quia etiam dispositio moralis debet antecedere formam introducendam, dicitur enim illa, quæ ut existens movet intellectum & voluntatem agentis ad formam inducendam subjecto: atqui gratia habitualis non potest concipi ut existens in humanitate Christi non præsupposita unione hypostaticâ, per quam ipsa humanitas existit & subsistit: ergo. Secundò. Quia unio hypostatica non est data humanitati intuitu gratiæ: sed potius è converso gratiæ plenitudo humanitati fuit collata intuitu unionis hypostaticæ, juxta illud Io. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ubi plenitudini gratiæ præmittitur gratia unionis cum Verbo tanquam causa illius. 2.

Dixi *propriè*: nam latiori sensu S. D in 3. d. 2. q. 2. a. 2. in C. & ad Annibald. q. un. a. 3. vocat *quodammodò medium congruentiæ*, quia congruum & decens erat, ut Verbum Divinum animam suâ imagine insignitam & gratiâ repletam assumeret: & q. 29. de Ver. a. 2. dicit, quòd gratia habitualis fuerit *dispositio per modum congruitatis* ad unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo. 3.

Dices: Ea, quæ elevantur ad formam superioris ordinis, indigent dispositione, ut habet S. D 1. p. q. 12. a. 5. unde ad visionem beatificam & unionem essentiæ Divinæ cum intellectu Beati in 1. p. dixi, requiri lumen gloriæ, sed unio hypostatica vel maximè excedit toto ordine humanitatem, ergo humanitas indiget dispositione ad ipsam. 4.

Respondeo, Majorem è D. Th. petitam habere locum in formis ad operandum ordinatis, & quæ non sunt ipsum esse simpliciter supernaturale, vel ipsa dispositio: nam ad dispositionem non datur dispositio, & primum esse substantiæ vel existentiæ in rebus non præsupponit dispositionem se priorem: ideo ad visionem & unionem essentiæ Divinæ cum intellectu Beati requiritur lumen gloriæ tanquam dispositio, quia videlicet intellectus per ejusmodi formas non constituitur simpliciter in esse supernaturali; sed in esse secundùm quid, sive in esse operationis supernaturaliter, quod prærequirit proportionatum gradum vitæ & potentiam proximam operandi supernaturaliter. Econtra hypostasis Verbi, quia dat esse subsistentiæ & existentiæ, nullam prærequirit dispositionem supernaturalem, sed ad illam sola sufficit potentia obedientialis.

ARTICULUS II.

An humanitas Christi potuerit mereri Unionem hypostaticam per opera antecedentia?

SUMMARIA.

1. *De facto humanitas per opera præcedentia non meruit Incarnationem,*
2. *Neque anima Christi.*
3. *Quamvis fieri absolutè potuisset, ut humanitas vel sub divina hypostasi præexistens de condigno,*
4. *Vel sub creata hypostasi de congruo mereretur hypostaticam unionem.*
5. *De facto humanitas per opera tempore aut naturâ antecedentia non meruit unionem hypostaticam.*
6. *Præter authoritatem, probatur ratione.*
7. 8. *Sed nec per absolutam potentiam mereri potuit,*
9. *Humanitati præsupposita ad unionem deest indispensabilis conditio subsistentia.*
10. *Disparitas de peccatore disposito per contritionem.*
11. *Disparitas de accidente separato.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. Suppono primò tanquam de Fide certum, quòd Humanitas Christi de facto non meruerit unionem hypostaticam, per opera prioritate temporis antecedentia Incarnationem. Ita definitum in Concil. Ephesino. 1. Can. 13. dicente: *Ideò Deum natum esse ex Virgine & conceptum: quia in utero Virginis, & in ipsa conceptione hominis Deus carni unitus est.* Et in Syn. 6. act. 11. *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis.* Hinc Luc. 1. Angelus ad B. V. *quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quò secundùm SS. Patrum interpretationem significatur illud Sanctum de Virgine natum, nunquam habuisse aliam hypostasin, quàm Filij Dei. *Non priùs* inquit D. Greg. M. ep. 61. Hybernis Episcopis fidei professionem tradens, *in utero Virginis caro concepta est, & postmodum Divinitas venit in carnem: sed mox ut Verbum venit in utero, servatâ propriæ virtute naturæ, factum est caro.* Nec aliàs B. V. rectè diceretur Mater Dei, nec in utroque Symbolo Unigenitus Dei Filius *incarnatus & natus de Maria Virgine, factus ex muliere* Gal. 4. *Post suî introductionem in orbem terræ*, h. e. Incarnationem *jussus adorari ab Angelis.* Hebr. 1.

2. Suppono secundò, neque animam Christi pro aliquo priori temporis existentem, meruisse unionem cum Verbo, prout definitum in 6. Synodo act. 11. & traditur à S. Leone ep. 11. contra Eutycheten his verbis: *Quòd anima, quam Salvator assumpsit, priùs in cœlis commorata sit, quàm de Mariâ Virgine nasceretur, Catholicæ mentes auresque non tolerant.* Ratio est, quòd anima Christi, cùm sit ejusdem rationis cùm nostra, eo modo postulat incipere, quo modo nostra; sed nostra postulat sui inceptionem cum ipso corpore, quod informat; ergo & anima Christi. Neque est ulla authoritas aut fundamentum, contra naturalem rationem & exigentiam fingendi miraculum in contrarium.

Suppono tertiò, absolutè fieri posse, ut humanitas Christi sub alia Divina hypostasi priùs tempore vel naturâ existens mereretur de condigno hypostaticam unionem. Ratio est, quia absolutè fieri potuit, ut hæc numero humanitas Christi priùs esset terminata per aliam divinam hypostasin, quàm Verbi, sed in tali casu poterat de condigno mereri unionem hypostaticam cum Verbo, tum quia ex parte meriti fuisset æqualis condignitas cum unione hypostatica Verbi, tum quia nulla est repugnantia ex parte unionis hypostaticæ, quo minùs possit cadere sub meritum condignum suppositi increati. 3.

Suppono quartò, etiam absolutè fieri potuisse, ut humanitas Christi priùs tempore vel naturâ sub creata hypostasi existens de congruo, non autem de condigno mereretur hypostaticam unionem. Ratio est, quia licèt unio hypostatica defectu æqualitatis non possit cadere sub meritum condignum alicujus personæ creatæ, tamen poterat humanitas Christi præexistens sub personalitate creata exhibere præstantissimas operationes supernaturales, procedentes à subjecto gratissimo, vi quarum liberalitas Dei præmiantis prudenter moveri poterat ad ejusmodi præmium ex decentia amicitiæ retribuendum, sed hoc ipsum est meritum de congruo propriè dictum: ergo. 4.

Dices: Opera merè naturalia ne quidem de congruo possunt esse meritoria præmij supernaturalis, eò quòd sint inferioris ordinis: ergo opera supernaturalia cujuscunque personæ creatæ non possunt esse meritoria unionis hypostaticæ, quia similiter sunt ordinis inferioris. Resp. disparitatem esse, quòd ordo naturæ & gratiæ differant non tantùm in gradu & genere subalterno, sed etiam toto & summo genere, quia tendunt ad duos ultimos fines disparatos, & juxta SS. PP. nullam habent coordinationem in ordine ad meritum.

§. II.

Resolutiones quaestionis.

5. CONCLUSIO PRIMA: *Humanitas Christi per opera secundùm prioritatem naturæ antecedentia non meruit unionem hypostaticam.* Ita nunc communis Scholasticorum.

Probatur primò argumento ex authoritate S. Scripturæ & D. Augustini deducto. Nam si qua merita humanitatis unionem hypostaticam præcessissent, jam Incarnatio Christi non esset opus puræ gratiæ, liberalitatis & misericordiæ: consequens repugnat præfatæ authoritati: ergo. Sequela probatur, quia SS. PP. contra Pelagium ex eo probant, quòd prima gratia non possit fundari in nostris operibus, quia (Rom. 11.) *si gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* Minor patet ex Jo. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Luc. 1. *Per viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos* &c. quòd si verò aliquod meritum præcessisset, non ita posset cum proprietate dici pura gratia & opus misericordiæ Divinæ, sic enim Apostolus & SS. PP. contra Pelagium probant, quòd prima gratia non possit esse ex operibus, quia (ut inquit Apostolus l. cit.) *Si gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos* &c. Ex D. quoque Augustino tr. 82. in Jo. *Neque illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt, Deus enim erat Verbum, Unigenitus gignenti coæternus sed ut Mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* l. 2. de Corr. & Gr. c. 11. *Ista*, inquit, *nativitas profectò gratuita conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo, istam nativitatem bona opera subsecuta sunt, non bona opera meruerunt.* Et factâ comparatione inter gratiam primæ vocationis cum illa gratia unionis *Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio factus est Christus.* Simillima habet *l. de Præd. SS c. 15.*

6. Probatur secundò duplici ratione: Primò, quia saltem connaturaliter loquendo operationes sunt suppositorum, priùs in se habentium esse completum per subsistentiam, antequam operentur, sed ante Incarnationem humanitas Christi non habuit subsistentiam: ergo. Secundò, quia Christus non nisi per opera ex gratia procedentia debuisset mereri Incarnationem, sed per illa mereri non potuit: quia gratia Christi unionem hypostaticam sequitur, éstque illa naturâ posterior: ergo nullum meritum ex gratia Christi procedens potuit unionem hypostaticam antecedere.

7. CONCLUSIO SECUNDA. *Neque per absolutam potentiam fieri potuit, ut humanitas Christi mereretur unionem hypostaticam per opera prioritate naturæ antecedentia.* Ita Thomistæ communiter contra Suarez & plures RR. Probatur primò. Tunc unio hypostatica non potest cadere sub meritum cujuscunque operationis, quando ipsa in eis indispensabiliter præintelligitur ad omnem operationem ab humanitate Christi elicitam, sed præintelligitur: ergo. Major constat: quia quatenus unio hypostatica præintelligitur ad operationem, sic est principium meriti, & causat in genere moris ipsum præmium; quatenus verò caderet sub meritum, sic esset terminus & effectus meriti: implicat autem, ut in eodem genere moris & meriti idem sit principium & finis, causa & effectus, prius & posterius: ergo. Minor probatur. Humanitas Christi non potest esse principium operationis, nisi ut subsistens, sed non intelligitur subsistens, nisi per unionem hypostaticam, ergò humanitas Christi tanquam principium operationis includit unionem hypostaticam, adeóque hæc præintelligitur operationi humanitatis. Major probatur: Natura substantialis non potest concipi principium operationis, priusquam concipiatur completa in suo esse, & linea substantiali. Non enim potest principiare operationem, & dare esse alteri, priusquam ipsa acceperit suum esse, & completè terminaverit productionem sui; sed naturâ substantialis in linea substantiæ fit completa per subsistentiam, nec antea completè terminat productionem sui, quàm subsistat: ergo non potest esse principium alicujus operationis, priusquam subsistat. Et hinc est illud axioma Philosophorum: *suppositorum est operari: operari sequitur ad esse*, quod desumptum est ex ipsa natura rei, & essentiali exigentiâ ad principium operandi, non tantùm ex aliquo modo connaturali operandi.

8. Probatur secundò. Sequitur ex sententia Adversariorum, quòd aliqua natura possit operari, antequam sit, & quòd possit mereri suum esse? sed hoc primâ fronte apparet absurdum, cùm esse rei sit fundamentum essentialiter præsuppositum operationi. Sequela probatur: nam subsistentia vel non distinguitur realiter ab esse existentiæ (ut dicitur in nostra Philosophia, & de Christo suprà dictum est, vel eidem essentialiter præsupponitur: ergo si humanitas potest mereri unionem cum hypostasi Divina, & operari, priusquàm concipiatur habere hypostasin, etiam potest illud mereri, quod in posteriori naturæ consequitur hypostasin, nempe suam existentiam, adeóque poterit operari, antequam sit. Quòd verò formalitas subsistentiæ sit realiter præsupposita formalitati existentiæ, indè probatur: quia existentia est ultima rei actualitas, quâ quid ultimatò ponitur extra omnes causas: sed nihil intelligitur completè & ultimatò positum extra omnes causas, nisi per modum accidentis, vel per modum substantiæ completæ: non est autem per modum substantiæ completæ, nisi intelligatur per se completè subsistens: ergò à primo ad ultimum, ut natura substantialis per actum existentiæ intelligatur ultimatò posita extra omnes causas, debet præintelligi habere subsistentiam.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò. Quicunque potest ponere tales actus, qui in ratione decentissimæ dispositionis habent sufficientem proportionem cum præmio, vi cujus possit prudenter movere liberalitatem præmiantis ad præmij retributionem, is potest etiam de congruo mereri tale præmium: sed humanitas Christi perfusa plenitudine gratiæ pro priori naturæ potuisset offerre tales actus supernaturales & intensissimos omnium virtutum 9.

&c. Ergo potuisset de congruo mereri hypostaticam unionem.

Respondeo negando minorem, quia ut dictum, deest indispensabilis conditio subsistentiæ. Adde, quòd objectio falsò supponit existentiam identificatam humanitati, & præsuppositam ad subsistentiam Verbi, dum econtra subsistentia præsupponitur existentiæ, eáque in Christo non est alia, quàm increata existentia Verbi.

10. Objicies secundò. Peccator de facto mediante solùm auxilio actuali per actum contritionis meretur remissionem peccatorum, & gratiam habitualem de congruo: ergo multò magis humanitas Christi tantis gratijs nobilitata potuisset de congruo mereri unionem hypostaticam.

Respondeo inprimis negando antecedens, si sit sermo de merito congrui propriè sumpto, cùm enim istud supponat amicitiam merentis, impossibile est, ut peccator mereatur primam gratiam habitualem, sine qua non concipitur constitutus in statu amicitiæ Divinæ. Secundò, si sit sermo de merito congrui latè sumpto. Resp. Inprimis per hoc nihil probari, quia meritum humanitatis Christi deberet esse de propriè & strictè sumpto congruo. Deinde alterior disparitas est, quòd actus contritionis in peccatore supponat essentialia requisita subsistentiæ & existentiæ, quibus positis benè potest per proprium actum esse congruè dispositus ad percipiendam gratiam & remissionem peccatorum: atqui in humanitate Christi, præconceptâ ad unionem hypostaticam, non potest supponi subsistentia & existentia, sine quibus illa non potest prodire in operationem congruè meritoriam.

Objicies tertiò. Potest accidens quatenus conservatum à solo Deo sine subjecto, esse sufficiens principium operandi, veluti patet in accidentibus Eucharisticis: ergo etiam potuit humanitas Christi, quatenus à Deo producta & conservata, sine determinato supposito, meritoriè operari. 11.

Respondeo negando consequentiam, quia accidens etiam separatum à subjecto habet existentiam, vi cujus potest esse principium operandi: atqui humanitas non haberet existentiam: nam natura non nisi mediante subsistentia fit susceptiva existentiæ, cùm subsistentia sit proprium complementum substantiæ. Unde humanitas Christi sine subsistentia nec ut completè producta, nec ut conservata, nec ut principium operandi concipi potest.

Articulus III.

An Christus potuerit mereri Unionem hypostaticam per opera consequentia merito compensativo?

SUMMARIA.

§. I.

Resolvitur negativè cum exclusione meriti compensativi.

1. Notandum. Meritum tam de congruo quàm de condigno cœpisse à RR. dividi in meritum attractivum, remunerandum, seu impetratorium, & in meritum compensativum. Illud est actio obsequiosa, quæ moraliter movet præmiantem ad retribuendum præmium pro sua actuali dignitate & bonitate, tempore, vel naturâ priùs exhibitâ. Compensativum est actio intenta per modum finis & conditionatè præmissa, nimirum sub conditione præmij anticipatò conferendi, quæ suâ existentiâ Physicâ compensat præmium anticipatò prius tempore, vel naturâ collatum. Cujus exemplum sit. Prævideo, si his muneribus afficerem Petrum, tunc ipse pro me ferret suffragium: unde ex affectu & spe obtinendi suffragium confero ipsi munera: ille postea dando pro me suffragium compensat illa munera anticipatò collata, & hoc dicunt esse meritum compensativum. Ita in præsenti quoque materia existimant commodè exponi posse, quomodo Christus, si non ipsam unionem hypostaticam, saltem gratias antiquorum PP. fuerit meritus per suam passionem tempore posteriorem; quia nimirum Deus in scientia media conspicatus, si hanc & hanc gratiam Abrahamo conferret, Christus per suam passionem illas superabundanter compensaret, ideo amore passionis Christi illectus contulit Abrahamo gratias per Christi passionem suo tempore compensandas. Unde hoc meritũ compensativum distinguitur ab impetratorio. Primò quod moveat in genere causæ finalis tantùm; istud verò in genere causæ moralis efficientis. Secundò, quòd tantùm sit meritũ conditionatum, quippe dependens à conditione beneficij priùs exhibiti: ac tertiò naturâ, vel tempore sit posterius illo beneficio & præmio anticipato, dum econtra meritum impetratorium est absolutè tale, & priùs tempore vel naturâ, quàm præmium tanquam moralis causa ipsius, adeóque dicunt meritum attractivum causare *quia est*, compensativum verò causare *ut sit*. Quo posito sit

CONCLUSIO. I. *Christus per opera consequentia, seu meritum compensativum non meruit unionem hypostaticam.* Est communis DD. 2.

Ratio

Ratio est primò. Gratia prima sub nullum cadit meritum: nam ut Apostolus arguit, *si ex operibus, jam non est gratia*, nempe pura & gratuitò collata, sed gratia unionis hypostaticæ est prima gratia præ omnibus Christo collata, & radix omnium cæterarum, ideóque à D. Augustino in priori art. allegato comparatur cum prima gratia justificationis, ergo sub nullum prorsùs meritum cadit.

Secundò. Principium meriti non cadit sub meritum, sed gratia unionis est principium virtutis meritoriæ in omnibus operibus Christi, in quocunque statu illa considerentur: ergo sub nullum tale meritum cadere potest, ne in eodem genere causæ sit se ipsa prior & posterior.

Tertiò. Si Christus accepisset unionem hypostaticam dependenter à meritis ex postfacto ponendis, eandem accepisset modo imperfecto; quia non accepisset absolutè & simpliciter, sed sub conditione & quasi exspectatione solutionis præstandæ veluti cum venditor emptori mercem tradit, sub conditione pretii solvendi, qui modus est inconveniens perfectioni unionis hypostaticæ.

3. CONCLUSIO II. *Nullum datur meritū compensativum, unde Christus per opera subsequentia, nec sibi, neque suis progenitoribus quicquam compensativè mereri potuit.* Ita communis Thomistarum, cum quibus sentiunt multi RR. & novissimè P. Josephus Franck in Thes. Ingolst. contra Hannoldum & Clariss. P. Illsung. in Thes. de Immac. Concept. Probatur primò authoritate Script. Concil. & PP. Et in primis S. Script. quæ ubicunque meminit meritorum, præmia vocat *retributiones & remunerationes*, unde Adversarii nec apicem S. Scripturæ possunt ostendere, ubi sit aliqua mentio meriti compensativi. Ita Ps. 18. *Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meā.* Eccl. 12. *benefac justo, & invenies retributionē.* Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*, & alibi sæpe. Respondent: ibi esse sermonem de merito impetratorio & remunerando. Sed ostendant illi locum, ubi fiat mentio de merito compensativo.

Secundò hoc probatur authoritate Concil. Trid. quod Sess. 6. c. 7. duplicem modum, quo nostra justificatio causatur, secernens, expresè causam meritoriam distinguit à causa finali, dicens: *justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei Christi, & vita æterna: meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus Dominus Noster Iesus Christus, qui sua Sanctissima passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Sed in sententia Adversariorum Christus fuisset etiam causa finalis omnis justificationis Antiquorum Patrum, & ideò foret meritoria, quia esset finalis: ergo ipsorum doctrina non concordat cum doctrina Concilii Trid. Accedit, quòd Concilia & Patres talem rationem meriti Christo tribuerunt, quod esset verè & propriè tale, à SS. Script. & PP. agnitum, sed aliud non est agnitum, traditum, revelatum, quàm meritum remunerandum, quó lque nomine meriti propriè significatur: ergo.

4. Tertiò ostenditur authoritate PP. nam S. Augustinus inefficaciter oppugnâsset Massilienses sive Semipelagianos dicentes, quòd Deus aliquibus gratiam primæ vocationis contulerit, & ut refert S. Prosper ep. ad S. Aug. *alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque previderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in quâ futurus esset voluntate & actione præscierit.* Inefficaciter inquam S. Augustinus ipsos refutâsset ex Apostolo ad Rom. 11. *Si gratia jam non ex operibus, alioquin jam non est gratia.* Distinxissent enim ex sententia Adversariorum Massilienses; gratia, quæ est ex operibus tanquam meritis impetratoriis non est gratia, concedo: ex operibus tanquam meritis compensativis & finaliter moventibus, nego. Atqui nihil horum placuit Augustino. Rursus idem D. Augustinus non rectè ad excludendum meritum opposuisset Hæreticis illud D. Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut simus Sancti*, non quia eramus Sancti, quia hoc ipsum est meritum compensativum, quod movet ut sit, non quia est: ergo nostrorum operum Sanctitas fuisset meritum compensativum nostræ electionis.

Respondet quidem Clariss. P. illsung. n. 88. 5.
Massilienses non fuisse contentos merito compensativo operum supernaturalium subsequentium primam gratiam, sed voluisse, quòd per opera naturalia præcedentia homo possit de congruo mereri gratiam, quâ ultimatò consequatur suam beatitudinem: sed hæc responsio expresè confutatur tum ex præallegatis Verbis S. Prosperi, tum ex Verbis S. Aug. l. 1. de Prædest. SS. c. 1. ubi ad Epistolam S. Prosperi & Hilarii respondens, ita loquitur de Semipelagianis: *Pervenerunt etiam, ut prævenire voluntatem hominum Dei gratiâ faterentur, atque ut ad nullum opus vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere consentiant.* Ex quibus verbis apertè constat, meritum supernaturale à Massiliensibus agnitum fuisse.

Probatur secundò authoritate S. D. qui in q. 29. 6.
de Ver. a. 6. sic loquitur: *non ergo potest dici, quòd gratiam quis mereatur per opera, quæ quis post acceptam gratiam facit, quia est contra rationem meriti; nam meritum est causa præmii, non quidem per modum causæ finalis, sic enim magis præmium est causa meriti; sed magis secundùm reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium disponit.* Ad hunc clarissimum textum non habent Adversarii, quod respondeant, quàm S. Doctorem loqui de merito impetratorio, non compensativo. Sed hæc responsio manifestè petit principium: nam hoc est in quæstione, an detur meritum compensativum tanquam altera species meriti. & utrùm agnoscatur à S. Doctore: atqui S. Doctor ea, quæ Adversarii attribuunt merito compensativo, dicit esse contra rationem meriti absolutè, nempe mereri per opera consequentia & movere per modum causæ finalis: ergo S. D. non agnoscit meritum compensativum. Certè ineptè dicerem, esse contra rationem animalis, quod sit brutum, cùm hoc tantùm sit contra rationem animalis rationalis: ergo ineptè diceret S. D. esse contra rationem meriti, movere per modum causæ finalis, si præterea aliam speciem meriti quàm impetratoriam agnosceret.

Confirmatur primò. Per Adversarios non repugnat principium meriti nempe Incarnationem

& primam gratiam cadere sub meritum, supposito merito compensativo: S.D. hîc q. 2. a. 11. asserit non posse cadere sub meritum; ergo doctrina Adversariorum repugnat doctrinæ Angelicæ.

Confirmatur secundò. S.D. in 1. p. q. 62. a. 4. in C. cùm rejecisset illorum opinionem, qui dicebant, Angelos meruisse suam beatitudinem per opera subsequentia beatitudinem jam obtentam, subjungit hanc rationem: *quia est contra rationem meriti: nam meritum habet rationem viæ ad finem, ei autem, qui jam est in termino, non convenit moveri ad terminum, & sic nullus meretur, quod jam habet*: Sed secundùm Adversarios merito compensativo aliquis meretur, quod jam habet: ergo meritum compensativum est contra rationem meriti & doctrinam S. Doctoris.

7. Probatur tertiò ratione ex S D. desumptâ: Mereri juxta D. Aug. & Doctoris Angelici acceptionem est non finaliter sed effectivè seu per reductionem ad causam efficientem, & per actualis bonitatis exhibitionem movere præmiantem ad retribuendum præmium: causat quippe *non ut sit*, sed *quia est*: & quia propter ipsam existentem aliquid confertur, aut producitur: sed hoc non potest convenire merito compensativo Adversariorum: ergo ipsi quoque non potest convenire ratio meriti verè & propriè dicti.

8. Probatur quartò ab absurdis. Sequeretur primò quòd Christus defacto meruisset suam Incarnationem merito compensativo, & quòd prima gratia tà actualis, quàm habitualis caderet sub meritum, sed hoc juxta omnes Doctores Catholicos est absurdum: ergò. Sequela probatur: utrique sequelæ nil aliud obstat, quàm quòd principium meriti non cadat sub meritum, sed hoc non obstat merito compensativo Adversariorum ergò. Sequeretur secundò. Non dari argumentum efficax (prout in secunda probatione advertimus) contra Semipelagianos, quo ostendatur primam gratiam non dari ob merita sub conditione prævisa, & per auxilium gratiæ extitura, adeóque & D. Augustinum contra eosdem Hæreticos non efficaciter disputâsse.

9. Probatur quintò. Ideo maximè deberet admitti meritum compensativum, ut ostendi posset, quomodo Christus meruerit gratiam suis progenitoribus tempore antecedentibus, sed ad hunc finem nihil conducit meritum compensativum: ergo. Major est Adversariorum: minor probatur, Meritum Christi fuisset causa gratiæ conferendæ Abrahamo, quatenus habens conditionatam existentiam in prævisione scientiæ mediæ; sed talem existentiam non habet. Quia ut suppono ex 1. p. nulla datur futuritio etiam conditionata antecedenter ad omne decretum Dei: sed scientia media Adversariorum antecedit omne decretum Dei: ergo in illa merita Christi non possunt habere conditionatam futuritionem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

10. Objiciès primò ab authoritate S.D. Certum est ex S.Thoma, quòd omnia dona à Deo hominibus post lapsum Adami collata & conferenda sint præmia meritorum Christi: atqui rursus est certum, quòd juxta S. Th. nullum dari possit meritum impetratorium præmii tempore antecedentis: ergo tantùm potest dari, & respectu præmiorum merita Christi tempore præcedentium actualiter datum est meritum compensativum: cùm præter hæc duo genera meritorum non detur tertium. Minor probatur ex hac 3. p. q. 62. a. 6. in C. ubi S.D. assignans rationem, cur antiquæ Legis Sacramenta non potuerint causare gratiam ex virtute passionis Christi, dat istam, quia *virtus justificativa Sacramentis novæ legis communicatur in genere causæ efficientis, non finalis, causa verò efficiens non potest esse posterior in ordine durationis, sicut causa finalis, quæ licet sit posterior tempore, tamen movet agentem, secundùm quod est apprehensus & desideratus ab illo.* Negat itaque S. D à passione Christi posse derivari virtutem creativam gratiæ in Sacramenta antiquæ Legis, eò quòd sit posterior in ratione durationis: ergo etiam Christi merita non potuerunt esse causa meritoria efficiens respectu gratiæ antiquorum Patrum concessæ, cùm etiam sint posteriora tempore, quàm gratiæ antiquorum Patrum.

Respondeo primò retorquendo argumentum. 11.
Juxtà S. D. antea allegatum etiam certum est, nullum dari meritum nisi impetratorium: ergo merita Christi respectu Progenitorum vel sunt impetratoria, vel nulla: non nulla: ergo impetratoria.

Respondeo secundò negando consequentiam, & suppositum totius discursûs, quòd nimirum præter meritum impetratorium, detur alia species meriti, quòd sit compensativum.

Respondeo tertiò distinguendo minorem: juxta S. D. non potest dari meritum impetratorium præmij tempore antecedentis, & non subsequentis, seu naturâ posterioris in decreto executivo Dei, concedo. Posterioris in eodem decreto, nego minorem & consequentiam. De quo in sequentibus plura.

Ad locum ex S. D. Respondeo primò. Per retorsionem: Sacramenta antiquæ Legis juxta S. D. non habent ex virtute passionis Christi, quòd sint causa moralis justificationis, quia virtus passionis ad illa comparatur in genere causæ finalis: ergo etiam Christus non meruit gratiam antiquorum PP. si ipsius motio se habebat in genere causæ finalis, sed per Adversarios ita se habebat: ergo.

Respondeo secundò, sensum & mentem S. D. esse, antiquæ Legis Sacramenta non contulisse gratiam, quia non continebant virtutem passionis Christi, tanquam Chirographa ipsius, applicanda per usum & exhibitionem sensibilium signorum, adeóque in genere causæ efficienter moventis: sed tantùm continebant fidem in Christum venturum, erántque signa figurativa & prognostica ipsius, adeóque pertinebant ad genus causæ finalis, quò ipso excluduntur à ratione causæ moraliter conferentis gratiam.

Opponunt secundò ex eodem S. Doctore in 1. p. q. 23. a. 5. in C. & 1.2. q. 114. a. 5. exemplum de recto usu equi; potest nimirum quis alteri donare equum & arma, eo fine & conditione, ut per bonum usum illorum equum & arma promereatur, tunc enim bonus usus equi & armorum erit meritum equi & armorum non utique impetratorium, sed compensativum per modum solutionis 12.

Respondeo hoc exemplum non favere Adversariis:

fariis: quia in utroque loco à S. D. per modum objectionis adducitur, & ut insufficiens ad probandum meritum supernaturale primæ gratiæ vel prædestinationis rejicitur: nam, ut implicitè S. D. insinuat, in illo casu equus & arma non essent principium, neque præmium boni usûs; sed principium hujus boni usûs foret virtus & industria militis, præmium verò foret dominium & possessio equi, quippe non nisi conditionalè traditi, nempe sub conditione boni usûs. Unde hæc donatio non nisi posi â conditione sortitur effectum: quod non est meritum compensativum, sed impetratorium; nec quicquam valet ad probandum meritum compensativum, præsertim supernaturale.

13. Objicies tertiò. In aliis contractibus onerosis perinde est, quisquis contrahentium priùs tempore vel naturâ ponat suam actionem, sive v. g. datio & receptio pretii sit prior datione mercis, sive datio & receptio mercis sit prior, utroque casu pecunia retinet nomen & rationem pretii in sensu propriè dicto; ergo etiam in commutatione meriti ac præmii utrumque proprium sui nominis significatum retinebit, mutatò solo ordine, modóque causandi.

Respondeo primò negando paritatem; quia non est de ratione pecuniæ esse viam ad mercem, sicut est de ratione meriti esse viam ad præmium: est autem de ratione ipsius, quòd si pretium adæquatum pro merce, quod semper habebit, seu detur anticipatò, seu posteriùs, seu concomitanter.

Respondeo secundò. Tametsi in humanis daretur præmium anticipatum, tamen hoc nihil facere ad præsentem difficultatem: quia meritum Christi semper esset principium meriti antiquorum Patrum, seu spectaretur in genere causæ finalis seu efficientis; non autem res empta vel pretium esset principium meriti: & sic semper est adhuc implicantia in præsenti materia, cur Christus antiquis PP. non potuerit mereri gratiam compensativè, ut mox dicetur.

ARTICULUS IV.

Quenam concomitantia, vel consequentia unionem hypostaticam Christus meruerit.

PLura veniunt in quæstionem. I. An Christus meruerit, aut Potuerit mereri unionis hypostaticæ continuationem? II. An ejusdem extensionem ad novas partes materiæ per augmentationem & nutritionem successivè accrescentes? III. An reunionem cum tota humanitate factam in gloriosa Resurrectione? IV. An circumstantias Incarnationis, inter quas præcipuè est maternitas B. V.? De circumstantiis in seq. §. De reliquis hoc §. dicendum.

SUMMARIA.

1. *Christus de potentia ordinaria non potuit mereri continuationem unionis hypostaticæ.*
2. *Benè de potentia absoluta.*
3. 4. *Item potuit absolute mereri ipsius extensionem ad novas partes materiæ.*
5. *Quomodo verum sit, Christum meruisse, quicquid mereri potuit?*
6. *Christus probabiliter meruit reunionem cum tota humanitate in instanti resurrectionis.*
7. *Christus de facto meruit circumstantias Incarnationis.*
8. *Non habentes omnino necessariam connexionem cum illa.*
9. *Præsertim maternitatem B. V. aliásque prærogativas.*
10. *Quomodo merita Christi fuerint priora, aut posuerint prævideri ante circumstantias Incarnationis.*
11. *Circumstantia in decreto executivo Dei sunt posteriores, quàm substantia Incarnationis.*
12. *Non sequitur ex merito maternitatis B. V. quòd principium meriti cadat sub meritum.*
13. 14. *Duplex instantia depellitur.*

§ I.

An Christus meruerit continuationem vel extensionem unionis hypostaticæ.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Quamvis defacto Christus non meruerit (2) nèc de potentia ordinaria mereri possit continuationem suæ unionis hypostaticæ (3) potuisset tamen eandem mereri per potentiam extraordinariam.* Ita Magnif. P. Petschacher in Thes. de Inc. aliique.

Ratio primæ & secundæ partis est. Quod de potentia ordinaria præsupponitur meritis Christi, id Christus defacto non meruit; hoc de potentia ordinaria mereri potuit: sed continuatio unionis hypostaticæ de potentia ordinaria præsupponitur meritis Christi: ergo. Minor probatur. Tunc continuatio unionis hypostaticæ præsupponitur meritis Christi, quando unio hypostatica Christo fuit collata ut perpetuanda, nam de potentia ordinaria confertur juxta suam connaturalem inclinationem, sed, cùm mensuretur æternitate participata, connaturaliter exigit perpetuari, æquè ac visio beatifica, ergo secundùm potentiam ordinariam confertur ut perpetuanda. 2.

Ratio tertiæ partis est, quia Deus, cùm per absolutam potentiam posset destruere unionem hypostaticam, potuisset eandem Christo sub conditione conferre, ut ejus continuationem per proprios actus mereri deberet, sicut etiam Angelis hoc modo potuisset conferri visio Divinæ essentiæ, ut ejus perpetuitatem propriis actibus mererentur, & homo per absolutam potentiam potest de condigno mereri finalem perseverantiam. Nec requiritur tam stricta distinctio inter meritum & præmium, qualis inter causam physicam & effectum: nam quia moralis motio causæ meritoriæ in hoc consistit, quòd per sui cognitionem inducat præ-

præmiantem ad præmium retribuendum, sufficit virtualis distinctio inter præmium & meritum; sicut etiam sufficit moralis coëxistentia utriusque. Et sic unio hypostatica, ut primò producta, posset inducere Deum præmiantem ad continuationem sui: ubi unio continuata virtualiter distingueretur à se ipsa, quatenùs primò producta.

3. CONCLUSIO SECUNDA. *Etsi Christus de facto probabiliùs non meruerit extensionem unionis hypostaticæ, tamen absolutè mereri potuisset.*

Ratio primæ partis est primò, quòd talis meriti adstruendi nullum è sacris Litteris suppetat fundamentum. Secundò. Quia quæ sunt debita ex natura rei & intrinseca exigentia alicujus formæ, non sunt debita titulo meriti; sed extensio unionis hypostaticæ ad novas partes materiæ per nutritionem successivè acquisitas unioni hypostaticæ fuit debita ex natura rei, nam uti in Christo per se sequebatur, ut partes naturæ humanæ per nutritionem noviter acquisitæ subsisterent subsistentiâ suppositi Divini, ita per se sequebatur, ut ipsa subsistentia Divina sese ad illas extenderet.

4. Ratio secundæ partis est ex præcedenti conclusione, quòd, cùm Deus per absolutam potentiam potuisset impedire illam extensionem, potuit etiam gratiam unionis hypostaticæ sub ista conditione conferre, ut Christus per opera meritoria sibi eandē mereretur. Nec refert fuisse connaturaliter debitam, nam etiam gloria corporis Christo connaturaliter debetur, quam durante statu viæ divinitus impeditam, Christus de facto meruit. Sed ex hoc

5. Objicies. Quicquid Christus mereri potuit, meruit: ergo si potuit mereri extensionem unionis hypostaticæ supradictam, eandem de facto meruit. Antecedens probatur. Quia hoc omne Christus de facto obtinuit, quod cedit ad majorem gloriam ipsius; sed cedit ad majorem ipsius gloriam, ut dona sua habeat titulo meriti: ergo si beneficium extensivæ unionis habere potuit titulo meriti, etiam habuit illud titulo meriti. Confirmatur à paritate gloriæ corporis, quæ licèt Christo esset connaturaliter debita, tamen fuit meritoriè obtenta: ergo similiter licèt extensio unionis hypostaticæ ad novas partes adgeneratas esset Christo debita, tamen illam Christus mereri potuit.

Respondeo distinguendo antecedens: nisi titulus meriti altiori, vel magìs glorioso titulo impediatur, transeat; si impediatur, nego. Erat autem gloriosius Christo, habere illam extensionem titulo connaturalitatis, quàm titulo meriti. Ad confirmationem respondeo. Gloriam corporis fuisse connaturaliter debitam quatenùs gloriæ Consummatori & perfecto Comprehensori, non verò quatenùs Redemptori & Viatori; sic enim potiùs propter redemptionis humanæ bonum in decreto Incarnationis primariò intentum, debebatur ipsi passibilitas: tunc enim inquit S. D. *q. 29. de Ver. a. 6. ad 4. Gloria corporis sequitur ex gloria animæ, quando anima est omnimodè glorificata secundum ordinem ad Deum, & secundùm ordinem ad corpus; sic autem anima Christi non erat glorificata, sed solùm in ordine ad Deum; secundùm autem quod erat forma corporis passibilis erat.*

6. CONCLUSIO TERTIA. *Christus probabiliter meruit reunionem cum tota humanitate factam in instanti suæ resurrectionis.*

Ratio est, quia Christus meruit resurrectionem suam, ut habetur Apocalypsis 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem:* Sed resurrectio includit non solùm reunionem animæ cum corpore, sed etiam totius humanitatis cum Persona Divina, quæ totalis humanitas in triduo mortis erat destructa, ergo Christus meruit reunionem suæ Divinæ Personæ cum humanitate.

§. II.

Quas circumstantias Incarnationis Christus meruerit?

CONCLUSIO QUARTA. *Christus potuit mereri II. & de facto meruit varias circumstantias Incarnationis, quæ non omninò necessariam connexionem habent cum substantia Incarnationis: & inter has III. B. Virginis maternitatem & exceptionem ab originali, IV. Vaticinia Prophetarum, genealogiam Patriarcharum, adorationem Magorum, & similes.* 7.

Ratio primæ partis est, quia omnes istæ circumstantiæ possunt esse ex meritis Christi, ante quarum decretum potuit decerni & prævideri existentia ac futuritio meritorum Christi: sed hæc potuit decerni, & prævideri ante omnes circumstantias, non habentes necessariam connexionem cum substantia Incarnationis, sive illæ sint antecedentes, sive concomitantes, sive consequentes; ergo omnes istæ circumstantiæ potuerunt esse ex meritis Christi. Minor probatur. Quia circumstantiæ non per se conjunctæ, non necessariò prævidentur ante decretum de existentia meritorum, si Christus ut subsistens, & opera meritoria efferens decerni possit, quamvis nulla ponatur ex omnibus circumstantiis non per se necessariò connexis: sed potuit Christus ita decerni: ergo.

Ratio secundæ partis est. Omnes speciales & supernaturales gratiæ antiquis Patribus & Prophetis concessæ, ac comprehensæ in Mysterio prædestinationis ipsorum, sunt ex meritis Christi, hoc ipso, quòd omnis omnium Electorum prædestinatio sit ex meritis Christi: sed inter illas gratias comprehenduntur enumeratæ circumstantiæ; ergo. Unde specialiter 8.

Ratio tertiæ partis est. Christus meruit B. V. quicquid pertinet ad prædestinationem ipsius, sed maternitas pertinet ad prædestinationem ipsius, ergo. Majorem suppono ex dicendis: minor probatur. Tunc Maternitas Dei pertinet ad Beatissimæ Virginis prædestinationem, quando ipsa fuit prædestinata ut Mater Dei, sed fuit prædestinata ut Mater Dei, fuit enim prædestinata ut exaltanda super omnes Choros Angelorum, & libera ab omni nævo culpæ tam actualis, quàm originalis peccati: sed hoc totum habuit intuitu Maternitatis. Ejusdem & quartæ partis ratio ulterior est, quia id omne Christus meruit, quod & potuit mereri, & quod cessit ad gloriam nominis Christi: sed potuit mereri illas circumstantias, ut immediatè nasceretur ex Matre Virgine, & mediatè ex talibus progenitoribus, scilicet Abrahamo, Davide, &c. Item ut prædiceretur à Prophetis, adoraretur à Magis, &c. Idque cedebat ad gloriam & exaltationem sui nominis: ergo has circumstantias meruit & quidem de con-

condigno, cùm merita Christi sint infiniti valoris.

§. III.

Solvuntur objectiones.

10. OBjicies primò. In eodem signo rationis, in quo decernebatur Incarnatio Christi quoad substantiam, etiam decernebantur circumstantiæ Incarnationis Christi; sed merita Christi non poterant prævideri vel decerni ante decretum de Incarnatione quoad substantiam: ergo nec poterant decerni aut prævideri ante decretas vel prævisas circumstantias Incarnationis Christi. Major probatur. Decretum efficax & executivum specialis providentiæ Dei attingit existentiam objecti, ut ponendam in particulari, & substantem determinatis circumstantiis: Sed decretum, quo decernebatur Incarnatio Christi secundùm substantiam, fuit efficax pertinens ad specialem providentiam: ergo attingebat Incarnationem secundùm determinatas circumstantias.

Respondeo negando minorem, ejusque probationem distinguo: decretum efficax adæquatè sumptum hæc omnia attingit, concedo, inadæquatè secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum, nego majorem, & similiter distincto consequente nego consequentiam. Dico igitur, quamvis decretum efficax adæquatè sumptum, in quo fundatur scientia visionis, simul omnes rei ponendæ temporum & causarum circumstantias attingat, tamen in hoc ipso decreto per inadæquatos conceptus distingui diversa signa, in quibus priùs illud decernitur & videtur, quod cernitur & videtur futurum tanquam ratio & causa aliorum. Cùm itaque in absoluto decreto, quo Deus decrevit Incarnationem Christi, & ejus passionem & mortem, potuerit prævidere merita passionis & mortis Christi independenter à præmemoratis circumstantijs, & istas in gratiam meritorum Christi determinare, sequitur, quòd etiam substantiam Incarnationis ac meritorum Christi prævidere potuerit in priori signo rationis, priusquam illas circumstantias determinaret.

11. Objicies secundò. Christus illud saltem in genere causæ efficientis mereri non potuit, quòd ipsum tempore & duratione præcedit: sed aliquæ ex prædictis circumstantijs tempore & duratione præcedunt Incarnationem Christi, veluti vaticinia Prophetarum, successiones & merita Patriarcharum, antiquæ Legis Sacrificia & Sacramenta, &c. ergo Christus illa saltem merito tenente se in genere causæ efficientis mereri non potuit. Major constat ex author. S. D. priori art. adductâ.

Respondeo distinguendo majorem. Christus mereri non potuit, quod ipsum tempore & duratione præcedit, sub qua ratione præcedit, concedo; sub qua ratione secundùm posterioritatem naturæ sequitur, & ab ipso in genere causæ meritoriæ dependet, nego: Sed aliquæ ex prædictis circumstantijs tempore & duratione præcedunt Incarnationem, ita tamen ut in decreto executivo Dei illam consequantur secundùm posterioritatem naturæ, & ab illa tanquam causa meritoria dependeant, concedo. Secus, nego minorem & consequentiam. Authoritatem & mentem S. D. art. præced. explicuimus.

Objicies tertiò præcipuè contra tertiam partem. 12. Si Christus Beatissimæ Virgini fuisset meritus maternitatem, principium meriti caderet sub meritum; consequens non admittimus; ergo nec antecedens. Sequela probatur. Beatissima Virgo ratione Maternitatis fuit principium saltem mediatum meritorum Christi, quia fuit principium humanitatis Christi, à qua merita Christi tanquam à proximo principio elicitivè procedebant: ergo si Christus Beatissimæ Virgini fuit meritus Maternitatem, principium meriti, quod erat Beatissima Virgo, ut Mater Dei, cadebat sub meritum Christi. Respondeo, quidquid varij variè respondeant, & variando difficultatem augeant, distinguendo sequelam, principium meriti caderet sub meritum, sub qua ratione est principium meriti, nego: sub quâ ratione non est principium meriti, concedo. Sed Beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Christi iuxta illorum temporaneam executionem, secundariò decretam, transeat; juxta illorum existentiam in decreto & intentione primaria Dei, sic nego. Sub hac quippe ratione substantia Christi & existentia meritorum decernebatur futura, priusquam decerneretur, an, vel ex quibus Majoribus & Matre deberet nasci.

Dices. Non poterat Christi Incarnatio quoad 13. substantiam prævideri, priusquam prævideretur hæc numero humanitas, sed hæc numero humanitas non poterat prævider & existere in mente Divina, nisi prævideretur Maternitas: ergo nec Incarnatio Christi prævideri poterat, nisi prævisâ hac Matre.

Respondeo negando minorem, & majorem probationis distinguo: hic numero effectus pendet ex hac numero causâ & actione, supposito, quòd sit producendus per causam & actionem creatam, transeat: absolutè & prævie ad hanc suppositionem, nego: ergo hæc numero humanitas essentialiter pendet ex hac numero Matre, supposito, quod Deus Christum voluerit tali modo incarnari & nasci, concedo; absolutè nego. Cùm enim actio Divina eminenter contineat actionem cujuscunque creaturæ, vi cujus omnia corpora eadem numero resurgent, nihil cooperante actione ullius causæ secundæ, ideo Deus potuisset hanc numero humanitatem Christi vel creando, vel alio modo materiam animæ uniendo producere, & ita merita Christi patientis causare, quamvìs ex Matre carnem non sumpsisset, ideóque potuit Christi futura merita independenter à Maternitate Beatissimæ Virginis in suo efficaci decreto videre.

Instabis: Deus Beatissimæ Virgini contulit 14. gratias, ipsamque Maternitatem propter merita Christi, ut talis hominis existentis in tali corpore, cum tali materia & unione animæ, cum hâc numero materiâ (aliter quippe non poterat videri existens) sed hæc numero materia fuit desumpta ex corpore hujus determinatæ Virginis, cum dependentia ab hoc numero concursu materno: ergo Deus Beatissimæ Virgini contulit maternitatem ob merita Christi, ut operantis cum dependentia ab hoc numero concursu materno.

Respondeo distinguendo alterum extremum majoris: ut talis cum tali materia substante operationi & decreto Divino, adhuc præscindenti ab hoc determinato modo nascendi, concedo. Determinanti talem modum nascendi ex Virgine, nego. Sed hæc numero materia fuit desumpta ex Virgine, prout substabat decreto determinanti ad talem modum nascendi, concedo. Præsuppositivè, & prout substabat decreto præcisè determinanti substantiam Incarnationis, nego minorem & consequentiam.

ARTICULUS V.

An, vel quomodo SS. Patres Incarnationem meruerint?

SUMMARIA.

1. *SS. Patres non meruerunt de condigno substantiam, vel circumstantias Incarnationis.*
2. *Meruerunt de congruo Incarnationem.*
3. *Non tamen quoad substantiam.*
4. *Non enim eorum merita potuerunt esse prævisa ante Incarnationem.*
5. *Æquè extrinsecum, quàm intrinsecum principium meriti non cadit sub meritum.*
6. *Causa meritoria non pertinet ad genus causæ finalis, sed efficientis.*
7. *Meritum congruum propriè sumptum non est pura dispositio ad præmium.*
8. *Meruerunt de congruo Incarnationem quoad circumstantias.*
9. *Ratio Doctoris Angelici.*
10. *Authoritas S. D. objecta exponitur.*
11. *Desideria SS. PP. non evincunt meritum congruum Incarnationis quoad substantiam.*
12. *B. V. de congruo meruit maternitatem Dei.*
13. *An non hinc sequitur principium meriti cadere sub meritum?*
14. *Non; quia Incarnatio Christi non sub eadem, sed diversa ratione est prior & posterior, quàm meritum B. V.*
15. *Potuit existentia Christi prævideri ante circumstantiam maternæ generationis; non ante circumstantiam passibilitatis.*

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. QVæstio procedit de Incarnatione tam quoad substantiam, quàm circumstantias, & quidem de merito congruo, non condigno: certum enim est ex antè dictis, quòd antiqui patres, qui in Lege naturæ vel Moysis Incarnationem Christi antecesserunt, nec ipsam Incarnationem, neque circumstantias ipsius de condigno mereri potuerint. Non ipsam Incarnationem; quia nullum meritum puri hominis in suo valore intrinseco adæquare potest unionis hypostaticæ præmium, utpote longè inferius ordine hypostatico. Non etiam circumstantias; tum quia gratia viæ per se tantùm ordinatur ad præmium vitæ æternæ; tum quia istæ circumstantiæ saltem reductivè pertinent ad ordinem hypostaticum, sicque excedunt proportionem meriti purè creati. Hoc posito sit

2. CONCLUSIO PRIMA. *SS. PP. meruerunt de congruo strictè sumpto Incarnationem, non quoad substantiam, sed quoad aliquas circumstantias.* Ita complures Thomistæ, præsertim hujus Universitatis, nominatim Reverendissimus Oberascher. Magnifici PP. Retschacher, & Wibmperger in Thes. de Incarnat. contra multos Thomistas. Prima pars est expressè Divi Thomæ hîc a. 11. & ratio ipsius est, *quia congruum erat, ut Deus exaudiret vota ac postulationes amicorum suorum*: Sed antiqui Patres desiderabant & postulabant Incarnationem Christi, erántque amici Dei: ergo congruum erat, ut Deus ipsos exaudiret, & consequenter de congruo merebantur Incarnationem; cùm petitio digna exaudiri, & habens vim movendi secundùm Leges amicitiæ, & bonitatis Divinæ, sit ipsum meritum de congruo strictè sumpto. Minor constat ex varijs Scripturis, ut Isai. 45. *rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* & cap. 64. *utinam disrumperes cœlos, & descenderes!* Psal. 105. *visita nos Domine in salutari tuo.*

3. Secunda pars, quæ est contra Io. à S. Th. Gonett, & multos alios è Schola S. D. Probatur clara authoritate S. D. hîc a. 11. simul fundamentum præbentis nostræ assertionis: nam prosequens paritatem inter privatam gratiam hominis justificati, vel vocati, & inter gratiam unionis: *gratia*, inquit, *non potest cadere sub merito, quia est merendi principium: Unde multò minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ.* Ex quibus sic ducitur argumentum: principium meriti in eodem genere & ordine non cadit sub meritum, nec mediatè, nec immediatè, neque de condigno neque de congruo: sed Incarnatio Christi; secundùm substantiam est principium omnis meriti antiquorũ Patrum; quia est principiũ omnis gratiæ, à qua procedunt, & dignificantur merita Antiquorum Patrum, & quidem in genere causæ moralis meritoriæ, ut suppono ex dicendis: ergo fieri non potest, ut eadem Incarnatio Christi cadat sub meritum Antiquorum Patrum.

Confirmatur primò. Si Antiqui Patres potuissent mereri Incarnationem, tunc eorum merita fuissent prævisa ante Incarnationem Christi; sed non fuerunt prævisa; ergo. Minor probatur. Non potuerunt videri merita Antiquorum Patrum, nisi videretur principium illorum meritorum; sed principium illorum meritorum, est substantia Incarnationis; ergo. 4.

Confirmatur secundò. Si Antiqui Patres meruissent substantiam Incarnationis, tunc etiam Christus eandem meruisset; consequens nobiscum negant authores hujus sententiæ; ergo & antecedens. Sequela probatur. Si Antiqui Patres meruissent Incarnationem, tunc Christus non aliter meruisset gratiam Antiquis Patribus, quàm ut existens in intentione Dei, quia in executione merita antiquorum Patrum præ-

præcessissent substantiam Incarnationis; sed hâc ratione Christus etiam sibimetipsi meruisset substantiam incarnationis, quia Christus & ejus merita prout existentia in intentione Dei, etiam erant priora, quàm substantia Incarnationis in executione.

5. Nec satisfacit Gonett primò dicendo, quòd principium formale, & intrinsecum meriti non possit cadere sub merito, benè autem extrinsecum & efficiens, quale est Incarnatio Christi. Nam contra est primò, quòd prima gratia actualis est principium extrinsecum efficiens, non formale intrinsecum, nec tamen potest cadere sub meritum. Contra est secundò. Quòd eadem ratio militat contra principium extrinsecum&efficiens,quæ militat contra principiū intrinsecū, & formale: nam Incarnatio etiam ut principium extrinsecum efficiens esset in eodem genere causæ moralis efficientis prior, & posterior; prior, quia causaret movendo præmiantem; posterior, quia esset ipsum præmium, quod in genere causæ efficientis causatur à merito.

6. Nec satisfacis secundò cum Joañe à S.Th. aliisque, quòd Incarnatio Christi causaret gratiam, & merita antiquorum Patrum in genere causæ meritoriæ finalis, & vicissim causaretur in genere causæ meritoriæ efficientis, nihil autem sit inconveniens, ut aliquid in diverso genere sit prius, & posterius. Nam contra est, quòd ut art. 3. ostensum, causa meritoria non possit se habere in genere causæ finalis, sed efficientis; quia non movet, ut ipsa sit, sed ut propter ipsam, jam suâ existentia dignificantem subjectum, aliquid aliud à præmiante conferatur; aliàs non foret ratio, cur non prima gratia caderet sub meritum.

7. Nec satisfacis tertiò cum relato Gonet dicendo, quòd meritu de congruo tantùm se teneat in genere causæ moralis dispositivæ materialis, meritū verò de condigno in genere causæ moralis efficientis. Contrà enim est, quòd meritum congruum non per hoc distinguatur à condigno, quòd istud moveat efficienter, illud autem se solùm habeat dispositivè, hoc enim tantùm convenit merito congrui latissimè sumpto (aliàs non esset ratio, quare contritio respectu primæ gratiæ habitualis non esset propriè meritum de congruo, siquidem per ipsam homo est congruè dispositus ad gratiam) sed per hoc distinguitur, quòd licèt utrumque meritum habeat intrinsecum valorem, & vim movendi præmiantem, valor tamen meriti condigni, ejusque vis movendi proveniat ex condignitate operis, adæquante valorem præmij; valor autem meriti congrui solùm ex congruitate amicitiæ; unde illa infallibiliter, ista verò fallibiliter infert præmium.

8. Tertia pars colligitur ex cit. S.D. hîc in corpore; nam Antiqui Patres de congruo meruerunt Incarnationem; sed non meruerunt illam secundùm substantiam, ut primùm ostendimus; ergo secundùm aliquas circumstantias, quas nempe ex variis Scripturæ locis deducimus. Nam obedientiæ Abrahami & Davidis in Deum pietati ac religioni adscribitur, quòd ex eorum progenie Christus sit natus, quia Abrahamo, postquam ex Dei jussu Filium immolare voluit, promittitur Genes. 22. *benedicentur in semine tuo* (id est in Christo, ut exponit Apostolus ad Galatas 6.) *omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Davidi verò *Ps. 68. Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum.* & ps. 13. *Iuravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Rursus antiqui Patres & Prophetæ petierunt accelerationem adventûs Christi, eáque ipsis desiderantibus in solatium fuit promissa, adeóque illam de congruo meruerunt; & desideria quidem exprimuntur locis in primæ partis probatione adductis, ut Isaiæ 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, &c.* Promissio verò habetur Isaiæ 51. *Cito veniet Salus tua.* Habacuc 2. *veniens veniet, & non tardabit.* Daniel 9. *septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut ungatur Sanctus Sanctorum.*

Ratio S. D. est. Tunc Patres meruerunt de 9. congruo circumstantias Incarnationis, ut nempe tali tempore, & ex tali progenie Christus nasceretur, quando hoc beneficium defacto gratis Deo operibus postulârunt, eáque opera ante decretum executivum de circumstantijs Incarnationis ab æterno prævideri potuerunt: sed hoc petierunt, ut constat ex adductis textibus, eáque in priori signo ante decretas & prævisas circumstantias prævideri potuerunt, neque enim merita antiquorum Patrum ab ijs circumstantiis dependent, ut econtra dependent à substantia Incarnationis, tanquam à principio necessario præsupposito, ergo. Quod tamen non in eo sensu est accipiendum, quasi antiqui Patres suis meritis obtinuerint, ut Incarnatio aliàs differenda propter ipsorum merita citiùs poneretur, hinc enim sequeretur aliqua mutatio Divinorum decretorum, quæ implicat; sed quòd prævisis illis antiquorum Patrum precibus Deus ab æterno decreverit, in eorum meritorum remunerationem tali tempore Filium in terras mittere, quem alijs temporibus mittere potuisset.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò authoritatem S. Doctoris hîc 10. in corp. dicentis: *ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem desiderando & petendo.* & in 3. ad Annib. dist. 3. q. un. in corpore. *Sancti Patres Incarnationem meruerunt merito congrui, scilicet se ad suscipiendum tantum beneficium præparando, & non merito condigni, quia non eam per meritum hoc modo debitam sibi fecerunt, quamvis sic potuerunt mereri ejus accelerationem.*

Respondeo ad primum ut suprà, intelligendum esse de Incarnatione quoad circumstantias, non quoad substantiam; vel certè si contendas, Sanctum D. hoc loco agere de Incarnatione, etiam quoad substantiam, *Respondeo sicut ad 2.* ipsum loqui de merito congrui latè & impropriè accepto, non prout significat aliquam causam meritoriam, quâ Deus moveatur ad decernendam Incarnationem, sed passivam dispositionem & præparationem antiquorum Patrum, quâ redderentur congruè & decenter præparati ad tanti mysterij & beneficij receptionem.

Nec sanè aliam esse mentem S. Doctoris patet ex adjuncta ipsius ratione, quòd principium meriti non possit cadere sub meritum, quæ ratio non mi-

nùs oppugnat meritum congrui propriè sumptum, quàm meritum condigni. Patet etiam ex responsione ejusdem S. D. a 13. ubi dicit, quòd *Beatissima Virgo non meruit Incarnationem, nisi supposità Incarnatione faciend ... sic meruit, ut per eam fieret, non quidem merito condigni, sed congrui*, ubi vides expresse dici à S. D. quòd Beatissima Virgo non meruerit de congruo substantiam Incarnationis, sed tantùm circumstantiam Maternitatis, ut nempe *per eam fieret*, quantò magis igitur hoc ipsum sentit de antiquis Patribus.

Neque dicas: D. Thomas cit. loc. ad Annib. dicit, quòd SS. Patres meritis condigni potuerunt mereri accelerationem Incarnationis, quæ est circumstantia: ergo sentit, quòd ipsam substantiam potuerint mereri de congruo propriè dicto, quia merito condigno opponitur meritum de congruo propriè sumptum. Nam respondeo, etiam meritum condigni ibidem non nisi latè accipi, quod patet primò ex argumento sed contrà, ubi probat, Incarnationem Christi non cadere sub meritum condignum ullius hominis, *quia est beneficium impensum toti naturæ humanæ, sed meritum nullius puri hominis extendi se ad totam naturam humanam.* Atqui etiam acceleratio Incarnationis est beneficium se extendens ad totam hominum universitatem. Patet secundò ex verbis immediatè adjunctis, quibus S. D. explicat, quid sub merito condigni velit intelligi; *Deus enim*, inquit, *disposuerat, ut eorum meritis & precibus fieret acceleratio*, his autem verbis tantùm significatur meritum congrui.

11. Objicies secundò. Preces & desideria Sanctorum ... ad beneficium nondum exhibitum habent rationem meriti de congruo, congruum quippe est, ut Deus suos amicos exaudiat; sed sancti Patres offerebant preces & desideria pro substantia Incarnationis nondum exhibità: ergo meruerunt de congruo ipsam substantiam Incarnationis. Minor probatur. *De cælo descendere, mitti Dei Filium*, significat substantiam Incarnationis; ex hoc enim suprà probavimus, Christum etiam quoad substantiam Incarnationis non fuisse venturum, si peccatum non extitisset, quia Scriptura & Symbolum dicit, quòd *propter nostram salutem de cœlo descenderit*, quòd Deus *Filium miserit, ut Mundus salvetur per ipsum* &c. sed desideria SS. Patrum erant, ut Christus descenderet de cœlo, ut mitteretur, hinc enim dicitur: *mitte quem missurus es, utinam disrumperes cœlos & descenderes* Is. 64. Nec refert, quod SS. PP. fuerint certificati de Incarnationis substantia, esto enim, quòd aliquis esset certificatus de sua salute, adhuc tamen posset illam mereri de condigno; ergo licet SS. Patres essent certificati de Incarnatione futura, adhuc tamen eandem mereri potuere de congruo.

Respondeo primò Majorem tunc habere locum, quando beneficium nondum exhibitum non antecedit priùs naturâ in genere causæ meritoriæ, non autem si antecedat, prout de facto Incarnatio antecedit merita ... Patrum.

Respondeo secundò negando minorem. Et ad primam probationem. Hæc verba significant ... Incarnationis ... absolutè sumptam ... ne-go. Cùm igitur ipse modus optativus ... SS. Patrum in allegatis Scripturis expressus sufficienter designet modificationem accelerationis, ... qua desiderabant adventum Christi, nec ipsa Incarnationis substantia absolutè sumpta foret objectum idoneum postulationis ipsorum, ... desiderabant substantiam Incarnationis ... tandem aliquando exequendam & accelerandam.

Ex quo patet Responsio ad instantiam ... hæc verba indicativi modi *propter nos descendit, Incarnatus, missus est* &c. non significant ... circumstantiam passibilitatis, ut volunt Adversarii, sed ipsammet substantiam Incarnationis, ... sub hoc optativo & deprecativo modo, ... *descenderes, mitte quem missurus es*, significant circumstantiam accelerationis. Ad secundam probationem & instantiam respondeo, quod ... certificatur de sua salute, certificatur de illa, quatenus obtinenda suis meritis, adeoque ut dependenter in genere causæ meritoriæ: at SS. PP. non certificabantur de Incarnatione Christi ut obtinenda per suas preces, sed ut beneficio ex puritate gratia & liberalitate certè conferendo, unde patet disparitas.

§. III.

Corollarium de merito Beatissimæ Virginis.

Colliges ex dictis, Beatissimam Virginem non tantùm I. fuisse dignè dispositam, ut ... mereretur in Matrem Dei: sed etiam II. meruisse maternitatem Dei: III. non quidem de condigno; IV. sed de congruo. *Primam partem* ... Ecclesia Catholica de Beatissima Virgine cantans *quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum*. Et D. Bernardus serm. 4. de Assumpt. *Quæ digna fuit Spiritûs S. sacrarium fieri & habitaculum Filii Dei*. Ratio in promptu est: quia V. B. fuit immunis ab omni peccato tam originali, quàm actuali, ornata quoque gratia sanctificante: sed hæc erat dispositio decentissima ad maternitatem ... Nec minùs *secunda pars* liquet ex Ecclesiæ, Sanctorúmque PP. præconiis: Ecclesia quippe cantat, *quia quem meruisti portare* &c. D. Augustinus de nat. & grat. c. 30. *Beata Maria concipere ... meruit & parere*. S. Hier. ep. 22 ad Eustoch. *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur*. Cæterum quòd ... meritum non fuerit condignum, prout *tertia pars* affirmat, inde est, quòd, cùm maternitas ... termini pertineat ad ordinem hypostaticum, ... scendat ordinem gratiæ sanctificantis, ... meritis Beatissimæ Virginis per eandem gratiam dignificatis nequeat adæquari. Restat ... *quarta pars* conclusionis, quòd maternitatem meruerit de congruo, quam tradit S. D. ... d. 4. q. un. a. 4. l. cit. Nam si SS. PP. per ... orationes & desideria meruerunt fieri ... progenitores Christi, quantò magis per suos perfectissimos actus B. V. meruit fieri Genitrix Christi? Unde D. Bernard. serm. de aquæductu ... *ergo* (B. Virgo) *inaccessam attigit Majestatem* ... *pulsando, petendo, quærendo?*

Sed hîc se offert non levis difficultas. Si enim B. V. meruit de congruo maternitatem Dei, ... in eodem genere causæ moralis meritoriæ ... 12.

idem erit prius & posterius, & principium meriti cadet sub meritum. Consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Juxta dicta in a. 4. Christus fuit causa meritoria maternitatis Beatissimæ Virginis, sed & ipsa esset causa meritoria Incarnationis & meritorum Christi: ergo Christus cum suis meritis esset in eodem genere causæ prior & posterior Beatissimæ Virginis meritis. Minor probatur. Si Beatissima Virgo est causa meritoria illius actionis, per quam Christus ex ipsa conceptus & natus est, tunc Christus, ceu terminus tali actione productus, est in genere causæ meritoriæ ipsâ posterior, & consequenter etiam merita Christi. Sed si Beatissima Virgo est causa meritoria maternitatis Dei, est etiam causa meritoria illius actionis, per quam Christus ex ipsa conceptus & natus est, quia relatio maternitatis fundatur in actione generativa & productiva Filii: ergo si Beatissima Virgo meruit esse Mater Dei, meruit etiam illam actionem, quâ Christus ex ipsa conceptus est.

14. Respondeo negando sequelam, & minorem probationis, ejúsque probationem distinguo, si Beatissima Virgo est causa meritoria illius actionis quatenùs absolutè unientis humanitatem cum Verbo, tunc Christus est ipsa posterior in genere causæ meritoriæ, concedo; si est causa meritoria illius actionis, quatenùs humanitatem tali determinato modo productam unientis cum Verbo, sic nego: sed Beatissima Virgo, si est causa meritoria maternitatis Dei, est etiam causa meritoria illius actionis, quatenùs absolutè assumptivæ humanitatis ad Verbum, sic nego (sic enim substabat decreto præscindenti à circumstantiis, & absolutè determinanti substantiam Incarnationis) est causa illius actionis, quatenus humanitatem tali modo productam unientis cum Verbo (sic enim substabat decreto secundario & posteriori, quo Deus ex prævisis meritis Christi tales & tales circumstantias decrevit) concedo minorem, & nego consequentiam. Ratio ex dictis est, quòd Christus est causa meritoria quatenùs ex vi primarii decreti, adhuc præscindentis à circumstantiis non necessariis, existens, & merita Passionis ac mortis offerens, non quatenùs existens vi secundarii & posterioris decreti, quo Deus primùm ordinavit, ut tali viâ & ordine generationis veniret in Mundum.

Dices: Non potuit Christus in aliquo signo præviderí ut præscindens à circumstantia passibilitatis, ergo neque ut præscindens à circumstantia talis nativitatis. Respondeo negando consequentiam. Nam passibilitas & impassibilitas sunt circumstantiæ per se connexæ cum natura humana, sine quorum alterutra humanitas Christi non poterat existere in individuo, neque ex istis circumstantiis una æquivalenter, aut eminenter continetur in aliquo alio supplente: atqui produci per actionem generativam ex Virgine non est circumstantia per se connexa, cùm hæc numero humanitas potuisset existere, ut producta in statu virili per actionem creativam vel eductivam ex alio subjecto absque concursu Matris: quæ divina actio æquivalenter & eminenter continet quamcumque creatam actionem, à qua hæc numero humanitas Christi poterat accipere suum esse numericum. 15.

DISPUTATIO VII.

DE Persona assumente ad q. 3.

Post consideratas causas unionis hypostaticæ, nunc extrema ipsius, & primò quidem Personam assumentem consideramus, de quâ fide certum est, de facto solam secundam Personam Trinitatis, nempe Verbum seu filium incarnatum fuisse, ut patet ex Symbolo fidei, & illo Jo. 1. *Verbum caro factum est.* Dubium est solummodò, quænam fuerit proxima ratio assumendi seu terminandi naturam humanam, & an plures personæ unam naturam, vel una plures posset assumere?

ARTICULUS I.

Quæ sit proxima ratio terminandi naturam humanam?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Natura non potest esse proxima ratio terminandi.*
3. *Proxima ratio terminandi naturam humanam est relativa subsistentia Filii, ex anthoritate.*
4. *Et ratione, quòd sequeretur totam Trinitatem esse incarnatam.*
5. *Disparitas inter rationem generandi & terminandi in Divinis.*
6. *Subsistentia relativa continet eminenter omnem creatam subsistentiam quoad perseitatem incommunicabilitatis.*
7. *Disparitas inter immediatam unionem cum persona & natura.*
8. *Natura Divina, & subsistentia absoluta sunt mediatus terminus humanitatis.*
9. *Et radicalis ratio terminandi.*
10. *Absoluta subsistentia potest esse immediatus terminus naturæ alienæ.*

§. I.

Subsistentia relativa asseritur.

Certum est de fide, quòd sola secunda Persona nempe Verbum & Filius naturam humanam assumpserit, uti constat non solùm ex Evangelio, ubi- 1.

ubique affirmante Verbum carnem factum esse. Filium fuisse missum &c, & ex cunctis fidei Symbolis, sed etiam ex concilio Toletano 6. & 11. definiente in Confessione Fidei, *solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate naturæ Divinæ.* Igitur est quæstio, quænam sit formalis & proxima ratio, per quam verbum Divinum assumpserit ac terminaverit humanam naturam? Ubi

2. Supponitur primò, Proximam rationem terminandi non fuisse naturam Divinam, quia aliàs unio verbi Divini cum natura humana fuisset facta in natura, quod priori disp. rejecimus.

Supponitur secundò, Ex Tract. de SS. Trin. dari in Deo subsistentiam virtualiter duplicem, correspondentem duplici muneri & effectui formali, quem tribuit subsistentia in rebus creatis. Una est subsistentia absoluta, quæ tribuit perseitatem independentiæ ab alio supposito sustentante: altera est relativa, quæ tribuit formalem effectum incommunicabilitatis. Ista multiplicatur in Divinis juxta numerum suppositorum & Personarum: illa verò utpotè absoluta est communis toti Trinitati. Quibus suppositis sit

3. CONCLUSIO. *Ratio proxima & primaria terminandi naturam humanam est subsistentia relativa propria Filio.* Ita communior Thomistarum, & colligitur ex S. D. h. q. 4. a. 1. ad primum dicente: *Quamvis Pater sumat naturam humanam ad personalitatem Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se, quia non est idem suppositum Patris & verbi.* Ubi ostendit causam, cur Pater non sit Incarnatus, esse distinctionem suppositi inter Verbum & Patrem, quæ ratio non procederet, si unio hypostatica fuisset facta in subsistentia absoluta, ratione cujus suppositum Verbi non distinguitur à supposito Patris.

Probatur primò ex Concil. Tol. loc. cit. dicente: *Cum tota sit cooperata Trinitas ad formam suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Divinæ naturæ, id est, in eo, quod est proprium Filio.* Subs. sed subsistentia absoluta non est propria Filio, est autem propria subsistentia relativa: ergò hæc unio non est facta in subsistentia absoluta sed relativa.

Neque dicas: hoc quidem verum esse de subsistentia absoluta solitariè considerata: non de illa ut modificatâ per relationem Filij. Contra enim est, quòd equidem hac ratione subsistentia absoluta diceretur appropriata Filio, non autem propria, nihil quippe in Divinis est Personis proprium, nisi quod relativum, ut nec datur alia proprietas, quàm relatio: Sed Concilium requirit prò ratione terminandi id, quod est proprium Filio: ergo non sufficit subsistentia modificata relatione; sed requiritur subsistentia absoluta.

4. Probatur secundò. Si subsistentia absoluta immediatè & formaliter terminâsset naturam humanam Christi, non esset ratio, cur non tota Trinitas esset & diceretur incarnata; consequens est absurdum. Sequela prob. Si natura Divina immediatè terminâsset naturam humanam, tota Trinitas fuisset incarnata, eò quòd natura Divina sit communis toti Trinitati: ergo etiam si subsistentia absoluta immediatè terminaret naturam humanam Christi, tota Trinitas esset incarnata: quia etiam subsistentia absoluta est una & communis toti Trinitati.

Antecedens habetur in cit. Concil. Tolet. sic dicente: *Nam si naturam hominis, Deique alteram in alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat, naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam.* Consequentia patet ex idenditate rationis.

Confirmatur primò. Ideò omnes tres personæ effectivè operatæ sunt Incarnationem, quia virtus operativa est absoluta & communis in omnibus Personis; ergo omnes tres Personæ dicentur incarnatæ, si proxima ratio terminandi naturam humanam est absoluta & communis in omnibus Personis.

Confirmatur secundò. Quia Divina natura immediatè per priùs terminatur subsistentiâ absolutâ, quàm tribus relativis, ideò subsistit in omnibus tribus personis; ergo si natura humana per priùs immediatè terminatur subsistentiâ absolutâ, quàm relativâ, subsistet in omnibus tribus personis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. OBjicit primò Medina; Quamvis essentia Divina sit communis omnibus Divinis Personis, tamen quatenùs est modificata per relativam proprietatem Patris, est ratio generandi in Patre, non in reliquis Personis; ergo etiamsi subsistentia Divina sit communis omnibus Personis, tamen quatenùs est modificata per subsistentiam relativam Filij, erit ratio terminandi naturam humanam in solo Filio, non etiam in reliquis Personis.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd proxima ratio generandi est ratio communicandi naturam & assimilandi terminum productum principio producenti, quod fieri non posset, nisi per aliquam perfectionem absolutam; atqui ratio terminandi, quâ verbum terminat naturam assumptam, non est ratio assimilandi, sed potiùs distinguendi naturam terminatam ab omni alio, siquidem facit illam incommunicabilem omni alteri supposito, adeóque in recto debet dicere aliquid distinctum ab omni aliâ personâ Divinâ, quod non est nisi subsistentiâ relativa.

6. Objicit secundò Durandus. Ratione illius formæ Verbum immediatè terminat humanitatem, ratione cujus eminenter continet omnem creatam personalitatem; sed hanc continet ratione subsistentiæ absolutæ, non ratione relativæ: ergo verbum ratione subsistentiæ absolutæ immediatè terminat humanitatem. Minor probatur: Infinita perfectio subsistendi verbo convenit ratione subsistentiæ absolutæ, non relativæ, quia diximus in Tract. de Trinit. relativas subsistentias in explicito conceptu nullam dicere perfectionem; sed eminenter continere personalitatem creatam, est infinita perfectio: ergo tantùm convenit Verbo ratione subsistentiæ absolutæ.

Respo-

Respondeo dist. majorem: ratione illius formæ verbum immediatè terminat humanitatem, ratione cujus eminenter continet personalitatem creatam; quoad effectum formalem & perseitatem incommunicabilitatis, conc. quoad effectum formalem & perseitatem independentiæ, nego, & pariter distinctâ minore nego consequentiam. Similiter ad probationem dist. minorem, eminenter continere personalitatem creatam, quoad perseitatem independentiæ, est infinita perfectio, conc. quoad perseitatem incommunicabilitatis, nego: ergo eminenter continere quoad priorem perseitatem convenit verbo ratione subsistentiæ absolutæ, conc. quoad perseitatem secundo modo, nego consequentiam: si enim quoad hunc effectum incommunicabilitatis nullam explicitè perfectionem dicit, quantumvis habeat vim terminandi naturam Divinam simpliciter infinitam, pariter non erit necessarium, ut dicat aliquam perfectionem propter virtutem terminandi naturas infinitas ad extra.

9. Obj. tertiò: In divinis non sequitur, quòd si cui personæ unitur, vel identificatur divina natura, etiam uniatur vel identificetur Paternitas, quamvis identificetur cum natura Divina: ergo etiam non sequitur, quòd si naturæ humanæ immediatè unitur natura Divina, vel subsistentia absoluta, etiam uniatur Paternitas, vel spiratio passiva, & consequenter non sequitur, quòd omnes tres Personæ Trinitatis sint incarnatæ.

Respondeo neg. consequentiam, quia in Divinis Persona, cui natura Divina communicatur, habet relativam oppositionem cum Paternitate, natura verò humana Christi non habet relativam oppositionem cum ulla persona: constat autem prædicata absoluta, & in quibus nulla intercedit oppositio relativa, esse communia toti Trinitati: unde si humana natura fuisset assumpta & terminata per se primò per aliquam formam absolutam, ejusmodi terminatio foret communis toti Trinitati.

§. III.

Corollaria.

Colliges primò, naturam humanam Christi uniri naturæ Divinæ & subsistentiæ absolutæ tanquam termino mediato & secundario; primò, quia utraque identificatur cum termino primario & immediato subsistentiæ relativæ. Secundò, quia natura humana unitur Verbo tanquam personæ Divinæ, h. e. subsistenti in natura Divina, adeòque mediatè unitur naturæ Divinæ.

Colliges secundò, Naturam Divinam & subsistentiam absolutam, quamvis non sint ratio proxima & formalis, tamen esse rationem remotam & radicalem terminandi naturam humanam. Cujus ratio est, quia ideò relativa subsistentia verbi Divini potest proximè terminare humanitatem, quia est infinita in terminando, & eminenter continet omnem subsistentiam creatam, sed hæc virtus infinita terminandi & eminentialis continentia tanquam ex radice oritur ex infinita perfectione naturæ Divinæ & subsistentiæ absolutæ, quæ in relativa transcendentaliter includuntur, ergo, &c.

Colliges tertiò, DEUM ratione subsistentiæ absolutæ posse assumere naturam alienam, eique immediatè uniri, subsistentiis relativis eandem solùm mediatè terminantibus. Ratio est, quòd nulla sit assignabilis ratio implicantiæ, sive ex parte potentiæ obedientialis naturæ assumendæ, sive ex parte subsistentiæ absolutæ, quia non minùs subsistentia absoluta quoad effectum independentiæ est infinita, & eminenter continet subsistentiam creatam, quàm subsistentia relativa quoad effectum incommunicabilitatis: Unde si ista potest esse ratio immediata terminandi naturam creatam, & hæc habet potentiam obedientialem ad suscipiendum immediatum effectum incommunicabilitatis ab illa, etiam subsistentia absoluta poterit esse immediata ratio terminandi naturam alienam, & hæc habebit potentiam obedientialem in ordine ad illam. 10.

Colliges quartò, Humanitati à verbo Divino priùs communicari effectum formalem subsistendi, quàm existendi. Ratio est: quia effectus formalis tribuitur juxta capacitatem subjecti; sed humanitas Christi non est priùs capax recipiendi existentiam, quàm subsistentiam, ut enim S. D. insr. q. 17. a. 2. immediatum susceptivum existentiæ non est natura, sed suppositum in natura subsistens, & existentia est ultima rei actualitas; ergo. 11.

Neque dicas: verbum per priùs continet existentiam, quàm subsistentiam relativam: ergò priùs tribuit effectum formalem existendi, quàm subsistendi. Nam negatur consequentia, ob datam rationem: quia effectus formalis tribuitur juxta capacitatem subjecti: humanitas autem non est capax recipiendi existentiam, priusquam in genere substantiæ sit completa per subsistentiam.

Colliges quintò. Paternitatem & spirationem passivam, quibus constituuntur Personæ Patris & Spiritûs S. ne quidem mediatè uniri humanitati Christi: quia ratio mediatæ unionis cum humanitate Christi est identificatio cum termino primario humanitatis; atqui prædictæ proprietates relativæ non identificantur cum termino primario humanitatis, quæ est subsistentia relativa: ergo neque mediatè uniuntur, quantumvis identificentur cum termino secundario, nempe naturâ Divinâ & subsistentiâ absolutâ. 12.

Articulus II.

An plures Divinæ Personæ possint unam, vel una plures naturas assumere?

SUMMARIA.

1. *Possunt plures Personæ Divinæ terminare eandem naturam creatam.*
2. *Si tres assumerent naturam humanam, homo diceretur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.*
3. *Potest una Divina Persona assumere plures naturas.*
4. *Creata hypostasis non potest intrinsecè terminare naturam alienam.*
5. *Authoritas D. Anselmi exponitur.*
6. *Effectus formalis Divinæ Personalitatis est reddere naturam incommunicabilem alteri ut Personæ tantùm extraneæ.*
7. *Disparitas de incompossibilitate personalitatis creatæ cum increata in eadem natura.*
8. *Instantia quadam Philosophica solvuntur.*
9. *Si una Persona assumeret plures humanitates, non essent plures, sed unus homo.*

§. I.

3. CONCLUSIO I. *Possunt plures & omnes tres Divinæ Personæ simul eandem numero naturam creatam terminare.* S. D. q. 3. a. 6.

Ratio est: si qua foret repugnantia, illa vel esset ex parte personæ assumentis & terminantis, vel esset ex parte potentiæ obedientialis naturæ assumendæ? Non ex parte personæ assumentis, quia illæ defacto simul terminant unam eandémque naturam Divinam: non ex parte potentiæ obedientialis, tumquia ista non habet majorem capacitatem respectu unius, quàm respectu alterius Personæ; tum quia potentia obedientialis, seu naturæ terminabilitas est & dicitur talis per ordinem ad terminum supernaturalem & increatum, unde si ex parte termini nulla est repugnantia, & mutua exclusio, etiam nulla est ex parte potentiæ & terminabilitatis obedientialis.

Confirmatur. Natura increata & infinita DEI est infinitò modo terminabilis ab omnibus tribus Personis: ergo natura creata & finita est finito modo terminabilis ab omnibus tribus Personis.

2. Colliges: Si tres Divinæ Personæ assumpsissent vel assumerent eandem naturam humanam, homo tunc rectè diceretur Pater, Filius, & Spiritus S. sicut Deus hoc modo dicitur, quia natura Divina subsistit in tribus Personis; non ideò tamen valeret hæc consequentia *hic homo est Pater, hic homo est Filius, ergo Pater est Filius.* Sicut enim de facto in DEO non valet hæc consequentia, quia DEUS est medium communicabile tribus Personis; ita neque tunc valeret, quia homo seu natura humana esset medium communicabile omnibus Personis. Sed etiámne in illo casu rectè dicerentur plures homines?

Resp. Cum S. D. negativè, quia ut multiplicetur concretum substantiale, non sufficit multiplicatio suppositi, sed insuper requiritur multiplicatio formæ, & naturæ significatæ, quæ causa est, quòd in Divinis non dicantur tres Dij, sed unus DEUS in tribus Personis; atqui in nostro casu non multiplicaretur natura: ergo.

CONCLUSIO II. *Potest una Divina simul assumere plures naturas.* S. D. a. 7. Quam etiam tenet Scotus in 3. dist. q. 3. Ratio est: tunc potest Persona Divina terminare plures naturas, quando per terminationem unius naturæ non exhauritur ipsius vis infinita terminandi aliam & aliam naturam; sed hæc non exhauritur per terminationem unius naturæ hoc ipso, quòd sit infinita: ergo. 3.

Quæres incidenter: An saltem per absolutam potentiã aliqua creata hypostasis possit intrinsecè terminare naturam alienam? 4.

Respondeo negativè cum communi Thomistarum. Ratio est quia ut possit terminare alienã & distinctam naturam, deberet ejusdem hypostasin eminenter continere; sed non continet, tum quia hæc continentia convenit Divinæ Personæ propter infinitam perfectionem, non enim est major ratio continendi unam hypostasin, quàm alteram, ideóque personalitas continens unam hypostasin, contineret omnes, & infinitas; tum etiam, quia quælibet hypostasis creata per essentiam est determinata ad propriam naturam, à qua contrahitur & specificatur: unde cùm DEUS nec per absolutam potentiam possit rerum essentias immutare, fieri non potest, ut subsistentia creata terminet aliam naturam creatam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBijcies primò contra 1. conclusionem Authoritatem D. Anselmi, l. 2. cur DEUS homo cap. 9. scribentis. *Plures enim personæ nequeunt unum & eundem hominem assumere in unitate Personæ, quare in una Persona tantùm hoc fieri necesse est.* 5.

Respondeo D. Anselm. loqui ex supposito ordine Incarnationis, prout defacto peracta est, sic enim, quia de fide est, quòd Incarnatio sit facta in unitate Personæ, sequitur necessariò, quòd sit facta in una Persona, nam si plures Personæ assumerent eandem naturam, terminus resultans non esset una numero persona, & hic est sensus verborum S. Anselmi.

Objicies secundò. Si creata natura assumeretur à pluribus Personis, illæ tribuerent & non tribuerent effectum formalem subsistendi: ergo implicat illam à pluribus personis assumi. Antecedens probatur: tribuerent, ut supponitur; non tribuerent, quia effectus formalis personalitatis est, naturam reddere incommunicabilem alteri; sed si natura creata assumeretur à pluribus Personis, non esset incommunicabilis alteri: ergo non acciperet effectum formalem Personalitatis. 6.

Re-

Respondeo negando sequelam: ad prob. distinguo majorem: effectus formalis est reddere naturam incommunicabilem alteri, ut Personæ extraneæ, conc. ut non extraneæ, nego. Atqui Divinæ Personæ ad invicem non sunt Personæ extraneæ, sed, ut vocant Theologi in Tract. de Trinit. per circuminsessionem intimè in se mutuò immanentes & existentes: unde nec se à terminatione ejusdem increatæ naturæ mutuò excludunt.

7. Objicies tertiò. Non posset aliqua Persona increata assumere naturam simul terminatam personalitate creata, ut tenet communis Thomistarum: ergo neque poterit assumere naturam creatam jam actu terminatam personalitate increatâ. Consequentia probatur, quia Personalitas increata supplet, & tribuit eundem effectum, quem tribueret personalitas creata: ergo si ista poneret essentiale impedimentum assumptibilitatis ab alia persona, poneret similiter tale impedimentum personalitas increata.

Respondeo. neg. consequentiam. Disparitas est, quod creata subsistentia, vel personalitas formaliter facit naturam creatam subsistere in se, & non in alio. Si ergo simul subsisteret in Persona Divina, simul subsisteret in se & non in se; in alio, & non in alio, quod implicat: atqui Personalitas Divina non tribuit hunc effectum formalem, adeóque nulla est paritas. Ex quo patet responsio ad prob. nam dist. antecedens: Personalitas increata tribuit eundem effectum quoad perseitatem independentiæ, & incommunicabilitatis ab altera Persona extranea, concedo, quoad rationem essendi in se, nego.

8. Objicies quartò quasdam instantias & paritates philosophicas. *Primò.* Idem effectus non potest simul dependere à duabus causis adæquatis; ergo nec eadem natura à pluribus Personis, quarum quælibet tribueret adæquatum effectum subsistendi. *Secundò.* Idem corpus non potest simul replicativè poni in duplici loco adæquatè circumscriptivo, nec Angelus in pluribus locis adæquatis: ergo nec eadem natura sub pluribus personalitatibus. *Tertiò.* Idem accidens non potest esse in pluribus subjectis, ergo nec eadem natura in pluribus personis.

Respondeo ad primum. Disparitatem esse, quòd in productione effectûs adæquati à causa adæquatâ expletur & exhauritur tota capacitas producibilitatis, & potentiæ tam intensiva, quàm extensiva, ac proinde alteri causæ nihil producendum relinquitur: atqui per terminationem increatæ personæ non expletur tota capacitas saltem extensivæ potentiæ obedientialis, quin ulterius possit recipere terminationem alterius personæ. Esto enim, quod Personalitas Verbi expleat naturam humanam in ratione incommunicabiliter subsistendi, non tamen explet in ratione subsistendi per modum Patris & Spiritus Sancti. Unde natura humana adhuc servat potentiam obedientialem ad personalitates Patris, & Spiritus Sancti. Ad secundum dispar est, quòd si idem numero corpus replicaretur, esset indivisum & divisum à se ipso, ut suppono ex Philosophia, Angelus quoque si foret constitutus in pluribus locis adæquatis, tunc tota virtus ipsius activa esset exhausta, & non exhausta, ut suppono ex Tract. de Angelis; neutrum verò contingeret in nostro casu. Ad tertium disp. est, quod accidens individuatur à subjecto, ideóque si foret in pluribus subjectis, esset & non esset idem numero accidens, atqui natura creata non acciperet suam individualitatem ab hypostasi.

9. Objicies quintò contra secundam conclusionem. Si plures humanitates assumerentur ab una eademque Persona, vel essent plures homines, vel unus homo? Non plures homines, quia *Ly homo* significat personam humanam, tunc autem non essent plures personæ. Non etiam unus homo, quia illæ humanitates essent ab invicem divisæ & distinctæ.

Respondeo cum S. D. hic, quod essent unus homo habens duas naturas humanas, non autem plures homines, ob assignatam rationem, quia cùm concretum substantivum *homo* significet personam humanam, ad ejus multiplicationem non sufficit vel sola multiplicatio personæ, ut constat ex art. præcedenti; vel sola multiplicatio naturæ, sed utraque requiritur. Nec refert, quòd illæ naturæ essent ab invicem distinctæ & divisæ: hoc enim verum quidem est, quia cùm nulla ex ijs naturis identificetur cum hypostasi Divina, idcircò nec mediatè, nec immediatè sibi invicem uniuntur, dum econtrà in Christo natura Divina & humana mediatè ad invicem uniuntur, eò quòd natura Divina cum hypostasi Verbi identificetur. Non ideò tamen possunt dici plures homines, quia, ut dictum, non sufficit ad multiplicationem concreti substantivi multiplicatio solius naturæ & formæ significatæ, sed insuper requiritur multiplicatio suppositi: sic dicitur unus artifex, licèt habeat plures artes, unus Christus, licèt habeat plures naturas, Pater Divinus unum principium Filij & Spiritus Sancti, licet per virtualiter distinctas relationes, & rationes principiandi.



DISPUTATIO VIII.

DE

Natura assumpta.

VArii sunt termini, de quibus institui potest quæstio, an fuerint assumpti, vel an potuerint assumi? Nam est inprimis natura substantialis, deinde accidentalis. Natura substantialis alia completa, & totalis, alia incompleta & partialis. Et hæc aliquando conjuncta cum toto, ut pes, manus &c, aliquando separata à toto. Unde ut singula breviter discutiantur, sit

ARTICULUS I.

An & qua natura potuerit à Verbo assumi?

SUMMARIA.

1. *Conclusio affirmativa probatur authoritate & ratione.*
2. *Ex qua nihil indecorum DEO sequitur.*
3. *Unio hypostatica tribuit formales effectus juxta capacitatem subjecti.*
4. *Quomodo sit intelligendum, quòd operari sequitur ad esse?*
5. *Non est universaliter verum, quòd qui plus potest, possit etiam minus.*
6. *Accidens potest assumi ad existentiam, non autem ad subsistentiam Divinam.*
7. *Objectiones variæ solvuntur.*
8. *Formæ extra subjectum conservabiles, sunt etiam assumptibiles.*
9. *Quomodo possit DEUS supplere subsistentiam partialem?*
10. *Partes integrales ut separatæ à toto possunt assumi.*
11. *Qualis debeat esse proportio inter subsistentiam & entitatem.*
12. *Subsistentia creata non est assumptibilis.*
13. *Natura creata habens propriam subsistentiam non est assumptibilis.*
14. *Paritas à pluribus increatis subsistentiis petita depellitur.*

§. I.

An substantia completa etiam irrationalis & inanimata à Verbo potuerit assumi?

1. CONCLUSIO est *affirmativa* & communis Thomist. Quoad naturam Angelicam constat primò ex Apostolo Hebr. 2. ubi ex eo commendat Divinam erga homines pietatem, quòd ad redimendum hominem voluerit naturam humanam assumere, non autem Angelicam. *Angelos*, inquit, *non apprehendit; semen Abrahæ apprehendit.* quæ commendatio nullius foret efficaciæ, si Angelicæ naturæ assumptio esset impossibilis. Quoad naturam quoque irrationalem & insensibilem constat ex eo, quòd Corpus Christi mortuum Verbo Divino hypostaticè mansit unitum in triduo mortis, quo tempore erat substantia inanimata & insensibilis. Constat insuper ex eo, quòd SS. PP. ut Aug. l. de vera relig. c. 16. dicant, Verbum Divinum potuisse assumere corpus æthereum visiti nostro accommodatum, & hæreticos, qui affirmabant, Verbum Divinum de facto assumpsisse vel corpus æthereum, ut Valentinianus & Gnostici, vel solum corpus, non animam, ut Apollinaris, non refellant propter impossibilitatem assumendi ejusmodi corpus vel æthereum vel terrenum.

Ratio universaliter est. Causa & ratio, cur humana natura potuerit assumi à Verbo, est infinita virtus terminandi & eminentialis continentia subsistentiæ creatæ ex parte Divinæ Personæ, & capacitas per se subsistendi ex parte naturæ humanæ: sed quælibet substantia completa tam irrationalis, quàm rationalis habet capacitatem completè subsistendi, & Divina Persona eandem subsistentiam eminentissimè continet: ergo ex eodem capite, ex quo natura humana est assumptibilis, etiam quælibet alia substantia completa sive rationalis, sive irrationalis, & inanimata assumi potest.

2. Neque existimes exinde aliquid indecens & indignum inferri in DEUM: ut enim Tertull. l. de Carne Christi. c. 4 si Verbum de vacca prodiisset hoc, tantùm esset turpe & indignum DEO, si de nostro sensu judicemus DEUM, & non ex rei veritate, quamvis ab ejusmodi terminis & locutionibus abstinendum sit coram rudibus, qui non perspectâ rei veritate scandalum paterentur.

3. Objicies: Natura, quæ non est capax recipiendi effectus formales unionis hypostaticæ; non est capax recipiendi unionem hypostaticam: sed natura irrationalis non est capax recipiendi effectus formales unionis hypostaticæ: ergo. Minor probatur: effectus unionis hypostaticæ est tribuere esse personale, & substantialiter sanctificare & facere elicitivum visionis beatificæ: sed hæc omnia implicant in substantia irrationali: ergo.

Respondeo formam aliquam posse tribuere diversos formales effectus juxta conditionem & capacitatem subjecti, sic enim gratia sanctificans in homine tribuit effectum formalem filiationis adoptivæ, quem non tribuit in Christo impedita per filiationem naturalem. Sic etiam personalitas Divina uti continet eminenter varias perfectiones, ita tribuere potest varios effectus formales juxta conditionem & capacitatem subjecti: unde si

ſi aſſumat naturam rationalem, dabit ipſi effectum formalem perſonalitatis, quia hæc de connotato importat naturam rationalem, dabit ſanctificationem ſubſtantialem, & ut ſit principium viſionis beatificæ, quia in tali natura ſupponuntur capacitas & potentiæ tum proximæ tum remotæ ex parte ſubjecti. Quòd ſi verò aſſumeret naturam irrationalem, daret illi ſolùm effectum per ſe ſubſiſtendi, quia ad recipiendum hunc ſolùm effectum ſubjectum reperiret idoneum. Unde in forma diſtinguo Majorem. Natura, quæ non eſt capax recipiendi effectus formales ſuæ conditioni tam proportionatos, quàm improportionatos, non eſt capax unionis; nego Majorem, quæ non eſt capax recipiendi ullum effectum proportionatum; concedo majorem. Sed ſubſtantia irrationalis non eſt capax recipiendi effectus formales unionis hypoſtaticæ omnes & improportionatos, quales ſunt enumerati, concedo; aliquem & proportionatum, qualis eſt ſubſiſtentia, nego min. & conſequentiam.

4. Inſtabis primò. Operari ſequitur ad eſſe: ergo ſi ſubſtantiæ irrationali conveniret unio hypoſtatica, etiam deberet convenire viſio beatifica, quæ connaturaliter ſequitur ad eſſe hypoſtaticum. Secundò. Qui poteſt plus, poteſt etiam minus: ergo ſi ſubſtantia irrationalis poteſt recipere unionem hypoſtaticam, poteſt etiam recipere unionem cum gratia ſanctificante, vel viſionem beatificam, quæ ſunt aliquid minus, quàm unio hypoſtatica.

Reſpondeo ad primum. Illud axioma verificari de eſſe formæ, ut ſenſus ſit, quòd qui habet aliquam formam, etiam habet operationem propriam talis formæ: & quòd qui habet operationem connaturalem & propriam alicui formæ, debeat præhabere illā formam: unde cùm viſio beatifica non procedat à ſubſiſtentia Divina tanquam formâ & principio eliciente, ſed ab intellectu informato lumine gloriæ, ſequitur contra Adverſarios, quòd ubi non eſt talis intellectus, etiam non poſſit eſſe viſio beatifica.

5. Ad ſecundum reſpondeo: antecedens tantummodò admitti poſſe in effectibus intra eundem rerum ordinem ſpeciemque contentis, aliàs ſequeretur, quòd intellectus poſſet audire, Angelus ſentire, & habere pulchritudinem corporalem, quia eſt capax intellectionis & pulchritudinis ſpiritualis, quæ utique ſunt perfectiores, quàm ſenſatio & pulchritudo corporalis.

§. II.

An natura accidentalis poſſet aſſumi à Perſona Divinâ?

6. CONCLUSIO. *Accidens à Perſona Divina poſſet aſſumi ad exiſtentiam, non autem ad ſubſiſtentiam Divinam.* Ita communis Thomiſt.

Ratio eſt: Ad illum effectum aliqua natura hypoſtaticè poteſt aſſumi, ad quem tanquam eminenter contentum in perſonalitate Divina, habet capacitatem: atqui accidens non habet capacitatem ab ſubſiſtendum, eò quòd per ſe ſubſiſtere ſit eſſentiale complementum ſubſtantiæ in linea ſubſtantiæ, & diſtinctivum à Linea accidentis, habet verò capacitatem ad exiſtendum; ergo accidens divinitùs poteſt aſſumi ad exiſtendum, non autem ad ſubſiſtendum. Confirmatur. Non minùs exiſtentia accidentis diſtinguitur ab ejus eſſentia (ut ſuppono ex Metaph.) quàm eſſentia ſubſtantiæ & humanitatis Chriſti; ſed hæc fuit aſſumpta ad exiſtentiam Verbi Divini, ut primò dictum: ergò etiam accidens hoc modo poſſet aſſumi.

Objicies. I. Si accidens poſſet adeſſe Perſonæ Divinæ, deberet habere capacitatem ad modum eſſendi per ſe; ſed ad hunc nullam habet capacitatem, ſiquidem iſte eſt ſubſtantiæ proprius. II. Accidens non poteſt exiſtere per exiſtentiam ſubſtantialem; ſed eſſe Perſonæ Divinæ eſt exiſtentia ſubſtantialis: ergo accidens per illam non poteſt exiſtere. III. Si DEUS ad ſuum eſſe aſſumeret accidens, cum illo faceret unum per ſe; atqui hoc non poteſt, quia quæ ſunt diverſi generis, non faciunt unùm per ſe; ſed Divinum eſſe & accidens ſunt diverſi generis & ordinis: ergo. IV. Sequeretur, quòd ſi DEUS aſſumeret albedinem, ab illa denominaretur albus, ſicuti denominatur homo ex aſſumpta humanitate; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. 7.

Reſpondeo ad 1. diſt. Majorem: deberet habere capacitatem ad modum eſſendi per ſe, propriè & poſitivè talem, nego. Analogicè & negativè talem, concedo; & pariter diſt. min. nego conſequentiam. Senſus eſt, quòd accidens poſſit divinitùs habere modum eſſendi extra ſubjectum cum negatione actualis inhærentiæ, prout de facto exiſtunt accidentia Euchariſtica, ut tamen exinde non accipiat poſitivum & formalem effectum ſuppoſiti, qui ſubjectum reddit formaliter independens à ſubjecto, & non tantùm actu deſtitutum ſubjecto, iſque eſt proprius formalis effectus ſubſiſtentiæ. Unde ſi DEUS aſſumeret aliquod accidens ſeparatum à ſubjecto, illud quidem actu non eſſet in ſubjecto inhæſionis, ſicque ſimilitudinariè, analogicè & negativè haberet modum eſſendi per ſe: non ideò tamen eſſet ſuppoſitum poſitivè independens, quia vi ſuæ formæ habet connaturalem inclinationem eſſendi in ſubjecto, quæ tamen hîc & nunc eſſet divinitùs impedita. Ad II. permiſsâ majore, quam multi negant, dicentes, accidentia in compoſito exiſtere per exiſtentiam compoſiti, Reſp. diſt. Min. niſi exiſtentia ſubſtantiæ ſit illimitata, & eminenter contineat exiſtentiam accidentis, tranſeat, ſecus nego. Atqui exiſtentia Divina eminenter continet exiſtentiam accidentis. Ad III. Reſp. quæ toto genere differunt, non faciunt unum per ſe, niſi inferius trahatur ad eſſe Superioris, conc. ſi trahatur, nego. Sed eſſe Divinum eſt diverſi generis ab accidente, ut illud tamen trahat ad ſuum eſſe, conc. ut non trahat, nego. Ad IV. nego ſequelam, non enim diceretur albus, ſed habens albedinem; ſicuti Verbum in triduo mortis ratione animæ aſſumptæ non potuit dici animatum, ſed habens animam. Cujus ratio eſt, quòd formæ & accidentia non prædicantur adjectivè & concretè, niſi de ſubjecto, quod informant, vel cui inhærent: ſed nec anima nec albedo informarent Verbum Divinum: adeóque de ipſo tali modo prædicari non poſſunt.

§. III.

Quaenam substantia incompleta divinitùs assumi possit?

8. CONCLUSIO I. *Non solùm anima rationalis, sed qualibet forma corporea & materialis, si possit separatim à materia conservari, potest etiam ad Divinam hypostasin assumi.* Ita communis Thomistarum.

Prima pars est de fide: nam anima rationalis Christi in triduo mortis manebat unita personae Verbi.

Secunda pars probatur à paritate accidentium materialium. Licèt accidentia connaturaliter exigant esse in subjecto, quae tamen divinitùs possunt extra subjectum conservari, atque ita participare aliquem modum existendi per se; idcircò possunt ad Divinam existentiam assumi: ergo licèt forma substantialis corporea connaturaliter petat subsistere dependenter à materia, positâ tamen probabili opinione, quòd possit à DEO separatim à natura conservari, poterit etiam ad Divinam subsistentiam assumi.

9. Dices. Si forma corporea separata à materia divinitùs assumeretur, tunc DEUS deberet supplere subsistentiam partialem: sed hanc DEUS supplere non potest, quia involveret maximam imperfectionem, sicuti nec potest supplere effectum formalem alicujus formae substantialis, vel accidentalis propter imperfectionem partialitatis; ergo. Sequela probatur. Substantia partialis in statu separationis non potest subsistere subsistentiâ totali, sed partiali: ergò si DEUS assumeret substantiam partialem; deberet supplere subsistentiam partialem.

Respondeo primò negando sequelam, & antecedens probationis, quia in tali casu & statu separationis, subsistentia, quâ illa substantia incompleta subsisteret, esset quidem subsistentia entitatis partialis, ipsa tamen non esset partialis; ad hoc enim ulteriùs requireretur, ut illa subsistentia esset per se ordinata ad compositionem faciendam cum alia subsistentia, quod est contra rationem subsistentiae: unde nec anima rationalis, tametsi sit entitas partialis, subsistit per subsistentiam incompletam & partialem.

Respondeo secundò dist. sequelam majoris. DEUS deberet supplere subsistentiam partialem, quoad rationem subsistentiae, quam eminenter continet, concedo, quoad imperfectionem partialitatis, nego. Sicut etiam accidentis extra subjectum conservati existentiam suppleret relictâ imperfectione inhaerentiae.

10. CONCLUSIO II. *Aliqua pars integralis ut caput, manus &c. ut separata à toto potest à DEO assumi: non autem ut unita & conjuncta cum toto, nisi simul assumatur totum integrale.*

Ratio est primò: quomodo aliqua pars est capax existendi & subsistendi per se, eo solùm modo est assumptibilis à DEO: sed partes integrales quamdiu sunt unitae cum toto, tantùm sunt capaces subsistere subsistentiâ totius (suppono enim non dari subsistentias partiales) ut separatae verò sunt capaces subsistere subsistentiâ propriâ, sic enim sunt aliqua tota: ergo partes integrales ut separatae à toto assumi seorsum possunt, ut verò conjunctae cum toto non aliter assumi possunt, nisi per assumptionem totius.

Secundò. Si partes integrales, ut unitae cum toto possent assumi, tunc possent subsistere duplici subsistentiâ creatâ, & increatâ; consequens repugnat dicendis in §. seq. ergo. Sequela probatur: quia subsisterent subsistentiâ totius, quod est ipsis essentiale, quatenus sunt partes existentes in toto; & simul subsisterent subsistentiâ increatâ ex hypothesi.

Dices; Subsistentia debet esse proportionata entitati, ad quam consequitur: ergo cùm totum integrale componatur ex pluribus entitatibus partialibus, etiam subsistentia totius componitur ex pluribus subsistentiis partialibus: & consequenter poterit ejusmodi subsistentia partialis divinitùs suppleri, quin simul suppleatur subsistentia totius. 11.

Respondeo distinguendo antecedens: debet esse proportionata, quoad habitudinem termini & terminabilis, concedo, quoad omnimodam convenientiam, nego antecedens & consequentiam. Subsistentia enim prout & existentia est per se actus totius, qui totum immediatè, & partes non nisi toto mediante respicit.

§. IV.

An natura creata retentâ propriâ subsistentia assumi possit à DEO?

CErtum est, ipsam subsistentiam creatam assumi non posse ad subsistentiam Divinam: quod enim ex propriâ formali ratione est ultimus terminus, ulteriùs terminari nequit, sicut nec forma in eo genere, in quo exercet rationem formae, est informabilis, aut unio unibilis &c. unde si qua Divina persona assumeret naturam creatam subsistentem in propria subsistentia, sola natura, non item subsistentia assumeretur. Igitur quaestione institutâ de sola natura 12.

CONCLUSIO *est negativa*, & communis Thomistarum. 13.

Ratio est primò. Si quà natura creata retentâ propriâ subsistentiâ assumeretur ad personam Divinam, illa simul in se & non in se, in alio & non in alio subsisteret; sed hoc implicat, ergo. Sequela probatur: formalis effectus subsistentiae creatae tanquam essentialiter limitatae ad hanc individuam naturam est, facere illam in se, & non in alio supposito subsistentem; & tamen per increatam hypostasim natura formaliter existeret in alieno supposito: ergo simul existeret in alieno supposito, & non in alieno supposito.

Secundò. Implicat eandem naturam existere duabus existentiis, praesertim si una illarum sit creata, & altera increata: sed hoc fieret, si natura retentâ propriâ subsistentiâ assumeretur ad subsistentiam Divinam: quia subsistentia vel non distinguitur ab actu existentiae, vel habet se ut proxima dispositio, per quam natura fit proximè capax ad existendum.

Tertiò. Si natura creata subsistens esset assumptibilis à Persona Divina, non esset ratio, cur non de facto natura humana Christi haberet propriam personalitatem: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur primò: quia Concilia ex unione

ne

ne humanitatis ad suppositum Divinum inferunt in Christo dari unicam personam & hypostasin, quæ illatio foret inefficax, si propria subsistentia humanitatis fuisset assumptibilis ad Divinam personalitatem. Ita habetur in 5. Syn. Gen. coll. 8. can. 5. ubi dicitur: *si quis non confitetur DEI Verbum carni secundùm substantiam unitum, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Secundò si propria personalitas non impedisset assumptionem humanitatis ad Verbum, tunc in Incarnatione miracula multiplicarentur sine necessitate; sed hoc est contra generalem regulam Theologorum: ergo. Sequela probatur; impedire resultantiam propriæ personalitatis est miraculum: & nulla fuisset ejus impediendæ necessitas, siquidem humanitas non obstante propriâ personalitate assumi potuisset ad personam verbi Divini.

14 Objicies paritatem à subsistentiis increatis; nam istæ se invicem non impediunt, quin una natura possit terminari duplici subsistentiâ increatâ: ergo neque increata subsistentia impediret, quin natura creata simul posset terminari subsistentiâ creatâ.

Respondeo disparitatem esse ex dictis, quòd manente subsistentiâ creatâ suppositum sit subsistens in seipso, non in alieno supposito, & consequénter incapax alienæ personalitatis aut subsistentiæ. Item, quòd ut sic sit existens per existentiam creatam, & sic rursus incapax distinctæ existentiæ increatæ. Atqui si terminetur duplici subsistentiâ increatâ, per utramque subsistit in alieno supposito, & habet unicam existentiam increatam.

ARTICULUS II.

Quas partes humanæ naturæ Verbum Divinum assumpserit?

SUMMARIA.

1. *Veritas fidei de assumptione animæ,*
2. *Corporis.*
3. *Diversitas sententiarum de Sanguine Christi.*
4. *Sanguis fuit immediatè assumptus,*
5. *Et quidem totus,*
6. *Ex suppositione doctrinæ Philosophicæ.*
7. *Probationes Theologicæ.*
8. *Discutitur objecta authoritas D. Thomæ.*
9. *Objectiones aliæ solvuntur.*
10. *Reliqui tres humores fuerunt assummpti.*
11. *Dentes, ungues, & capilli fuerunt assumpti.*
12. *Spiritus vitales & animales sunt assumpti, non item partes excrementitiæ.*
13. *Quatuor humores non possunt per communicationem idiomatum prædicari de Verbo.*

§. I.

An Verbum præter animam & corpus sanguinem assumpserit?

1 NOtandum primò. Certùm esse de fide, ut contra Euticheten Suprà insinuatum est, verum corpus & veram animam humanam à verbo Divino assumptam fuisse. Et quidem quòd veram animam assumpserit, definitum est à Damaso Papa in Concil. Rom. in professione Fidei, item à Concilio Ephesino, Chalcedon. alisque relatis à Suarez disp. 15. se. 2. idque contra Arium & Apollinarem hæreticos, quorum ille dicebat, verbum fuisse loco animæ; iste verò dicebat in Christo quidem animam fuisse, sed non mentem, sive spiritum, h. e. Christum habuisse animam sentientem, sed nõn rationalem. Constat ex claris script. ubi Christus dicitur *homo, habere animam* ut Matt. 26 & Io. 10. & operationes humanas, ut mirari, contristari. Nec ista possunt metaphoricè explicari, tùm quia rueret veritas naturæ humanæ in Christo, tum quia, ut arguit D. August. à S. D. hîc a. 3. citatus, periret fides Evangelicæ narrationis, *aliud enim est, quod propheticè nuntiatur in figuris, aliud quod secundùm verum proprietatem ab Evangelistis historicè scribuntur.*

2 Quoad corpus verùm constas ex carne humana & ossibus, contra Manichæos & Priscillianistas, qui dicebant Christum habuisse corpus fantasticum, & contra Gnosticos dicentes, illud corpus fuisse cœleste, non terrestrum aut natum de Virgine, definitum est in Concil. Ephes. 1. can. 2. & 5. & Lateranensi sub Innocentio III. Constat ex plurimis script. ut Io. 1. *Verbum Caro factum est*, Lucæ 1. *quod nascetur ex te Sanctum.* &c. adeóque ut infert venerabilis Beda l. 4. c. 49. *carnem non aliunde* sed maternâ *traxit ex carne.* Sæpiùs seipsum Christus appellat *Filium hominis*, præsertim verò Luc. ult. Discipulis *conterritis & putantibus se spiritum videre*; se palpandum præbuit, dicens: *palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Cùm ergo constet de fide à Verbo Divino assumptas fuisse partes principales humanitatis, nempe corpus (quo certum est comprehendi carnem & ossa) & animam, de aliis partibus, quæ in humano corpore reperiuntur, dubitatur, uti primò de sanguine, & 3. reliquis humoribus, flava & atra bile, pituitâ seu phlegmate, cholerâ & melancoliâ. Item de dentibus, unguibus, capillis, &c. De quibus

3 Notandum 2. De sanguine Christi tres esse diversas DD. sententias. Prima Durandi in 4. dist. 10. q. n. 19. & Gabrielis asserentium, sanguinem non fuisse immediatè unitum substantiæ Verbi, sed tantùm remotè, in hoc sensu, quòd fuerit sanguis humanitatis Christi, quæ proximè fuit assumpta à Verbo, quomodo accidentia & operationes dicuntur assumptæ. Secunda est Cajetani, Nazarii, Gonett, aliorúmque multorum Thomistarum, distinguentium sanguinem nutrimentalem à naturali, seu vitali. Illum vocant, qui ex cibo & potu seu Chilo generatus, adhuc nondum plenè decoctus deputatur in alimentum animalis, ideóque non est pars actualis sed potentialis ipsius, nec informatur per animam. Naturalem seu vitalem vocant, qui plenè decoctus, & informatus anima est pars animalis actu con-

currens ad integritatem ipsius. Illum negant, hunc affirmant assumptum à Verbo. Tertia est Capreoli, Soti, Medinæ, Lugo, Amici, aliorúmque universaliter affirmantium absque distinctione, totum Christi sanguinem fuisse ad Verbi Divini hypostasin assumptum. Cum quibus sit

CONCLUSIO I. *Sanguis fuit à Verbo immediatè*
4. *assumptus.* Est nunc communis & certa Catholicorum.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ & SS. PP Nam illud Io. 1. *Verbum caro factum est* Cyrillus ep. 8. ad Nestorium ita exponit: *hoc nihil aliud est, quàm quòd in carne & sanguine nobiscum communicaverit,* subsumo: Sed verbum nobiscum communicavit in carne, quatenùs carnem immediatè assumpsit; ergo etiam communicavit in sanguine, immediatè sanguinem assumendo. Certè Christus in utero Virginis vivam veráque hominis carnem assumpsit, sed talis non est caro seorsim accepta à sanguine; ergo carnem unà cum sanguine assumpsit. Rursus in Concilio Ephesino to. 1. c. 14. dicitur, *DEUM, verum naturalémque carnem & sanguinem assumpsisse.* Et in 6. Sinodo act. 8. in profess. fidei Macarij Episcopi Antioch. *Sicut factus est in assumptione carnis & sanguinis, ita quoque mansit, quod erat DEUS.* Quæ PP. & concill. authoritates fundantur in illo Heb. 2. *quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse* (nempe Filius DEI) similiter participavit eisdem, h.e. per assumptionem communicavit se carni & sanguini. Tandem nostra redemptio tribuitur sanguini Christi tanquam condigno & infinito pretio, ut habetur Eph. 10. Colloss. 1. Rom. 3. Hebr. 9. 1. Petr. 1. 1. Io. 1. & in sæpiùs cit. *extrav. Unigenitus de pænit. & remiss.* ubi Clemens VI. dicit, *unicam quoque guttam sanguinis Christi propter unionem ad verbum pro generis humani redemptione sufficiens pretium extitisse.* Quæ vera non essent, nisi sanguis Verbo Divino esset hypostaticè unitus.

Probatur secundò. Verbum Divinum hypostaticè assumpsit omnes partes pertinentes ad integritatem naturæ humanæ; sed sanguis est pars pertinens ad integritatem naturæ humanæ; ergo illũ Christus assumpsit. Major constat: quia verbũ assumpsit totam humanitatem juxta Damasc. l. 3. de fide orthod. c. 6. dicentem, *totum me totus assumpsit, & totus toti unitus est.* Sed tota humanitas nil aliud est, quàm omnes ipsius partes simul sumptæ: ergo omnes partes assumpsit. Minor etiam probatur ex S. D. 1. q. 54. a. 2. ad 3. dicente: *sanguinem Christi ad veritatem naturæ humanæ pertinere.* & ex Aristotele l. 3. de hist. animal. c. 2. & l. 2. de part. animal. c. 2. ubi agens de partibus similaribus animalis primo loco ponit sanguinem.

Potissimùm verò probatur ex Trident. sess. 13. c. 3. definiente, in Sacramento Eucharistiæ; *ipsum Corpus Christi sub specie vini & sanguinem sub specie panis animámq; sub utrâque specie* (existere) *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur,* ubi manifestè dicit, sanguinem esse partem Christi, non utique ratione Divinitatis, vel hypostasis, ergo ratione humanitatis.

Confirmatur primò ex eod. Trid. si Verbum Divinum non assumpsisset sanguinem, tunc Verbum non esset per concomitantiam sub speciebus vini, sicut est sub speciebus panis: consequens est contra expressa verba Tridentini citato loco subjungentis, totum & integrum Christum sub vini specie & sub ejus partibus existere. Sequela probatur. Illa dicuntur in hoc Sacramento esse per concomitantiã, quæ realiter & substantialiter conjunguntur cum termino primario conversionis substantiæ vini, qui est sanguis Christi: sed verbum sanguini non ita conjungeretur; ergo.

Confirmatur secundò. Instrumentum necessarium ad plurimas operationes & motus pertinet ad integritatem animalis; sed sanguis & spiritus cum sanguine identificati sunt necessarij ad plurimas operationes vitales & animales; ergo.

Confirmatur tertiò. Nisi sanguis esset de integritate naturæ non foret ratio, cur in resurrectione assumendus; sed est assumendus; ergo.

§ II.

Totius sanguinis assumptio astruitur.

CONCLUSIO SECUNDA. *Totus Christi sanguis fuit immediatè assumptus.* Ita AA. cit. quos sequitur clariss. Oberascher in Thes. de Incarnatione. 5

Sequitur primò ex nostris principijs Philosophicis, ubi nullam substantialem, sed tantùm accidentalem distinctionem secundùm majorem & minorem perfectionem ac puritatem in sanguine admisimus. Omnis quippe sanguis ceu substantia fluida & liquida in arterijs ac venis velut in vase circumfertur, neque cum alijs partibus solidis, in quas per nutritionem convertitur, continuari potest. Certè nullus est purior sanguis, quàm Spirituum vitalium & animalium, qui ipsi tamen permixtim & indiscretim in cætero sanguine continentur, ut experientia patet: unde non nisi accidentalis est inter sanguinem naturalem & nutrimentalem distinctio, nisi chilum in venis meseraicis attractum & solùm aliquali rubedine tinctum, ac veluti sanguinem in fieri, velis sanguinem nutrimentalem, sed minùs Philosophicè appellare. 6

Probatur argumentis Theologicis primò ex cit. extrav. Clem. VI. Ubi indefinitè de modica gutta Sanguinis Christi affirmatur unio ad Verbum his verbis: *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum ad redemptionem totius humani generis sufficiebat, sed veluti quoddam profluvium noscitur effudisse.* Sed propositio indefinita in materia doctrinali æquivalet universali; ergo accipienda est hæc propositio de omni sanguine Christi. Et confirmatur juxta prædicta verba Summi Pont. ille sanguis erat hypostaticè Verbo unitus, cujus *profluvium quoddam* in passione Christus effudit; sed ille sanguis non erat solùm naturalis; sed etiam nutrimentalis, siquidem omnem suum sanguinem Christus ad extremam usque guttam profudit. 7

Probatur secundò. Sequeretur ex Adversariorum sententia, quòd Christus non verè esset Filius Beatissimæ Virginis: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. In tantùm est Filius Beatissimæ Virginis, in quantum ex substantia ipsius Beatissimæ Virginis suam humanitatem accepit, generatio enim viventis ex aliquo, est ex illo tanquam principio conjuncto, non est autem prin-

principium conjunctum, nisi quatenùs vi generationis aliqua pars naturæ decisa ipso genito communicatur: atqui Christus ex substantia Beatissimæ Virg. nihil accepisset: ergo. Minor probatur. Christi corpus fuit formatum ex sanguine Beatissimæ Virginis, qualem Cajet. vocat *nutrimentalem*, 2. 2. q. 154. a. 12. §. ad evidentiam. Sed iste non esset pars naturæ Beatissimæ Virginis: ergo Christus ex ipsius natura & substantia nihil accepisset.

Probatur tertiò ex S.D. q. 54. a. 2. ad 3. dicente: *totus sanguis qui de corpore Christi fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit*: Sed in toto illo sanguine, quem Christus in tota passione effudit, utique continetur etiam nutrimentalis, nisi velis miraculum novum fingere, & dicere, quòd tempore passionis fuerit conversus in sanguinem naturalem: ergo totus ille sanguis in resurrectione ad corpus assumptus, & consequenter hypostaticè unitus fuit, siquidem quicquid ad veritatem humanæ naturæ pertinet, & cum Christo resurrexit, hypostaticè fit unitum verbum.

§ III.

Solvuntur Objectiones.

8. **O**Bjicies primò auctoritatem S. Doctoris qui d. lib. 5. q. 3. 5. a. dicentis. *Non totum sanguinem nutrimentalem pertinere ad veritatem humanæ naturæ, & sic nihil prohibere, quominùs in Christo fuerit aliquis sanguis nutrimentalis, qui ad veritatem humanæ naturæ non pertineret.*

Respondeo primò retorquendo eandem authoritatem, quia S. D. loco cit. dicit, quòd nihil prohibet aliquem sanguinem nutrimentalem non pertinere ad veritatem humanæ naturæ, ac rursus affirmat, totum sanguinem in passione effusum fuisse Divinitati unitum; ergo S. D. contra Cajet. ejúsque sequaces manifestè concedit aliquem sanguinem nutrimentalem & quidem omnem illum, quem Christus tempore passionis effudit fuisse hypostaticè unitum Divinitati.

Respondeo secundo, S. Doctorem, ut è textu patet, loqui ex suppositione illarum opinionum, quæ dicebant, in sanguine nutrimentali contineri aliquas partes crudiores superfluas ex cibo immediatè generatas, quæ non sunt de veritate humanæ naturæ, quo nomine forsan chilum in venis miseraicis receptum intelligebant: ex qua suppositione subsumit: *Cùm ergo Christus ante passionem comederit & biberit* (sunt verba S.D.) *nihil prohibet in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humanæ naturæ non pertinet, & quem oporteret in resurrectione ad corpus ejus redire.* Mox tamen contra Adversarios immediatè subjungit. *De sanguine in passione effuso dicendum videtur, quod totus in resurrectione ad corpus Christi redierit.*

9. Objicies Secundò. Quod non est actu pars corporis humani, nec proinde pertinens ad integritatem & veritatem ipsius, Christus non assumpsit: sed sanguis præsertim nutrimentalis non est actu pars corporis humani, sed tantum pars potentiâ, teste Philosopho; ergo illum Christus non assumpsit.

Confirmatur primò. Alimentum non est pars corporis, alias etiam cibus in Stomachum trajectus posset appellari pars corporis pertinens ad integritatem ipsius; sed sanguis nutrimentalis est alimentum, quo corpus nutritur, & qui convertitur in substantiam corporis: ergo non est actualis pars ipsius.

Confirmatur secundò. Quòd non vivit, non est pars corporis, nec pertinet ad integritatem ipsius: sed sanguis non vivit, quippe ex veriori Philosophorum corpori solùm contiguus non continuus; ergo non est pars corporis.

Confirmatur tertiò. Si sanguis esset de integritate corporis, tunc in Eucharistia, contineretur sub speciebus panis, non solùm concomitanter, sed etiam ex vi verborum, quia vi verborum ponitur integrum corpus Christi, adeóque omnes partes ipsius: at consequens est contra Tridentinum loc. primò citato: ergo.

Respondeo negando minorem, & ad auctor. Philosophi dico, quòd sanguis dicatur pars potentiâ, comparativè ad partes corporis solidas, viventes, & perfectiores, uti sunt caro, nervi, ossa &c. conc. comparativè ad totum corpus, nego. sicuti in Mundo 4. elementa sunt actu partes totius Mundi, tametsi comparativè ad partes perfectiores, nempe ad corpora mixta sint partes tantùm in potentia.

Ad 1. Confirmationem dist. majorem: alimentum remotum, & purè tale non est pars corporis. conc. alimentum proximum, & quod insuper est instrumentum conjunctum plurium vitalium operationum, gaudij, timoris, iræ, &c. nego.

Ad 2. nego majorem: nam neque reliqui humores cum sanguine permixtim fluctuantes secundùm meliorem Philosophorum opinionem vivunt, & tamen sunt à Verbo assumpti ut dicetur. Ergo, inquis, Verbum assumpsit aliquam naturam inanimatam & irrationalem, quippe non viventem vitâ animæ rationalis: R sp. assumpsit talem naturam particularem & subordinatam vitæ ac naturæ rationali, atque pertinentem ad integritatem ipsius, concedo; talem naturam totalem non subordinatam, & pertinentem &c. nego.

Ad 3. confirmationem nego sequelam majoris, quia directè vi verborum consecrationis illæ solùm partes Corporis Christi ponuntur sub speciebus panis, quæ sunt solidæ, non autem quæ sunt fluidæ, cujus ratio est: quòd consecratio panis significet corpus Christi sub ratione cibi, sed solùm partes continuæ & solidæ corporis Christi habent rationem cibi, ut econtra sanguis, quia est fluidus in consecratione calicis, significatur directè sub ratione potûs.

§ IV.

Quos alios humores, & partes assumpserit?

CONCLUSIO III. *Verbum Divinum assumpsit etiam 3. reliquos humores.* Ita communiter DD. Deducitur primò claré ex c. *in quâdam nostra de celebrat. Missarum*, ubi Innoc. III. ita loquitur: *cùm autem ad compositionem humani* 10.

corporis 4. elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aër, & ignis, & ad vegationem eiusdem corporis 4. humores consimiles illi conveniant; videlicet Sanguis, Colera, phlegma, & melancholia: ut veritatem humani corporis expressius demonstraret, unum ex illis Ioannes expressit. Ex quibus ita probatur conclusio. Quæ spectant ad integritatem humani corporis, sunt Verbo Divino hypostaticè unita; sed ex mente Summi Ponti. 4. humores, quorum unum, nempe Sanguinem Joannes expressit, spectant ad integritatem humani corporis: ergo. Probatur secundò. Partes quæ remanent in corporibus gloriosis, & corpore Christi resurgentis, sunt à Verbo assumptæ; non enim aliâ de causa manent in corpore glorioso, nisi quia pertinent ad integritatem, perfectionem, & ornatum ipsius. Sed 4. humores quippe ad vitæ operationes necessarij permanent in corporibus gloriosis: ergo. Adde, quòd isti humores in humano corpore reperiantur permixti cum Sanguine: unde non videtur conveniens, si Sanguis fuisset à verbo assumptus, non simul assumptis illis humoribus.

11. CONCLUSIO IV. *Dentes, ungues, capilli sunt verbo hypostaticè uniti.* Ita communis DD. cum S.D. in 4. d. 44. q. 1. a. 2. q. 2. ad 3. Ratio est primò. Quia probabile est has partes vivere per informationem animæ rationalis in corpore humano. Secundò quia pertinent ad stabilem ornatum & perfectionem corporis, quâ eâdem ex causâ remanent in corporibus gloriosis, & in corpore Christi gloriosi.

Inferes primò, spiritus tam animales, quàm vitales esse hypostaticè Verbo unitos, quia nimirum sunt ipsæ partes subtiliores & quasi radij humani Sanguinis. 12.

Inferes secundò, salivam, sudorem aliásque excrementitias partes non fuisse hypostaticè Verbo unitas, quia non pertinent ad integritatem, perfectionem & stabilem ornatum corporis humani, eâque de causa in corporibus gloriosis non permanebunt.

Dices: Si verbum assumpsisset hos 4. humores, vel partes, tum sicuti caro assumpta prædicatur de verbo, ita etiam posset dici, quòd verbum esset Sanguis, dens &c. Item quæ prædicantur de sanguine, possent per communicationem idiomatum dici de Verbo Divino; ut sicut ratione animæ dicitur descendisse ad inferos; ratione corporis crucifixus, sepultus; ita ratione Sanguinis diceretur effusus. Consequens est inconveniens, ergo. 13.

Respondeo, partes solùm principales, quæ per synecdochen de tota personâ hominis prædicantur; & illa prædicata partium, quæ de totâ persona hominis prædicantur, pariter per communicationem idiomatum prædicari de Verbo Divino, unde sicut Petrus dicitur sepultus, licèt solum corpus Petri sit sepultum, sic Verbum dicitur sepultum, quamvis hoc soli corpori conveniat. Cùm ergo Sanguis, dens, aliæque similes partes & prædicata ipsis convenientia non dicantur de Persona hominis, etiam per communicationem idiomatum non tribuuntur Personæ verbi.

ARTICULUS III.

An & quæ partes fuerint à Verbo dimissæ?

SUMMARIA.

1. *Anima & corpus in triduo mortis manserunt unita.*
2. *Forma cadaverica assumpta.*
3. *Objectiones solvuntur.*
4. *Sanguis Christo permansit unitus, isque totus.*
5. *Particulæ quædam S. Sanguinis relictæ probabiliùs fuerunt dimissæ.*
6. *Admittendus aliquis ordo prioritatis inter partes assumptas, non autem durationis.*
7. *Ordine dignitatis anima priùs assumpta, quàm corpus.*
8. *Ordine executionis priùs totum assumptum, quàm partes.*
9. *Ordine intentionis prior est unio humanitatis ad Verbum, quàm partium humanitatis inter se.*

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. CONCLUSIO I. *Corpus & Anima Christi in triduo mortis manserunt unita Verbo Divino.* Est de fide ex Symb. Apost. ubi de Verbo & Filio Divino dicitur, quòd fuerit *sepultus*, & *descenderit ad Inferos*, quod dici non posset, si istæ partes ab ipsius persona relictæ fuissent. Habetur à S. D. q. 5. a. 2. & 3. citante authoritatem Damasceni. Ratio S. D. est: Id, quòd per gratiam à DEO conceditur, nusquam absque culpa revocatur, nam *sine pœnitentia sunt dona DEI*, Rom. 11. cùm ergò unio hypostatica sit gratiarum maxima, & Christus sit incapax omnis culpæ, unio hypostatica nec animæ, nec corpori fuit unquam subtracta: Unde est illud Theologorum axioma. *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

Inferes: In triduo mortis formam cadavericam fuisse assumptam à Verbo Divino; quia corpus mortuum (ut aliunde suppono) constat ex materia & forma cadaverica: sed totum corpus mansit unitum in triduo mortis, & forma cadaverica primùm tunc advenit; ergo forma cadaverica tunc fuit assumpta & unita Verbo Divino. 2.

Dices I. Hinc sequeretur corpus Christi mortuum non fuisse idem numero cum corpore Christi vivo, quia habuisset diversam formam. II. sequeretur, quòd corpus Christi fuisset corruptum, siquidem amisisset pristinam formam corporis, quod videtur repugnare dicto Davidis ps. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* III. Si Verbum assumpsisset formam cadavericam, eandem quoque dimisisset in instanti resurrectionis, quod repugnat prædicto axiomati Theologorum: *quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.* 3.

Respondeo ad I. ex S. D. cit. q. 5. a. 5. in c. Corpus Christi fuisse unum numero cum corpore vivo se-

secundùm unitatem suppositi, non verò fuisse totaliter idem secundùm unitatem naturæ & formæ, siquidem amisit animam & vitam, quæ est constitutivum essentiale corporis vivi.

Ad II. Ex eodem resp. duplicem esse corporis corruptionem, unam, quæ est separatio animæ à corpore, alteram, quæ est perfecta dissolutio seu putrefactio corporis in elementa. De priori, quæ est ipsa corruptio mortis, fide certum est, corpus Christi hoc modo fuisse corruptum, cùm aliàs Christus non verè fuisset mortuus, quæ est hæresis Gaianitarum. De secundo modo corruptionis locutus & intelligendus est Psalmista.

Ad III. Respond. axioma Theologorum esse intelligendum de partibus per se intentis principalibus, vel pertinentibus ad veritatem humanæ naturæ, forma autem cadaverica tantùm erat forma quædam intermedia per accidens intenta; unde tantùm ad tempus fuit assumpta.

4. CONCLUSIO. II. *Sanguis Christi, & quidem totus in triduo mortis mansit unitus Divinitati.* Ita communis Theologorum.

Ratio est primò. Partes, quæ pertinebant ad veritatem humanæ naturæ, ideóque habebant ordinem & quasi jus reassumptionis ad corpus in resurrectione Christi, illæ retinebant unionem hypostaticam; sed Sanguis, & quidem totus (neque enim est major ratio de una quàm aliâ parte, cùm fuerint inter se unitæ & continuæ) in passione effusus pertinebat ad veritatem humanæ naturæ in Christo cum tali ordine & jure; ergo.

Ratio petitur secundò ex Trid. cit. sess. 13. c. 3. Si Apostoli in triduo mortis consecrâssent, tunc sicut in consecratione panis per concomitantiam fuisset posita Divinitas, ita etiam in consecratione calicis: & sicuti verificata fuisset forma panis nomine Christi prolata, *hoc est corpus meum*; ita pariter fuisset verificata forma calicis: *hic est calix Sanguinis mei*; sed utrumque solummodò verificatur ratione unionis hypostaticæ; ergo.

Inferes primò. Pertinuisse ad Divinam Providentiam, ut sicuti corpus Christi in sepulcro servavit incorruptum (videlicet à corruptione & resolutione putredinis) ita etiam sanguinis effusi substantiam in triduo mortis conservaret, ne consumpta in elementa diffluerct.

Inferes secundò. Etiam sanguinem in horto effusum Verbo unitum mansisse, & in Resurrectione ad corpus reassumptum fuisse: quia juxta Evangelicam historiam sanguis ille *in horto effusus*, fuit verissimus sanguis & in magna quantitate profusus, ita ut post madefacta vestimenta in terram non tantùm difflueret, sed decurreret; cùm ergo pertineret ad veritatem humanæ naturæ, eadem est ratio de illo, quæ de altero.

5. CONCLUSIO III. *Christus in solamen fidelium reliquit aliquas modicas partes sui S. Sanguinis in terra, quas in instanti Resurrectionis probabiliùs ab hypostatica unione dimisit.* Ita communiter Thomistæ.

Prima pars constat authenticis signis & historijs, quibus fides sine temeritate & imprudentiâ denegari non potest. Ita enim vestigia S. Sanguinis cernuntur in S. instrumentis Dominicæ passionis, ut Spina, Lancea, in S. sindone Taurinensi, tunica Trevirensi, & Linteo Veronicæ. In Monasterio S. Maximini servatur ampulla vitrea, in qua continentur quædam particulæ S. Sanguinis Christi (teste Sylvestr. tr. 2. Rosæ aureæ) à D. MARIAM Magdalena collectæ, & ad S. Maximinum delatæ. In Celeberrimo Monasterio Weingartensi ostenditur & publico cultui cum Summ. PP. approbatione exponitur particula ejusdem S. Sanguinis è latere Christi defluentis à D. Longino excepta, servata, & Mantuæ diù recondita.

Secunda pars probatur: quia ratio, cur partes corporis Christi in triduo mortis retinerent unionem hypostaticam, erat earundem habitudo & reassumptibilitas ad corpus Christi resurgentis; sed istam habitudinem perdiderunt reliquiæ & partes sanguinis post Resurrectionem relictæ in terris: ergo etiam unionem hypostaticam amiserunt, sicuti etiam partes Corporis Christi vi naturalis caloris absumptæ eandem unionem perdiderunt. Quo non obstante possunt ac debent adorari cultu latriæ saltem respectivo, eò quod aliquando fuerint veræ partes corporis Christi unione Verbi sanctificatæ, & lytrum redemptionis nostræ. Nec ideo existimes Christo resurgenti aliquid de corporis sui perfectione defuisse, cùm illæ modicæ particulæ, vel per sanguinem alimento reservatum, vel aliunde per Divinam omnipotentiam facilè suppleri potuerint.

§. II.

Appendix de ordine partium assumptarum.

NOtandum primò. Occasionem huic quæstioni præbuisse SS PP. contra hæreticos 6.
disputantium dicta, quibus affirmant, corpus per animam seu mediante anima & animam per Spiritum à Verbo assumptam fuisse, prout refert S. D. hîc q. 6. unde indicatur aliquem ordinem prioritatis in assumptione humanitatis intercessisse, quæ prioritas potest esse triplex, nempe secundum durationem, secundùm dignitatem, vel congruitatem, & tertiò secundùm causalitatem finalem. Et quidem

Notandum secundò. De fide certum esse, quòd secundùm durationem omnes partes humanitatis simul fuerint assumptæ, ut jam primò meminimus, & docet S. Th. hîc a. 3. & 4. estque definitum in Concilio 5. Gen. can. 2. tum contra Origenem, qui dicebat omnes animas humanas ab initio Mundi simul fuisse creatas, tum contra Eutycheten. In posteriori igitur sensu loquendo sit

CONCLUSIO. *Ordine dignitatis & intentionis, sive causalitatis finalis anima prius quàm* 7.
corpus, & spiritus, seu mens (h. e. *anima secundùm supremum gradum rationalitatis*) *priùs fuit assumptus, quàm anima*, h. e. *anima quâ vegetativa & sensitiva, & tota humanitas prius quàm omnes partes.* (2) *ordine verò executionis priùs partes fuerunt assumptæ, quàm tota humanitas.* Ita D. Th. a. 1. 2. & 5.

Ratio primæ partis est: quia ordine dignitatis 8.
& intentionis illa sunt priora, quæ perfectiora; atqui totum est perfectius, quàm partes, spiritus, quàm animæ; anima, quàm corpus: ergo.

Ratio secundæ partis est: quia in executione secundùm viam generationis partes sunt priores toto, & quia existentia totius humanitatis in Verbo

bo dependebat ab existentia partium in Verbo, non econtrà, poterant enim partes humanitatis separatæ in triduo mortis manere unitæ Verbo, non verò poterat tota humanitas manere unita partibus non unitis.

Inferes ex dictis, secundùm ordinem intentionis unionem hypostaticam humanitatis ad Verbum fuisse priorem, quàm unionem partium humanitatis inter se: posteriorem verò fuisse secundùm ordinem executionis. Ratio primi est, quia unio hypostatica fuit principaliter intenta, & partes humanitatis ideò conditæ & unitæ, ut assumerentur ad Verbum: Ratio secundi est; quia in ordine executionis media præcedunt finem: cùm ergo ex dictis creatio animæ rationalis, & generatio humanitatis fuerit quasi medium ad unionem hypostaticam, ideò præcedit in ordine executionis.

DISPUTATIO IX.

DE Christi sanctitate substantiali.

SAnctitatis nomine intelligitur illa forma, & perfectio, quâ aliqua natura redditur Deo grata & amabilis, debitè disposita ad ultimum finem per suas operationes attingendum, digna vitâ æternâ, & excludens omne peccatum. Hâc sanctitate Christum à primò instanti incarnationis sanctum extitisse fides docet, indicata Luc. 1. *Quòd ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius DEI.* & Io. 10. *Quem Pater sanctificavit.* Cùm verò unio hypostatica in Christo D. præsupponatur gratiæ habituali, quæritur in præsenti, utrùm humanitas Christi ex ista unione singularem aliquam, quam etiam, eò quòd à Persona Verbi nón ab aliqua forma accidentali proveniat, substantialem & personalem vocamus, sanctificationem receperit, distinctam ab illa, quæ per gratiam habitualem communicatur. Et est

ARTICULUS I.

An humanitas Christi fuerit substantialiter sanctificata per unionem hypostaticam?

SUMMARIA.

1. *Humanitas substantialiter sanctificatur per unionem hypostaticam.*
2. *Probatur authoritate, & ratione.*
3. *Effectus formalis sanctitatis personalis non potest provenire à gratia sanctificante.*
4. *Unio hypostatica tribuit formalem effectum sanctitatis juxta capacitatem subjecti.*
5. *Cur attributa immensitatis, & omnipotentiæ suos effectus formales non tribuant humanitati Christi?*
6. *Hypostasis Verbi est dispositio naturæ ad rectè operandum ex parte principij ut quod.*

§. I.

Assertio affirmativa.

1. CONCLUSIO I. *Humanitas Christi substantialiter fuit sanctificata ratione unionis hypostaticæ.* Ita communis DD. contra Paludan. in l. 3. sent. dist. 3. q. 2. affirmantem; gratiam sanctificantem Christi animæ fuisse simpliciter necessariam, ut esset sancta & grata DEO.

Probatur primò authoritate S. Script. & SS. PP. Nam Dan. 9. de Christo dicitur, *ungetur Sanctus Sanctorum.* & Luc. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Io. 1. Christus de se ipso. *Quem Pater sanctificavit & misit in Mundum*, ubi *ungi & sanctificari* nil aliud significat, quàm Divinitatem humanitati hypostaticè uniri, juxta interpretationem SS. PP. Athanasij l. de incarnat. Hilarij l. 7. de Trinit. præsertim Damasc. l. 3. de orthod. fide dicentis. *Ipse enim seipsum unxit, ungens quidem ut DEUS suâ Deitate, unctus autem ut homo, nam ipse est hoc, & illud, siquidem Deitas est unctio humanitatis.* Et D. Ansel. ad 1. c. ep. ad Hebr. *Ab eodem spiritu unctus est, ubi conceptus, nec antè conceptus; & postmodùm unctus est, sed hoc ipsum de Spiritu S. & carne Virginis concipi, à Spiritu ungi fuit.*

Probatur secundò ratione. A Persona Divini Verbi Humanitas Christi accipit omnes effectus formales sanctitatis; ergo à persona Verbi Divini formaliter sanctificatur. Antecedens probatur. Effectus formales sanctitatis, ut patet in gratia habituali, sunt, subjectum reddere DEO gratum & acceptum, facere consortem Divinæ naturæ, tribuere jus ad hæreditatem vitæ æternæ, seu visionis beatificæ, & per operationes rectas ordinare ad ultimum finem, cum eoque conjungere. Sed humanitas Christi per unionem hypostaticam reddebatur tam grata DEO, ut ejus operationes essent infiniti valoris coram DEO, & ut de ipso dicat Pater æternus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Siquidem Filiatio, seu personalitas Verbi est objectum infinitæ complacentiæ DEI. Visio quoque beatifica propter unionem hypostaticam erat humanitati connaturaliter debita non titulo alicujus Filiationis adoptivæ tantùm; sed naturalis, juxta illud Galat. 4. *Quòd si Filius, & hæres per DEUM.* Tertiò. Eâdem unione fit Divinæ consors naturæ non participatione tantùm accidentali, sed substantiali, quatenùs ipsi natura Divina mediante 2.

ante personâ Verbi conjungitur, ac quartò, ratione hujus Unionis efficitur simpliciter impeccabilis & indefectibilis ab ultimo fine: ergo humanitas Christi ab unione hypostatica accipit omnes effectus formales sanctitatis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

3. Objicies primò. Effectus formalis non potest haberi sine suâ formâ, à qua in recto sumptâ non distinguitur: sed reddere sanctum sanctitate supernaturali est effectus formalis gratiæ sanctificantis: ergo non potest haberi iste effectus, nisi à forma gratiæ sanctificantis.

Respondeo distinguendo minorem: Reddere sanctum sanctitate supernaturali accidentali est effectus formalis gratiæ sanctificantis; concedo, sanctitate supernaturali personali, nego. Ergo accidentalis sanctitas non nisi à gratia sanctificante haberi potest, concedo. Personalis, nego.

4. Objicies secundò. Si sanctificatio supernaturalis esset effectus formalis consequens ex vi unionis hypostaticæ, tunc in quocunque subjecto poneretur unio hypostatica, etiam poneretur ista sanctificatio; sed hoc est falsum, quia posset unio hypostatica poni vel in natura irrationali, vel in rationali in puris naturalibus relictæ; atqui in neutro casu natura reciperet supernaturalem sanctitatem: ergo. Minor patet, quia natura irrationalis est incapax omnis sanctitatis tam accidentalis, quàm personalis: natura quoque rationalis in puris naturalibus excludit omne donum supernaturale, adeóque & sanctitatem supernaturalem.

Respondeò distinguendo sequelam Majoris: poneretur hæc sanctificatio vel adæquatè vel inadæquatè, juxta omnes, vel juxta aliquos effectus formales sanctitatis, juxta capacitatem subjecti, conc. secus, nego; unde ad probationem dico: si creatura irrationalis assumeretur, illam ab unione hypostaticâ fore sanctificandam sanctitate quâdam generali, h. e. sanctitate subsistentiæ Divinæ, qualem in triduo mortis habuit corpus & sanguis Christi, absque alijs præmemoratis effectibus sanctitatis, quorum ejusmodi natura foret incapax. Rursus, in casu, quo natura humana in puris naturalibus fuisset assumpta, etiam fuisset sancta sanctitate personali ejusdem personæ Divinæ, quamvis nullam habuisset sanctitatem accidentalem, & tunc fuisset grata & amica DEO, impeccabilis contra finem ultimum naturalem, & totum compositum fuisset naturalis Filius DEI.

Objicies tertiò. Attributa Divina immensitatis, omnipotentiæ &c. non tribuunt suos effectus formales humanitati Christi: ergo nec sanctitas Divina. 5.

Respondeo negando consequentiam: quia immensitas & omnipotentia sunt perfectiones ordinis Philosophici, ad quas natura humana in Christo non est incompleta, nec proinde illarum capax & perfectibilis ab ipsis, eò quòd juxta conditionem naturæ creatæ habeat suam determinatam virtutem, durationem, & ubicationem: atqui eadem natura humana Christi in ordine ad subsistentiam, & hâc mediante in ordine ad perfectiones morales est adhuc incompleta & perfectibilis, unde potest à Divina subsistentia effectum formalem subsistendi, & per hanc etiam effectum formalem sanctitatis, ceu formæ moralis recipere, adde quod sanctitas sit magis connexa cum explicito conceptu Filiationis, quam alia attributa.

Objicies quartò. Sanctitas est habitualis dispositio naturæ rationalis ad benè operandum in ordine ad DEUM ut ultimum finem: sed hypostasis Verbi non est hujusmodi dispositio, siquidem subsistentia non est virtus operativa: ergo hypostasis Verbi formaliter non tribuit sanctitatem.

Respondeo, sanctitas est habitualis dispositio &c. vel remota & pertinens ad principium *quod*, vel proxima & pertinens ad principium *quo*, concedo; tantùm proxima & pertinens ad principium *quo*, nego. Sed hypostasis Verbi non est talis dispositio proxima, pertinens ad principium *quo*, concedo, remota & pertinens ad principium *quod*, nego minorem & consequentiam.

ARTICULUS II.

An persona Divina substantialiter sanctificet humanitatem ratione Divinitatis, vel ratione personalitatis relativæ?

SUMMARIA.

1. *Natura Divina est formalis ratio immediatè sanctificandi naturam humanam.*
2. *Testimonia SS. PP. & ratio assertionis.*
3. *Alia in Christo est ratio uniendi, & alia sanctificandi.*
4. *Est sanctitas increata immediatè informans non physicè, sed moraliter.*
5. *Etiam Personalitas relativâ immediatè sanctificat.*
6. *Probatio Ysamberti tanquam inefficax relinquitur.*
7. *Probatio ab authoritate, & ratione.*
8. *Ostenditur sanctificare non ut quòd, sed ut quo.*
9. *Personalitas in ordine ad sanctificandum non est purè conditio sine qua non.*
10. *Cur personalitas non tribuat sanctitatem Verbo; sed humanitati?*
11. *Humanitas in genere sanctitatis participata infinitè sanctificatur.*

§. I.

Substantialis sanctificatio à Divinitate.

Cum Persona Divina adæquatè spectata in se præter subsistentiam relativam, ratione cujus immediatè terminat naturam humanam, etiam contineat naturam Divinam unà cum subsistentia absoluta, subtilis oritur *Quæstio*, an sola natura Divina; ut virtualiter ab hypostasi distincta, sit formalis & immediata ratio sanctificandi humanitatem Christi? Prout affirmant multi nobiles Thomistæ; vel an hypostasis, secundùm esse re- 1.

lativum naturæ virtualiter superadditum; vel an utraque simul? Primam opinionem amplectitur Gonett, Vasquez, Turianus: Secundæ videtur favere Jo. à S. Th. q. 7. a. 2. tertiam amplectuntur è Thomistis Nazarius, Vincentius, Contensonus: Item Ysambertus, Lorca, Tannerus, de Lugo, aliique.

CONCLUSIO I. *Divinitas immediatè formaliter sanctificat humanitatem Christi.*

2. Ita sentiunt SS. PP. qui dicunt humanitatem Christi *ungi* Divinitate: nominatim D. Gregor. Naz. or. 36. *Christus dicitur propter Divinitatem, ea enim humanitatis unctio est.* Cyrillus l. 4. in Jo. dicit, *humanitatem Christi esse Divinitate unctam, & delibutam totius ungventi Divinitatis præsentiâ.* Ratio est: Forma, quæ per essentiam est sanctitas, tribuit immediatè effectum formalem sanctitatis subjecto capaci, cui unitur; sed Divinitas est per essentiam sanctitas, & unitur animæ Christi capaci formalium effectuum sanctitatis, qui sunt esse DEO gratum, impeccabilem &c. ergo tribuit ipsi immediatè formalem effectum sanctitatis.

Dices primò. Divinitas in tantùm sanctificat
3. humanitatem Christi, in quantum ipsi unitur: sed non nisi mediante hypostasi unitur; ergo nonnisi hâc mediante sanctificat.

Respondeo negando majorem: alia quippe est ratio uniendi, alia sanctificandi: illa Physicam, hæc moralem præstat effectum: nec sequitur, quòd subsistentia absoluta, vel existentia solùm mediatè tribuant effectum independenter subsistendi & existendi, tametsi non nisi mediante relativâ hypostasi humanitati Christi uniantur.

Dices secundò. Humanitas Christi vel san-
4. ctificatur per Divinitatem sanctitate creatâ, vel increatâ? Non creatâ, sic enim tantùm sanctificaretur immediatè & formaliter per aliquam sanctitatem accidentalem, distinctam à sanctitate Divinitatis: non sanctitate increatâ, quia sanctitas conveniens actui puro quâ tali, non potest communicari humanitati: sed sanctitas increata DEI, cùm sit ipsa sua bonitas, convenit actui puro quà tali; ergo non est communicabilis ulli naturæ creatæ. Confirmatur: Vel communicaretur terminando, vel informando. Non informando, quia implicat; non terminando, quia sic solummodò mediatè communicaretur.

Respondeo, humanitatem sanctificari sanctitate increatâ, ad cujus impugnationē dist. minorem: Sanctitas increata convenit actui puro quà tali, ut imparticipata, & una per simplicitatem cum illo, concedo: ut participata & unita in unitate Personæ, nego minorem: ergo non potest communicari naturæ creatæ imparticipatè, & per unitatem simplicitatis, quomodo convenit actui puro, concedo; participatè & per unionem substantialem, nego consequentiam. Ad confir. respondeo hanc sanctitatem communicari mediatè terminando, & immediatè informando, non physicè, sed moraliter, in quantum humanitas ex mediatâ unione ad naturam Divinam sortitur immediatè formales morales effectus sanctitatis, juris ad hæreditatem cœlestem, summæ amabilitatis; impeccabilitatis, &c.

§. II.

Sanctificatio à personalitate exponitur.

CONCLUSIO II. *Personalitas Verbi ut virtualiter distincta à natura Divina, seu secundùm subsistentiam relativam, quam superaddit ad naturam Divinam, formaliter sanctificat humanitatem Christi, non quidem per modum sanctitatis ut quod, sed per modum sanctitatis ut quo.* 5.
Ita Io. à S. Th. Contensonus, de Lugo, & communior Theologorum.

Primam partem probant aliqui cum Ysamberto 6.
primò, quia quicquid intrinsecè & formaliter est entitas Divina, illud ipsâ sui communicatione intrinsecè sanctificat subjectum sanctitate tali, subjecto congruâ, & proportionatâ: sed personalitas Verbi Divini virtualiter condistincta ab essentia Divina est intrinsecè & formaliter quædam Divina entitas: & immediatè communicatur humanitati, secundùm quod est ralativa: ergo ipsam immediatè sanctificat.

Eodem modo dices: quidquid formaliter deificat, sanctificat, sed ipsa relativa hypostasis Verbi qua talis deificat humanitatem; ergo sanctificat.

Probant secundò: quidquid adoratur absolutâ adoratione Latriæ est formaliter sanctum; atqui ipsa personalitas Verbi Divini ut condistincta à Divina essentia adoratur absolutâ adoratione latriæ, prout colligitur ex præfatione Missæ de sanctissima Trinitate, *ut in confessione veræ, sempiternæq; Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.*

Sed facilè respondent Adversarij. Et ad I. quòd omnis entitas formaliter Divina ipsâ sui communicatione subjectum sanctificat sanctitate tali subjecto proportionatâ, secundùm quod illa entitas dicit naturæ Divinæ quà talis communicationem, concedo, secundùm aliam rationem nego: sed personalitas Verbi ut relativa & condistincta virtualiter ab essentia est entitas Divina, ita ut entitatem Divinam dicat specificativè & implicitè conc. ut illam exprimat reduplicativè & in conceptu explicito, nego: ergo immediatè sanctificat humanitatem secundùm entitatem Divinam & essentiam implicitam, conc. Secundùm rationem relativam explicitam, nego consequentiam.

Unde sciendum, quòd Personalitas Verbi etiam ut virtualiter distincta ab essentia Divina, possit dupliciter accipi, nimirum adæquatè, & inadæquatè. Adæquatè accipitur prout explicitè dicit rationem subsistendi, implicitè naturam & essentiam, tam esse ad, quàm esse in: neque enim virtualis distinctio in divinis excludit, imò exigit formalem & intrinsecam inclusionem unius perfectionis in altera, & sic personalitas Verbi sanctificat secundùm implicitam rationem essentiæ & naturæ Divinæ. At verò si sumatur inadæquatè, tunc accipitur præcisè juxta explicitam relativam rationem subsistendi omni alteri absolutæ & implicitæ perfectioni virtualiter su-

perad-

peradditam; in quo sensu locum habet præsens controversia, &, resp. in isto sensu tantùm sanctificare, ut quo, modo explicando, non verò per modum sanctitatis utquod.

Ad secundum quoque resp. ex prædictis, Personalitates Divinas adorari, earúmque mentionem fieri in præfatione, etiam ut sunt virtualiter distinctæ, sed tamen prout adæquatè accipiuntur (sic enim entitatem Divinam includunt) non præcisè secundùm relationem explicitè superadditam, de quo est difficultas.

7. Probatur igitur prima pars primò authoritate: nam D. Augustinus & S. D. vocant unionem hypostaticam *Summam gratiam*, & D. Th. quidem infra q. 22. a. 2. ad 3. dicit. *humanitatem fuisse gratiâ unionis sanctificatam:* sed unio hypostatica formaliter est ipsa Personalitas Verbi secundùm subsistentiam relativam: ergo personalitas Verbi secundùm subsistentiam relativam est gratia, & per consequens juxta S. Doctorem sanctificat humanitatem.

Probatur secundò ratione. Per illam formam humanitas formaliter sanctificatur, per quam (1) intimè DEO conjungitur in ordine ad rectè sanctéque operandum, (2) per quam formaliter elevatur ad Filiationem naturalem DEI, & consequenter acquirit jus ad gloriam ut hæreditatem, per quam (3) formaliter acquirit incompossibilitatem & repugnantiam cùm omni peccato: sed hos effectus formales accipit à subsistentia relativa Verbi; ergo. Minor quoad 1. membrum probatur. Quia subsistentia relativa est formalis ratio uniendi naturam humanam cum Divina, & quidem in ordine ad operationes Theandricas eliciendas, quæ sunt summè sanctæ, ac DEO gratæ, imò infiniti valoris tam meritorii, quàm satisfactorii.

Quoad secundum membrum probatur. Nulla forma est proximior ratio Filiationis naturalis, quàm quæ est ipsa formalis Filiatio ex propriâ formali ratione constituens talem personam in esse Filii, & per essentiam afferens communicationem naturæ Divinæ: sed subsistentia relativa Verbi est ipsamet Filiatio & per essentiam importat communicationem naturæ Divinæ, ac per ipsam Christus formaliter constituitur in esse Filii naturalis & consubstantialis: ergo ipsa relativa subsistentia Verbi est ratio Filiationis naturalis. Quoad 3. membrum probatur. Id quo humanitas Christi est actu formaliter relata & conversa ad DEUM, cum eóque substantialiter conjuncta, est etiam ratio formalis, quâ fit incompossibilis cum omni peccato, cùm sit impossibile, eâ ratione aliquid esse à DEO aversum, quâ est conversum: sed per subsistentiam relativam Filiationis humanitas Christi est actu relata ac conversa ad DEUM, quippe vi cujus formaliter obtinet, ut DEUS Pater ad Christum hominem dicat: *Filius meus es tu*, est etiam exinde substantialiter conjuncta cùm Divinitate; cùm sit ipsamet formalis ratio uniendi: ergo.

8. Secunda pars, quæ oppositas Doctorum sententias conciliat, supponit, quòd nomine sanctitatis *ut quod* intelligamus illam formam, quæ ex propriâ ratione formali dicit bonitatem & perfectionem, quæ sit completus terminus amoris & complacentiæ Divinæ, principium radicale operationum rectarum tendentium in ultimum finem; formaliter directè opposita omni peccato habituali, & indirectè peccato actuali; si intrinsecè ipsum jus ad hæreditatem gloriæ æternæ. Ex opposito, nomine sanctitatis *ut quo*, & quasi *in fieri*, intelligimus illam formam, quæ essentialiter, & ex formali explicito conceptu tantùm est ratio naturam Divinam secum formaliter identificatam terminativè conjungendi, atque exinde effectus formales sanctitatis in humanitatem refundendi.

Hoc posito facilis est probatio, quia ex dictis in tract. de Trinit. hypostasis relativa quà talis nullam dicit perfectionem ac bonitatem, aliàs essent tres boni, & sancti in DEO, quod repugnat Doctrinæ Ecclesiæ SS. PP. nec proinde est terminus completus Divinæ complacentiæ; nec etiam propriè est principium operationum rectarum, sed terminus & complementum naturæ operantis; nec ipsa formaliter directè opponitur peccato habituali, nec est ipsum jus ad hæreditatem, cùm non sit ipsa natura participata; ergo non est ipsa formalis sanctitas ut quod. Econtrà eò quòd sit per essentiam correlativa cum Paternitate, inclusiva Divinitatis, habeátque virtutem terminandi naturam alienam, eáque terminatione uniendi cum natura Divina; hæc rectè dicitur sanctitas, & sanctificativa ut quo.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Quod se habet tanquam conditio sine quâ non ad aliquam formam, id nec ut quo tribuit effectum formalem illius formæ, sic enim inhærentia albedinis ne quidem ut quo facit album, & si per impossibile unio hypostatica esset formaliter modus substantialis, ne quidem ut quo tribueret sanctitatem substantialem, cùm tamen esset conditio sine quâ non, & ratio uniendi Divinam naturam cum humanâ: sed Personalitas relativa Verbi, in ordine ad sanctitatem Divinitatis humanitati tribuendam, habet se ut conditio sine qua non, & ut ratio uniendi: ergo. 9.

Confirmatur primò. Si relativa subsistentia sanctificaret humanitatem, quia est immediata ratio uniendi Divinitatem cum Christi humanitate, tunc Divinitas solùm mediatè eandem sanctificaret: sed consequens est contra superiùs dicta; ergo. Sequela probatur. Quia humanitas Christi formalem effectum Sanctitatis immediatiùs reciperet à relativa Personalitate, quàm à Divinitate, quæ unionem Personalitatis priùs naturâ supponit.

Confirmatur II. Idem effectus formalis non potest provenire à duabus causis formalibus; sed effectus formalis Sanctitatis ex prædictis convenit humanitati à natura Divina; ergo non simul potest provenire à personalitate ut virtualiter distincta.

Confirmatur III. Tametsi Omnipotentia aliáque attributa DEI formaliter sibi identificent & implicitè includant naturam Divinam, non tamen humanitati Christi tribuunt formalem effectum Sanctitatis, nec ut quod, nec ut quo: ergo idem dicendum de Personalitate.

Con-

Confirmatur IV. Relativa subsistentia humanitati ne quidem ut quo tribuit effectum formalem subsistentiæ absolutæ vel existentiæ, tametsi per essentiam sit ratio exigendi & conjungendi subsistentiam absolutam & existentiam cum humanitate Christi: ergo idem dicendum de sanctitate.

Respondeo negando minorem: habet enim subsistentia relativa ex proprio formali & explicito conceptu repugnantiam saltem mediatam cum omni peccato, & vim terminandi naturam humanam per modum Filiationis, quæ natura ratione istius terminationis accipit in concreto denominationem Filii, communicationem naturæ, jus hæreditatis &c. quorum omninò nullum vestigium vel in inhærentia albedinis, vel in modo substantiali unionis si daretur, invenitur. Adde, quòd inhærentia non est ratio uniendi albedinem secundùm specificam rationem albedinis, sed tantùm secundùm rationem genericam accidentis; modus quoque unionis, si daretur, non proximè exerceret suam virtutem unitivam per ordinem ad naturam Divinam, sed ad ipsam Verbi subsistentiam.

Ad I. confirm. dist. majorem, si sanctificaret humanitatem ut quod, tunc Divinitas mediatè sanctificaret, concedo; si ut quo, nego.

Ad II. Similiter dist. majorem: Idem effectus & eodem modo sive sub eâdem ratione non potest provenire à duabus formis, concedo; sub diversâ ratione, nego. Provenit ergo Sanctificatio substantialis à relativâ subsistentia tanquam sanctitate ut quo, à Divinitate tanquam forma sanctitatis, ut quod.


Ad III. Disparitas est, quòd alia attributa in explicito conceptu non habeant vim terminativam, & rationem formæ hypostaticæ, neque tribuant denominationem Filii, quemadmodum subsistentia Verbi.

Ad IV. Nego antecedens ex eodem capite, quia subsistentia relativa Verbi, ceu ex proprio conceptu formæ hypostaticæ, est essentialiter exigitiva & inclusiva tum subsistentiæ absolutæ, tum existentiæ.

10. Objicies secundò. Personalitas relativa Verbo Divino ut sic nullo modo tribuit sanctitatem nec ut quod, nec ut quo; ergo neque tribuit humanitati Christi. Consequentia probatur. Personalitas Verbi non potest alia ratione humanitati tribuere sanctitatem, nisi quatenùs Verbum ratione illius est sanctum: nisi enim Verbum ex natura Divina haberet sanctitatem, etiam humanitas Christi per naturam Divinam non sanctificaretur: ergo nisi Verbum sanctificetur per relativam personalitatem, etiam humanitas per illam non sanctificabitur; atqui Verbum in Divinis non est sanctum ratione suæ subsistentiæ relativæ, aliàs erunt 3. sanctitates relativæ, & consequenter tres Sancti in Divinis.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd Personalitates in Divinis & respectu Divinarum Personarum non sint ratio conjungendi naturam cum DEO, cùm supponant Divinam naturam, ut communicatam per actus notionales: atqui respectu naturæ assumptæ sunt ratio formalis conjungendi cum DEO, ex quo capite formaliter sanctificant. Ad probationem nego assumptum, & consequentiam probationis. Natura enim Divina sanctificat tanquam ipsa sanctitas conjuncta, ut quod & in facto esse, non tanquam sanctitas ut quo, ut unio & in fieri: sed si in ipso Verbo non haberet rationem sanctitatis, hoc ipso etiam non sanctificaret humanitatem per modum formæ conjunctæ, sicut, quia Omnipotentia in Verbo non habet rationem sanctitatis, etiam humanitatem formaliter non sanctificat: at verò Personalitas relativa sanctificat ut quo, tanquam unio, & ratio conjungendi cum DEO, quod munus, cùm non exerceat respectu personæ Divinæ, quippe quæ naturam supponit sibi identicè communicatam, benè autem respectu naturæ creatæ, quam terminando hoc ipso cum Divinitate conjungit, ideò non ipsi Verbo, sed naturæ creatæ tribuit formalem effectum sanctitatis.

Inferes ex dictis: Humanitatem Christi à Verbo Divino in genere sanctitatis participatæ infinitè sanctificari. 11. Ratio est primò, quia forma infinita intrinseca tribuit subjecto capaci effectum simpliciter infinitum: sed sanctitas Verbi Divini est forma intrinsecè afficiens humanitatem Christi, eique tribuens intrinsecos effectus sanctitatis; & humanitas Christi est capax ejusmodi moralium effectuum; ergo tribuit sanctitatem simpliciter infinitam. II Quia in genere participatæ sanctitatis major excogitari non potest, quàm Sanctitas Divina per unionem hypostaticam communicata, eáque non recipit magis aut minus. III. Si daretur gratia accidentalis infinitè intensa, non adæquaret suâ perfectione substantialem Sanctitatem Christi: ergo hæc est simpliciter infinita. Dixi, non posse dari majorem sanctitatem in genere sanctitatis participatæ, quia datur major sanctitas in genere sanctitatis imparticipatæ, quâ ipsummet Verbum ex Divina forma secum formaliter identificata sanctificatur. Hoc autem non obest, quominùs humanitas Christi infinitè sanctificetur per Verbum, quia unum infinitum Superioris Ordinis, ut est sanctitas imparticipata, potest esse perfectius, quàm infinitum Inferioris Ordinis, ut constat ex dictis: Neque dicas, subjectum finitum non esse capax infiniti effectûs. Nam dist. infiniti effectûs physici, concedo, moralis, nego.



DISPUTATIO X.

DE

Sanctitate & gratia Christi accidentali, ad q. 7.

QUærimus in præsenti cum S. D. utrùm anima Christi præter sanctitatem personalem, quâ juxta priorem Disputationem fuit substantialiter sanctificata à Persona Verbi, etiam & in quâ plenitudine acceperit illud donum supernaturale accidentale, quo anima cujuslibet justi intrinsecè sancta, DEO grata & amica, ac particeps naturæ Divinæ efficitur, atque à Theologis gratia habitualis, sanctificans, gratum faciens appellatur.

ARTICULUS I.

Utrum anima Christi habuerit gratiam sanctificantem?

SUMMARIA.

1. *Anima Christi habuit accidentalem sanctitatem gratiæ.*
2. *Ratio quadruplex S. D.*
3. *Eminentialis continentia formæ non semper excludit ipsius formalem inhærentiam.*
4. *Non est necesse, ut gratia humanitati Christi tribuat effectum formalem Filiationis adoptivæ.*
5. *Posset tamen Christus denominari DEUS per participationem ratione naturæ elevatæ.*
6. *Gratia fuit animæ Christi necessaria,*
7. *Ut haberet omnem sanctitatem debitam.*
8. *Ut supernaturales operationes connaturaliter eliceret.*
9. *Ut opera essent condignè meritoria præmii supernaturalis.*
10. *Gratia sanctificans in Christo est ejusdem speciei cum nostra.*
11. *Fuit in primo instanti suæ conceptionis ad eandem dispositus.*

§ I.

Resolutio affirmativa.

1. CONCLUSIO. *Anima Christi præter sanctitatem substantialem insuper fuit ornata habitu gratiæ sanctificantis intrinsecè inhærentis.*

Ita cum S. D. q. 7. a. 1. comm. D. D. & indicatur in S. Script. Luc. 2. *Gratia DEI erat in illo* Jo. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Is. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Et c. 61. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me &c.* quæ de gratia sanctificante intelligenda esse inde constat, quòd, ut dicitur in Tract. de Trin. invisibilis Spiritûs S. missio fiat per gratiæ infusionem, & Spiritus S. in homine dicatur manere & inhabitare per gratiam habitualem, ut inquit hic S. D. unde D. Bernardus ho. 4. Super missus, utramque & substantialem & accidentalem sanctitatem complexus, unámque ab altera distinguens: *quod,* inquit, *Virgo genuit sanctum, singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.*

2. Rationes S. D. sunt I. Quantò subjectum aliquod receptivum & capax effectûs, est propinquius causæ, tantò perfectiùs participat influentiam talis effectûs: sed anima Christi est inter omnes animas & naturas non minùs propinquissima Divinitati, tanquam unicæ causæ emanativæ gratiæ sanctificantis, quàm capacissima hujus sanctitatis & gratiæ accidentalis: ergo eam recipit à conjuncta sibi Divinitate.

II. Non est deneganda animæ Christi ulla perfectio, nullam habens repugnantiam cum illa, & maximum conferens decorem: sed gratia sanctificans est inter omnia dona supernaturalia suprema perfectio, nullam habens repugnantiam, ut constabit ex solutione objectionum: ergo.

III. Cui debentur connaturaliter operationes supernaturales, illi debentur principia, sine quibus illæ operationes connaturaliter elici non possunt: sed Christo vi unionis hypostaticæ connaturaliter debentur actus perfectissimi visionis & amoris beatifici, qui saltem connaturaliter, imò probabiliùs etiam per absolutam potentiam non possunt elici absque gratiâ sanctificante, tanquam radicali principio quò vitæ, & cujuscunque operationis supernaturalis: ergo.

IV. Perfectio effectûs formaliter præexistit in causa, nisi habeat specialem repugnantiam cum illa: sed gratia habitualis omnium hominū est effectus per Christū comunicatus, juxta illud Jo. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESUM Christum facta est,* & Joan. 5. *Ego sum vitis, vos palmites* &c. Et ipsa nullam habet repugnantiam, imò summam convenientiam cum statu Christi: ergo.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

3. OBjicies primò. Subjectū, quod habet aliquam formam eminenter, non habet illam formaliter, uti patet exemplo Solis, qui cùm sit eminenter calidus, non est formaliter calidus; sed Christus ratione sanctitatis personalis & substantialis eminenter continet & possidet omnem creatam & accidentalem sanctitatem: ergo istam non habet formaliter.

Respondeo. Quicquid sit de veritate majoris, dist. maj. Si forma eminentialis formam inferiorem contineat tam intensivè quàm extensivè exequendo totum effectum formæ inferio-

tis, transeat Major, si illam contineat tantùm intensivè & secundùm præstantiam & dignitatem ordinis superioris, nego majorem; sed Christus ratione sanctitatis personalis eminenter continet sanctitatē accidentalē tam intensivè quàm extēsivè, ita ut illa sanctitas personalis seipsa præstet effectum gratiæ habitualis, nego minorem, omnem intensivè tantùm, ita ut sit sanctitas ordinis excellentioris & superioris, exigens inferiorem sanctitatem per modum proprietatis, concedo minorem & nego consequentiam. Sensus est, eminentialem continentiam tripliciter posse accipi. Primò, quia forma superior effectivè, vel formaliter præstat omnem effectum, quem præstat forma inferior, & tunc subjectum habens formam superiorem excludit formam inferiorem ceu superfluam, quâ ratione sol producens totum caloris effectum vi suæ lucis, excludit à se formam caloris: Anima rationalis, quia se ipsa præstat formaliter totum gradum sensitivum & vegetativum, excludit ab eodem subjecto animam bruti tantùm sensitivam. Secundò, quia forma superior est radix exigitiva formæ inferioris, & tunc per se patet, quòd illam formam inferiorem non excludat: sic enim essentia eminenter continet proprietates, quas utique non excludit. Vel tertiò, quia aliquem effectum formæ inferioris præstat, sed non omnem, & illum modo & ordine sublimiori, & sic rursus constat, quòd forma superior non semper excludat inferiorem, sic enim cognitio matutina in Verbo, seu visio creaturarum in essentia Divina, non excludit vespertinam, h. e. cognitionem creaturarum extra verbum per proprias species, quantumvis modo eminentiori præstet eundem effectum: Sic scientia beata Christi non excludit infusam, infusa non excludit acquisitam; quantumvis una alteri subordinetur & illa prædicto modo eminenter contineatur, quia videlicet nullo modo est inconveniens (nisi subsit specialis repugnantia, quemadmodum in DEO) ut idem subjectum plures formas alias alijs perfectiores & invicem subordinatas contineat, si singulæ sunt subjecto, ejùsque statui proportionatæ. Hoc modo dicimus sanctitatem accidentalem eminenter contineri in sanctitate personali; partim quia personalis accidentalem exigit tanquam debitam proprietatem, partim quia aliquos effectus, ut gradum faciendi, dignificandi, naturam Divinam communicandi tribuit modo & ordine excellentiori: cùm tamen non tribuat effectum omnem & proprium gratiæ sanctificantis, qui est elevare naturam creatam ad esse supernaturale, in ratione principij vitaliter & connaturaliter elicitivi operationum supernaturalium, quæ tamen Christo etiam ex vi unionis hypostaticæ sunt maximè debitæ, ideò gratiam sanctificantem non tantùm non excludit, sed exigit.

4. Objicies secundò. Si Christus esset capax gratiæ habitualis, esset etiam capax filiationis adoptivæ: sed hoc non; cùm ipse sit Filius naturalis, & filiatio adoptiva non cadat nisi supra personam extraneam; ergo. Sequela probatur: quia subjectum capax formæ, debet etiam esse capax effectûs formalis recipiendi ab illa: sed filiatio adoptiva est effectus formalis gratiæ sanctificantis, ut dicetur in Tract. de Grat. ergo.

Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem dist. Majorem, subjectum capax formæ est etiam capax effectûs formalis, alicujus & saltem primarij; concedo. Cujuscunque etiam secundarij nego Majorem; sed Filiatio adoptiva est effectus gratiæ habitualis secundarius & in persona extranea, concedo; primarius & in omni subjecto, nego min. & consequentiam. Effectus ergo primarius gratiæ sanctificantis est, consortem facere Divinæ naturæ, & viventem vitâ radicali supernaturali, ad quem effectum consequitur in persona purè creatâ ratio & relatio Filiationis adoptivæ: quòd si persona non sit extranea, ut in Christo, hoc ipso impeditur resultantia Filiationis adoptivæ ex defectu necessarij connotati, cùm hæc essentialiter sit gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem.

Dices: posset de Christo prædicari, quòd esset DEUS per participationem, siquidem ratione gratiæ sanctificantis haberet participatam Deitatem: ergo etiam posset de ipso prædicari, quòd esset Filius adoptivus: quia nihil aliud videtur esse Filius adoptivus DEI, quàm DEUS per participationem. 5.

Respondeo negando consequentiam; quia formale significatum Dei pertinet ad naturam; prædicatum verò formale Filij pertinet ad personam: quia igitur in Christo est unica persona, eáque Divina increata, consubstantialis Patri, Christus non potest recipere denominationem Filij adoptivi; quia verò in ipso est duplex natura, ideò recipit prædicata convenientia utrique naturæ; & sicuti ratione Deitatis dicitur Dominus & immortalis, ratione verò humanitatis dicitur servus & mortalis, ita pariter ratione Deitatis cum persona identificatæ est DEUS imparticipatè, ratione verò humanæ naturæ donis supernaturalibus exornatæ dici potest DEUS per participationem.

Objicies tertiò. Gratia habitualis in anima Christi fuisset superflua; ergo non datur. Antecedēs probatur. Si esset necessaria, vel esset primò, quia deberet elevari ad esse Divinum & supernaturale: sed jam est præstantiùs elevata per gratiam unionis. Vel secundò: ut haberet completam sanctitatem: sed sanctitati infinitæ (qualis est sanctitas personalis) omnem aliam eminenter continenti, nihil perfectionis deesse potest in genere sanctitatis. Vel tertiò: ut posset elicere actus intrinsecè supernaturales: sed ad hoc sufficeret auxilium supernaturale transiens. Vel quartò: ut opera essent meritoria præmij supernaturalis: sed etiam sine gratia habituali opera Christi fuissent intrinsecè & infinitè dignificata per supernaturalem sanctitatem Verbi, & aliundè liberè elicita in obsequium præmiantis: nec proinde aliquid defuisset ad rationem meriti supernaturalis. 6.

Respondeo negando antecedens, & dico fuisse necessariam ex omnibus quatuor causis & capitibus impugnatis. Et quidem ex primo; nam etsi anima Christi per gratiam unionis fuerit elevata ad esse Divinum personale modo terminativo, non tamen ad esse Divinum radicaliter *ut quo* opera-

operativum & modo informativo, quod primùm obtinet per gratiam sanctificantem.

7. Ex secundo capite gratia habitualis animæ Christi fuit necessaria, quia [illegible] sanctitas non habetur complete, quando non habetur omnis sanctitas tali subjecto debita, sed ex unionis hypostaticæ debebatur animæ Christi sanctitas accidentalis gratiæ, unde S. D. [illegible] ad 2. gratia habitualis non intelligitur ut præcedens unionem, sed ut consequens eam, sicut quædam proprietas naturalis: ergo si anima Christi non haberet sanctitatem gratiæ habitualis, non haberet completam sanctitatem, sicuti beatitudo non esset completa, si deesset amor beatificus, & qualibet natura non diceretur completa, si ipsi deessent proprietates connaturaliter debitæ.

Neque dicas. Quia DEUS in sua essentia eminenter continet omnem sanctitatem, non indiget aliâ accidentali distinctâ, quâ sanctificetur: ergo etiam Christus, quia in ipsa Divinitate eminenter continet sanctitatem accidentalem, istâ non indiget. Sed resp. negando paritatem: quia natura Divina ex se ipsa est sancta imò sanctitas ipsa imparticipata per essentiam, unde etiam ex hoc capite ipsi repugnat, ut fiat aliunde sancta: atqui anima Christi ratione unionis fit sancta per participationem & terminativè, unde ipsi non repugnat, ut alio modo per informationem physicam fiat formaliter sancta.

8. Ex tertio capite anima Christi habet gratiam habitualem, quia ut aliquas operationes connaturaliter eliceret, [illegible] permanentem & habitualem inclinationem [illegible] virtutem proportionatam ad illas eliciendas; sed ejusmodi habitualis & [illegible] inclinatio ad operationes supernaturales eliciendas est gratia habitualis: ergo. Major constat, quia connaturale est, quod est secundum naturam, ideoque præsupponit formam, quæ tribuit esse naturale & intrinsecam permanentem inclinationem ad tales operationes. Minor etiam probatur: quia sicut forma in ordine naturali, ita gratia habitualis in ordine supernaturali est principium radicale inclinans in operationes supernaturales eliciendas: ergo sicuti operatio naturalis connaturaliter elicienda præsupponit formam; ita operatio supernaturalis connaturaliter elicienda præsupponit gratiam.

Neque dicas: quòd ista inclinatio sufficienter præstari potuisset per habitus virtutum supernaturalium etiam sine gratia: Contra enim est, quia virtutes supernaturales infusæ, præsertim perfectè [illegible] in gratia, sicut proprietates in essentia, & sicut principia formalia proxima in principio radicali [illegible] gratiam sanctificantem [illegible] de potentia ordinaria & connaturaliter loquendo præsupponunt.

9. [illegible] & ratione humanitati Christi gratia [illegible], quia ut aliqua opera [illegible] præmij supernaturalis, debent [illegible] quoad substantiam [illegible], ut [illegible] suppono ex Tract. [illegible] sed sine gratia [illegible] de potentia [illegible] opera [illegible] supernaturalia [illegible] supernaturalitate; ergo. Secundò, quia ad rationem operis meritorij supernaturalis requiritur [illegible] per charitatem [illegible] virtualiter [illegible] finem supernaturalem; sed hoc sine gratia fieri non potest: ergo.

§. III.

Corollaria.

Infers ex dictis primò, gratiam habitualem Christi esse ejusdem speciei cum nostra, si consideretur secundum speciem [illegible]; unde ad Rom. 8. [illegible] *conformes fieri DEI [illegible]* per gratiam [illegible] quippe specificativam gratiæ in Christo, atque in pura creatura est ipsa [illegible] natura [illegible] oportebat quoque ut in corpore [illegible] Ecclesiæ caput & membra [illegible] & sanctitate ejusdem rationis, sicut in physico corpore caput & membra per eandem animam [illegible]tur. In genere [illegible] gratia Christi videtur specie diversa à gratia [illegible] propter conjunctionem cum verbo [illegible] infinitum valorem, & sit principium generale omnis gratiæ, quæ in hominibus reperitur. 10.

Infers secundò, Christum gratiam habitualem, in primo suæ conceptionis instanti acceptam, per proprios actus [illegible], quia quod est perfectius, debet Christo attribui; sed est perfectius habere gratiam, per [illegible] dispositionem, quàm sine illa, velut [illegible] Angelis, & primo homine in statu innocentiæ, qui per proprios actus prævios [illegible] naturæ fuerunt dispositi ad gratiam [illegible] creationis instanti acceptam: ergo [illegible] est attribuendum Christo Domino. [illegible], quòd eadem gratia Christo [illegible] per modum proprietatis, quia non est absurdum quòd una eademque res pluribus titulis diversæ rationis debeatur, quemadmodum & gloria corporis, titulo connaturalitatis Christo debita, etiam titulo præmij & ex merito [illegible] 11.

Articulus II.

De plenitudine & quantitate gratiæ in Christo.

Summaria.

1. *Quibus modis accipiatur plenitudo gratiæ?*
2. *Fuit in Christo plenitudo gratiæ modis omnibus.*
3. *Probatur plenitudo gratiæ ex parte subjecti.*
4. *Item ex parte formæ.*
5. *Ostenditur extensiva plenitudo gratiæ.*
6. *Plenitudo intensiva ex parte formæ [illegible] Christo propria.*
7. *Actus charitatis in Christo intensior omni charitate hominum & Angelorum.*
8. *Gratiæ plenitudo competebat animæ Christi a primo instanti.*

9. *Plenitudo gratiæ ex parte subjecti reperitur etiam in alijs sanctis.*
10. *Si fuisset possibilis gratia intensio physicè infinita, fuisset data animæ Christi.*
11. *Aliter spectatur gratia in esse qualitatis, & in esse gratiæ.*
12. *Gratia Christi non est physicè infinita.*
13. *In esse gratiæ est infinita.*
14. *Exponitur textus Io. 3.* non enim ad mensuram, &c.
15. *Gratia Christi de potentia ordinaria est incapax augmenti, non de extraordinaria.*

§. I.

Exponitur plenitudo gratiæ in Christo.

1. NOtandum, plenitudinem gratiæ dividi in *intensivam & extensivam. Intensiva* est, quæ accipitur penes gradualem intensionem & perfectionem gratiæ in anima; *extensiva*, quæ accipitur penes diffusionem virtutis operativæ physicæ vel moralis ad varios effectus. Intensiva rursùs subdividitur in intensivam *ex parte formæ*, & *ex parte subjecti*. Prior est ea gradualis intensio & perfectio gratiæ, quæ de Via & Lege Dei ordinariâ haberi potest. Ex parte subjecti est illa, quæ est commensurata subjecto secundùm ipsius statum, officium, & dignitatem.

2. CONCLUSIO. *In Christo fuit plenitudo gratiæ.* II. *Non solùm intensiva ex parte subjecti.* III. *Sed etiam intensiva ex parte formæ, & extensiva.* IV. *Quoad illos effectus, qui nullam dicunt imperfectionem.* Ita communis cum S. D. q. 7. a. 9. & 10.

Prima pars constat ex Io. 1. ubi Verbum Incarnatum dicitur *plenum gratiæ.* Et postea additur: *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

3. Secunda pars probatur. Plenitudo intensiva gratiæ ex parte subjecti est, quæ est commensurata statui, officio, conditioni subjecti; sed talem habuit Christus; ergo. Minor probatur: quia, ut inferiùs ostendemus, Christus habuit gratiam capitis, quæ esset omnis alterius gratiæ principium, & per quam sicut caput in membra, & sicut vitis in palmites influeret in totius Ecclesiæ membra: sed hæc est plenitudo gratiæ proportionata officio & statui Christi, qui juxta Apostolum Colloss. 1. est *caput corporis Ecclesiæ*; ergo.

4. Tertia pars probatur primò. Plenitudo gratiæ Christo collata tanta & talis erat, quæ maximè deceret Filium naturalem Dei, unde in dicto c. 1. Io. dicitur, *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*: sed hæc est plenitudo intensiva ex parte formæ; ergo. Secundò. Illa est intensiva plenitudo gratiæ ex parte formæ, quâ juxta potentiam Dei ordinariam major dari nequit: sed talis erat plenitudo gratiæ in Christo; ergo. Minor probatur. Quia sicut dignitas Christi excedit omnes omnium creaturarum dignitates, non tantùm divisivè sed etiam collectivè sumptas, ita gratia Christi excedit omnem omnium hominum & Angelorum gratiam etiam collectivè sumptam, quâ de causa Apostolus Hebr. c. 1. *Tantò*, inquit, *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Et D. Th. in 1. p. q. 20. a. 4. ad 2. *Deum*, inquit, *plus amare naturam humanam Christi, quàm omnes Angelos, & hanc esse istis meliorem &c.*

Probatur secundò ratione ejusdem S. D. hic a. 9. Quò quis propiùs & perfectiori unione Deo conjungitur, eò majorem recipit influxum gratiæ, quia quantò aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tantò abundantiùs recipit influxum ipsius: atqui anima Christi ratione unionis hypostaticæ est omnium maximè Deo propinqua & conjuncta: ergo ab ipso tanquam causâ & Authore gratiæ recipit gratiam perfectissimam & intensissimam.

5. Quarta pars probatur & sequitur ex dictis: quia quantò major est efficacia gratiæ ad operandum, tantò major est plenitudo extensiva gratiæ; sed quantò perfectior est intensio gratiæ, tantò major est ipsius virtus & efficacia ad operandum: ergo quantò major & perfectior est intensio gratiæ, tantò major est plenitudo extensiva gratiæ: sed illa fuit summa in Christo, ut ex dictis constat; ergo & ista. Major probatur. Quia quantò virtus operativa est intensior, tantò etiam est efficacior ad plures effectus producendos: sed gratia est virtus operativa & habitus ad operandum ordinatus; ergo.

Dixi tamen, quoad effectus illos, qui nullam includunt imperfectionem: quia cùm perfectio & conditio subjecti in Christo excludat quosdam effectus, quos imperfectione permixtos gratia in nobis operatur, uti sunt actus Fidei obscuræ, spei, pœnitentiæ, ideò ad illos in Christo sese non extendit.

§. II.

Corollaria.

6. INferes ex dictis primò, plenitudinem intensivam ex parte gratiæ fuisse & esse propriam soli Christo: sicuti enim soli Christo est proprium, quòd sit *in omnibus primatum tenens, & caput omnium* Col. 1. ita ipsi soli est proprium habere gratiam correspondentem tali primatui. Et ideò ad Ephes. 4. dicitur, quòd *unicuique nostrûm conferatur gratia secundùm mensuram donationis Christi*; de gratia verò animæ Christi collata dicitur Io. 3. fuisse *datam non ad mensuram*, h. e. quodammodo sine mensura, prout explicat D. August. tr. 14. in Io.

7. Inferes secundò, actum charitatis, quo anima Christi D. fuit disposita ad gratiam, fuisse intensiorem, quàm actus charitatis omnium hominum & Angelorum etiam collectivè sumptorum: quia ille actus charitatis erat proportionatus lumini, quo regulabatur, & gratiæ, ad quam disponebat, perfectioni. Cùm ergo tam lumen visionis beatificæ, quàm scientiæ infusæ, & gratia Christi fuerit perfectior omni lumine, scientiâ & gratiâ omnium hominum & Angelorum, etiam actus charitatis necessariò fuit perfectior.

8. Inferes tertiò, Christum habuisse omnem gratiæ plenitudinem à primo instanti Incarnationis: quia plenitudo gratiæ per modum proprietatis consequitur ad unionem hypostaticam; sed hanc Christus habuit à primo instanti Incarnationis: ergo & illam.

Dices?

Dices: si Christus habuisset à primo instanti omnem gratiæ plenitudinem, non potuisset crescere in gratia; sed hoc est contra illud Lucæ 2. *Iesus autem proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.* Respondet S. Doctor a. 12. ad 3. Christum profecisse non secundùm ipsos habitus sapientiæ & gratiæ, sed secundùm manifestationem majorem sapientiæ & gratiæ, in quantum crescente ætate perfectiores effectus sapientiæ & gratiæ exhibuit.

9. Inferes quartò, gratiæ plenitudinem ex parte subjecti etiam reperiri in alijs Sanctis, unde Beatissima Virgo Lucæ 1. ab Angelo salutatur *plena gratiâ.* Actorum 1. Apostoli dicuntur *repleti Spiritu S.* & Act. 6. Stephanus dicitur, *plenus gratiâ*, quatenùs videlicet quilibet ipsorum habebat illam gratiæ abundantiam, quæ sufficiebat ad illum statum, ad quem à Deo specialiter erat deputatus. Unde cùm Beatissima Virgo fuerit electa in Matrem Dei, ipsius gratiæ plenitudo excedit omnem aliorum SS. plenitudinem.

10. Inferes quintò. Si possibilis fuisset gratia infinitæ intensionis physicæ, illa fuisset conferenda humanitati Christi. Ita Gonett, & alij. Ratio est primò. Quia propter conjunctionem humanitatis ad Verbum decuisset illam omnis possibilis perfectio; sicuti de facto omnia dona unioni hypostaticæ, & visioni beatificæ non repugnantia animæ Christi fuêre collata. Secundò. Christus de facto tantam gratiam obtinuit sine meritis, quantam obtinuisset per merita, si potuisset: sed si potuisset mereri gratiam, & fuisset possibilis gratia infinitæ perfectionis, fuisset meritus gratiam infinitæ perfectionis: ergo si esset possibilis gratia infinitæ perfectionis, eam Christus de facto accepisset. Minor constat: quia quantitas præmij infiniti non excedit quantitatem & condignitatem meriti infiniti; sed meritum Christi ratione unionis hypostaticæ est infinitum: ergo.

§. III.

Moralis infinitas gratiæ astruitur.

11. Duplici modo potest intelligi, quòd gratia Christi sit infinita, nimirum gratia physicè spectata in esse entis & qualitatis, vel spectata moraliter in esse gratiæ. In esse gratiæ spectatur, in quantum est principium quò ipsius meriti, & ratio gratificandi subjectum in ordine ad meritum.

CONCLUSIO I. *Gratia habitualis Christi*
12. *physicè in esse entis & qualitatis spectata est simpliciter finita.* Ita S.D. hîc a. 11. cum communi contra Majorem, qui in 3. dist. 13. q. 3. docuit, gratiam Christi esse infinitam secundùm intensionem.

Ratio est primò. Omne ens creatum est simpliciter finitum, juxta illud Sap. 11. *omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti*; sed gratia habitualis in Christo est accidens creatum, inhærens animæ &c. ergo. Secundò. Intensio & perfectio qualitatis commensuratur capacitati subiecti recipientis; sed subjectum gratiæ in Christo, nempe anima habet finitam & limitatã capacitatem: ergo etiam gratia habet finitam & limitatam perfectionem. Tertiò. Si gratia Christi fuisset physicè infinita, etiam gloria & visio beatifica gratiæ commensurata fuisset simpliciter infinita: sed hoc est falsum, quia visio infinita esset comprehensiva, implicat autem, ut intellectus creatus comprehendat incomprehensibilem essentiam Deitatis.

CONCLUSIO SECUNDA. *Gratia in esse* 13.
gratiæ & moraliter spectata dici potest infinita. Ita communis DD. cum S. Th. Loc. cit.

Ratio est: principium, quâ ratione continet effectus infinitos, est infinitum; sed gratia in esse gratiæ continet & causat effectus infinitos: ergo. Minor probatur, tum quia gratia in Christo est principium quò meriti habentis valorem infinitum, & propter conjunctionem ad Verbum gratificat subjectum & dignificat actum meritorium modo quodam infinito; tum etiam quia gratia Christi est principium universale omnis gratiæ omnibus hominibus, tametsi forent infiniti, collatæ, vel conferendæ, adeóque habet virtutem infinitorum effectuum causativam.

Confirmatur. Opera Christi propter mediatam conjunctionem ad Verbum, eò quòd sint actus suppositi Divini, recipiunt infinitum valorem meritorium, & satisfactorium: ergo etiam gratia propter eandem conjunctionem recipit virtutem infinitè dignificativam, eò quòd sit principium quò suppositi Divini.

Dices: gratia Christi non tantùm est moralis; sed etiam physica causa omnis gratiæ omnibus hominibus, quantumvis essent infiniti, conferendæ; ergo non tantùm est infinita in esse morali gratiæ, sed etiam in esse physico entis & qualitatis.

Respondeo. Est causa physica instrumentalis, concedo: principalis, nego antecedens, & consequentiam.

Inferes ex dictis primò, quo sensu Io. 3. dicatur. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio.* Non enim est sensus, quòd gratia Christi physicè spectata fuerit sine omni mensura & termino, sed primò, quòd excesserit omnem omnium hominum & Angelorum gratiam; sicque sit contra omnem mensuram alterius gratiæ ulli puræ creaturæ conferendæ. Secundò, Quòd Christo non tantùm detur gratia sanctitatis accidentalis, sed etiam personalis. Tertiò. Quòd gratia in esse gratiæ sit simpliciter sine mensura & infinita. 14.

Inferes secundò, gratiam Christi de potentia ordinaria physicè non potuisse augeri, bene autem de potentia extraordinaria & absolutâ. 15.

Prima pars est communis Catholicorum, & sequitur ex articulo præced. quia si gratia Christi per potentiam ordinariam potuisset augeri, Christus non habuisset plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ: consequens est contra dicta articuli præcedentis; ergo.

Secunda pars est S. D. q. 10. a. 4. ad 3. dicentis: quòd absolutè considerando possit esse aliquis gradus sublimior secundùm infinitatem Divinæ potentiæ.

Ratio est primò. Quòd nulla sit assignabilis repugnantia neque ex parte virtutis productivæ, quæ est infinita, neque ex parte gratiæ, quæ secundùm suam speciem non habet certum termi-

num sui augmenti, neque ex parte recipientis, siquidem potentia obedientialis habet capacitatem ad recipiendum terminum syncategorematicè infinitum.

Nec obstat D. Th. hîc ad 1. dicens, *quòd gratiæ Christi quamvis secundùm essentiam finitæ non possit fieri additio, cùm in ipsis formis considere-tur aliquis terminus, ultra quem non progrediantur.* Loquitur enim de potentia ordinaria, secundùm quam quælibet forma de facto habet certum terminum suæ intensionis, quamvis ex natura rei & ex essentia illum non exigat, éque de causa per absolutam potentiam augeri & intendi possit in infinitum.

ARTICULUS III.

An Christus habuerit gratiam Capitis?

SUMMARIA.

1. *Exponitur analogia Corporis.*
2. *Status quæstionis.*
3. *Christus etiam in quantum homo Caput Ecclesiæ ostenditur.*
4. *Variæ objectiones.*
5. *Christus non rectè dicitur membrum Ecclesiæ.*
6. *Christus potiùs dicitur Caput, quàm cor, quia ejus influxus est patens.*
7. *Christus est caput hominum etiam quoad corpora.*
8. *Gratia capitis in Christo formaliter non distinguitur à gratia habituali.*
9. *Ut connotante unionem hypostaticam.*
10. *Unio hypostatica defectu proximi influxus effectivi non est gratia capitalis.*
11. *Extrinseca ordinatio non sufficit ad gratiam capitis.*
12. *Neque influxus physicus instrumentalis.*
13. *Gratia B. V. non est gratia capitis.*
14. *Sex diversa hominum genera, de quibus quæri potest, an habeant Christum pro capite?*
15. *Homines aliquando sunt membra Christi in actu, aliquando in potentia.*
16. *Christus in actu est caput omnium Beatorum, Iustorum, & peccatorum fidelium.*
17. *In potentia est caput omnium infidelium, & principaliùs eorum, qui sunt credituri.*
18. *Damnatorum caput nec est in actu, nec in potentia.*
19. *Influxus per auxilia sufficientia, non facit, ut Christus sit caput in actu.*
20. *Christus est caput omnium hominum ab origine Mundi.*
21. *Primorum parentum caput non fuit pro statu innocentiæ.*
22. *Christus in potentia est caput respectu parvulorum sine Baptismo morientium, non respectu existentium in Limbo peccatorum.*
23. *Christus est nostrum caput non tantùm ratione animæ, sed etiam ratione corporis.*
24. *Christus est caput SS. Angelorum.*
25. *Quomodo Angeli sint membra Christi?*
26. *Quomodo Diabolus sit caput impiorum?*
27. *Item Antichristus?*

§. I.

Exponitur, quomodo Christus sit Caput Ecclesiæ?

1. NOtandum primò ex S. D. hîc a. 1. in c. quòd sicut Ecclesia vocatur corpus mysticum per analogiam ad corpus naturale hominis, quod secundùm diversa membra habet diversos actus, ut dicit Apostolus Rom. 12. & 1. Cor. 12. ita Christus dicatur caput per analogiam ad caput corporis humani, in quo tria præcipuè spectantur, ordo, perfectio, & virtus. Ratione ordinis habet, quòd sit primum in corpore, unde omne principium consuevit vocari caput; ratione perfectionis, quòd in capite vigeant omnes sensus tam interiores, quàm exteriores, quod non invenitur in alijs membris, in quibus solus tactus reperitur; ratione virtutis, quòd virtus & motus à capite in omnia cætera membra derivetur.

2. Notandum secundò, cùm Christus simul sit Deus & homo, quæstionem institui, utrùm sit caput Ecclesiæ, non modò in quantum est Deus, sed etiam in quantum est homo; ubi Ly *in quantum* non debet accipi reduplicativè, quasi humanitas esset ratio formalis, quòd Christus sit caput Ecclesiæ, hoc enim prædicatum convenit soli Deo, & non tantùm Verbo; sed etiam Patri & Spiritui S. ut sit invisibile caput Ecclesiæ, sed debet accipi specificativè; in hoc sensu, an ratio capitis ita conveniat Christo, ut illam exerceat & exequatur per ipsam humanitatem.

Notandum tertiò, nomen Ecclesiæ non accipi in præsenti pro sola Ecclesia militante in terris, sed pro tota Ecclesia, complectente simul militantem, triumphantem, & purgantem.

3. CONCLUSIO. *Christus est caput Ecclesiæ, etiam in quantum est homo.* S. D. a. 1. & communis DD.

Prima pars est de fide, & constat ex Script. ad Eph. 1. *Ipsum dedit* (Christum) *caput supra omnem Ecclesiam.* Col. 1. *ipse est caput corporis Ecclesiæ.* 1. Cor. 6. *nescitis, quoniam corpora vestra sunt membra Christi?* Constat secundò applicatione trium conditionum, quæ in capite reperiuntur. Et primò. Christus est primus in Ecclesia, sicuti caput est primum in corpore: ipse enim, ut loquitur citatus Apostolus Col. 1. *Est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Et primus Prædestinatorum, causa & exemplar omnis prædestinationis. Secundò. Superat perfectione & plenitudine gratiæ totum reliquum corpus Ecclesiæ, ut hactenùs ostensum. Tertiò virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, prout dicitur Io. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus.*

Secunda pars constat inprimis ex eodem Apostolo Ephes. 1. dicente, *Christum esse caput, quem Deus suscitavit à mortuis, & constituit ad dexteram in cælestibus &c.* Quæ omnia conveniunt Christo ut homini; secundò, quia conditiones ad rationem capitis requisitæ, quòd sit *primus & primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. per-

fe-

fectissimus, & *plenus gratia*, eandémque gratiam nobis causans, & tanquam *vitis in palmites* derivans etiam ipsi convenit secundùm humanitatem.

4. Dices primò. Caput est etiam membrum & pars corporis: Christus non est membrum, vel pars Ecclesiæ: ergo nec caput. II. Caput influit sensum & motum in alia membra; sed sola Deitas influit gratiam, non autem humanitas; ergo Christus ratione solius Deitatis, & ut Deus est caput Ecclesiæ. III. Caput in corpore recipit influxum ex corde, quod est magis primarium & universalius principium motûs: ergo Christus, qui est universale principium Ecclesiæ, rectiùs diceretur cor, quàm caput. IV. Capitis non datur aliud caput; sed Christus, quà homo, habet aliud caput, secundùm illud 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus*. Ergo quà homo non est caput Ecclesiæ.

5. Respondeo ad I. Christum non esse membrum, vel partem Ecclesiæ, quod concedebat Altisiod. teste Alvar. quia non recipit influxum ab aliis membris, nec dependet ab ipsis, ut habet S. D. in 3. dist. 13. q. 2. a. 1. Nec refert, quod dixit Apostolus 1. Cor. 12 *Vos estis corpus Christi, membra de membro*, quibus videtur significare, quòd Christus sit membrum Ecclesiæ. Nam resp. vel Apostolum seipsum significare, ut sit sensus: estis membra de membro, h. e. de me, tanquam Apostolo & principali membro, qui vos genui per Evangelium, ut ipse dicit; Cor. 4. Vel Christum quà hominem appellari membrum comparativè ad DEUM ipsum, qui dicitur caput Christi, & à quo recipit influxum gratiæ. Vel tertiò juxta Cajet. significatur, quòd sint membra tantùm ex parte, quasi dicat, vos non estis omnia membra Ecclesiæ, sed pars membrorum. Unde in forma respondeo: caput corporeum est membrum, conc. caput mysticum, nego: non enim requiritur in metaphoris, ut sit similitudo vel analogia in omnibus.

Ad 2. dist. min. Solus DEUS influit gratiam authoritativè, & principaliter, concedo; instrumentaliter: nego. Sic enim, ut ait S. D. hîc ad 1. *humanitas instrumentum fuit Divinitatis ejus ad gratiam producendam in nobis*.

6. Ad 3. respondet S. D. ad 3. quòd cor habet quidem influentiam, sed occultam & invisibilem, caput verò magìs visibilem, & apparentem; ideò Spiritus S. qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit, cordi comparatur, capiti autem comparatur Christus secundùm visibilem naturam, & propter visibilia signa Sacramentorum, per quæ Ecclesiam gubernat.

Ad 4. etiam resp. ut ad 1. Capitis naturalis corporei non datur aliud caput, conc. metaphorici, & mystici, nego. Non enim requiritur similitudo in omnibus. sic enim non esset similitudo, sed potiùs identitas.

7. Quæres. An Christus sit caput hominum solùm quoad animas, vel etiam quoad corpora? Respondet S. D. a. 2. etiam quoad corpora, quamvìs principaliter sit Caput quoad animas. Istud: quia in animas influit gratiam, & reliqua dona spiritualia: illud dupliciter, quia per virtutem Christi *corpus exhibet membra sua arma justitiæ*. Secundò. in quantum per ipsum vita gloriæ ab anima derivatur in corpus, secundùm Apostolum Rom. 8. *qui suscitavit Christum IESUM à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis*. Et Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*.

§. II.

Per quam gratiam Christus constituatur in ratione capitis?

CUm in Christo alia sit gratia unionis, alia gratia habitualis, quæritur, quænā ex istis sit gratia capitalis, sive constitutiva Christi in ratione capitis? Ubi Vasquez. disp. 48. c. 4. cum pluribus R.R. censet gratiam unionis, Thomistæ communiter gratiam habitualem esse hanc, de quâ loquimur, gratiam capitalem. Ysambertus hic d. 2. a. 4. dicit gratiam capitalem consistere in potestate Christo collata ad influendum in omnes Angelos & homines vitam spiritualem.

CONCLUSIO. *Gratia capitis in Christo non distinguitur nisi formaliter ab ipsius gratia habituali (2) in quantum supperaddit connotationem ad hypostaticam unionem.* Ita S. D. hîc a. 5. 8.

Probatur prima pars. Illa gratia proprijssimè Christum constituit in ratione capitis, ex quâ in omnia membra gratia & vita spiritualis derivatur: sed hæc est ipsa gratia habitualis Christi; ergo. Major patet, quia hæc est potissima conditio capitis, quòd ex eo vita & motus in membra derivetur, & insinuata fuit Jo. 1. per illa verba: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Minor probatur. In tantum ex Christo derivatur gratia, in quantum Christus meretur omnem gratiam; sed principium quò merendi omnem gratiam est ipsa gratia habitualis Christi; quia principium quò merendi, est principium quò operativum & elicitivum meriti, sed hoc est gratia habitualis: ergo.

Secunda pars probatur. Quia Christus in ratione capitis & principii meritorii omnis gratiæ & gloriæ constituitur per principium meriti infiniti; sed gratia habitualis Christi non est principium meriti infiniti, nisi quatenùs connotans unionem hypostaticam, ex quâ derivatur infinitus valor in merita & satisfactionem Christi; ergo. 9.

Dices primò. Conditiones capitis per prius & perfectius reperiuntur in gratia unionis, quàm in gratia habituali: ergo per gratiam unionis Christus constituitur in ratione capitis. Antecedens probatur. Nam illa gratia est perfectior, eminentior, & ex illa derivatur infinitus valor in operationes Christi, per quas influit in alia membra, siquidem omnis gratia confertur intuitu meritorum Christi. 10.

Respondeo defuisse illam conditionem, ut haberet influxum effectivum in alia membra: unde licèt omnis gratia sit ultimatò à gratia unionis, tanquam principio formali radicali, quia tamen non est ex illa tanquam principio quò effectivo, ideò non sufficit ad hoc, ut dicatur gratia capitalis.

Dices Secundo: nulla res formaliter potest in illo consistere, quo sublato adhuc illa potest subsistere; sed sublatâ tam gratiâ habituali, quàm gratiâ unionis, adhuc posset Christus intelligi Caput Ecclesiæ, si modò Divinitùs intelligatur ordinatus ac deputatus ad tale officium; ergo nec in unione hypo- 11.

hypostatica, nec in gratia habituali, sed potiùs in potestate quâdam morali per Divinam ordinationem collata consistit gratia capitalis.

Respondeo negando minorem: si enim utraque vel alterutra gratia defuisset, Christus non habuisset principium quò operativum meriti infinitè digni, ratione cujus influit in subjecta sibi membra.

12. Colliges ex dictis primò, influxum physicum instrumentalem, quo humanitas & gratia Christi physicè producit gratiam, non esse sufficientem ad salvandam gratiam capitis. Ratio est: quòd Christus ut caput ex propriâ virtute & authoritativè influit; sed hoc non facit ratione influxûs instrumentalis, quem posset habere etiam sine gratia.

13. Colliges Secundò, quamvis gratia Beatissimæ Virginis fuerit perfectior omni gratiâ hominum & Angelorum, tamen non fuisse sufficientem, ut esset gratia capitis, quia non erat principium quò merendi omnibus aliis gratiam & gloriam.

§. III.

An, & quomodo Christus sit Caput omnium hominum?

14. Notandum primò, Sex gradus & genera hominum distingui posse in præsenti quæstione. Primus est Beatorum in patria: secundus Justorum sive in terra, sive in purgatorio degentium: tertius peccatorum fidelium, seu fidem habentium: quartus infidelium juxta Divinam prædestinationem aliquando convertendorum: quintus infidelium nunquam convertendorum: sextus damnatorum.

15. Notandum secundò, duobus modis homines posse dici membra Christi, & consequenter etiam Christum caput hominum: *In actu, & in potentia.* In actu, si nempe Christus per dona supernaturalia actu influat, atque ita per fidem vel charitatem homines actu Christo uniantur. In potentia, si actu non uniuntur, possunt tamen uniri, quæ potentia est duplex, vel reducenda in actum, ut contingit in infidelibus prædestinatis, vel nunquam reducenda in actum, uti fit in infidelibus reprobis.

16. CONCLUSIO. *Christus Dominus est caput in actu omnium hominum beatorum justorum & peccatorum fidelium (2) in potentia verò est caput omnium infidelium, principaliùs eorum, qui non sunt credituri, minus principaliter eorum, qui sunt credituri. (3) Damnatorum verò caput nec est in actu, nec in potentia.* Ita S D. a. 3.

Ratio primæ partis est. Illorum membrorum Christus est caput in actu, quæ actu uniuntur Christo in suo corpore mystico, & recipiunt aliquem influxum vitalem supernaturalem à Christo. Sed hunc inprimis perfectissimè recipiunt Beati, qui actu Christo uniuntur per gloriam. Deinde justi sive in terra, sive in purgatorio constituti, quia ipsi uniuntur per charitatem. Tertiò quamvis modo imperfectiori fideles in peccato mortali existentes, quia isti saltem Christo & corpori mystico Ecclesiæ uniuntur per fidem, & ratione hujus aliquem influxum supernaturalem imperfectè vitalem recipiunt.

Ratio secundæ partis est: quia respectu illorum hominum Christus est caput in potentia, qui sunt in potentia, ut sint membra Christi: sed infideles in hoc Mundo viventes sive sint, sive non sint prædestinati, sunt in potentia, ut sint membra Christi: ergo. Minor probatur: quia ut inquit S. D. hîc a. 2. hæc potentia in duobus fundatur: primò & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis; secundò in arbitrii libertate: sed hoc reperitur respectu omnium hominum infidelium; ergo omnes homines infideles sunt membra Christi in potentia. 17.

Tertia pars constat ex dictis: nam damnati *nec sunt in potentia, ut Christo uniantur,* inquit S D. in c. ergo Christus nec in potentia est caput damnatorum. 18.

Dices. Christus est caput in actu respectu membrorum, in quæ actu supernaturaliter influit: sed actu influit etiam in infideles; ergo. Minor probatur. Etiam infideles recipiunt auxilia sufficientia gratiæ per Christum: ergo etiam in ipsos actu supernaturaliter influit. 19.

Respondeo. Non sufficere quemlibet influxum supernaturalem, ut aliquid dicatur membrum in actu; sed talem, ex quo membrum suo capiti vitaliter uniatur. Unde membra mortua sunt tantùm æquivocè membra, quia nullum vitalem motum à capite recipiunt: atqui per illam gratiam sufficientem & excitantem infideles non supponuntur in aliquo vitali Christo D. uniri; hoc enim aliud esse non potest, quàm gratia, vel fides. Adde, quòd influxus gratiæ excitantis fit potiùs à Christo ut generante in vitam spiritualem, quàm ut à Capite vitam spiritualem suo influxu conservante.

Inferes primò, Christum esse caput omnium hominum ab origine Mundi, etiam Christi nativitatem in naturæ, vel antiqua Lege antecedentium. 20.

Ratio est: quia omnes isti Christo uniebantur vel in actu per gratiam & charitatem, vel saltem per fidem obtentam ex virtute & meritis Christi, illam moraliter causantis, vel uniebantur in potentia, quatenùs ex meritis Christi conferebantur auxilia sufficientia ad credendum.

Inferes secundò, Christum quà hominem non fuisse caput primorum hominum pro statu Innocentiæ: quia gratia Innocentiæ, utpotè prævisa ante decretum Incarnationis per ea, quæ dixi de motivo Incarnationis, non erat ex influxu & meritis Christi, quamvis eadem gratia quatenùs reparata fuerit ex meritis Christi, & sic Christus fuerit Caput primorum hominum extra statum Innocentiæ. 21.

Inferes tertiò, Christum rectè dici Caput in potentia etiam respectu parvulorum, qui sine fide & Baptismo in utero materno moriuntur: nam pro istis quoque præparata sunt merita passionis Christi, & habent naturam libero arbitrio præditam, quamvis ex impedimento per accidens oborto nunquam sint ad illius usum perventuri. Non tamen rectè dicitur Christus caput in potentia respectu parvulorum in limbo existentium, cùm isti nec sint in potentia ut Christo per fidem, vel gratiam ampliùs uniantur. 22.

Ca-

Cæterùm an iste influxus, quo Christus gratiam aliáque dona in sua membra influit, sit physicus, an moralis? inferiùs ex instituto in Disp. 12. tractabimus, ubi de potentia Christi.

23. Inferes quartò, Christum secundùm suam humanitatem non tantùm quoad animam, sed etiam quoad corpus esse caput nostrum: eò quòd officium capitis olim fuerit executus cruentâ sui Sacratissimi Corporis oblatione, & Sanguinis effusione, concursu quoque instrumentali ejusdem Sanctissimi corporis ad patranda miracula. Nunc quoque incruenta sui S. Corporis & Sanguinis oblatione in Missæ sacrificio in nos jugiter influat, ejusdem Sanctissimi Corporis virtute æstum pravæ concupiscentiæ restinguat, tandem in beatâ vitâ ex ejusdem Sanctissimi Corporis aspectu maximum solatium & accidentale gaudium in omnes Beatos refundat.

§. IV.

An Christus ut homo sit Caput Angelorum?

24. CONCLUSIO *est affirmativa.* Ita S. D. hîc a. 4. Et habetur in ep. ad Colloss. c. 2. ubi dicitur. *Qui est caput omnis principatûs, & potestatis.* Nec dici potest, quòd eo loco tantùm dicatur de Christo, quà DEO, non quà homine, quia ibidem loquitur de Christo, *quem DEUS suscitavit à mortuis, & in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quæ non nisi de Christo ut homine sunt accipienda. Item Ephes. 1. dicitur, *DEUS Pater suscitavit Christum à mortuis, & constituit ad dextram suam in cœlestibus, super omnem potestatem & principatum, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus* &c. quæ manifeste dicuntur de Christo quà homine. Probatur ratione S. D. 1. Unius corporis est unum caput: sed unum est corpus Ecclesiæ ex hominibus & Angelis constitutæ: ergo habet unum caput: sed Christus quà homo est caput Ecclesiæ quatenùs ex hominibus constitutæ. Minor probatur: Corpus similitudinariè est multitudo totalis in unum finem per diversos actus & officia consequendum ordinata: sed homines & Angeli ordinantur ad unum finem vitæ & gloriæ æternæ: ergo similitudinariè constituunt unum corpus mysticum. Secundò. Christus quà homo habet omnes conditiones requisitas ad rationem capitis respectu Angelorum: ergo Christus quà homo est caput Angelorum. Nam primò Christus perfectione gratiæ excedit omnes Angelos, & isti subordinantur imperio & gubernationi Christi juxta textum Apostoli primò citatum, ac tandem Christus influit in Angelos gratiam & gloriam non quidem essentialem, sed tamen accidentalem.

25. Dices primò. Caput & membra sunt unius naturæ: sed Christus non est ejusdem naturæ cum Angelis: ergo non est caput Angelorum. Respondet S. Doctor: sufficere convenientiam in gradu generico, in quo quantum ad animas homines cum Angelis conveniunt. Deinde, etiamsi non sit convenientia in gradu specifico naturali, est tamen in esse gratiæ & donorum supernaturalium, quæ principaliter spectantur in unione corporis mystici.

Dices secundò: si Christus quà homo esset caput Angelorum, etiam Angeli essent membra Christi, quia hæc inter se sunt correlativa: sed non sunt membra, ergo. Minor probatur. Membrum in ratione membri non constituitur per aliquam formam extrinsecam & accidentalem, sed intrinsecam & essentialem: atqui Angeli non recipiunt à Christo quà homine gloriam & gratiam intrinsecam & essentialem, ut dictum, sed tantùm extrinsecam & accidentalem, v. g. illuminationes quasdam & gaudium accidentale; ergo. Resp. neg. min. ejúsque probationem dist. membrum non constituitur in ratione membri per formam accidentalem, sed essentialem; nisi jam supponatur habere illam formam essentialem, concedo; si jam supponatur habere, eáque sit adhuc perfectibilis influxu formæ accidentalis, nego: & ideo Christus quà homo non tam propriè & perfectè habet rationem capitis respectu Angelorum, quàm respectu hominum; sicut non tam perfectè habet rationem capitis respectu fidelium, in quos influit solummodò per fidem, quàm respectu Justorum, in quos etiam influit per gratiam.

Quæres primò, utrùm Diabolus sit caput omnium malorum?

Respondet S. Doctor hic a. 7. in c. cum distinctione, Diabolum rectè dici caput impiorum quoad externam gubernationem, non autem quoad aliquem influxum interiorem. 26.

Prima pars colligitur ex Job. 41. *Ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Et habetur expressè apud D. Gregorium ho. 16 in Ev. *Certè iniquorum omnium caput Diabolus est, & hujus capitis membra sunt omnes iniqui.* Ejúsque ratio est: quia is dicitur caput, Rex & Gubernator alicujus multitudinis, qui eandem adducit ad suum finem; sed finis Diaboli est homines sub specie libertatis abducere per peccatum à Deo fine ultimo, idque actu præstat circa impios; ergo rectè dicitur Rex & caput malorum. Unde 2. Tim. 2. peccatores dicuntur *à Diaboli laqueis captivi teneri ad ipsius voluntatem.* In Concilio Trid. sess. 5. de pecc. orig. definitur, *primum hominem Adam per peccatum incurrisse mortem, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium*, h. e. Diaboli. Ideò Io. 12. & Luc. 11 Collos. 1. dicimur à *servitute Diaboli per Christum liberari. Nunc judicium est Mundi, nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras, qui eruit nos de potestate tenebrarum.*

Secundæ partis ratio est: quia licèt Diabolus suggerendo inducat ad malum, non tamen in ipsam mentem rationalem influit, aliquid intus in voluntate operando, vel producendo.

Sed dices: Diabolus defacto tentat homines justos suggerendo prava, nec tamen exinde est caput justorum: ergo nec dici potest caput malorum, quos etiam non aliâ ratione potest inducere in peccatum nisi tentando & prava suggerendo.

Respondeo negando consequentiam; quia homo justus in se habet virtutem gratiæ, unde resistat Dia-

Diabolo: at peccator non habet in se quicquam virtutis, unde possit Diabolo graviter tentanti resistere. Ac præterea, quia ut inquit S. D. inf. q. 49. a. 2. *juste permittitur nocere hominibus, quos tentando in suum consensum pertraxit.*

Quæres secundò. An Antichristus possit dici caput omnium malorum?

27. Respondet S. Doctor, posse dici caput malorum non secundùm virtutem influendi, sed secundùm perfectionem malitiæ, in quantum plenissimè invenitur in eo impressa malitia Diaboli. Et ita exponit Glossa supra illud 2. Thess. 2. *ostendens se tanquam sit Deus. Sicut*, inquit, *in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitavit, ita in Antichristo omnis malitia plenitudo: non quidem ita, quòd humanitas ejus sit assumpta à Diabolo in unitatem personæ, sicut humanitas Christi à Filio Dei; sed quià Diabolus suam malitiam eminentiùs ei influet suggerendo, quàm omnibus alijs.* Et secundùm hoc omnes alij mali, qui præcesserunt, sunt quasi quædam figura Antichristi secundùm illud 2. Thess. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis.*

DISPUTATIO XI.
DE
Virtutibus Christi.
Ad q. 7. & 8.

VIrtutes aliæ sunt naturales & per se acquisitæ, aliæ supernaturales & per se infusæ, quæ rursus distinguuntur in Theologicas & Morales. Theologicæ, quæ Deum ceu finem supernaturalem respiciunt pro objecto proximo, sunt, Fides, Spes, Charitas. Morales, quæ proximè occupantur circa media ad finem supernaturalem consequendum, sunt v. g. Religio, Iustitia, Temperantia &c. De illis autem sequenti, de istis in præsenti sit

ARTICULUS I.
An, & quas virtutes infusas Christus habuerit?

SUMMARIA.

1. *Omnes virtutes infusæ ab imperfectionibus sejunctæ sunt in Christo.*
2. *Abfuit à Christo fides.*
3. *Et spes Theologica.*
4. *Sicut & virtus pœnitentiæ.*
5. *Variæ objectiones solvuntur.*
6. *Quo sensu S. Scriptura Christo fidem tribuat?*
7. *Omnia pertinentia ad statum viatoris Christus habuit; sed aliqua formaliter, aliqua eminenter.*
8. *Amor concupiscentiæ in Christo est actus secundarius Charitatis.*
9. *Propter gloriam corporis non salvatur virtus spei in Christo.*
10. *Quid sint dona Spiritùs Sancti?*
11. *Asseruntur Christo dona Spiritùs Sancti.*
12. *Timor Domini, ut est donum, non est fuga mali.*
13. *Gratiæ gratis datæ tribuuntur Christo.*
14. *Applicatio singularum.*
15. *Prophetia defenditur in Christo.*
16. *Non exigit ab intrinseco obscuritatem.*
17. *Cur in Angelis non detur Prophetia?*

§. I.
Determinatur, quænam virtutes supernaturales sint in Christo?

1. CONCLUSIO. *In Christo sunt omnes virtutes infusæ Theologicæ & morales, quæ non includunt aliquam imperfectionem, cum ejus statu & unione hypostatica repugnantem.* S. D. a. 2.

Probatur primò. In quo subjecto sunt actus supernaturales, in eo sunt etiam principia proxima illorum actuum, sine quibus perfectè & connaturaliter non elicerentur; sed in Christo sunt actus supernaturales v. g. mansuetudinis, humilitatis, obedientiæ, religionis: ergo & virtutes, quæ sunt principia proxima ad hoc ordinata, ut ejusmodi actus à supposito connaturaliter, perfectè, suavitérque procedant. Minor constat ex Novo Testamento, ubi dicitur Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* ad Philip. 2. *humiliavit semetipsum factus obediens.* &c. Matt. 6. dicitur, *Christus pernoctasse in oratione DEI.* Sed hîc significantur actus supernaturales humilitatis, obedientiæ, mansuetudinis, Religionis &c. ergo.

Probatur secundò, in illo subjecto, in quo reperitur essentia & radix, in eadem re periuntur perfectiones, quæ ex illa essentia & radice promanant: Sed in Christo perfectissimè est gratia habitualis, quæ in ordine supernaturali se habet tanquam essentia, è qua virtutes Theologicæ & morales infusæ tanquam proprietates ex radice promanant: ergo in Christo sunt etiam virtutes Theologicæ & morales infusæ.

Dixi notanter illas virtutes omnes fuisse in Christo, quæ non habent repugnantiam cum ipsius statu & unione hypostatica: nam sunt aliquæ virtutes, quæ vel supponunt absentiam visionis beatificæ, vel peccatum, vel inordinatos motus concupiscentiæ, quæ, cùm repugnent cum statu beatifico & unione hypostatica, locum non habent in Christo. Unde

2. Inferes primò, in Christo non fuisse fidem Theologicam, ut concludit S. D. hîc q. 7. a. 3. quia cùm fides sit *argumentum non apparentium*, ipsius objectum est essentialiter obscurum, & non visum, prout dicitur in 2. 2. sed Christo nihil potuit esse obscurum, qui primarium objectum fidei, nempe Divinam essentiam, à primo Incarnationis instanti clarè & intuitivè vidit. Unde & dicit Petrus ad Christum Io. ult. *Tu omnia nosti:* ergo objectum fidei locum non habuit in Christo, sed

ſed ubi repugnat alicujus habitûs primarium objectum, ibidem repugnat etiam habitus; ergo.

3. Inferes ſecundò, neque virtutem Spei fuiſſe in Christo, ut habet idem S. D. a. 4. & ſequitur ex præcedenti: quia *ſicut eſt de ratione fides, quòd aliquis aſſentiat his, quæ non videt: ita de ratione ſpei, ut expectet, quod nondum habet*, & ſicut fides eſt rei non viſæ, ita & ſpes: *quod enim videt quis, quid ſperat?* Inquit Apoſtolus Rom. 8. Cùm ergo Christus à primo Incarnationis inſtanti viderit Divinam eſſentiam, ſicque fuerit comprehenſor & poſſeſſor ſuæ beatitudinis, nec primarium objectum ſpei, quod eſt beatitudo nondum poſſeſſa, neque actus vel virtus ſpei locum in ipſo habuit. Neque refert, quod pſ. 30. è perſona Chriſti dicatur. *In te Domine ſperavi.* Et quòd Christus ſperaverit gloriam corporis; hoc enim non eſt intelligendum de ſpe, quæ ſit virtus Theologica; ſed de actu deſiderij, quo Christus petijt, & deſideravit quædam bona nondum habita & poſſeſſa, inter quæ etiam eſt gloria corporis. Unde talis actus ne quidem erat actus ſpei ſecundarius, quia implicante objecto & actu primario alicujus virtutis non datur etiam actus ſecundarius ipſius: ſed, ut dictum, implicat objectum & actus primarius ſpei circa beatitudinem eſſentialem: ergo nec datur in Christo actus ſpei ſecundarius.

4. Inferes tertiò, in Christo non dari virtutem pœnitentiæ, hæc enim in ſuo objecto eſſentialiter reſpicit & ſupponit peccata propria vel quatenùs commiſſa, vel committi poſſibilia, cùm ſit eſſentialiter virtus emendativa: ſed Christus nec peccavit, nec peccare potuit: ergo in Christo non datur objectum, adeóque nec virtus pœnitentiæ. De quo plura in Tract. de pœnitentia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. Objicies primò contra Coroll. I. illud Iſ. 11. Erit *fides cinctorium renum ejus.*

II. Christus non tantùm habuit ea, quæ pertinent ad perfectionem comprehenſoris, ſed etiam quæ pertinent ad perfectionem viatoris, cùm ipſe ſimul eſſet comprehenſor & viator: ſed ad perfectionem ſtatûs viatoris pertinet meritum fidei: ergo.

III. Contra 2. Corollar. ſicut Deus ut in ſeipſo infinitè bonus, & ſuum bonum eſt objectum charitatis Theologicæ & amoris benevolentiæ; ita ut eſt noſtrum bonum & noſtra beatitudo, eſt amabilis amore concupiſcentiæ, & objectum ſpei: ſed humanitas Chriſti Deum amabat non tantùm amore benevolentiæ, ut in ſe ſummum bonum, ſed etiam amore concupiſcentiæ, quatenus erat objectiva beatitudo animæ Chriſti: ergo in Christo fuit objectum & virtus ſpei.

IV. Objectum formale ſpei eſt bonum arduum nondum poſſeſſum, mediante Dei auxilio conſequendum: ſed gloria corporis reſpectu Chriſti erat bonum nondum poſſeſſum, quia differendum uſque ad inſtans Reſurrectionis arduum; quia *oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Debebat quoque eandem gloriam per opera cum adjutorio Divinæ gratiæ elicienda promereri: ergo in Christo fuit objectum formale ſpei.

6. Reſpondeo ad I. ibidem Ly *fides* accipi vel pro virtute veracitatis ſeu fidelitatis, vel in concreto pro ipſis fidelibus, aut fide ipſorum credentium in Chriſtum, ut explicat D. Hieronymus citatus à Suarez.

7. Ad II. diſt. maj. Christus habuit pertinentia ad perfectionem viatoris vel formaliter, vel eminenter, concedo; ſemper formaliter nego, & ſic etiam meritum fidei habuit eminenter.

8. Ad III. quoque diſtinguo maj. Deus ut eſt noſtrum bonum nondum poſſeſſum, arduum, & auxilio Divino aſſequibile, eſt objectum ſpei, conc. præcisè ut noſtrum bonum & beatitudo; ſic nego. Et ſic amor concupiſcentiæ, quo Christus & Beati Deum amant, non eſt actus ſpei, ſed charitatis, quo Beati diligunt ſeipſos propter Deum, & attingunt Divinam bonitatem ſub ratione objecti beatifici, de quo dixi in Tract. de act. hum. & virtut. Theolog.

9. Ad IV. Reſpondeo I. Gloriam corporis reſpectu Chriſti non fuiſſe bonum arduum, tum quia erat connaturaliter humanitati debita, tum quia Chriſto debebantur gratiæ efficaces, quibus infallibiliter perficeret meritum paſſionis. Unde & paſſio Chriſti quatenùs meritoria non erat ardua, ſed quatenùs doloroſa, ſub qua ratione debebat ſuperari, non per virtutem ſpei, ſed fortitudinis & charitatis &c. Unde deſiderium, quo Christus deſiderabat gloriam corporis ad virtutem charitatis, cujus eſt ſibi ipſi bonum velle propter Deum, pertinebat.

Reſpondeo II. diſt. maj. objectum formale ſpei eſt bonum arduum, nondum poſſeſſum &c. quod ſit beatitudo objectiva, conc. aliud quodcunque bonum, nego: ſed gloria corporis eſt tale bonum, ceu extra beatitudinem conſiſtens, conc. ceu beatitudo objectiva, nego min. & conſequentiam.

§. III.

Dona Spiritûs Sancti.

Dona Spiritûs S. juxta S. D. in præſenti ſunt perfectiones, ſeu diſpoſitiones potentiarum, per quas ſunt aptæ moveri à Spiritu S. & in hoc differunt à virtutibus, quòd iſtæ ſint perfectiones potentiarum, per quas aptæ ſunt moveri à recta ratione. Septem enumerantur in 1. 2. q. 68. a. 1. *Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini.* Quæritur ergo, an anima Chriſti fuerit inſtructa omnibus hiſce donis Spiritûs Sancti? 10

CONCLUSIO eſt *affirmativa* & S. Doct. a. 5. Probatur primò ex Iſ. c. 11. ubi de Christo dicitur: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini:* ubi ſeptem dona ſingillatim numerantur. Eadem ſeptem dona colligunt SS. PP. figuratè ſignificata in illo Iſ. 4. *apprehendent 7. mulieres virum unum.* Et Zach. 3. *ſuper lapidem unum 7. oculi.* Et Apoc. 5. *vidi agnum ſtantem habentem cornua 7. & oculos 7.* 11

Ratio S. Doctoris eſt. Dona Spiritûs Sancti ſunt illæ perfectiones, ſecundùm quas potentia eſt

est apta moveri à Spiritu Sancto; sed anima Christi maximè fuit apta moveri à Spiritu S. ergo in illa fuerunt dona Spiritûs S. Minor constat ex Luc. 4. *IESVS autem plenus Spiritu S. regressus est à Iordane, & agebatur Spiritu S.* Et quidem de primis 6. donis, quæ suppono ex Tract. de gratia, non est speciale dubium, de Timore DEI tamen

12. Dices: Timor dicit fugam mali, cujus proinde objectum est malum culpæ vel pœnæ possibile & difficulter evitabile: sed malum culpæ vel pœnæ non habuit in Christo locum; ergo nec timor.

Respondeo. Timor ut significat passionem sensibilem, est fuga mali culpæ vel pœnæ, concedo; ut significat donum Spiritûs S. sic nego. ut significat passionem, sic versatur circa malum: ut est donum Spiritûs S. nil est aliud, quàm reverentia erga summam eminentiam Divinæ Majestatis, qualis etiam in Beatis reperitur.

§. IV.

Gratiæ gratis datæ.

13. PEr gratiam gatis datam significatur donum supernaturale, quòd non per se primò confertur in utilitatem recipientis, sicut gratia gratum faciens, sed ordinatur ad procurandam salutem aliorum. De quibus pariter quæritur, an illarum apparatu insignita fuerit anima Christi?

CONCLUSIO. *Christus habuit excellentissimè gratias gratis datas.*

Probatur primò ratione S. Doctoris hîc a. 8. Gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei & Doctrinæ spiritualis manifestationem: sed Christus erat principalis Doctor fidei & spiritualis Doctrinæ: ergò ipsi præcipuè competebat habere gratias gratis datas.

Probatur secundò inductione Singularum. Pri-
14. mò fuit in Christo gratia *sapientiæ & scientiæ*, quarum ista consistit in excellenti notitia & facilitate deducendi ex principijs supernaturalibus præcipuas conclusiones supernaturales. Secunda consistit in excellenti cognitione & facilitate exponendi conclusiones supernaturales ex effectibus notioribus. Sed utraque maximè decebat supremum cœlestis doctrinæ Magistrum: unde dicitur Matth. 7. *Admirabantur turba super doctrinâ ejus.* Et Lucæ 9. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius. Fidei* nomine hîc non intelligitur habitus vel actus de objecto obscurè revelato: sed vel pefectissima cognitio mysteriorum fidei, vel certa fiducia voluntatis erga Divinam omnipotentiam, quòd illa certò non sit defutura humanitati volenti patrare miracula. Sed utroque modo fides fuit in Christo, ut patet. De *gratia curationum*, seu *sanitatum* constat quoque ex Evangelica historia, præsertim Lucæ 6. ubi dicitur *quòd virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Fuit quoque, ut ex eodem Evangelio patet, in Christo *gratia virtutum*, h. est patrandi miracula ostensiva Divinæ omnipotentiæ, unde Io. 3. dixit Nicodemus ad Christum: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis &c.* De *Discretione Spirituum*, seu gratiâ penetrandi secreta cordium, dicitur Matth. 9. *Cùm vidisset cogitationes eorum.* Et Io. 3. *opus ei non erat, ut quis testimonium prohiberet de homine, ipse enim sciebat, quod esset in homine.* Præterea non est dubitandum, quòd etiam gratia *Linguarum* fuerit in Christo; cùm enim habuerit rerum omnium perfectissimam scientiam, conveniens quoque fuit, ut haberet species & notitiam Linguarum seu idiomatum cunctorum. De *Interpretatione* quoque *sermonum*, quæ est gratia exponendi Divina ad captum audientium, fit mentio frequens in S. Script. præsertim Marc. 12. & Lucæ 4. ubi Christus dicitur *aperuisse sensum Scripturarum.*

De *Prophetia* aliqui dubitant, sed nec illam 15.
Christo defuisse affirmat S. D. a. 8. Et ita fuit prædictum de Christo Deut. 18. *Prophetam suscitabit vobis DEVS de fratribus vestris.* Et de seipso Christus Matth. 13. & Io. 4. *Non est Propheta sine honore, nisi in Patria sua.* Ratio quoque est: quia Prophetia est illud gratiæ donum, quo quis videt & prænuntiat, quæ procul sunt à sensibus (unde dicitur Propheta *quasi procul fans*) quod fieri potest dupliciter, ut vel pronuntiet remota secundùm locum, veluti cùm Elisæus Giezi reprehendens dixit: *Nonne cor meum erat præsens, cùm homo descendebat de curru &c.* 4. Reg. 5. vel remota secundùm tempus: quo modo Isaias c. 44. prænuntiavit reædificationem templi faciendam per Cyrum Regem Persarum. Sed Christus utroque modo vidit & nuntiavit remota à sensibus, primo modo cùm dixit ad Nathanaelem Io. 1. *Cùm esses sub ficu, vidi te.* Secundo modo cùm prædixit suam passionem, negationem Petri Matth. 24. & aliàs sæpissimè.

Dices primò. Prophetia importat obscuram 16.
notitiam rerum absentium: sed in Christo omnia clarè intuenti in speculo Divinitatis non potuit esse obscura notitia: ergo nec potuit in illo esse Prophetia. Major colligitur ex Num. 12. *Si quis fuerit inter nos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad ipsum.* Secundò. Si in Christo fuisset donum Prophetiæ, eò quòd vel per claram visionem in speculo divinitatis, vel per scientiam infusam vidisset futura & absentia; tunc etiam in Angelis daretur donum Prophetiæ, quod est contra communem sententiam. Sequela probatur: quia non minùs Angeli vident in speculo Divinitatis futura, quæ sibi specialiter à DEO revelantur.

Respondeo ad I. negando majorem. Nam Prophetia ex se est indifferens, ut sit obscura, vel clara: & aliquando quidem est obscura, quando res futuræ & remotæ, per somnium & figuram, & quasi in ænigmate repræsentantur, quales sunt pleræque Prophetiæ Josephi, Danielis, Apocalypsis, &c. aliquando verò est clara, cùm res futuræ per claras species, vel in speculo Diviniratis manifestantur, quomodo Moysen habuisse donum Prophetiæ affirmat S. D. hîc ad 1.

Ad II. nego sequelam, & probationem distin- 17.
guo; Angeli Beati vident in speculo Divinitatis futura & remota à sensibus hominum, quatenus isti in eodem statu cum prophetante seu videnre communicant, nego; secùs concedo. Atqui donum Prophetiæ requirit prævisionem, ac prædictionem futurorum, non quomodocunque, sed qua-

quatenùs illa sunt remota à sensibus hominum, qui in eodem statu cum prophetante communicant. Christus igitur quia erat simul viator & comprehensor, & quà viator conveniebat non tantùm in natura, sed etiam in eodem statu cum hominibus, ideò rectè Propheta, & donum prophetiæ habere dicebatur; Angeli verò Beati cùm sint tantùm comprehensores, & neque in natura neque in statu cum hominibus communicent, idcircò Prophetæ dici non possunt.

ARTICULUS II.

An Christus habeat virtutes morales per se acquisitas?

SUMMARIA.

1. *Quid intelligatur per virtutes per se acquisitas?*
2. *Asseruntur Christo virtutes naturales per se acquisitæ.*
3. *Responsiones & objectiones Adversariorum depelluntur.*
4. *In Christo non fuit continentia, sed temperantia,*
5. *Fuit liberalitas,*
6. *Et probabiliter virtus eutrapelia.*
7. *Fuit quoque virtus magnificentiæ.*
8. *Et justitia vindicativa.*
9. *Christus habuit virtutes naturales à primo conceptionis instanti sibi infusas.*
10. *Sine quibus non fuisset bonus omni genere bonitatis.*
11. 12. *Nec potuit illas primo & unico actu acquirere.*
13. *Disparitas inter scientias, & virtutes naturales.*
14. *Disparitas inter carentiam gloriæ Corporis, & virtutum moralium.*
15. *Christus habuit ab initio conceptionis prudentiam naturalem.*

§. I.

Astruuntur virtutes per se acquisitæ.

1. SUppono, illas virtutes appellari per se acquisitas, quæ ex propria ratione sunt natæ acquiri per frequentatos actus, licèt per accidens possint esse infusæ, quemadmodum Adamus in statu Innocentiæ recepit virtutes naturales divinitùs infusas.

2. CONCLUSIO I. *Fuerunt in Christo Domino virtutes naturales per se acquisitæ, non habentes repugnantiam cum unione hypostatica.* Ita communis Thomistarum contra Lorcam, & quosdam alios.

Ratio est I. Oportuit humanitatem Christi non tantùm perfici secundùm potentiam obedientialem, sed etiam secundùm potentiam naturalem: sed secundùm potentiam naturalem perficitur per actus & virtutes naturales: ergo sicuti potentia obedientialis fuit perfecta & expleta & perfecta per actus & virtutes supernaturales, ita potentia naturalis Christi fuit perfecta & completa per actus & virtutes naturales. Secundò. Fuit in Christo non tantùm scientia infusa, sed etiam acquisita, quia hæc erat perfectio proportionata naturali modo cognoscendi naturæ humanæ Christi: ergo in Christo etiam erant virtutes naturales, quia istæ erant maximè proportionatæ naturali appetitui Christi. Tertiò. Si in Christo non fuissent virtutes naturales, tunc appetitus & inclinatio naturalis ad honestum naturale morale fuisset frustranea, quia non potuisset per virtutes tanquam principia proxima reduci in actum: sed consequens est absurdum: ergo. Quòd verò in humanitate Christi fuerit ejusmodi inclinatio naturalis, inde patet, quòd appetitus Christi naturalis non sit diversæ rationis à nostro: sed noster per se inclinat in honestum morale naturale; ergo etiam voluntas Christi per se inclinabat in honestum morale naturale.

Dices primò: humanitaté Christi non habuisse aliquam difficultatem vincendam circa actus naturaliter honestos eliciendos: habitus autem isti sunt necessarij ad actus promptè & facilè eliciendos, unde videntur fuisse superflui in humanitate Christi: sed contra est primò, quod nec Adamus in statu innocentiæ, nec B. Virgo habuerit aliquam difficultatem in ejusmodi actus, siquidem in utroque ligatus vel extinctus fuit fomes concupiscentiæ, ac rebellio virium inferiorum contra superiores, nec tamen caruerunt virtutibus per se acquisitis, eò quòd istæ requirantur ad actus connaturaliter & suaviter eliciendos. Contra est secundò. Neque intellectus Christi habuit difficultatem in attingendis veritatibus naturalibus, siquidem vi unionis hypostaticæ ipsi repugnabat error tam speculativus quàm practicus, neque tamen carebat scientijs per se acquisitis, ut infra dicemus: ergo similiter non obstante carentiâ difficultatis habuit habitus virtutum naturalium. 3.

Respondeo igitur, licèt Christus non habuerit difficultatem subjectivam, ortam ex contraria inclinatione naturæ in honestè operando; habuisse tamē difficultatem objectivam, ortam ex natura objecti, eò quòd objectum per scientiam naturalem propositum, non potuisset trahere appetitum ad tam suavem & connaturalem sui prosecutionem, nisi fuissent habitus virtutum moralium.

Dices secundò: cùm Christus esset perfectissimum operans, ipsum omnes actus elicuisse ex motivo Supernaturali, nec proinde habuisse actus moraliter honestos honestate naturali. Sed contra est primò; quòd ad hoc, ut Christus perfectissimè & supernaturaliter operaretur, non erat necessarium, ut omnia ejus opera ex fine intrinseco supernaturali, sed saltem ex fine supernaturali extrinseco procederent; cùm honestas moralis naturalis non sit incompatibilis cum supernaturali, sed eidem subordinari, & sub imperium charitatis cadere possit. Contra est secundò: quòd hinc sequeretur, Christum nullâ scientiâ naturali fuisse præditum, siquidem non minùs fuit perfectissimum operans in linea intellectiva, quàm voli-

tiva. Contrà est tertiò. Si Christus tanquam operans perfectissimum solùm elicuisset actus perfectissimæ honestatis, tunc solùm elicuisset actus charitatis Divinæ, nec proinde in ipso locum habuissent actus humilitatis, religionis, obedientiæ &c. quod est falsum.

In forma respondeo: perfectissimum operans morale operatur omnia ex motivo supernaturali formæ, quod operi sit intrinsecum vel extrinsecum proximum vel remotum, finis operis, vel finis operantis, concedo; tantùm & semper intrinsecum proximum & finis operis, nego. Vel secundò operatur ex motivo supernaturali cum exclusione motivi naturalis, nego; sine tali exclusione, concedò.

Dices tertiò: ubi non reperitur finis & objectum primarium alicujus virtutis, ibi nec ipsa virtus: Sed in Christo finis & objectum primarium virtutum moralium non habet locum: ergo. Minor probatur. Finis & objectum primarium istarum virtutum est refrœnatio passionum inordinatarum: sed istæ exulant à Christo; siquidem hæc inordinatio oritur à fomite peccati: ergo.

Respondeo negandò minorem, & ad probationem dico, refrœnationem passionum inordinatarum esse finem tantùm secundarium virtutum moralium: primarium verò esse disponere appetitum ad promptè & faciliter eligendum in materia virtutis conformiter ad rectam rationem; quâ ratione istæ virtutes etiam dantur in Beatis & in Beatissima Virgine.

§. II.

Corollaria.

4. INferes primò, in Christo fuisse virtutem temperantiæ, non autem continentiæ. Rationem reddit S. D. hîc a. 3. ad 3. ex Philosopho 7. Ethic. quòd temperatus in hoc differat à continente, quòd temperatus non habeat pravas concupiscentias, quas continens patitur. Igitur continentia quatenùs à temperantia distinguitur, superaddit connotationem ad pravas concupiscentias, quibus cùm Christus caruerit, etiam caruit continentiâ.

5. Inferes secundò, in Christo fuisse virtutem liberalitatis, quia istius honestas in hoc consistit, quòd quis divitias non adeò appretietur, quin sit paratus ad eas expendendas, vel contemnendas, quatenùs suadet ratio honestatis: sed Christus amore perfectionis divitias penitùs contempsit, subinde etiam pecunias in pauperes erogavit; ergo.

6. Inferes tertiò, Christum non exercuisse virtutem eutrapeliæ, cujus honestas consistit in jocis & ludis decenter moderandis juxta D. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. quia dedecent joci res magnas & arduas agentem, ut ibid. cum S. D. dicit Cajetanus. Nihilominus Gonett probabiliter existimat virtutem eutrapeliæ Christo non defuisse, eò quòd potuerit jocos & ludos eligere sub conditione, si ipsi pro qualitate statûs & negotiorum convenirent: absolutè enim non repugnabant.

7. Inferes quartò, In Christo fuisse virtutem magnificentiæ; quia istius virtutis honestas consistit vel in magnis sumptibus intuitu alicujus operis laudabiliter perficiendi contemnendis, vel expendendis: sed Christus ob finem Redemptionis nostræ contempsit & reliquit omnia regna Mundi, quorum erat Dominus: ergo.

Inferes quintò, in Christo fuisse justitiam vindicativam; hujus enim duplex est actus: primus petere à Legitimo judice, si sit privata, vel si sit persona publica, exercere ultionem peccati. Secundus, suas Deive injurias non ex odio, sed emendandi vel nocumenta removendi studio propulsare: sed utrumque Christus exercuit, partim cùm Io. 8. petiit adulteram lapidari dicens: *qui sine peccato est vestrum, prius in eam lapidem mittat.* Ubi D. Augustinus Tr. 33. in Io. dicit, Christum justitiam (non aliam quàm vindicativam) observâsse, partim cùm Io. 2. nummularios flagello ejecit è templo. 8.

§ III.

An Christus istas virtutes habuerit à primo instanti.

CONCLUSIO II. *Christus habuit istas virtutes morales sibi à primo instanti conceptionis infusas.* Ita major pars Thomistarum, quos sequuntur multi ex RR. 9.

Ratio est: quod est dignius & perfectius, debet concedi humanitati Christi, nisi aliud obstet, in contrarium: sed est dignius & perfectius, ut Christus habeat à primo instanti suæ conceptionis habitus virtutum moralium, quàm ut illas successivè acquirat: ergo Christus habuit illas à primò instanti. Minor probatur. Est perfectius, ut Christus sit simpliciter bonus omni bonitate morali pro omni tempore, quàm ut in aliqua parte temporis saltem negativè non sit bonus omni bonitate morali: sed si non habuisset à primo instanti habitum virtutum moralium, easque primùm proprijs actibus acquisivisset, in aliqua parte temporis saltem negativè non fuisset simpliciter bonus omni bonitate morali, quia in hoc differunt virtutes morales ab intellectualibus secundùm S. Th. 1. 2. q. 56. a. 3. quòd virtutes morales reddant hominem simpliciter bonum; intellectuales verò tantùm secundùm quid: ergo si Christus aliquando caruisset illis virtutibus, etiam non fuisset simpliciter bonus bonitate morali naturali.

Confirmatur. Adamo in statu Innocentiæ omnes virtutes morales fuerunt per accidens infusæ: ergo multò magis Christo. Nec aliquid obstat in contrarium, ut ex solutione objectionum patebit: Unde

Dices primò. Christus à primo instanti erat simpliciter bonus & sanctus bonitate & sanctitate tum unionis hypostaticæ, tum gratiæ sanctificantis: ergo tametsi caruisset illis virtutibus moralibus, adhuc fuisset simpliciter bonus & sanctus. 10.

Respondeo. Fuisset simpliciter bonus & sanctus bonitate hypostaticâ & supernaturali, concedo; naturali, nego. Decebat porro, ut etiam esset bonus bonitate naturali compatibili cum bonitate supernaturali.

Dices secundò. Magis pertinet ad dignitatem Christi, ut per proprios actus acquirat virtutes, quàm 11.

quàm ut illas gratuitò collatas habeat: ergo non fuerunt infusæ.

Respondeo, negando vel dist. antecedens, nisi acquisitio istorum habituum præsupponat aliquã imperfectionem disconvenientem Christo (qualis est in proposito carentia bonitatis moralis) conc. si supponat; nego.

12. Inquis cum Contenson. Licèt Christum successivè acquisivisse vitutes morales dicat aliquam imperfectionem, non tamen dicit imperfectionem, quòd illas primo instanti per proprium actum simul acquisiverit: ergo cùm hoc pertineat ad perfectionem Christi, potiùs dicendum est, quòd Christus per proprios actus in primo instanti illas acquisiverit.

Respondeo, nova miracula non esse astruenda sine necessitate, sed fuissent nova & plura miracula, si Christus in uno instanti simul exercuisset actus omnium virtutum moralium, per quos illas virtutes acquisivisset. Nam actus naturaliter morales dependebant à sensibus, qui per motum corporalem operantur, motus autem corporalis non fit in instanti. Sed nec poterat in uno instanti Christus per prudentiam naturalem judicare de omnibus tam disparatis materiis virtutum, nec de iisdem habere proprias species & cognitiones in promptu, cùm non sint omnes inter se subordinatæ, & juxta D. Angelicum plura ut plura cognosci non possint.

13. Dices tertiò. Christus non habuit scientias naturales à primo instanti sibi infusas: ergo nec habuit omnes virtutes morales.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd non decebat humanitatem Christi, ut aliqua virtus & potentia ipsius perpetuò esset privata suo proprio & connaturali actu, ac officio; sed si Christus ab initio habuisset naturales scientias sibi infusas, intellectus agens in Christo perpetuò mansisset privatus suo proprio officio & actu, quod est abstrahere species intelligibiles à sensibilibus illustrando phantasmata: At nullum tale inconveniens sequitur, si Christus ab initio habuit omnes virtutes morales.

Sed instas, etiam virtus generativa habituum moralium perpetuò mansisset privata suo munere: ergo est idem inconveniens.

Respondeo, generare habitus, non esse actum primarium virtutis appetitivæ, sed tantummodò secundarium, in defectum, si habitus nondum supponantur subjecto communicati; at species abstrahere à phantasmate, est munus primarium intellectûs agentis.

Adhuc inquis: nulla est imperfectio in Christo, quòd ab initio non habeat omnes scientias naturales, quia illarum defectus abundè suppletur per scientiam beatam & infusam; ergo etiam nulla erit imperfectio in Christo, si ab initio non habeat omnes virtutes morales, quia earum bonitas abundè suppletur per bonitatem hypostaticam & supernaturalem.

Respondeo neg. paritatem & causalem consequentis; nam sanctitas supernaturalis & hypostatica non tribuit formaliter bonitatem naturalem; cùm ergo Christus sit capax bonitatis naturalis, eâque simpliciter tribuatur per habitus virtutum moralium, verè defuisset Christo aliqua bonitas simpliciter, si virtutibus illis ad tempus caruisset. Atqui scientia beata & infusa tribuunt Christo notitiam omnium objectorum scibilium etiam per scientias naturales, & illæ subjectum non faciunt simpliciter bonum, adeòque ex ipsarum ad tempus carentiâ non sequitur talis imperfectio. Adde, quòd acquisitio virtutum moralium non sit aliquod bonum Christo tam optabile, quàm sint ipsæ virtutes morales: econtrà acquisitio scientiarum operâ intellectûs agentis est bonum tam optabile humanitati Christi, quàm ipsæ scientiæ, scientiæ quippe supplentur per notitiam beatam & infusam, at ipse modus acquirendi scientiam operâ intellectûs agentis est specialis quædam perfectio humanitati connaturalis & debita, quæ aliundè non suppletur.

Dices quartò. Meliùs Christo fuit, ut gloriam corporis aliquamdiu dilatam obtineret per merita, quàm ut haberet statim à principio: ergo etiam meliùs esset Christo virtutes morales propriis actibus acquirere, quàm initio infusas habere. 14.

Respondeo negando consequentiam: quia dilatio gloriæ corporis conducebat ad finem Redemptionis, non autem dilatio vel carentia virtutum moralium.

Dices quintò. Virtutes morales non possunt esse sine prudentia; sed prudentia Christo non fuit ab initio conceptionis infusa; ergo nec virtutes morales. Minor probatur: prudentia dependet à speciebus intelligibilibus rerum singularium, cùm sit virtus intellectûs practici: sed Christo non fuerunt ab initio infusæ species intelligibiles rerum singularium, sed easdem ministerio intellectûs agentis successu temporis acquisivit, ut dicetur infrà: ergo nec prudentia Christo fuit in primo conceptionis instanti infusa. 15.

Respondeo negando min. & ad probationem dist. min. Christo non fuerunt infusæ species pertinentes ad intellectum speculativum, & rerum per scientias speculativas cognoscibilium, conc. species intelligibiles pertinentes ad intellectum practicum, & proprias materias virtutum moralium, nego: istæ enim erant necessariæ, ut virtus prudentiæ posset in suum actum prodire, & aliis virtutibus medium constituere.



DISPUTATIO XII.

DE

Scientia, & potentia Christi.

Distinctæ in Christo naturæ distinctas potentias, voluntates, intellectus; distinctæ potentiæ distinctos actus & perfectiones expetunt. Sicut ergo increatus intellectus Divinæ naturæ increatâ gaudet scientiâ; ita necesse est, ut creatus intellectus naturæ humanæ creatâ scientiâ perficiatur: nec est possibile, ut increata DEI scientia creatum intellectum actuet, & vitaliter intelligentem reddat, prout ex instituto expendimus in Tract. de act. hum. Hæc creata scientia potest esse triplex. Nimirum *beata*, h. e. visio beatifica. *Infusa*, h. e. unà cum speciebus à DEO ingenita absque propriorum actuum industria, quâ gaudent Angeli. *Acquisita* per proprios actus, nobis hominibus propria. Unde de singulis ordine agendum.

ARTICULUS I.

De scientia beata Christi.

SUMMARIA.

1. *Christus à primo instanti habuit scientiam beatam.*
2. *Christus non meruit gloriam animæ.*
3. *Quomodo summa tristitia potuerit consistere cum gaudio beatifico.*
4. *Anima Christi vidit omnia formaliter contenta in Divina essentia.*
5. *Non vidit omnes creaturas possibiles.*
6. *Vidit omnia pertinentia ad scientiam visionis in DEO.*
7. *Locus S. Script. de extremo Judicii die explicatur.*
8. *Christus non comprehendit Divinam scientiam visionis.*
9. *Neque ipsius scientia beata est infinita.*

§. I.

Existentia scientiæ beatæ.

1\. CONCLUSIO. *Christus à primo instanti suæ conceptionis habuit visionem beatificam.* Ita S. D. q. 9. Et indicatur Jo. 3. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur. Qui de cœlo venit, super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* Jo. 8. *Ego, quæ vidi apud Patrem, loquor.* Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI.*

Ratio S. D. est I. Illud debet esse perfectum, & in actu, per quod alia reducuntur in actum: sed per Christum omnes Prædestinati perducuntur ad beatificam visionem: ergo ista multò magis competebat Christo.

Secundò. Christo vi unionis hypostaticæ debetur plenitudo gratiæ & veritatis, & operationes perfectissimæ, juxta illud Jo. 1. *Vidimus eum quasi Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Sed plenitudo gratiæ importat visionem beatificam: per hanc quippe gratia consummatur, ipsa quoque visio est nobilissima operatio: ergo debetur Christo: & consequenter Christus illâ potiebatur à primo instanti, sicut enim in primo instanti habebat unionem hypostaticam; ita etiam plenitudinem gratiæ & perfectionum, quæ eandem per modum debitæ proprietatis sequebantur.

Objicies primò. Quod Christus meruit, illud à 2.
primo instanti conceptionis non habuit; sed gloriam animæ, quæ in visione beatifica consistit, meruit: ergo eandem ab initio non habuit. Major constat, quia cùm meritum sit via ad præmium, præsupponitur præmio. Minor verò probatur I. quia Lucæ. 24. dicitur: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Jo. 4. *Nondum Spiritus erat datus, quia IESUS nondum erat glorificatus.* II. Christo tribuendum, quod est perfectius; sed est perfectius habere aliquam perfectionem per meritum, quàm sine merito: nam *habere aliquod donum per se, est nobilius, quàm habere illud per aliud*, inquit S. D. q. 19 a. 3. ergo dicendum, quòd Christus perfectionem gloriæ & visionis beatificæ habuerit per meritum.

Respondeo negando min. neque enim Christus animæ sed corporis gloriam (ut inf. dicemus) meruit, quæ etiam in textibus primâ probatione allegatis significatur. Ad secundam probat. respondet ipse S. D. loc. cit disting. minorem; nisi sit tale, *quòd ejus carentia magis dignitati Christi & perfectioni præjudicet*, concedo, secus; nego. Subjungit: *unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec Divinitatem meruit; quia cùm meritum non sit, nisi ejus, quod nondum habetur, oporteret, quòd Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quàm augeat meritum.* Hæc S. Doctor.

Objicies secundò. Summa tristitia non com- 3.
patitur visionem beatificam; sed in anima Christi erat summa tristitia: ergo non habebat locum visio beatifica. Minor constat ex Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Major probatur: Visio beatifica tanquam formalis possessio summi boni secum affert Summum gaudium de bono infinito inamissibiliter possesso: sed Summa tristitia nequit consistere cum Summo gaudio, quia gaudium & delectatio est prosecutio & accessus voluntatis ad objectum, tristitia verò est fuga, aversio, & recessus ab objecto, quæ sibi invicem non tantùm contrariè, sed etiam contradictoriè opponuntur.

Re-

Respondeo distinguendo major. Summa tristitia non compatitur visionem beatificam & gaudium, quod ex potentia naturali aliter promanat, de potentia ordinaria & circa idem objectum formale: conc. de potentia absoluta & circa diversa objecta formalia, nego: atqui gaudium & tristitia Christi habebant diversa objecta formalia, nempe delectabatur voluntas Christi de divinis perfectionibus clare visis, de que redemptione generis humani per suam mortem commendandâ; tristabatur verò de peccatis humani generis, plurimorum hominum interitu, suaque morte quatenus destructivâ naturæ.

§. II.

Objectum beatæ scientiæ Christi.

4. SUppono primò, animam Christi per beatificam visionem attigisse & vidisse clarè omnia, quæ formaliter continentur in essentia Divinâ, videlicet attributa, & terminos intrinsecos ejusdem essentiæ, seu relativas proprietates, personalitates: quia quod est de ratione intuitivæ visionis & attingitur à quolibet Beati intellectu, hoc multo magis pertinet ad objectum claræ visionis, quâ anima Christi videt Divinam essentiam: sed hæc prædicta pertinent ad objectum cujuslibet Beati, velut ostendimus in Tract. de DEO; ergo.

5. Suppono secundò, animam Christi in divina essentia non vidisse omnes creaturas possibiles, quamvis viderit plures creaturas possibiles, quàm ullius Beati intellectus. Ratio primi est: si anima Christi videret in divina essentia omnes creaturas possibiles, tunc habuisset comprehensivam visionem ejusdem essentiæ, consequens implicat; ergo. Sequelam suppono ex cit. Tract. de DEO, ex eo capite probatam, quod, cum possibiles creaturæ videantur in divina essentia, quatenus penetratur virtus essentiæ divinæ, in qua tanquam in sua causa latent & continentur, non possint omnes creaturæ possibiles in essentia Divina videri, quin simul tota virtus essentiæ totaliter penetretur, quamdiu enim nõ totaliter penetratur virtus causæ tamdiu non penetrantur omnes effectus, qui latent in virtute causæ, & in quos illa se potest explicare: atqui hoc ipso causa comprehẽditur, quòd totaliter penetretur virtus ipsius, ergo si quis intellectus in divina essentia videret omnes creaturas possibiles, comprehenderet eandem divinam essentiam. Minor est certa: tum quia proprium DEI prædicatum est, quòd sit incomprehensibilis, tum quia ad comprehensionem objecti cogniti requiritur tam actualitas cognitionis, quàm cogniti, & capacitas intellectualitatis, commensurata quantitati objecti intelligibilis; sed implicat ullum intellectum creatum ullo dono & Lumine supernaturali elevari ad tantam actualitatem & capacitatem intellectualem, quantæ actualitatis & intelligibilitatis est divina essentia: ergo implicat essentiam Divinam ab ullo intellectu creato comprehendi. Ratio secundi est: quia ut loco cit. dixi: quantò perfectius videtur divina essentia, tantò plures in illa creaturæ possibiles manifestantur: atqui anima Christi incomparabiliter perfectiùs vidit divinam essentiam, quàm ullus intellectus creatus; ergo incomparabiliter plures creaturas possibiles vidit, quàm ullus Beatus. Quæritur ergo, quasnam actuales creaturas Christus in divina essentia viderit? De quo sit 6.

CONCLUSIO. *Anima Christi vidit in Divina essentia omnia præsentia, præterita & futura, etiam secreta cordium, & quæcunque pertinent ad scientiam visionis in DEO.* Ita S. Doctor hîc a. 2. in c.

Ratio est. Christus videt in Divina essentia, quæcunque pertinent ad statum ipsius proprium, ut communiter docetur de aliis Beatis in Tract. de visione: atqui ad statum Christi pertinet cognitio creaturarum, quæcunque in aliqua temporis differentia existunt, etiam cogitationum omnium hominum, ac dominatorum in omnem æternitatem, & quæcunque objiciuntur scientiæ Divinæ visionis; ergo. Minor probatur. Quia Christus est Dominus omnium creaturarum; ergo omnes creaturæ actuales ad statum ipsius pertinent, & quia est constitutus Judex omnium vivorum & mortuorum, ad ipsum quoque specialiter pertinet cognoscere omnes hominum cogitationes, non tantùm, quæ præcedunt finale judicium, sed etiam secuturas. Quippe quæ vel ad accidentale gaudium & præmium in Beatis, vel ad accidentale supplicium pertinebunt in damnatis.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò, difficilem locum Marci. 13. ubi Christus dicit, *de die illo & hora (extremi judicij) nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater:* ergo aliquid pertinens ad scientiam visionis, scilicet extrema dies judicij à Filio DEI non cognoscitur. 7.

Respondet D. Angel. hîc ad primum, Christum non loqui de scientia simpliciter, sed de scientia communicativa, quamvis enim ipse non tantùm per scientiam beatam, sed & infusam cognosceret extremum judicij diem, utpote ad statum judicis pertinentem, non tamen accepit illam scientiam, ut aliis communicaret, & ideò dicitur solus Pater scire, quia ille suam scientiam de extremo die judicij communicavit Filio, non tantùm ut DEO, sed etiam ut homini.

Objicies secundò. Si Christus videret omnia objecta, quæcunque DEUS attingit increatâ scientiâ visionis, tunc illam comprehenderet: sed non comprehendit; ergo non omnia illa attingit. Sequela probatur. Si scientia attingeret omnia objecta, quæ DEUS cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, illam comprehenderet: ergo etiam si attingat omnia objecta, quæ DEUS cognoscit per scientiam visionis, illam comprehendit. 8.

Respondeo cum Joanne à S. Th. negando sequelam. Ad probat. assigno disparitatem: si scientia beata Christi attingeret omnia possibilia, non tantùm se extenderet ad totum objectum illius scientiæ quoad numerum subjectorum, sed etiam quoad virtutem scientiæ: è contra cùm scientia beata Christi se extendit ad totum objectum scientiæ visionis, non se ad illud extendit, quantum ad virtutem scientiæ (hæc enim cùm sit eadem cum scientia simplicis intelligentiæ, habet virtutem infinities plura objecta penetrandi) sed quoad nu-

merum scibilium, & sic tantùm adæquat denominationem visionis, aut scientiæ intuitivæ. Cujus ulterior ratio est, quòd possibilia videntur ex vi & virtute ipsius scientiæ Divinæ, in qua latent: at creaturæ actuales non videntur ex vi & virtute scientiæ visionis, sed decreti Divini, à quo Divina scientia accipit denominationem visionis, unde si decretum Divinum vellet infinities plura & plura producere, etiam scientia intuitiva DEI ad infinities plura objecta se extenderet.

9. Objicies tertiò. Si scientia beata Christi se extenderet ad omnia objecta visionis, videret actu infinita objecta, & consequenter ipsa quoque scientia foret infinita: consequens non potest dici; ergo. Sequela probatur. Cumulus omnium cogitationum, quas Beati habebut in omnem æternitatem simultaneè cognitus, est quoddam infinitum; sed hunc per scientiam beatam Christus cognosceret; ergo.

Respondeo negando sequelam, & prob. distinguo: cumulus illarum cogitationum simultaneè cognitus simultatè cognitionis vel essentiæ Divinæ, in qua repræsentatur, est infinitum actu, nego; simultatè propriæ durationis & existentiæ, conc. sed est repræsentatus priori modo, concedo, posteriori, nego minorem, & consequentiam.

Articulus II.

De Christi scientia infusa.

Summaria.

1. *Alia scientia per se, alia per accidens infusa.*
2. *Asseritur scientia infusa.*
3. *Non tantùm supernaturalis, sed etiam naturalis.*
4. *Objectiones diluuntur.*
5. *Christus per scientiam infusam non potuit quidditativè videre Divinam essentiam.*
6. *Neque omnia possibilia.*
7. *Cognoscit comprehensivè res omnes naturales.*
8. *Item futura contingentia, & secreta cordium.*
9. *Et omnia mysteria gratiæ.*
10. *Adeóque gratiam sanctificantem, & Lumen gloriæ.*
11. *Et unionem hypostaticam effectivè, vel relativè sumptam.*
12. *Omnes species & individua naturæ.*
13. *Futurorum cognitio dependebat à specie repræsentante decretum DEI de positione talis effectûs.*
14. *Scientia futurorum contingentium non fuit intuitiva, sed abstractiva.*
15. *Cognovit Christus mysterium SS. Trinitatis per scientiam infusam, quoad an est.*
16. *Duplici modo Christus uti poterat scientiâ infusa.*
17. *Non semper actu cognovit omnia objecta.*
18. *Scientia infusa Christi fuit simpliciter perfectior, quàm scientia Angelorum.*

§. I.

Existentia scientiæ infusæ exponitur.

1. Scientia potest esse per se, vel per accidens infusa. Per se infusa est, quæ non nisi à DEO causari, & nullis proprijs actibus acquiri potest. Per accidens infusa est, quæ licèt defacto sit à solo DEO causata & infusa, absolutè tamen per proprios actus acquiri potest & exigit; quo modo Adamus & Salomon habuerunt scientias infusas rerum naturalium. Loquimur in primo sensu, in quo scientia infusa alia potest esse supernaturalis, quæ per se fertur in objecta supernaturalia, alia naturalis, quæ per se fertur in objecta naturalia. De utraque sit

2. CONCLUSIO. *Christus præter scientiam beatam, etiam habuit scientiam infusam, tam supernaturalem, quàm naturalem.* Ita S. D. q. 11.

Probatur primò, ex Apostolo Coloss. 2. dicente de Christo. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI.* Sed inter istos thesauros scientiæ vel maximè continetur scientia infusa, quâ præditi sunt Angeli; ergo. Secundò, Christus habuit omnem illam scientiam, ad quam anima & intellectus ipsius habebat capacitatem, absque repugnantia cum unione hypostatica, visione, & fine Redemptionis: sed ad scientiam infusam habuit capacitatem; ergo. Major constat: quia non decebat, ut aliqua capacitas & potentia Christi maneret incompleta & inexpleta, præsertim cùm hæc potentia esset expleta in Angelis, de quibus est recepta Theologorum sententia ex D. Augustino, quòd præter cognitionem matutinam creaturarum in Verbo, habeant præterea cognitionem vespertinam, hoc est claram revelationem, seu scientiam infusam extra Verbum.

Dices: hanc potentiam animæ Christi tantùm esse obedientialem, quam expleri non erat necessarium, quia ejus carentia tantùm dicebat imperfectionem negativam, h. e. absentiam formæ indebitæ, non autem privativam, seu carentiam formæ debitæ. Sed

Contra est, quòd etsi hæc perfectio scientiæ non esset debita animæ Christi in puris naturalibus spectatæ, bene tamen quatenus ad unionem hypostaticam, dignitatem supremi capitis, & plenitudinem gratiæ evectæ; sic enim oportebat etiam potentiam obedientialem omni possibili perfectione expleri. Unde

Probatur tertiò: quicquid perfectionis reperitur in aliqua creatura, perfectiori modo concedi debet animæ Christi, nisi repugnet unioni hypostaticæ, visioni beatificæ, & fini Redemptionis; atqui scientia infusa conceditur Angelis & animabus separatis, nec repugnat alicui ex prædictis; ergo potiori jure reperitur in anima Christi. Nec refert, quòd Anima Christi non fuerit in statu separationis: neque enim anima Christi utpote comprehensoris dependebat & impediebatur à corporeis functionibus, quin haberet scientiam beatam

beatam, ergo multò minùs dependebit & impedietur, quo minus haberet scientiam infusam; sicut neque post resurrectionem mortuorum animæ beatæ impediuntur à corpore, quominus eo modo intelligant.

3. Cæterùm præmissæ rationes probant scientiam infusam non tantùm supernaturalem, sed etiam naturalem; non enim tantùm anima Christi ad veritates supernaturales, sed etiam naturales hoc modo Angelico cognoscendas, nempe per lumen & species infusas, habet potentiam & capacitatem, prout etiam Angelus & anima separata, hoc modo non tantùm veritates supernaturales, sed etiam naturales cognoscit, idque pertinet ad magnam intellectûs perfectionem, quæ Christo denegari non debet.

Dices primò, superflua videtur hæc scientia
4. infusa, cum nullum sit assignabile objectum, quod non perfectiùs per [scientiam] beatam Christi anima longè perfectiùs, quàm per scientiam infusam cognoscat. Secundò, etiamsi Christus habuisset scientiam infusam supernaturalem, tamen altera naturalis esset omninò superflua, cum per supernaturalem tanquam scientiam superiorem potuerit cognoscere objecta etiam naturalia, quemadmodum Angeli per species spirituales cognoscit objecta naturalia. Tertiò, juxta Apostolum 1 Cor. 13. Cognitio imperfecta non stat simul cum cognitione & scientia perfecta patriæ: sed scientia infusa est imperfecta comparatione scientiæ beatæ; ergo. Quartò, repugnant simul plures cognitiones distinctæ circa eadem in effectu, alias simul possent intelligi plura, ut plura, quod in Tract. de Angelis rejecimus, sed alia est scientia infusa, alia beata; ergo.

Respondeo ad I. neg. assumptum, etsi enim per scientiam beatam anima Christi cognoscat omnia objecta, quæ cognoscuntur per scientiam infusam, quoad materiam scibilium, non autem cognoscit per scientiam beatam quoad omnem modum cognoscendi; est autem anima Christi in potentia non tantùm ad cognitionem scibilium, quantum ad numerum scibilium, sed etiam quantum ad modum cognoscendi ipsorum: Unde cùm scientia infusa importet specialem modum cognoscendi non tantùm per essentiam Divinam ceu medium cognitum, sed per proprias quidditativas species objectorum, hæc potentia & capacitas animæ nonnisi per scientiam infusam expleri debet.

Dices: in DEO non datur alius modus cognoscendi creaturas, quàm in sua essentia: ergo etiam in anima Christi. Respond. Disparitatem esse, quod modus cognoscendi creaturas in seipsis per species quidditativas sit tantùm perfectio intellectûs creati adjuncta imperfectioni recipiendi species creatas & specificationē ab objecto creato: unde in DEO implicat, non in anima Christi, quæ convenit secundum speciem cum aliis animabus.

Ad II. Respondeo, tametsi anima Christi per scientiam infusam supernaturalem etiam potuerit cognoscere objecta naturalia, quatenus contenta sub lumine & revelatione supernaturali, non tamen superfluam fuisse scientiam infusam naturalem, quia hæc servit ad cognoscendas res naturales absque habitudine ad revelationem DEI, ut authoris supernaturalis.

Ad III. Respond. distinguendo majorem. Cognitio imperfecta, quæ infert effectum privativè repugnantem cognitioni perfectæ, & se habet tanquam via ad illam, non stat simul cum cognitione & scientia perfecta, concedo; alio quocunque modo, nego. Apostolus autem loquitur de fide, quæ est via ad cognitionem patriæ, & infert obscuritatem privativè repugnantem cum clara visione patriæ.

Ad IV. dist. maj. Repugnant simul plures cognitiones ut planè disparatæ, conc. ut ad se aliquo modo coordinatæ, nego. Est autem scientia infusa subordinata ad scientiam visionis beatæ.

§. II.

Objectum scientiæ infusæ exponitur.

Suppono primò, Christum per scientiam infu-
5. sam non potuisse clarè & intuitivè & quidditativè videre Divinam essentiam, & mysterium SS. Trinitatis, siquidem implicat species creatas eandem quidditativè repræsentans, ut docetur in Tract. de vis. scientia autem infusa procedit per species creatas infusas.

6. Suppono secundò, Christum per eandem scientiam non potuisse cognoscere omnes creaturas possibiles, tum quia non potuit illas cognoscere per scientiam beatam, quia sunt infinitæ: ergo neque per scientiam infusam; tum quia debuisset habere infinitas species repræsentativas illarum creaturarum: vel unam speciem creatam infinitæ virtutis illas infinito modo repræsentantem. Sed utrumque implicat, nempe & numerus specierum actu infinitus, & species creata infinitæ virtutis. De reliquis igitur objectis instituimus quæstione sit

CONCLUSIO I. *Christus per scientiam infu-*
7. *sam cognoscit comprehensivè & quidditativè res omnes naturales.* S. D. a. 3. cum comm.

Ratio est ex dictis, quia omnis illa cognitio debetur Christo, quæ est magna perfectio ipsius intellectus, concessa alicui creaturæ: sed cognitio quidditativa & comprehensiva rerum omnium naturalium per species infusas est magna perfectio intellectus, de facto concessa Angelis; ergo.

CONCLUSIO II. *Christus per scientiam infusam cognovit omnia futura contingentia, & secreta cordium.* S. D. ibidem cum comm.

Ratio primi est: quia licèt cognitio futurorum soli DEO sit connaturalis, unde nec creatura quidem Angelica naturaliter potest futura contingentia cognoscere, & eorum cognitio pro signo Divinitatis habetur apud Is. c. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quia Dii estis vos:* tamen propter unionem hypostaticam pertinebat ad officium & dignitatem Christi, ut omnia futura contingentia cognosceret non tantùm per scientiam beatam seu comprehensoris, sed etiam per scientiam infusam, cum viatoris; siquidem erat ut viator erat Inspirator & Princeps omnium Prophetarum, Dominus & caput universorum, scopus omnium temporum & sæculorum, ita ut ab

ab ipsius meritis tam præterita, quàm futura penderent.

Secunda pars constat primò, ex Matth. 9. *cùm vidisset cogitationes eorum*, dixit: *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Secundò ex ratione, quia istorum cognitio extra Verbum in seipsis est magna perfectio conveniens personæ & officio Christi Viatoris, ut Domini, Iudicis & Directoris universorum, qui donum prophetiæ & discretionem spirituum, aliis Prophetis & Sanctis particulatim communicatam, debuit perfectissimo modo possidere. Ex quo dabis disparitatem, cur Angeli non possint naturaliter cognoscere secreta cordium, quia nimirùm ipsi non habent dominium & jurisdictionem in nostros actus liberos.

9. CONCLUSIO III. *Christus quidditativè, & comprehensivè cognovit per scientiam infusam omnia entia supernaturalia, & mysteria gratiæ.* Ita Thomistæ communiter.

Ratio est primò: quia talis cognitio maximè erat decens & debita Auctori, Doctori supremo, & Magistro omnis gratiæ & veritatis supernaturalis. Illud quoque per claram revelationem extra Verbum cognoscit Christus, quòd obscurâ fidei revelatione hominibus, vel vespertinâ cognitione extra Verbum Angelis cognoscere est concessum: sed & Angeli per specialem illuminationem extra Verbum, & homines per obscuram fidei revelationem cognoscunt mysteria gratiæ; ergo. Porro, quòd ista cognitio sit quidditativa & comprehensiva, probatur: quia illa cognitio est tribuenda Christo, quæ est omnium perfectissima, modò non repugnet; sed entium supernaturalium quidditativa & comprehensiva cognitio non repugnat, éstque perfectissima in genere cognitionis; ergo. Minor probatur: quicquid est quidditativè & comprehensivè repræsentabile per speciem creatam, est etiam quidditativè & comprehensivè cognoscibile; sed omnia entia creata supernaturalia sunt repræsentabilia per speciem creatam quidditativam: neque enim est assignabilis ratio implicantiæ; ergo.

§. III.

Corollaria.

10. INferes ex dictis primò, Christum per scientiam infusam quidditativè & comprehensivè cognovisse gratiam sanctificantem, lumen gloriæ, ipsámque visionem: hæc enim omnia tanquam entia creata possunt per species quidditativas clarè repræsentari.

Sed dices primò. Si Christus per scientiam infusam comprehenderet entia supernaturalia præsertim gratiam & visionem, tunc etiam comprehenderet terminum formalem utriusque: sed hunc non comprehendit, quia est DEUS unus & Trinus.

Secundò. Ad comprehensionem requiritur, ut principium cognoscitivum sit in eodem gradu immaterialitatis, sicut objectum comprehensum: atqui scientia infusa est in inferiori gradu immaterialitatis, quàm lumen gloriæ & visio beatifica; ergo.

Respondeo ad 1. negando sequelam, nam ad comprehensionem alicujus entis habentis essentialem habitudinem ad aliquem terminum, sufficit, ut clarè & evidenter videatur ille terminus in obliquo & quoad an est, non verò quidditativè & ut in se est. Unde licèt visio beatifica attingat DEUM unum & Trinum ut in se est, non ideò est necesse, ut scientia infusa comprehensiva visionis, eundem vel comprehendat vel quidditativè videat, ut in se est: ideóque hoc argumentum illos solummodo urget, qui *in prima parte* concedunt, quòd visio beatifica in seipsa sit clara & quidditativa imago, verbum & species expressa Divinæ essentiæ.

Ad 2. dist. maj. ut idem principium tam proximum quàm radicale sit in eodem gradu immaterialitatis, nego. Vel proximum, vel remotum, concedo. Sed scientia infusa non est in eodem gradu immaterialitatis, ut tamen gratia, quæ est principium radicale comprehensionis & simul cum scientia concurrit ad comprehensionem eliciendam, sit in eodem gradu immaterialitatis, conc. secùs nego min. & consequentiam.

Inferes secundò, Christum per infusam scientiam comprehensivè vidisse unionem hypostaticam, si ista sumatur vel effectivè pro actione unitiva, vel consecutivè pro relatione naturæ ad personam. Sin autem accipiatur formaliter, sic non vidisse comprehensivè unionem hypostaticam *adæquatè acceptam.* Ratio est: quòd unio hypostatica secundùm alibi dicta si *adæquatè* sumatur, etiam dicat in recto personam Divinam, quatenùs terminantem naturam humanam sibi unitam: sed hanc scientia infusa comprehendere non potest; ergo. E contra quia nec actio creata assumptiva humanitatis, nec relatio consequens est quid excedens virtutem scientiæ infusæ, per illam comprehendi possunt. 11.

Inferes tertiò, Christum per scientiam infusam clarè cognovisse non tantùm omnes naturas specificas, sed etiam individua & singularia naturæ: non enim minùs intellectus Christi erat capax & incompletus in ordine ad cognitionem omnium singularium & individuorum, quàm intellectus Angelicus; nec minùs erat perfectio Christo debita, ut cognosceret omnia individua, quàm omnes naturas specificas: ergo non minùs scientia infusa animæ Christi attigit omnia individua & singularia naturæ specificæ, quàm scientia infusa Angeli. Nec refert, quòd species scientiæ infusæ sint spirituales, individua verò sint objectum materiale. Nam species scientiæ infusæ in anima Christi, quamvis essent minoris universalitatis, quàm species Angelicæ, tamen ad modum specierum Angelicarum, erant non ab objectis acceptæ, sed immediatè à DEO causatæ, & ab essentia Divina exemplatæ: ergo sicut essentia Divina & species Angelicæ repræsentant clarè omnia individua & entia materialia; sic & species scientiæ infusæ in Christo. 12.

Inferes quartò, Christum clarè cognovisse futura contingentia secundùm seipsa, dependenter tamen à specie, quæ clarè repræsentabat, DEUM de facto habere decretum de positione talis effectûs. Ita Contensonus contra Gonett. Ratio est: eo modo potuit Christus futura contingentia cognoscere, quo modo erant cognoscibilia; sed non erant cognoscibilia, nisi dependenter à decreto: ergo 13.

ergo aliter videre ea non potuit. Minor probatur. Futura non sunt cognoscibilia, nisi quatenus cognoscuntur habere determinationem, sed non nisi ratione decreti habent esse determinatum in causis: ex se enim sunt indifferentia & indeterminata ad esse & non esse; causæ etiam proximæ, nisi quatenus subsunt Divino decreto, sunt indifferentes ad dandum esse tali effectui, vel non; ergo non nisi ratione & vi decreti possunt cognosci. Maj. & minorem suppono ex Tract. de DEO. Confirmatur. Scientia infusa Christi est participatio scientiæ Divinæ, sed DEUS non cognoscit futura nisi ratione decreti; ergo nec Christus illa cognovit nisi ratione decreti.

Dices primò, decretum DEI tantùm potest clarè cognosci per scientiā beatam; non autem per scientiam infusam, ergo Christus per scientiam infusam non cognovit futura contingentia in decreto, sed potius in seipsis. Secundò, nulla est repugnantia, quò minùs producatur species repræsentans futura contingentia in seipsis, postquam ab absoluto & efficaci Divinæ voluntatis decreto sunt subdita.

Respondeo ad 1. dist. anteced. tantùm per visionem beatam potest clarè cognosci, cognitione clarâ in se, concedo. Cognitione solùm clarâ in Divino Testimonio clarè manifestante & revelante decretum, sic nego. Inquis, hoc esse proprium luminis prophetici, quod distinguitur à scientia infusa. Respondeo adhuc esse distinctionē inter scientiam infusam, & lumen propheticum: primò, quia lumen propheticum tantùm est in ordine ad illa, quæ Propheta ipse, quibuscum vivit, annunciare debet. Secundò, quia prophetia tametsi manifestet futura, non tamen omnes rationes & circumstantias futurorum, quas Christus cognovit per scientiam infusam.

Ad II. Respondeo. Hanc esse repugnantiam, quod futura repræsentarentur, priusquam essent futura. Non igitur negamus Christum habere species quidditativas rerum futurarum, per quas attingit esse formale ipsarum, sed dicimus, quòd res illæ ut certò futuræ non possint repræsentari præcisè per illas species, nisi quatenùs cum specie repræsentativa Divini testimonij clarè repræsentantis decretum, quod tales eventus sint sub tali compositione differentia ponendi, sicut enim essentia Divina quamvis sit eminentissimè species repræsentativa rerum omnium creatarum, illas tamen non repræsentat ut futuras nisi quatenùs est repræsentativa decreti Divini sive efficacis voluntatis illas producendi, ita & species infusa repræsentativa alicujus rei creatæ non potest in Christo habere efficaciam illam ut futuram repræsentandi, nisi quatenus simul repræsentat revelatum DEI decretum de illa ex parte rei ponenda.

14. Inferes quintò, scientiam infusam Christi respectu futurorum contingentium non fuisse intuitivam, sed abstractivam. Ratio est, quia ut supp. ex 1. p. visio in præsentis notitia dicitur; & intuitiva notitia per hoc distinguitur ab abstractiva quòd ut habet S. D. q. 3. de Ver. a. 3. ad 8. superaddit existentiam rerum supra respectum scientis ad scitum, quem habet simplex & abstractiva notitia, quique inseparabiliter omnem scientiam comitatur. Atqui scientia infusa futurorum in Christo non attingit illa tanquam præsentia sibiq; coëxistentia, hoc quippe soli beatæ visioni est proprium, quæ mensuratur æternitate participata, & attingit futura, quatenùs per divinam essentiam repræsentata. Quòd si tamen *Lumen intuitivum* improprie accipias pro clara cognitione opposita non abstractivæ, sed obscuræ & ænigmaticæ cognitioni, potest latiori significatione appellari intuitiva etiam respectu futurorum.

Inferes sextò, Christum per scientiam infusam evidenter cognovisse mysterium SS. Trinitatis, quoad an est. Ratio est: quia ea, quæ habent essentialem habitudinem ad DEUM Trinum, non possunt evidenter & comprehensivè cognosci, quin evidenter cognoscatur quoad *an est*, DEUS Trinus, tanquam terminus ipsorum; sed, ut dictum, Christus per scientiam infusam comprehendit entia supernaturalia ut visionem, & relationem unionis hypostaticæ, quæ dicunt essentialem ordinem ad DEUM Trinum; ergo. Neque hæc evidentia cognitionis habebatur per solam evidentiam in attestante, ut vult Alvarez, sed per evidentiam ipsius speciei entia supernaturalia directè & indirectè DEUM Trinum tanquam terminum repræsentantis, cùm talis indirectè evidens terminus quoad *an est*, necessariò consequatur hujusmodi evidentem repræsentationem entium supernaturalium. 15.

Inferes septimò, Christum potuisse uti scientiā infusā sine discursu & conversione ad phantasmata, vel etiam cum discursu & conversione ad phantasmata. S. D. a. 2. Ratio primi est primò, quia Christus habuit scientiam & species infusas, tanquam perfectionem intellectui Angelico & animæ separatæ debitam; sed species & scientia infusa Angeli, vel animæ separatæ non indigent discursu, vel conversione ad phantasmata, & possunt in principijs manifestare ipsas conclusiones, ergo hoc modo potuit Christus illis speciebus & scientiā uti. Secundò, si Christus scientiā infusā non potuisset uti, nisi se ad phantasmata convertendo, tunc tempore somni fuisset impeditus à tali cognitione, quippe quæ tunc ligatur; sed hoc non potest dici, sed potius tempore somni non impediebatur à scientia illa, & à merito, quod prosequebatur per scientiam infusam regulabatur. Unde etiam hoc tempore debebat potiri libero usu intellectus infusi, nam alias debebat in hac intelligendi perfectione Christus esse Angelis inferior, qui semper sunt in aliquo actu cognitionis. 16.

Ratio secundi est: quia scientia infusa ex se est attemperabilis subjecto, in quo recipitur, cùm ergo intellectus Christi habeat naturalem facultatem discurrendi, & se convertendi ad phantasmata, poterat Christus speciebus & scientiā infusā uti modo discursivo, non quidem descendendo ex noto ad ignotum, sed tamen causando notitiam unam ex altera, & non quidem abstrahendo species à phantasmate, hoc tum enim jam non essent infusæ, sed cognitioni rerum divinarum in phantasia conjungendo figuras & similitudines sensibiles illarum, quomodo constat ex Evangelio, Christum sæpissimè divina mysteria per similitudines & parabolas proposuisse.

17. Inferes octavò, Christum per scientiam infusam non semper actu cognovisse omnia sua objecta, quia (ut habet S. D. a. 5.) de ratione connaturali intelligentis creati est, ut respectu suorum objectorum, aliquando sit in potentia, & aliquando in actu; ergo scientia, quæ ad modum recipientis recipitur, non semper est in actu cognitionis respectu omnium suorum cognoscibilium, sed quandoque in potentia quandoque in actu: éstque proinde scientia habitualis. Si petas, undenam excitetur illa scientia ad hujus potiùs, quàm alterius objecti cognitionem? Respondeo, voluntatis impulsu, cui tum in scientia beata, tum in perenni cognitione propriæ animæ & scientiæ, omnia illius scientiæ objecta sunt manifesta: prout in simili dictum in Tract. de Angelis.

Inferes nonò, scientiam animæ Christi simpliciter perfectiorem, secundùm quid esse imperfectiorem, quàm sit scientia Angelorum. S. D. a. 4. 18.

Ratio primi est: quia perfectio scientiæ simpliciter accipitur vel ex intensione, nempe majori claritate & certitudine ipsius, vel ex majori extensione & multitudine objectorum: sed Christi scientia utroque modo erat perfectior scientiâ Angelorum, primò quidem, quia propiùs à divino lumine derivata, & juxta supernaturalia dona sapientiæ, scientiæ, intellectûs commensurata plenitudini gratiæ; secundo modo, quia complectebatur omnia mysteria gratiæ futura contingentia & secreta cordium. Ratio secundi est, quia in quibusdam actibus erat discursiva, & habebat species minùs universales, adeóque secundùm quid minùs perfecta.

ARTICULUS III.

De Scientia acquisita.

SUMMARIA.

1. *Habuit Christus scientiam naturalem per se acquisitam.*
2. *Multorum objectorum species phantasiæ Christi fuerunt infusæ, ut posset ab ipsis species abstrahere.*
3. *Disparitas inter Adamum & Christum.*
4. *Non est in anima Christi frustranea hæc scientia.*
5. *Cur intellectus agens in Adamo & Beatis non producat species?*
6. *Scientia infusa, & acquisita specie distinguuntur.*
7. *Carentia scientiæ naturalis in anima Christi non fuit privativa, sed negativa.*

§. I.

Ponitur scientia acquisita in Christo.

1. CONCLUSIO. *Christus habuit scientiam naturalem seu experimentalem, propriis actibus successivè acquisitam.* Ita S. D. q. 9. a. 4. Et ex illo Lucæ 2. *proficiebat ætate & sapientiâ.* Deducitur à D. Ambrosio l. de Inc. Dom. c. 7. Apostolus quoque ad Hebr. 5. de Christo dicens, *didicit ex his, quæ passus est, obedientiam,* indicat Christum habuisse quandam notitiam experimentalem, successivè comparatam.

Ratio S. D. est primò; omnis perfectio, naturæ humanæ Christo connaturaliter debita, est in Christo: sed scientia acquisita & comparata per proprios actus, nempe per abstractionem specierum à sensibus, est quædam perfectio humanæ naturæ connaturalis & propria; per hoc quippe differt modus proprius intelligendi humanæ naturæ ab Angelico modo intelligendi, quòd fiat operâ intellectûs agentis species à phantasmate abstrahentis. Cùm igitur Christo sit debita omnis intellectiva perfectio & scientia, non tantùm quoad numerum scibilium (ut sup. adverti) sed etiam quoad omnem modum sciendi, etiam scientia acquisita debet esse in Christo.

Secundò, si Christus non habuisset scientias per specierum abstractionem comparatas, tunc aliqua potentia in Christo mansisset otiosa, proprio actu & perfectione destituta: sed hoc est inconveniens: ergo. Sequela prob. in anima Christi non minùs erat intellectus agens, quàm sit in aliis hominibus; atqui si Christus nullas habuisset species à phantasmate abstractas, sed merè infusas, intellectus agens fuisset penitus otiosus, & destitutus proprio actu, qui est abstrahere species, easque intellectui possibili exhibere; ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

2. OBjicies primò, si qua Christi scientia fuisset successivè acquisita per abstractionem specierum, fuisset valdè imperfecta, & imperfectior, quàm scientia Adami & Salomonis, quod non admittitur. Sequela probatur: nullæ species possunt abstrahi à phantasmate, quæ priùs non fuerunt in aliquo sensu exteriori: sed plurima objecta non fuerunt proposita sensibus Christi: ergo intellectus Christi plurimorum objectorum species abstrahere non potuit, & consequenter plurimorum objectorum notitiâ, & scientiâ caruit.

Confirmatur. Pertinebat ad primi Adami perfectionem, ut haberet omnes scientias naturales saltem per accidens infusas ab initio scientiæ creationis: ergo hoc ipsum pertinet ad perfectionem secundi Adami, nempe Christi Domini.

Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem respondeo cum Card. de Lugo, illorum objectorum species, in quorum notitiam per vim & acumen nativi discursûs intellectus Christi ex objectorum cognitorum notitiâ venire non potuit (ut videntur esse quædam occultæ virtutes causarum naturalium, species piscium in profundo maris, avium & animalium in remotis regionibus existentium) phantasiæ Christi probabiliter à DEO fuisse infusas, ut intellectus agens ab illis species successivè posset abstrahere.

Ad confirmationem nego paritatem. Disparitas est, quòd Adamus fuerit conditus in statu virili tanquam Doctor & caput hominum, maximè in naturalibus, unde sicuti totam naturæ & 3.
quan-

quantitatis perfectionem ſimul obtinuit, ita etiam debuit omnem notitiam, ad officium & ſtatum Doctoris muneribus naturalibus pertinentem, ſimul obtinere. Chriſtus vero ſicut in infantili corpore & ſtatura natus ad corporis naturalem perfectionem creſcendo ſucceſſivè pervenit, neque organa ad phantaſiæ operationem neceſſaria à primo inſtanti omnino perfecta habuit; ita etiam debebat ad perfectionem ſcientiæ naturalis & experimentalis ſucceſſivè pervenire. Nec refert, quòd & ipſe ſit caput omnium hominum, hoc enim officium potiſſimum obtinet in ſupernaturalibus: quod ſufficienter ſalvatur per ſupernaturalem ſcientiam in primo inſtanti infuſam.

4. Objicies ſecundò, videtur talis ſcientia eſſe fruſtranea, cùm anima Chriſti per ſcientiam infuſam longè perfectius cognoverit, & præhabuerit ſpecies omnium objectorum.

Reſpondeo negando ſequelam, quia ut ſuprà in ſimili dictum, licèt notitia & ſpecies omnium objectorum per ſcientiam infuſam habeantur, non tamen omni modo connaturali & debito animæ Chriſti.

5. Objicies tertiò, potiſſima ratio admittendi ſcientiam acquiſitam eſt, quòd alioquin intellectus agens in Chriſto manſiſſet otioſus, & deſtitutus proprio & connaturali actu formandi ſpecies; ſed hæc ratio nihil evincit: nam licèt intellectus agens hominum Beatorum nullas ſpecies abſtrahat, non ideo eſt fruſtraneus; ergo tametſi intellectus agens animæ Chriſti nullas abſtraxiſſet ſpecies à phantaſmate, non ideò fuiſſet fruſtraneus vel otioſus.

Reſpondeo negando minorem, ad cujus probationem nego paritatem, quia cùm Adamus & Beati ſecundùm animam & corpus jam eſſent in ſtatu perfecto, non debebant in ſcientia proficere, ideò per etiam intellectus agens non debebat nec poterat ſpecies producere: atqui cùm Chriſtus eſſet in ſtatu creſcendi, & poſſet ſecundùm ætatem ac corporis quantitatem proficere, poterat quoque ac debebat operâ intellectûs agentis in ſcientia experimentali proficere, ſiquidem in majorem perfectionem organorum conſequitur major virtus & facilitas formandorum & abſtrahendorum phantaſmatum.

Objicies quartò, ſequeretur, quòd in Chriſto ſimul forent plures ſolo numero diſtinctæ ſcientiæ, quia idem eſt objectum per ſcientiam infuſam & acquiſitam cognitum: ergo etiam notitiæ & ſcientiæ ſpecie non diſtinguuntur, quæ per ordinem ad illa objecta ſpecificantur. 6.

Reſpondeo negando ſequelam. Eſt enim objectum idem materialiter, quod per utramque ſcientiam cognoſcitur, concedo; idem formaliter, nego; nam quia ſpecies ſcientiæ infuſæ ſunt magis immateriales, quàm quæ ſunt à phantaſmate abſtractæ, propterea objecta per tales ſpecies repræſentata in eſſe cognoſcibilis ſpecie diverſificantur.

Objicies quintò. Niſi humanitas Chriſti à primo inſtanti habuiſſet infuſam omnem ſcientiam naturalem, habuiſſet aliquando privationem alicujus perfectionis: ſed hoc non eſt admittendum, uti patet exemplo ſcientiæ infuſæ, & virtutum moralium; ergo. 7.

Reſpondeo negando ſequelam, quia privatio eſt carentia perfectionis debitæ; atqui ſcientia experimentalis animæ Chriſti non erat pro primo inſtanti connaturaliter debita: unde patet diſparitas ad inſtantias; nam & ſcientia infuſa utpote à phantaſmate independens non minùs pro primo, quàm ſequentibus inſtantibus, virtutes quoque morales, quia ſimpliciter bonum denominant, erant pro primo inſtanti debitæ: neque humanitati Chriſti erat magis bonum, virtutes morales ſucceſſivè acquirere, quàm primo inſtanti habere, cùm econtra major ſit perfectio, notitiam aliquam miniſterio ſenſuum, & per operationem intellectus agentis comparare, quàm omnem à primo inſtanti ſimul obtinere.

Articulus IV.

De Potentia Chriſti.

Summaria.

1. *Chriſtus ſecundùm humanitatem non fuit omnipotens.*
2. *Neque habuit virtutem inſtrumentalem creandi.*
3. *Neque principalem cauſandi gratiam.*
4. *Humanitas Chriſti eſt cauſa phyſica inſtrumentalis effectuum ſupernaturalium conſequentium Incarnationem.*
5. *Non fuit cauſa inſtrumentalis moralis ſupernaturalium effectuum.*
6. *Neque phyſica inſtrumentalis, reſpectu effectuum ante exiſtentiam Incarnationem.*
7. *Humanitas Chriſti de facto exiſtens in cœlis eſt Inſtrumentum phyſicum Divinitatis ad ſupernaturales effectus.*
8. *Quomodo mors, & paſſio Chriſti jam præterita phyſicè influat in effectus ſupernaturales?*

§ I.

Exponitur potentia Chriſti ut hominis.

Agit S. D. q. 13. de potentia Chriſti, ſeu de virtute productiva ſupernaturalium effectuum, ubi certum eſt primò, Chriſtum ſecundùm humanitatem non fuiſſe omnipotentem: quia omnipotentia, cùm contineat eminenter effectus infinitos, nimirum omnes, quicunque non implicant contradictionem, eſt virtus phyſicè infinita, cujus anima creata Chriſti non eſt capax. Secundò: quia virtus operativa eſt proprietas naturæ, adeòque & virtus infinita operandi, ſive omnipotentia Divina eſt proprietas conſequens divi- 1.

DISPUTATIO XIII.

DE

Defectibus à Christo assumptis.

POstquam Christi gratiam, sanctitatem, virtutes in natura assumpta consideravimus; restat ex opposito inquirere, an etiam in natura humana quosdam defectus assumpserit, vel assumere potuerit, & primò quidem de corporalibus defectibus, de quibus S. D. q. 14. deinde de spiritualibus, de quibus idem q. 15. tractat, sive de defectibus animæ quæstionem instituimus.

ARTICULUS I.

An Christus aliquos corporis defectus assumere debuerit?

SUMMARIA.

1. *Ostenditur convenientia assumendi defectus corporeos.*
2. *Objectiones diluuntur.*
3. *Christus habuit necessitatem naturalem defectuũ corporalium.*
4. *Habuit quoque necessitatem coactionis.*
5. *Ubiquistarum error refellitur.*
6. *Rationes hæreticorum enervantur.*

§. I.

Fueritne conveniens, ut Christus aliquos corporis defectus assumeret?

1. CONCLUSIO I. *Conveniens fuit, ut corpus assumptum à Filio DEI esset humanis infirmitatibus & defectibus subjectum.* Ita S. D. q. 14. a. 1.

Ratio ejusdem est primò: conveniens fuit, ut Christus assumeret corpus accommodatum ad finem Incarnationis & Redemptionis: sed corpus subjectum defectibus quibusdam erat accommodatum huic fini: ergo conveniebat, ut Christus tale corpus assumeret. Minor probatur. Ad finem satisfactionis pro peccato alterius accommodatum erat corpus subjectum infirmitatibus: sed hic est finis Incarnationis & Redemptionis faciendæ per modum satisfactionis; ergo. Minor constat; major probatur. Ordinarius modus satisfaciendi pro peccato alterius est, *ut quis pœnam pro peccato alterius debitam subeat*, inquit S. D. hic in c. sed si corpus Christi nulli fuisset infirmitati subjectum, non potuisset pœnam pro peccatis nostris debitam subire. Nam mors, fames, sitis, & hujusmodi defectus corporales sunt pœna peccati per Adam in Mundum introducti: ergo corpus hisce pœnalitatibus subjectum erat accommodatum pro fine redemptionis & satisfactionis: ideòque dicitur Is. 53. *Verè languores nostros ipse tulit.*

Secundò. Tale corpus erat assumendum, quod esset conveniens ad astruendam fidem Incarnationis; sed corpus obnoxium infirmitatibus erat magis conveniens; natura quippe humana maximè per corporales defectus innotescit. Ideò dicitur Philip. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

Tertiò, cùm Christus venerit ad omnium virtutum exempla nobis exhibenda, tale corpus ipsi conveniebat, in quo haberet materiam patientiæ & fortitudinis; sed nisi illud fuisset subjectum infirmitatibus, & defectibus humanis, in illo non fuisset materia patientiæ & fortitudinis. Hinc dicitur Heb. 12. *sustinuit a peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.*

Dices primò: Christus non suscepit defectus animæ (ut dicetur) propter dignitatem unionis hypostaticæ; ergo etiam propter eandem non suscepit defectus corporis, cùm non minùs ipsius corpus, quàm anima, sit hypostaticè unitum Divinitati. 2. Secundò: pœna consequitur culpam; sed in Christo nulla fuit culpa; ergo nec pœnales defectus corporis. Tertiò: illud non decebat Christum, quo impediebatur cognitio Divinitatis ipsius, quæ erat finis Incarnationis; sed per defectus corporis impediebatur cognitio Divinitatis, unde dicitur Is. 53. *Quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum.*

Respondeo ad 1. negando consequentiam: quia sicut corpus debuit Christo præbere materiam, sic anima debuit ipsi præbere principia satisfaciendi; sed virtutes quantò perfectiores, tantò sunt melius principium satisfaciendi, & sic maximè decuit Christum habere virtutes perfectissimè sine omni defectu. Econtra si corpus fuisset absque defectu, non potuisset præbere materiam satisfaciendi. Ad 2. dist. maj. Pœna sequitur culpam, vel ejus, qui satisfacit, vel alterius, pro quo satisfit, conc. semper culpam satisfacientis, nego: & sic pœnalitates corporis Christi supponebant culpam hominis, pro quo fiebat satisfactio. Unde dicitur Is. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.* Ad 3. neg. min. quia per ejusmodi defectus *manifestabatur humanitas, quæ est via ad Divinitatem*, inquit S. D. hic a. 4.

§. II.

Necessitas assumendi defectus corporales.

CONCLUSIO II. *Christus etiam habuit aliquam necessitatem subjacendi defectibus corporis.* S. D. hic a. 2. 3.

Probatur & explicatur. Duplex est necessitas, una coactionis, quæ est ab agente extrinseco passo resistente; altera est necessitas naturalis ab in-

trinseco, quæ consequitur principia naturalia, nempe formam, vel materiam; quo modo ignis necessariò calefacit: sed utroque modo necessarium erat, ut Christus haberet quosdam defectus corporis; ergo. Et quidem necessitas naturalis, quæ consequitur materiam, probatur; quia carni habenti contrarias dispositiones est proprium & connaturale, ut possit pati, mori &c. Sed corpus Christi constabat carne habente contrarias dispositiones & aliunde divinitùs non impeditâ à recipiendis alterationibus; ergo corpus Christi necessariò, & connaturaliter subjacebat defectibus patiendi, & moriendi.

4. Altera necessitas coactionis etiam ostenditur: quia hæc dupliciter potest considerari, vel in quantum resistit naturæ corporali, & appetitui sensitivo, & sic iterùm (inquit S.D.) *corpus Christi secundùm conditionem propriæ naturæ necessitati subjacuit, & clavi perforantis, & flagelli percutientis*: omnia quippe tormenta ab extrinseco illata erant naturæ corporeæ & sensitivæ Christi contraria. Vel secundò consideratur, in quantum repugnat voluntati: & sic non fuit in Christo necessitas coactionis, neque per ordinem ad Divinam, neque per ordinem ad humanam voluntatem, prout ista sequitur rationem deliberantem, & procedit ex motivis altioribus: fuit tamen necessitas per ordinem ad voluntatem secundùm naturalem motum voluntatis, prout ista est appetitus totius suppositi naturali sympathiâ, quam habet cum appetitu sensitivo, mortem aliaque corporis nocumenta refugiens. Quo sensu Christus non tantùm secundùm appetitum sensitivum, sed etiam voluntatem in monte Oliveti fuit tristatus. Unde si dicas: Christus dicitur Is. 53. *oblatus, quia ipse voluit*, non igitur habuit necessitatem coactionis respectu suæ voluntatis. Respondeo, hoc dici de voluntate secundùm actum deliberatum, non autem de voluntate, secundùm motum & inclinationem naturalem ipsius.

5. Inferes ex dictis contra quosdam Sectarios nostrorum temporum (quos Ubiquistas vocant, quia docent corpus Christi vi unionis hypostaticæ fuisse ubique, sicut & ipsa Divinitas,) corpus Christi fuisse verè loco circumscriptum, & localiter motum. Est de fide, & constat 1. ex Io. 11. ubi Christus dicit: *Ut autem sciatis, quòd non eram ibi*. c. 16. *Relinquo Mundum, & vado ad Patrem*. Marci 16. *Surrexit, non est hic* & plurimis alijs locis, ac fidei symbolo, ubi dicitur, Christum ambulâsse, intrâsse, exijsse, fuisse crucifixum, sepultum, descendisse ad inferos, ascendisse ad cælos &c.

Constat secundò ex Concil. & SS. PP. nam in Conc. Lateran. à Suar. relato disp. 32. se. 4. concl. 1. sic determinatur: *Si quis non confitetur Christum circumscriptum corpore, & circumscriptum Deitate, anathema sit*. Augustinus serm. 58. de V. D. in illud Io. 14. *Vado ad eum qui misit me &c.* inquit: *Ibat per id, quod in uno loco erat, manebat per id, quod ubique erat*.

Ratio constat ex dictis. Sicuti utraque natura Divina & humana in Christo manserunt inconfusæ, prout priùs dictum, ita & proprietates consequentes utramq; naturam manserunt inconfusæ; sed naturæ corporeæ proprietas est circumscriptio, & consequenter mobilitas localis; ergo hæc conveniebat naturæ corporeæ Christi.

Dices primò: de ratione unionis realis & physicæ est, ut ubi existit unum extremum unitum, ibidem sit etiam alterum; sed hypostasis Divina, quæ est unum extremum unitum, est ubique; ergo etiam humanitas, quæ est alterum extremum unitum, est ubique. 6.

Secundò. Si humanitas Christi moveretur & mutaretur localiter, sequeretur, quòd etiam Verbum Divinum moveretur & mutaretur; sed hoc repugnat immutabilitati ipsius; ergo.

Respondeo ad I. distinguendo mai. Est de ratione physicæ unionis, ut ubi unum extremum existit, sit quoque alterum, h.e. ut nō existant ab invicem separatim in diversis locis, conc. ut ubicunque est unum extremum, sit etiam alterum & eodem modo, sic nego. Sufficit ergo ad unionem hypostaticam Divinitatis cum humanitate, ut ubi est humanitas Christi, ibi quoque intimè & inseparatim sit hypostasis Verbi: non autem est necessarium nec possibile, ut humanitas Christi trahatur ad modum proprium hypostasis Divinæ existendi ubique, quod ipsi convenit longè altiori modo, nempe virtute Omnipotentiæ res ipsas continendo, non ut ipsa contineatur in rebus, prout alibi dictum.

Ad II. Respondeo. Verbum Divinum moveretur & mutaretur ratione sui; nego. Per communicationem idiomatum, & ratione naturæ assumptæ, quomodo etiam dicitur natum, passum, crucifixum &c. de quo infra, con. & pariter dist. min. neg. consequentiam.

ARTICULUS II.

An vel quos defectus animæ Christus assumpserit?

SUMMARIA.

1. *Ab humanitate Christi exulat omne peccatum,*
2. *Nec non fomes peccati.*
3. *Quomodo appetitus sensitivus in Christo habuerit horrorem mortis?*
4. *Illa inclinatio fuit inefficax.*
5. *Christus tentatus non sustinuit pugnam internam.*
6. *In Christo nulla fuit ignorantia.*
7. *Fuerunt in anima Christi passiones.*
8. *Sed absque imperfectionibus.*
9. *Fuit in Christo dolor sensibilis.*
10. *Et tristitia non tantùm secundùm appetitum sensitivum,*
11. *Sed etiam rationalem.*
12. *Et quidem secundùm portionem superiorem.*
13. *Conjuncta cum gaudio beatifico.*
14. *Christus habuit actum timoris.*
15. *Et admirationis.*
16. *Item iræ & indignationis.*
17. *Christus simul viator & comprehensor.*

§. I.

Removetur à Christo peccatum, fomes peccati, & ignorantia.

1\. CONCLUSIO I. *In Christo nullum erat vel actuale, vel originale peccatum.* Est de Fide & S. D. hic q. 15. a. 1. Constat primò ex Jo. 8. ubi Christus ad Judæos dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & 1. Petri 2. de Christo dicitur: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Ratio S. D. est: Peccatum non tantum non conducit ad finem, sed repugnat fini, propter quem Christus aliquos defectus assumpsit: ergo peccatum non est inter illos defectus, quos Christus assumpsit. Antecedens probatur. Motivum & finis propter quos Christus aliquos defectus assumpsit, est triplex, nempe ut pro nobis satisfaceret, ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis; sed peccatum repugnat huic triplici fini: primò, quia impedit virtutem satisfactionis: nam *dona iniquorum non probat Altissimus.* Eccl. 34. Secundò, quia peccatum non est secundum, sed contra naturam humanam per seminationem Diaboli introductum, ut dicit D. Damasc. l. 2. c. 30. Tertiò, quia peccatum contrariatur virtuti. Unde cùm 2. Cor. 5. dicitur, quod DEUS *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit Christum* (sic) *peccatum.* Ly *peccatum* figuratè significat hostiam pro peccato. Rursus, cùm ex persona Christi in ps. 21. dicitur, *longè à salute mea verba delictorum meorum* Christus loquitur ex persona membrorum suorum, non quòd in ipso capite sed in membris suis fuerint delicta.

2\. CONCLUSIO. II. *In Christo non fuit ullo modo fomes peccati.* Ita S. D. a. 2.

Notandum, fomitem peccati esse concupiscentiam seu appetitum sensitivum inordinatè & cum privatione debitæ subjectionis ad rectam rationem, inclinantem in bonum sensibile, & vel consideratur in actu primo, sicque est habitualis & inordinata concupiscentia appetitûs sensitivi, in quantum repugnat rationi & inclinationi in bonum, vel facit difficultatem in bonum, quod in hoc statu provenit ex defectu & privatione justitiæ originalis, ut habet S. D. hîc q. 27. a. 3. Vel consideratur in actu secundo, sicque est inordinata inclinatio appetitûs sensualis in id, quod est contra rationem, inquit S. D. hîc in c. quo posito

Probatur Conclusio I. ex Matth. 1. ubi dicitur: *quod in ea natum est, de Spiritu S. est*; sed Spiritus S. (subsumit S. D.) excludit peccatum, & inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis; ergo in Christo non fuit fomes peccati. Et D. August. l. 2. contra 2. ep. Pelag. c. 11. dicit: *Hanc spiritûs resistentiam non habere in carne mortali ille tantùm homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit.*

Probatur secundò ratione S. D. Quantò major est virtus moralis, tantò magìs debilitatur vis fomitis, & inclinatio in peccatum: sed in Christo gratia & virtutes fuerunt in gradu omnium perfectissimo, & incomparabiliter majori, quàm in Adamo: ergo in Christo penitus fuit extinctus fomes peccati. Minor ex dictis constat. Major probatur: quia virtutis moralis officium est, appetitum subjicere rationi, & sic temperantia subjicit concupiscibilem & mansuetudo appetitum irascibilem. Ergo quantò major est virtus moralis, tantò magìs debilitatur inclinatio sensualis in bonum rationi contrarium.

Probatur tertiò, Christus non assumpsit defectus, nisi qui erant ordinabiles ad satisfaciendum; sed fomes peccati nullo modo erat ordinabilis ad satisfaciendum, sed potiùs inclinasset in id, quod est satisfactioni contrarium; ergo.

3\. Dices primò. Ubi est pugna interna inter propensionem carnis, & rationem superiorem, ibi est fomes peccati, siquidem illa pugna est effectus fomitis, sed in Christo erat pugna interna inter inclinationem carnis, seu appetitûs sensitivi, & inter rationem superiorem: ergo in Christo erat fomes peccati. Minor probatur: quia in horto caro & appetitus sensitivus naturaliter mortem præcavebant, quam tamen amplectendam dictabat ratio superior. Secundò, Nisi Christus habuisset pugnam, non accepisset victoriam & coronam: *non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* 2. Tim. 3. sed Christus accepit victoriam & coronam, juxta illud Apoc. 6. *Data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.*

Respondeo ad 1. neg. min. & prob. disting. Appetitus sensitivus refugiebat mortem præceptam dependenter ab imperio & actu inefficaci rationis, conc. independenter, & cum resistentia ad rationem, nego. Nam licèt ratio superior in sensu composito præcepti mortem amplectendam judicaret, eadem tamen ex honesto fine permittebat appetitui inferiori, ut actu inefficaci & in sensu diviso præcepti mortem sibi naturaliter malam refugeret.

4\. Neque dicas: illa inclinatio inefficax tendebat in id, quod erat præcepto Divino nempe mortem patiendi contrarium; ergo erat inclinatio in peccatum, adeòque fomes peccati. Nam respondeo vel negando consequentiam. Nam affectus inefficaces erga objectum extrinsecè tantum prohibitum, non sunt de objecto malo, ut dicitur in 1. 2. Vel dist. antec. inclinatio erat in objectum divino præcepto contrarium in sensu diviso præcepti, & sub conditione si non esset prohibitum, conc. in sensu composito præcepti; nego. Ad 2. Resp. quòd Christus acceperit coronam propter pugnam cum hoste externo, Diabolo & Mundo, non cum hoste interno.

5\. Inquies: Christus fuit tentatus ab hoste externo Diabolo; ergo etiam habuit pugnam internam. Consequentia probatur. Tunc fuit in Christo pugna interna, quando aliquod objectum malum internè repræsentabatur sub ratione boni naturalis; sed cùm Christus à Dæmone fuit tentatus, tunc aliquod objectum malum internè fuit repræsentatum sub ratione boni; ergo. Minor probatur: Dæmon non poterat Christum tentare, nisi mediante cognitione, sed non poterat mediante cognitione, nisi quatenus illa cognitio repræsentabat objectum propositum sub specie boni naturalis: ergo.

Respondeo negando consequentiam, & probationem dist. Tunc in Christo fuit pugna interna, quando aliquod objectum malum repræsentabatur sub ratione boni delectabilis, & hoc bag-

vim movendi appetitum sensitivum independenter ab imperio rationis, conc. si non habebat illam vim; nego. Sed repræsentabatur objectum malum, ità tamen ut nullam haberet vim movendi, conc. secus, nego min. & consequentiam.

6. CONCLUSIO III. *In Christo nulla fuit ignorantia.* S. D. hîc a. 2.

Ratio S. Doctoris est primò. In Christo non minùs erat plenitudo scientiæ, quàm plenitudo gratiæ, ergo sicut plenitudo virtutis & gratiæ exclusit omnem imperfectionem moralem & fomitem peccati, ita etiam plenitudo scientiæ exclusit omnem imperfectionem ignorantiæ. Secundò. Ignorantia erat contraria fini redemptionis: ergo illam Christus non assumpsit. Antecedens probat S. D. in arg. sed contra. Christus venit, ut ignorantias nostras auferret, & *illuminaret his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*: Sed ignorantia per ignorantiam non tollitur. Nec refert, quòd S. Damasc. l. 3. Orth. fid. c. 21. dicat: quòd Christus ignorantem & servilem assumpserit naturam. Nam respondet S. D., Damasc. loqui de natura, quæ secundùm id, quod habet ex ratione suæ speciei, esset ignorans, non autem considerata secundùm id, quod habet ex vi unionis hypostaticæ: sic enim dicitur: Jo. 1. *Vidimus eum quasi unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

§. II.

Quas animæ passiones Christus assumpserit?

7. CONCLUSIO. IV. *In Christi animâ erant passiones, absq; tamen imperfectionibus, quas habent in nobis.* D. Th. hîc a. 4. & seqq.

Notandum, duplicem esse passionem animæ corpus informantis, una dicitur corporalis, quæ animæ convenit, quatenus est forma corporis, & per hujus alterationem ab eodem separabilis. Altera dicitur animalis, & est propriissimè actus appetitûs sensitivi operantis cum aliquâ corporis alteratione. Quo posito de fide certum est, utroque modo fuisse in Christo D. passiones, primo modo, quia anima Christi fuit defacto à corpore separata. Secundò modo, quia fuisse in Christo affectus appetitûs sensitivi definitum est in 6. syn. act. 2. & 8. & patet ex Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

8. Dixi tamen, *absque imperfectionibus*, quas triplices agnoscit S. D. hîc in c. primò, quòd passiones in nobis plerumque feruntur in objecta illicita, quod de Christo dici non potest. Secundò, quòd in nobis plerumque præveniant rationem, ejusque judicium perturbent: in Christo verò semper procedebant ex imperio rationis, velut insinuatur in illo Jo. 11. *turbavit semetipsum*, & tradit S. Leo Papa ep. 11. dicens: *sensus corporei in Christo vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis.* Tertiò, quia in nobis ejusmodi passiones non persistunt in appetitu sensitivo, sed propter naturalem sympathiam trahunt etiam ad se rationem: in Christo autem rectæ rationis judicium per affectiones appetitûs sensitivi non impediebatur, quæ causa est, quòd D. Hieron. c. 26. in Matth. Christi affectiones appellat *propassiones* h. e. inchoatas in appetitu sensitivo ad distinctionem ab illis affectionibus, quæ mentem perturbant, & propriè passiones appellantur.

Inferes ex dictis primò, in Christo fuisse verum dolorem sensibilem. 9. Ita S. D. hîc a. 5. & est de fide ex Is. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*: idcircò etiam appellatus à Propheta, *Vir dolorum.* Ratio est. Dolor sensibilis formaliter est actus appetitûs sensitivi, quo naturaliter refugit corporalem læsionem sensu tactûs perceptam; sed hic actus erat in Christo, quia in ipso simul erat vera corporis læsio (*oportuit enim pati Christum*) & verissimus sensus illius læsionis, eò quòd anima Christi perfectè haberet omnes potentias naturales; ergo. Ideò verba D. Hilarii à S. Doctore relata, & in speciem contraria cum eodem exponi debent, quòd Christus non habuerit dolorem quoad causam remotam ipsius, & quoad necessitatem dolendi, quæ est peccatum, benè autem quoad causam proximam, quæ est compositio contrariorum.

Inferes secundò, Christum habuisse meram 10. tristitiam, quæ non tantùm fuerit in appetitu sensitivo, sed etiam rationali, & secundùm partem seu rationem superiorem. Prima pars est S. D. a. 6. & constat ex Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ratio est: quia sicut objectum doloris est læsio corporalis sensu tactûs percepta, ita objectum tristitiæ est nocivum malum in sensu interno, imaginatione, vel etiam intellectu apprehensum: sed anima Christi poterat apprehendere aliquid nocivum, seu malum, tum quantum ad se, sicut erat mors, & passio, tum quoad alios, sicut erat peccatum Discipulorum, aliorumque ipsum occidentium: ergo sicut in Christo fuit dolor, ita etiam fuit tristitia.

Secunda pars est etiam communis Theologo- 11. rum. Et constat ex authoritate SS. PP. qui illa verba *Tristis est anima mea* &c. exponunt non tantùm de appetitu sensitivo, sed etiam de voluntate, & ex tristitia animæ Christi probant contra Monothelitas, quòd Christus non tantùm habuerit divinam, sed etiam humanam voluntatem, quos refert Suarez disp. 30. se. 3.

Tertiæ partis, quam tradit Card. de Lug. d. 22. 12. se. 2. cum pluribus aliis, ratio est: quia voluntas secundùm portionem superiorem dicitur, quatenus procedit ex motivis & rationibus æternis circa DEUM ipsum versantibus: sed Christus habebat tristitiam de fuga Discipulorum, & peccatis hominum, quatenus erant offensa DEI: quæ est ratio æterna attingens DEUM ipsum: ergo Christus habuit tristitiam in voluntate secundùm portionem superiorem.

Objicies. Tristitia & gaudium, præsertim be- 13. atificum, cùm sint actus contrarii, repugnant in eodem subjecto; sed in Christo fuit summum gaudium de DEO possesso: ergo in ipso tristitia locum non habuit. Neque valet responsio, Cani l. 12. de Locis Theologicis c. 14. quòd Christus tempore passionis non habuerit delectationem & gaudium de DEO, sed illud per subtractionem divini concursûs fuerit impeditum, ut daretur locus tristitiæ. Contrà enim est, quòd hâc ratione Christus non tantùm tempore passionis, sed alijs quoque, imò toto vitæ suæ tempore nunquam fuisset perfectè beatus. Nam Christus etiam in morte

re Lazari fuit *Lachrymatus*, *& flevit super civitatem Ierusalem*, toto quoque vitæ suæ tempore non minùs habuit in vivâ repræsentatione hominum peccata, suæque tormenta passionis, quàm in horto Oliveti & tempore ejusdem passionis veluti juxta expositionem Chrysost. Augustini & aliorum, significatur ps. 37. *quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper*: ac rursus ps. 87. *pauper sum ego, & in doloribus à juventute meâ.* Si proinde suspensus fuisset influxus delectationis & gaudii, nunquam Christus in hâc vitâ fuisset perfectè beatus, cùm perfecta beatitudo animæ ad suam integritatem requirat gaudium & fruitionem.

Respondeo igitur ut in præcedentibus: delectatio summa, & summa tristitia repugnant in eodem subjecto, si sint de eodem objecto & sub eâdem ratione, conc. si de diverso objecto, repugnant naturaliter & secundùm potentiam ordinariam, conc. supernaturaliter & secundùm potentiam absolutam; nego.

14 Inferes tertiò. In Christo fuisse actum timoris. S. D. a. 7. Et habetur Marci 14. *Cœpit pavere & tadere.* Ratio est: quia sicut malum præsens causat tristitiam, ita malum ut futurum causat timorem; sed quia Christus verè fuit passus malum præsens; ideò etiam habuit veram tristitiam; ergo quia verè cognovit malum futurum, videlicet passionem & mortem, verè habuit timorem.

Neque dicas: quòd secundùm Philosophum l. 2. Rhet. c. 5. *timor non est, ubi nulla est spes evadendi*, & est certitudo mali imminentis; sed Christus sciebat passionem & mortem sibi certò subeundam absque spe evadendi; ergo.

Nam respondeo, Aristotelem loqui de timore, prout includit ignorantiam eventûs futuri, sicuti cùm noctu timemus ex aliquo sonitu audito, ignorantes, quid portendat & ejusmodi timor non poterat esse in Christo; non autem absolutè de timore, prout dicit fugam seu actum appetitûs sensitivi malum futurum naturaliter refugientis, quo modo fuit in Christo.

15 Inferes quartò, fuisse in Christo propriè dictam admirationem S. D. hîc a. 8. Et constat ex Matth. 8. ubi dicitur, *audiens IESUS* (fidem Centurionis) *miratus est.* Et c. 15. Christus *admirans* dixit ad Cananæam: *O mulier! magna est fides tua.*

Ratio est: quia admiratio propriè dicta est apprehensio rei alicujus tanquam novæ & insolitæ, ex qua excitatur desiderium inquirendi causam illius; atque licèt Christus non potuerit habere ullum talem actum comparatione suæ scientiæ beatæ, & infusæ, respectu quarum nihil ipsi erat incognitum: poterat tamen habere talem actum comparatione suæ scientiæ experimentalis, secundùm quam ipsi aliquid novum & insolitum videri potuit, quemadmodum ipse testatur de fide Centurionis Matth. c. 8. & Luc. 7. dicens: quòd non esset tam expertus in Israël; hæc quoque cognitio meritò excitabat desiderium inquirendi veram ejus naturam, nempe fidem internam, eo modo & medio, quò cognosci poterat.

Inferes quintò, fuisse in Christo iram propriè 16
& non tantùm metaphoricè acceptam, prout habet S. D. hic a. 9. & ratio est primò. In Christo datur zelus; sed hic est species iræ & indignationis; ergo. Antecedens habetur Jo. 2. cùm Christus zelo Divini honoris correptus nummularios ejecit ex templo, unde Discipuli illum versum ps. 68. *Zelus domûs tuæ comedit me*, de Christo fuerunt interpretati. Secundò. Ira est effectus tristitiæ, estque appetitus repellendi injuriam sibi vel aliis illatam: sed in Christo fuit tristitia, & appetitus repellendi injurias contra Divinum honorem illatas; ergo in Christo fuit ira. Neque obest, quòd Jacobus 1. dicat. *Ira viri justitiam DEI non operatur.* Et quòd Philosophus Eth. 4. dicat: *iram opponi mansuetudini.* Nam utrumque intelligendum est de ira, quæ prævenit rationem, & ordinem rationis transgreditur, in Christo autem fuit ira secundùm ordinem, moderamen & dictamen rationis, & (ut inquit S. D.) *quasi instrumentum ipsius.*

Inferes sextò, Christum simul fuisse viatorem 17
& comprehensorem, ut habet S. D. hic a. 10. Ratio est: Viator dicitur, qui adhuc tendit ad beatitudinem, comprehensor autem, qui illam possidet; sed Christus secundùm animam in hâc mortali vita possidebat beatitudinem per claram & intuitivam visionem divinæ essentiæ, & continuum DEI ut summi boni amorem: econtra secundùm corpus nondum possidebat statum beatitudinis, qui importat impassibilitatem aliásque dotes corporis gloriosi, quæ Christo in terris peregrinanti deerant, habebat autem passiones tristitiæ, doloris &c. non statui comprehensoris, sed viatoris convenientes: ergo fuit Viator. Quâ de causa de Christo exponit D. Hieron. illud Jer. 14. *quare colonus factus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.*

ARTICULUS III.

An Christus fuerit simpliciter ab intrinseco impeccabilis?

SUMMARIA.

1. *Humanitas Christi vi unionis hypostaticæ est intrinsecè impeccabilis.*
2. *Probatur authoritate SS. PP.*
3. *Et Ratione gubernationis Divinæ.*
4. *Sanctificationis infinitæ.*
5. *Impedimenti antecedentis.*
6. *Probatur ab absurdis oppositæ sententiæ.*
7. *Non obstat Divina libertas in conferendis auxiliis.*
8. *Neque naturæ ex nihilo conditæ imbecillitas;*
9. *Neque instantia contra nostram rationem adducta.*
10. *Aut libertas implendi præceptum mortis.*
11. *Christus est simpliciter impeccabilis tam in sensu composito, quàm Diviso unionis.*
12. *Impeccabilitas Christi excludit omnem defectum moralem, & fomitem peccati.*
13. *Etiamsi humanitas fuisset ab Adamo seminaliter accepta, tamen caruisset peccato originali, aliisque moralibus defectibus.*
14. *Fuit tamen in humanitate remota peccabilitas.*
15. *Objectiones diluuntur.*

§. I.

Statuitur Sententia affirmans.

1. PErspectâ in Christo carentiâ omnis peccati, quæritur ulteriùs, an illa Christo ab intrinseco, & non tantùm ab extrinseco, nempe singulari DEI protegentis & efficacia auxilia providentis favore conveniat? Idque non tantum propter statum beatitudinis & beatificam visionem, cujus intrinsecam repugnantiam cum peccato probavi in Tract. de Act. hum. sed ex vi ipsius unionis hypostaticæ. Negat Scotus in 3. dist. 12. q. 1. a. 2. affirmat S. D. in 3. dist. 2. q. 2. a. 1. cum quo sit

CONCLUSIO. *Humanitas Christi ex vi ipsius unionis hypostaticæ est intrinsecè & simpliciter impeccabilis.* Ita citatus D. Th. simul rationem asserti exprimens: *Deitas regebat animam, & anima corpus; unde non potuit peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec DEUS potest peccare.*

2. Probatur 1. authoritate SS. PP. Hilarij lib. 1. de Trinit. qui causam impeccabilitatis Christi assignat, *quia Christus non poterat amisisse, quòd Christus est* & subdit, *atque ita dum homo Christus IESUS est, habet nativitatem hominis, quia homo est, nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est.* D. Anselmi lib. 2. *cur DEUS homo*, causam referentis, quod Christus peccare non potuit, *quia non solum homo, sed etiam DEUS erat.* Ruperti lib. de voluntate DEI cap. 11. *non per creationem, sed assumptionem facta est creatura talis, quæ peccare non solum nollet, verùm etiam non posset.* Greg. Naz. orat. 36. *illius voluntas, quia tota Deificata est, DEO procul dubio non adversatur.*

3. Probatur secundò ratione. Illa natura est simpliciter & intrinsecè impeccabilis, quæ in omni suâ operatione necessariò gubernatur à Divinitate sibi vi unionis hypostaticæ conjuncta: sed ita gubernatur humanitas Christi, ergo. Utraque præmissa est S. D. modò citati, & Anastasij Sinaitæ c. 2. relati à Gonett disp. 20 a. 1. §. 1. dum ita loquitur: *Sola Christi mens, & sanctissima ejus anima incapax, omnisque malitiæ nescia fuit: forma enim servi erat, quæ regebatur, & gubernabatur à Divino Verbo in eadem hypostasi sibi conjuncto:* Major quoque specialiter probatur: tum quia simpliciter est impossibile, illam naturam deficere à regulis motuum, quæ dirigitur & gubernatur à regula indefectibili, eique immobiliùs & perfectiùs, quàm per ipsam beatificam visionem conjungitur (ut suppono è Tract. de Ang.) tum quia si natura, specialiter gubernata à Divinitate sibi hypostaticè conjuncta, in operando deficeret, ille defectus imputaretur ipsi Divinitati: sed hoc implicat. Sequelam probo: quia Superioris in gubernando defectui imputatur peccatum ab inferiore commissum, à Superiore permissum: uti patet exemplo animæ deficientis in gubernandis potentijs sibi subjectis, Magistratûs in subditis, patris in filijs, &c. Deinde, quia illud DEO adscribitur, ad quod ipse concurrit ut Author specialis; sed verbum concurrit ad operationes humanitatis ut Author & gubernator specialis, & principium quod, unde operationes sunt idem terminativè propriæ, & à SS. PP. Theandricæ appellantur. Atqui est impossibile, ut DEUS peccet, & peccans ac inimicus sibi ipsi denominetur, quod omnino ex Advers. sententiâ sequeretur: ergo & id est simpliciter impossibile, ex quo hoc sequitur. Minor quoque principalis specialiter probatur: Cùm duo subordinata principia in una eadémque persona, vel natura uniuntur, illi, quod est superius, incumbit regere hoc, quod est inferius: ita enim ex physica conjunctione anima tenetur regere corpus, & ex morali unione Reipublicæ Magistratus subditos; ex unione familiæ, & rei domesticæ, vir uxorem; dominus servum, &c. Sed natura humana est intimè unita Verbo, tanquam superiori & principio quod suarum operationum; ergo.

Probatur tertiò. Sanctificatio infinita excludit potentiam peccandi; sed per unionem hypostaticam humanitas Christi fuit infinitè sanctificata: ergo per eandem facta est simpliciter impotens ad peccandum. Minor probatur. Sanctificatio infinita tribuit humanitati munditiem & puritatem ac oppositionem cum peccato, quâ major esse non potest in genere sanctificationis participatæ, & ut sit Summè DEO grata, & digna amore infinito: sed isti effectus formales excludunt potentiam peccandi; ergo sanctificatio infinita excludit potentiam peccandi. Minor constat, quia humanitas, quæ careret potentiâ peccandi, hoc ipso haberet majorem oppositionem cum peccato, esset mundior, sanctior, gratior, &c. quàm quæ non careret potentiâ peccandi: ergo repugnat humanitatem esse summè dignam amore divino, & simul per peccatum posse esse dignam odio, esse infinitè mundam, & posse esse immundam &c. 4.

Probatur quartò. Impedimentum essentiale peccati se tenens ex parte actûs primi tollit potentiam peccandi; sed unio hypostatica Verbi Divini est essentiale impedimentum non tantùm omnis peccati, sed omnis defectûs moralis, & tenet se ex parte actûs primi: ergo tollit ab humanitate Christi potentiam peccandi. Minor quoad primum membrum est certa, quia est longè major incompossibilitas Verbi & gratiæ unionis cum peccato, quàm sit visionis beatificæ & gratiæ efficacis. Quoad secundum membrum prob. Quia illud impedimentum tenet se ex parte actûs primi, quod priùs naturâ præsupponitur ad actum primum: sed personalitas Verbi, quæ dat esse humanitati Christi, priùs naturâ præsupponitur ad voluntatem Christi: ergo se tenet ex parte actûs primi: unde si gratia efficax præcederet ipsam potentiam & actum primum peccandi, etiam auferret libertatem peccandi, & indifferentiam ad bonum & malum. 5.

Probatur quintò ab absurdis. Nam sequeretur, quòd Verbum Divinum non tantùm denominativè, sed verè realiter posset actu peccare: nam actiones sunt suppositorum, quæ tanquam principia *ut quod* in ipsas influunt, unde si humanitas Christi habens propriam creatam subsistentiam peccâsset, ipsi personæ creatæ & supposito creato peccatum adscriptum fuisset. 6.

Confirmatur. Operationes Christi à SS. PP. vocantur Theandricæ, quod sint partim humanæ, partim divinæ: nec tantùm à naturâ tanquam *principio quo* sed etiam à supposito tanquam *principio quod*

quod procedunt, si ergo aliquæ operationes Christi possissent esse peccaminosæ, etiam aliqua actio peccaminosa fuisset divina & à supposito divino ut principio quod procedens. Sequeretur præterea, quod per communicationem idiomatum & denominativè diceretur, DEUM posse peccare, esse injurium, inimicum sibi ipsi, posse damnari &c. quæ sine horrore non dicuntur, éstque meliùs tacere, quàm leviter commemorare. Unde Carthusianus apud Hambertum opinionem Durandi absurdam, alij temerariam, & saltem offensivam piarum aurium appellant.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. OBjicies primò. Tunc natura humana est simpliciter peccabilis, quando DEUS jure supremi dominij potest ipsi denegare auxilia efficacia gratiæ: sed DEUS hoc potest; ergo. Minor probatur. Humanitas Christi non minùs est DEO subjecta in suis potentijs & operationibus, quàm quælibet altera creatura, nec minus efficacium auxiliorum collatio est operatio DEI libera ad extra respectu humanitatis Christi, quàm respectu aliorum: sed DEUS ratione hujus dominij alijs non tenetur conferre auxilia efficacia gratiæ: ergo pariter non tenetur conferre naturæ humanæ Christi.

Respondeo. Potest DEUS denegare auxilia efficacia gratiæ potentiâ antecedente, & absolutè, conc. potentiâ consequente, & ex suppositione unionis hypostaticæ, nego. Quæ necessitas consequens nihil præjudicat supremo DEI dominio, uti patet exemplo visionis beatificæ. Ad prob. patet responsio: nam dist. minorem: ratione supremi dominij DEUS non tenetur ulli creaturæ dare auxilia efficacia absolutè, conc. ex suppositione talis formæ, quæ habet intrinsecum jus & exigentiam metaphysicam ejusmodi auxiliorum (ut est unio hypostatica) nego.

8. Objicies secundò: natura humana assumpta à Verbo retinet proprietates naturales & modum intrinsecum operandi, quem haberet, tametsi non esset assumpta: sed proprietas naturæ humanæ est proxima peccabilitas, & modus intrinsecus operandi ipsius est indifferentia ad bonum & malum, ad peccandum & non peccandum: ergo natura humana assumpta à Verbo retinet peccabilitatem.

Confirmatur primò. Ex eo natura humana est peccabilis, quia est ex nihilo: sed natura, tametsi hypostaticè unita verbo, non desinit esse ex nihilo.

Confirmatur secundò ex Damasceno Lib. de fide c. 6. *Verbum divinum assumpsit, quidquid DEUS in natura plantavit*: sed potentiam peccandi DEUS in natura humana plantavit; nam, esto quòd peccatum possit esse à solâ defectuosa voluntate hominis, potentia tamen peccandi, sicut & ipsa natura aliunde non potest esse quàm à DEO.

Respondeo distinguendo majorem: natura humana retinet proprietates naturales, & modum intrinsecum operandi perfectum, conc. defectivum & procedentem à natura humana tanquam principio defectivo, nego. Sed peccabilitas proxima est proprietas defectiva, & modus operandi indifferens ad bonum & malum est defectivus, conveniens ipsi naturæ, ut principio defectibili, conc. perfectivus, nego minorem & consequentiam, nam proprietates defectivæ impediuntur per Divinam personalitatem, deferentem & unientem humanitati infinitam sanctitatem, & indefectibilem regulam Divinitatis.

Ad primam confirm. resp. Ideò remotè est peccabilis, quia ex nihilo, conc. proximè, nego & similiter distincto consequente, nego consequentiam. Ad confirm. 2. nego minorem, ejusque probationem, quia nihil est à DEO, quod non est participatio Deitatis, neq; tum ut ultimum finem reducibilis: sed talis non est potentia peccandi, cùm potiùs sit impotentia: sicut ergo creatura ex se habet necessariò, quòd sit ex nihilo, ita ex se habet privativam & defectivam potentiam peccandi. Adde, quòd hæc confirmatio tantum probet remotam potentiam peccandi, quam humanitati Christi non denegamus.

Objicies tertiò contra præcipuam rationem nostræ concl. Si Christus fuisset simpliciter impeccabilis, ideò maximè, quia peccatum humanitatis redundaret in ipsum suppositum Divinum, quod ratione unionis hypostaticæ tenebatur specialiter gubernare humanitatem, ejusque operationes; sed hæc ratio nil evincit, ergo. Minor probatur primò; quia non potest cadere moralis obligatio in DEUM, sed hac ratione Verbum Divinum habuisset obligationem moralem specialiter protegendi humanitatem Christi, ergo. Confirm. Vel illa obligatio tantum fuisset ex parte Verbi, vel ex parte omnium trium Personarum? Non ex parte solius Verbi, quia hæc obligatio videtur provenire à voluntate Divina, quæ est communis omnibus personis, gubernatio quoque & directio, quam hæc obligatio respicit, est operatio ad extra, quæ pariter est communis. Non etiam ex parte omnium personarum, quia hæc obligatio non est nisi ratione unionis hypostaticæ, quæ est Verbo propria. 9.

Eadem minor probatur secundò: non minùs mors & passio sunt prædicata repugnantia naturæ Divinæ, quàm peccatum: sed potuit humanitas à Verbo assumpta pati & mori absque hoc, quòd talis imperfectio caderet & redundaret in DEUM: ergo pariter potuit humanitas assumpta peccare, absque hoc, quod peccatum redundaret in suppositum Divinum. Tertiò suppositum Divinum nec *ut quod* nec *ut quo* influit in humanas operationes Christi, sed est purus terminus naturæ, non ergo potest ipsi imputari defectus, si quis interveniret in operationibus Christi. Antecéd. prob. Variato principio operationum variantur etiam ipsæ operationes, sed variato supposito alicujus naturæ, non variantur ipsæ operationes: ergo suppositum non est principium operationum, nec *ut quod*, nec *ut quo*.

Respondeo negando minorem, ad cujus primam probationem nego sequelam, & dico, obligationem gubernandi humanitatem Christi non fuisse moralem, in DEO ortam ex aliquo titulo creato, sed metaphysicam ortam ex intrinseca repugnantia personæ & naturæ Divinæ cum quacunque imperfectione morali, tam in seipsa, quàm in natura ad suam personalitatem assumptâ, & à se Deificatâ: id enim probant nostræ rationes, & for-

& formalis effectus sanctificationis tam ex parte hypostasis, quàm naturæ Divinæ. Unde ad conf. resp. Quamvis hujus obligationis conditio & radix sit unio hypostatica, illam tamen etiam esse communem toti Trinitati, in quantum formaliter provenit à Divina sanctitate essentialiter excludente omnem moralem defectum naturæ assumptæ.

Ad 2. probat. nego majorem & paritatem: quia mors & similes defectus corporales non sunt mala moralia essentialiter exclusiva omnis bonitatis & referibilitatis in DEUM, sicut econtra peccatum est malum morale essentialiter exclusivum omnis bonitatis & referibilitatis in finem ultimum. Unde sicuti DEUS in alijs naturis potest causare, ita potuit Verbum in natura assumpta admittere mortem & passionem in ordine ad finem excellentissimi meriti, & gloriæ Divinæ eliciendum; non autem sic poterat admittere peccatum, sicuti implicat, quod in ullo alieno subjecto causet peccatum. Quo sensu etiam alij distinguunt majorem: non minus repugnat Verbo Divino mors & passio, quàm peccatum intensivè (videlicet in seipso) conc. extensivè (ut nempe causabilis est in alieno subjecto) sic nego. Ad 3. prob. ex dictis nego antecedens; influit enim non quidem per modum principij formalis ut quo, sed tamen per modum principij radicalis ut quod. Ad probat. dist. majorem; variato principio formali quo operationum variantur operationes, concedo, principio radicali ut quod, nego.

10. Objicies quartò. Christus potuisset non servare rigorosum præceptum moriendi sibi à Patre impositum, siquidem liberè moriendo meruit: sed illud non servando peccâsset; ergo poterat Christus peccare.

Respondeo ad hoc argumentum, quod includit difficultatem de concordia libertatis & impeccabilitatis sequenti Disputat. solvendam: potuisset non servare præceptum moriendi materialiter sumptum, h. e. rem, quæ fuit præcepta, præcisivè, & in sensu diviso præcepti, conc non servare præceptum formaliter sumptum & quatenus tale, privativè, atque in sensu composito præcepti, nego.

§. III.

Corollaria.

11. Inferes ex dictis primò, Christum fuisse simpliciter impeccabilem non tantùm in sensu composito unionis, hoc est, ut simul cum peccato retineret unionem, sed etiam in sensu diviso ipsius, hoc est, ut unionem peccando amitteret, quemadmodum justus peccando gratiam amittit: hoc enim probat necessitas gubernationis, infinitas sanctitatis, impedimentum ex parte actûs primi, paritas visionis, aliaque hactenus allata argumenta. Unde nō valet paritas à gratia sanctificante hominis justi, quòd licèt ista simul cum peccato componi nequeat, possit nihilominùs peccato destrui, ergo etiam humanitas Christi, licèt fuerit impeccabilis peccato non destruente unionem, potuisset tamen peccare peccato destruente unionem hypostaticam. Nam disparitas est, quòd gratia habitualis supposito superaddita subjicitur usui liberi arbitrij ipsius, nec reperitur in statu perfecto propter imperfectionem subjecti, econtra unio hypostatica constituit suppositum, nec ullatenus subest libertati arbitrij, sed naturaliter & necessariò influit.

Inferes secundò, in Christo implicare non tantùm peccatum habituale & veniale, sed etiam quamcunque imperfectionem vel defectum moralem, adeóque & fomitem peccati. Ratio universalis ex dictis est, quia natura, quæ nec venialiter peccare, nec moralem imperfectionem & fomitem peccati habere potest, meliùs est disposita in ordine ad ultimum finem, quàm quæ potest habere ejusmodi imperfectionem: sed natura Christi est infinitè sancta in genere participatæ sanctificationis, & ita benè disposita, ut meliùs disposita esse non possit: ergo neque peccatum habituale, nec veniale, nec fomitem peccati, nec aliam moralem imperfectionem habere potest. 12.

Inferes tertiò: tametsi Christus assumpsisset corpus & naturam humanam ex Adamo seminaliter propagatam, tamen fuisse simpliciter impossibile, ut contraheret peccatum originale, ob prædictam intrinsecam & essentialem repugnantiam Sanctitatis divinæ cum quacunque macula peccati, defectu, & habituali aversione à DEO. 13.

Inferes tamen quartò, fuisse in humanitate Christi remotam potentiam ad peccandum, quia hæc est essentialis defectibilitas naturæ ex nihilo creatæ, quæ cùm non possit esse prima regula morum, neque habeat ex suâ essentia, quòd sit conjuncta cum prima regula, etiam essentialiter habet, quòd sit defectibilis. 14.

Dices tamen (I) fomes peccati non est culpa, sed potiùs pœna peccati originalis: ergo cù unio hypostatica non impedierit, quin Christus assumeret alias pœnalitates ex originali in genus humanum derivatas, etiam non impedit, quin Christus saltem potuerit assumere fomitem peccati. (II) Habitus vitiosi, sicut & fomes peccati non sunt formaliter mali, unde & remanent in hominibus justis: ergo etiam possent remanere in humanitate Christi. (III) Fomes peccati tantùm inclinat in malum materialiter, non formaliter: ergo non repugnat humanitati Christi. 15.

Respondeo ad primum, fomes est peccati originalis pœna cum morali deordinatione, & inclinatione in culpam, concedo; sine illa, nego. Aliæ verò pœnalitates non habent moralem deordinationem à recta ratione, & sunt ordinabiles in finem ultimum. Ad 2. distinguo antecedens: non sunt formaliter mali, ut tamen sint radicaliter & inclinativè tales, concedo, ut nec radicaliter sint tales, nego. Ad 3. Respondeo primò, permisso antecedente, negando consequentiam; nam etiam inclinatio in malum morale materialiter, est quædam imperfectio moralis repugnans infinitæ sanctitati. Respondeo secundò, distinguendo antecedens: fomes peccati tantùm inclinat in malum materialiter, directè, transeat: indirectè, scilicet ratione conjunctæ deordinationis & inobedientiæ ad rationem, nego antecedens & consequentiam.

ARTICULUS IV.

De Communicatione Idiomatum.

SUMMARIA.

1. *Omnia nomina significantia naturam possunt in concreto prædicari de nominibus significantibus suppositum.*
2. *Alia regula de prædicatione abstractorum.*
3. *Concreta naturæ humanæ non prædicatur de persona Divina reduplicative sumptâ.*
4. *Neque prædicata propria personæ humanæ.*
5. *Prædicata convenientia Christo quâ DEO homini non dicuntur de DEO, & Verbo solo.*

QUia ex duarum naturarum unione in Christo proveniat, ut prædicata naturæ humanæ propria, etiam quæ aliquem physicum defectum nominant, ut *esse mortalem*, *mortuum*, *sepultum*, de Verbo Divino; & vicissim de Christo homine, demonstrando *hic homo*, dicantur prædicata Divinæ naturæ & supposito propria, ut *esse æternū*, *immensum &c.* ideo S. D. hîc q. 16. de modis prædicandi in Christo per 12. articulos latè disputat. Nos in re plana & facili pro hac mutua prædicatione humanorum ac Divinorum attributorum, quam Theologi communiter appellant *communicationem idiomatum*, paucas dabimus regulas, è quibus particulares modi prædicandi facilè deducuntur.

1. CONCLUSIO I. *De omnibus nominibus positis pro persona Christi, seu supposito Verbi Divini possunt in sensu specificativo & in concreto prædicari omnia nomina, quæ aut naturam divinam, aut humanam, aut alterutrius naturæ attributa significant.*

Ratio est: quia nomina in concreto & specificativè sumpta, in recto significant id, quod habet formam, per illa nomina significatam, ergo quando prædicantur de persona Christi, vel supposito Verbi Divini, significant personam Christi habere formam, naturam divinam, vel humanam, vel utriusque naturæ attributa, quod supposito Incarnationis mysterio est verissimum. Unde Veræ & Catholicæ sunt istæ propositiones. *DEUS est homo. Homo est DEUS. Christus est homo. Christus est DEUS. Hic homo est æternus, infinitus &c. DEUS est passus, mortuus, mortalis est immortalis, æternus in corpore natus &c.* Dixi primò in concreto. Unde fit


2. CONCLUSIO II. *Nomina abstracta utriusque naturæ nec inter se, neque abstracta naturæ humanæ de persona Verbi; benè autem nomina abstracta divinitatis de nominibus pro persona Christi & Verbi supponentibus prædicari possunt.*

Ratio primi est: quia in prædicationibus abstractorum de se invicem significatur identitas unius naturæ cum altera; atqui de fide est, non fuisse in Christo identitatem naturarum & attributorum naturas consequentium. ergo. Unde non potest dici, quòd *divinitas sit humanitas*, *sapientia increata sit sapientia creata &c.* Ratio secundi est: quod etiam in hac prædicatione significaretur identitas inter naturam vel attributa naturæ humanæ cum persona Divina, quod falsum est, unde non potest dici: *Filius DEI est humanitas.* Ratio tertij ex opposito est, quòd inter abstracta divinitatis & personā Verbi sit identitas, unde de persona Verbi & de Christo rectè prædicatur v. g. Christus est summa bonitas, infinita sapientia, Sanctitas, via, veritas, & vita. Dixi prætereà specificativè. Unde fit

CONCLUSIO III. *Nomina concreta humanæ naturæ non rectè prædicantur de nominibus significantibus personam Verbi in sensu reduplicativo:* quia reduplicatio significat identitatem & unitatem naturæ, qualis non est, inter personam Christi & naturam humanam unde falsum est, quòd *DEUS*, *vel Christus quatenus DEUS sit homo*, *sit mortalis*, *passus &c.* sicut ex eodem fundamento est falsum, quod *Christus ut homo sit immortalis*, *æternus*, reduplicatio enim cadit super formale significatum hominis, quod est natura humana, & facit sensum, quòd Christus ratione naturæ humanæ sit æternus &c. 3.

CONCLUSIO IV. *Prædicata humanæ naturæ propria, quæ supponunt personam creatam, non possunt prædicari de Christo, vel Verbo Divino:* tunc enim est repugnantia ex parte suppositi. Ita non potest per communicationem idiomatum dici de Christo vel DEO, quòd sit peccabilis, quòd sit filius adoptivus, quòd sit purus homo. 4.

CONCLUSIO V. *Prædicata, quæ Christo reduplicativè, quatenus est DEUS homo, conveniunt, non possunt per communicationem idiomatum simpliciter dici de DEO, vel Filio DEI.* Ita Verbum & Filius DEI non dicitur compositus, Mediator, Caput Ecclesiæ. Quia hæc prædicata Christo ratione Deitatis & humanitatis simul sumptæ conveniunt. Hæc tamen prædicata de homine absolutè dici possunt, quia Lv homo præter humanam naturam significat etiam hypostasin, quæ in Christo non est alia, quàm Verbi Divini. 5.



DISPUTATIO XIV.

DE

Libertate, merito, & prædestinatione Christi.

CHristi meritum fides docet, & apertè loquuntur sacræ Scripturæ Is. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur.* Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens &c. propter quòd & Deus exaltavit illum &c.* Idque à primo jam instanti conceptionis cœptum, atque ad extremum usque mortis instans continuatum affirmat S. D. q. 34. a. 3. neque enim anima Christi patiebatur ullum impedimentum operis meritorij ullo vitæ suæ tempore, cùm ratione scientiæ infusæ posset independenter à sensibus operationes spirituales elicere. Efficaciam hujus meriti infinitam jam initio hujus Tractatûs expendimus: nunc restat potissima difficultas, in salvanda libertate tanquam essentiali conditione operis meritorij, cui videtur obstare tum impeccabilitas Christi, tum necessitas amandi Deum. Si enim Christus meruit, maximè suâ passione & morte meruit, quia *factus obediens usque ad mortem*, implevit præceptum Patris. Sed quomodo liberè implere potuit, cùm non implere præceptum sua ipsi intrinseca prohiberet impeccabilitas? prout advertimus in disp. præced. Rursus: si meruit, maximè per actum charitatis, & dilectionis Dei super omnia; tum quia iste est omni altero præstantior; tum quia meâ sententiâ nullus actus absque influxu aliquo dilectionis est meritorius: sed quomodo potuit liberè amare Deum, cùm ipsius amor fuerit regulatus lumine gloriæ, quod beatis mentibus imponit necessitatem amandi Deum, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, uti dictum in Tract. de act. hum. ut satisfiat utrique, sit

ARTICULUS I.

Quomodo non obstante impeccabilitate Christus liberè moriendo meruerit.

SUMMARIA.

1. *Proponitur status difficultatis.*
2. *Responsio Esparzæ & Lorcæ impugnatur.*
3. *Christus homo fuit capax præcepti rigorosi.*
4. *Nec obstat impeccabilitas.*
5. *Quomodo præceptum rigorosum obliget sub culpa?*
6. *Christus fuit subjectus Divinæ Legi naturali, non positivæ Divinæ, vel humanæ.*
7. *Habuit rigorosum præceptum moriendi.*
8. *Authoritates oppositæ exponuntur.*
9. *Refellitur Lugonis libertas in petitione dispensationis.*
10. *Refutatur libertas circa circumstantias mortis.*
11. *Repellitur responsio Suarezij.*
12. *Præceptum moriendi supponit indifferentiam moriendi.*
13. *Quid sit velle non mori in sensu composito, & diviso præcepti?*
14. *Concordia impeccabilitatis & libertatis.*
15. *Respondetur ad rationem dubitandi.*
16. *Christus potuit non obedire Patri materialiter & præcisivè; non formaliter, & privativè.*
17. 18. *Objectiones solvuntur.*

§. I.

Statuitur præceptum rigorosum de subeunda morte.

1. TOta difficultas consistit in solutione istius argumenti: vel *Christus potuit velle non mori, vel non potuit? Si potuit velle non mori, potuit peccare, quia sicut habebat Christus præceptum moriendi, ita volendo non mori voluisset transgredi præceptum, quod est peccare. Si non potuit velle non mori, non fuit liber: nec proinde per mortem meruit.*

Varias varij adhibent solutiones, & imprimis 2.
Esparza & Lorca dicunt, Christum potuisse velle non mori, nec propterea habiturum fuisse potentiam peccandi, eò quòd non habuerit rigorosum præceptum moriendi & obligatorium, sed impropriè dictum, quod est mera ordinatio superioris, potentis quidem obligare sub peccato, non tamen obligantis, quales sunt regulæ quarundam Religionum non obligantes sub peccato. Contra hanc tamen responsionem est primò, quòd etiamsi Christus non habuisset præceptum rigorosum, sed tantùm impropriè tale, fuisset tamen moralis quædam imperfectio, si in ipsius humana voluntate fuisset dissonantia ab ordinatione Divinæ voluntatis, quam non minùs per beatam, quam infusam scientiam perspicacissimè intelligebat: sed hoc repugnat infinitæ sanctitati ipsius (ut dictum) vi cujus sanctissima voluntas, & ratio superior tam in volito formali quàm materiali cum Divina voluntate concordabat.

Contra eandem sententiam & responsionem
DICO primò. *Christus secundum suam humanitatem est verè capax præcepti rigorosi: non quidem quoad vim coactivam, seu comminativam pœnæ,* 3.
benè

bene autem quoad vim directivam, & obligatoriam.

Ratio primi est, quia natura rationalis, quæ non est sua regula, & habet supra se voluntatem ac jurisdictionem superiorem, est capax præcepti obligatorij; neque enim ad hoc plus requiritur, quàm potestas jurisdictionis in præcipiente & subjectio naturæ liberæ. Sed humanitas Christi non erat sua regula, & habebat supra se voluntatem Divinam, cui non minus in humanitatem Christi, quàm alia creata competit suprema jurisdictio: ergo. Ratio secundi est, quia respectu illius naturæ vis coactiva & comminativa pœnæ non habet terminum, respectu cujus implicat omnis pœna, sed respectu naturæ humanæ Christi implicat omnis pœna, siquidem implicante culpâ, implicat etiam pœna, quæ illam essentialiter præsupponit; sed in natura humana Christi simpliciter impeccabili implicat omnis culpa: ergo & pœna.

4. Sed dices: Implicat naturam simpliciter incapacem omnis culpæ obligari sub culpa: sed præceptum rigorosum obligat sub culpa: ergo implicat naturam humanam Christi simpliciter incapacem culpæ obligari præcepto rigoroso.

Respondeo primò retorquendo argumentum: Implicat naturam simpliciter incapacē omnis deordinationis & defectus moralis obligari sub defectu morali; sed quæcunque Divina voluntas & ordinatio essicax clarè manifestata obligat ad sui observantiam sub inordinatione & defectu morali: ergo ne quidem datur voluntas & ordinatio efficax DEI Christo clarè manifestata de subeunda morte. Consequens à nullo Catholicorum concedi potest: ergo etiam falsum est id, ex quo sequitur. Minor probatur: Ideo præceptum rigorosum obligat sub culpa (aliquando sed minus rectè dicunt obligare ad culpam) quia transgrediendo tale præceptum incurritur peccatum; sed etiam adversando Divinæ ordinationi & voluntati efficaci perspicuè cognitæ incurritur saltem inordinatio moralis; cùm etiam contraire prudenti ordinationi legitimi Superioris sine imperfectione morali nemo facilè possit: ergo voluntas efficax DEI de subeunda morte saltem obligat humanitatem Christi sub quâdam imperfectione morali. Quod igitur Adversarij respondere tenentur, hoc ipsis reponimus.

5. Respondeo secundò directè permissâ majore, distinguendo minorem. Præceptum rigorosum comminatorium culpæ obligat sub culpa, concedo. Præceptum tantummodo directivum & obligativum in conscientia, nego minorem: ergo implicat naturam humanam Christi &c. obligari præcepto rigoroso, comminatorio culpæ, transeat; solùm directivo, nego consequentiam. Est igitur præceptum rigorosum tantùm comminatorium culpæ, quando applicatur subjecto capaci transgressionis, non verò quando applicatur subjecto incapaci transgressionis. neque enim præcipiens per se intendit, ut subditus peccet, sed ut mandato pareat; quod si subditus sit capax transgressionis, eo ipso potentia peccandi se extendit ad materiam præceptam, sicque obligatio præcepti comminatoria culpæ; quod non fiet, ubi ex parte subditi nulla supponitur potentia peccandi & transgrediendi præceptum.

DICO secundo. *Christus de facto fuit subjectus Legi Divinæ naturali; non autem Legi divinæ positivæ antiquæ, vel novi testamenti, neque alicui Legi humanæ.* Ratio primi est, quia lex naturalis est necessariò obligans omnem naturam rationalem capacem obligationis; sed natura humana Christi est capax obligationis, secundum dicta: ergo. Ratio secundi est: quia lex antiqua & novi testamenti concernit homines quâ puros viatores & peccatores, vel saltem habentes potentiam proximam peccandi: at Christus secundùm naturam humanam fuit simpliciter impeccabilis & comprehensor. Unde licèt civilis legislator indirectè & quoad vim directivam proprijs legibus obligetur, quando materia Legis æquè ad legislatorem, quàm ad subditos pertinet: Christus tamen, qui est legislator novi testamenti, non potuit suis legibus ne quidem indirectè obligari, quia non est ejusdem conditionis & statûs cum subditis. 6.

DICO tertiò. *Christus habuit verum rigorosum & obligatorium præceptum de subeunda morte pro generis humani redemptione.* Itáque probatur primò: quia Christus ipse vocat *mandatum* Io. 14. *Hoc mandatum accepi à Patre meo, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Atqui mandatum in proprio sensu (uti verba S. Script. debent accipi, cùm nullum obstat inconveniens) significat verum & propriè dictum præceptum. 7.

Probatur secundò: Christus mortuus est ex vera & perfecta obedientia, juxta illud Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam justi constituti sunt multi.* Sed obedientia perfecta requirit præceptum propriè tale: ergo. Major constat imprimis ex universali regula primùm indicata, quòd verba S. Script. sint in proprio sensu accipienda; secundò, quòd obedientia Christi opponatur ab Apostolo inobedientiæ Adami: ergo sicut ista erat propriè talis, sic etiam obedientia Christi.

Probatur tertiò. Quia talis obedientia tribuenda est Christo, quæ maximè decebat ipsum, velut exemplar omnis virtutis & sanctitatis: sed perfecta obedientia maximè decebat Christum: ergo. Minor quoque probatur. Objectum formale obedientiæ est voluntas Superioris, quatenus distincta à voluntate non Superioris: sed non distinguitur nisi quatenus obligans & habens rationem præcepti: nam etiam inferior aut æqualis, potest aliquid simpliciter velle, aut consilium dare: ergo. Præterea obedientia dicitur conversivè, seu per modum conversionis per ordinem ad idem præceptum & objectum, ad quod inobedientia dicitur aversivè, seu per modum aversionis & fugæ: atqui inobedientia propriè dicitur per ordinem ad præceptum propriè dictum: ergo etiam obedientia propriè dicitur per ordinem ad præceptum propriè & rigorosè sumptum.

Opponuntur tamen quædam authoritates in contrarium: Et 1. Is. 53. dicitur, *oblatus est,* 8. *quia*

quia ipse voluit. II. D. Anselmus de redemptione cap. 4. *Non etiam illi homini Pater ut mereretur, cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placiturum & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit*; & post pauca: *Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cùm hoc, quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit, hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cùm voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cùm acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea libertate opere perficit.* III. D. Chrysost. hom. 7. in Epist. ad Philipp. explicans obedientiam Christi inquit: *nam & amicis obedimus, & nil me hoc deijcit, ut Filius obedivit Patri, non in servilem conditionem decidens*: atqui obedientia amicis exhibita non est rigorosa; ergo. IV. D. Thomas 2.2. q. 104. a. 2. dicit: *quòd perfecta obedientia non exspectat præceptum*: ergo potuit Christus perfectè obedire, non exspectato aliquo rigoroso præcepto Patris.

Respondeo ad I. & similia Scripturæ loca, ibidem non excludi præceptum, sed significari liberam impletionem præcepti, & compositionem libertatis cum præcepto, veluti indicavit Christus in c. 10. Joannis supra cit. Ad II. Authoritatem D. Anselmi, quæ est admodum favorabilis pro sententia Esparzæ, negante præceptum rigorosum, respondeo S. Patrem tantùm negare præceptum coactivum, prout indicant illæ voces, *non cogendo præcepit, sine omni exactione fecit*, quo eodem modo responderi potest ad III. D. Thomas tamen q. 47. a. 2. ad 2. inquit, Chrysostomum hoc solùm velle, quòd Christo non fuerit impositum aliquod præceptum propter imperfectionem, sicut hominibus quandoque solet imponi. Ad IV. Respondeo, sensum esse, quòd perfecta obedientia Christi propter suam summam perfectionem non indiguerit expresso, sed tacito præcepto, in ipsa Patris voluntate clarè cognita insinuato.

§. II.

Variorum Authorum solutiones refelluntur.

9. RESpondent ad propositam difficultatem aliqui secundò: Potuisse Christum stante præcepto rigoroso velle non mori absolutè; non potuisse velle non mori ex suppositione suæ liberæ voluntatis. Sed cujus? Illius inquit Card. de Lugo, quâ noluit petere dispensationem talis præcepti; quâ voluit ratum habere illud præceptum, dicit Cabrera; quâ sibi petiit imponi tale præceptum, respondent alii.

Sed contra istos loquendi modos est (1) quòd nullum habeant fundamentum in S. Script. & gratis fingantur (2) quòd destruant perfectionem obedientiæ in morte Christi, dum illam principaliùs in humanam Christi voluntatem, quàm divinam reducunt, cujus oppositum tradit Apostolus Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit Deus &c.* Contra est tertiò, quòd æquè erat Christo impossibile, petere dispensationem præcepti sibi intimati, vel nolle illud ratum habere, quàm velle non mori, quia utrumque fuisset moralis imperfectio, actus otiosus, & imprudens, siquidem Christus clarè vidit mortem ac passionem à DEO in generis humani redemptionem ordinatam, & indispensabiliter prædefinitam.

10. Respondent tertiò Vasquez & Valentia, Christū potuisse velle non mori, non quidem quoad substantiam, sed quoad circumstantias mortis, & ex hoc capite liberè fuisse mortuum, quòd licèt non ipsa substantia, circumstantiæ tamen motivi, intensionis, anticipationis, Christo fuerint liberæ. Nec dissimili sensu Ysambertus distinguit: si Christus non potuit non velle non mori, tam quoad rationem genericam, quàm specificam, & individualem mortis, tunc non fuit liberè mortuus, concedo: si non quoad rationem genericam, benè autem quoad specificam ex hoc vel illo motivo, vel individualem, desumptam ex omnibus circumstantiis; nego.

Sed contra est (1) S. Script. significat Christum obedîsse, & sic habuisse mandatum tam quoad substantiam, quàm circumstantias mortis, ut patet ex cit. loc. Philipp. 2. ubi dicitur Christus *obediens usque ad mortem* (substantiam mortis) *mortem autem crucis* (circumstantias mortis) & Joan. 14. totam passionem sibi à Patre impositam Christus significat, dicens: *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Jo. 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum*, &c. nec dubium est, quin perfectior fuerit obedientia in amplectenda simul morte, & circumstantijs ipsius, quàm in alterutro solo; præsertim cùm nō minùs mors, quàm circùmstantiæ, non minùs specifica individualis, quàm generica ratio mortis fuerint divinitùs præfinitæ, & per Prophetas prædictæ. Unde contrà est (2.) vel habuit Christus præceptum de circumstantijs mortis, vel non habuit; si non habuit, evacuatur meritum obedientiæ tantopere deprædicatum in S. Script. si habuit; manet eadem difficultas, quomodo potuerit salvâ impeccabilitate illas non velle?

Respondet quartò Suarez, potuisse Christum velle non mori, eò quòd præceptum moriendi non abstulerit indifferentiam objectivam judicij, nec impresserit physicam efficaciam (ut physicæ prædeterminationes) in voluntatem Christi; sed ipsius infallibilis connexio cum operatione Christi fuerit præcisa per scientiam mediam.

Sed contra est, quòd (præscindendo à nullitate scientiæ mediæ, cui hæc responsio innititur) licèt hæc responsio suo modo conetur salvare libertatem, & benè asserat, quòd præceptum moriendi non abstulerit à Christo indifferentiam judicij, ipsi præcepto necessariò præsuppositam; non tamen salvet impeccabilitatem, siquidem componit indifferentiam judicij cum præcepto, & consequenter potentiam faciendi oppositum illius, quod præcepto continetur: difficultas autem in proposito est, quomodo nec libertas impeccabilitati, nec impeccabilitas præjudicet libertati. Itaque rejectis hisce responsionibus pro solutione difficultatis sit

§. III.

Concordatur libertas moriendi cum impeccabilitate.

SUppono primò, præcepto moriendi præsupponi in Christo indifferentiam ad non moriendum: quia præceptum debet esse de materia

teria libera, & siquidem sit merè positivum, est de materia indifferenti, quæ tantum ideo sit mala, quia prohibita: ergo præceptum moriendi supponit mortem Christo liberam, & secundùm se absolutè eligibilem.

13. Suppono secundò. Cùm quæritur, an Christus potuerit velle non mori? *ly non mori* posse accipi dupliciter, *privative*, & *negative*. Privativè acceptum opponitur morti, quatenus per præceptum Divinum debitæ inesse humanitati Christi: negativè, vel præcisivè acceptum sic significat negationem mortis, ut est quoddam malum naturæ, abstrahendo, an sit sub præcepto, vel non? Primo modo *ly posse non mori* accipitur, ut vocant, in sensu composito, secundo modo in sensu diviso præcepti. Unde cùm Thomistæ dicunt, Christum potuisse non mori in sensu diviso præcepti, non est intelligendum, quòd Christus habeat potentiam ad non moriendum, si auferatur præceptum, sed quòd etiam stante præcepto habeat potentiam ad non moriendum; prout non mori absolutè & præcisive accipitur pro negatione mortis ut sic: hâc enim ratione negatio mortis repræsentabitur humanitati Christi sub indifferentia, & sub ratione eligibilitatis. Econtra cùm dicitur, Christum non potuisse velle non mori in sensu composito præcepti, non est sensus, quòd non potuerit habere hanc voluntatem stante & durante præcepto, sed quòd non potuerit habere voluntatem non moriendi, quatenus mors repræsentabatur divinitùs præcepta; hac quippe ratione negatio mortis non poterat repræsentari sub ratione boni eligibilis. Hoc supposito sit

14 CONCLUSIO. *Impeccabilitatis & libertatis Christi concordia optimè per hoc salvatur, quòd quamvis Christus stante præcepto non potuerit non mori privative* (hoc est pro sensu composito præcepti) *potuerit tamen non mori negativè & præcisive*, sive pro sensu diviso præcepti.

Ratio est. Ille modus optimè concordat impeccabilitatem & libertatem Christi, per quem Christus non potuit velle transgredi præceptum (in quo consistit impeccabilitas) & tamen potuit velle non mori, (in quo consistit libertas) sed juxta nostrum explicandi modum Christus stante præcepto non potuit illud transgredi, quia non potuit velle componere negationem mortis cum actuali præcepto; potuit tamen vellè non mori, quia poterat velle negationem mortis præcisivè secundùm se spectatam. ergo. Confirmatur. Illa indifferentia sufficit ad liberè implendum præceptum mortis, quæ in præcepto mortis supponitur, & includitur, sed indifferentia ad non moriendum præcisivè & negativè acceptum in præcepto mortis supponitur & includitur: ergo. Major constat, quia illa est materia præcepti: ergo ad implendum præceptum sufficit. Minor probatur: Christus non aliter habuit indifferentiam ad non moriendum, nisi quatenus negatio mortis poterat ipsi apparere eligibilis; sed negatio mortis solùm præcisivè & negativè, non etiam privativè sumpta poterat ipsi eligibilis apparere: quia Christus cùm esset impeccabilis, non poterat habere indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum, habuisset autem indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum, si negatio mortis privativè sumpta Christo sub ratione eligibilitatis apparere potuisset; ergo negatio mortis non nisi præcisivè sumpta Christo potuit sub indifferentia proponi.

Hinc patet solutio propositæ difficultatis; nam 15. ad rationem dubitandi initio artic. propositam respondeo, Christum potuisse velle non mori. Argumentum in contrarium distinguo. Si Christus potuit velle non mori privativè acceptum (vel in sensu composito præcepti) potuit peccare, concedo. præcisivè & negative acceptum (idem est, in sensu diviso præcepti) nego. Sed potuit velle non mori præcisivè & negativè, in sensu diviso præcepti concedo; privativè & in sensu composito ipsius, nego minorem, & consequentiam.

§ IV.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Christus, stante præcepto, 16. non potuit non obedire Patri sed Patri obedijt moriendo: ergo stante præcepto non potuit non mori, adeoque liberè non fuit mortuus.

Respondeo distinguendo majorem: non potuit non obedire Patri formaliter, privativè, vel contrariè, nimirum eligendo, quod sciebat repugnare præcepto Patris, concedo, materialiter, negativè vel præcisivè, hoc est, ut non potuerit non velle id, quod erat à Patre præceptum abstrahendo ab illo præcepto, sic nego consequentiam.

Objicies secundò; si Christus, stante præcepto, 17. non fuisset mortuus, etiam contrariè & privative non fuisset mortuus, & actu fuisset transgressus præceptum Patris: ergo si etiam Christus potuit non mori, potuit actu transgredi præceptum Patris. Consequentia probatur. Ab actu ad potentiam est bona argumentatio; ergo si Christus non moriendo fuisset transgressus præceptum Patris, etiam habendo potentiam non moriendi potuit illud transgredi.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd actus & exercitium operis non potest præscindere à conjunctione præcepti, potentia verò & voluntas potest præscindere, siquidem fundatur in propositione objecti, in qua negatio mortis præcisive secundùm se sumpta sub objectiva indifferentia repræsentatur. Ad probationem dico, ab actu ad potentiam est bona argumentatio, si sub eâdem ratione & eodem modo sumantur, non autem si diverso modo.

Objicies tertiò. Omnis necessitas antecedens 18. tollit Libertatem (ut supponitur ex prima parte) sed necessitas moriendi, quam Christus habuit, est necessitas antecedens: ergo tollit libertatem moriendi. Minor probatur: tam impeccabilitas, quàm præceptum moriendi antecedit omnem voluntatem liberam Christi: sed necessitas moriendi in Christo provenit ex impeccabilitate Christi, & præcepto patris: ergo est necessitas antecedens.

Respondeo distinguendo majorem. Omnis necessitas antecedens per modum naturæ, & tollens indifferentiam judicij tollit libertatem,

concedo; non tollens illam indifferentiam, nego: & pariter distinctâ minore, nego consequentiam. Sed neque impeccabilitas neque præceptum aufert indifferentiam objectivam judicij, quâ negatio mortis præcisivè secundùm se sit aliquod bonum eligibiliter repræsentatum in intellectu Christi.

Instabis: eò quòd unio hypostatica sit impedimentum peccati tenens se ex parte actûs primi, nulla datur in Christo potentia proxima intrinseca ad peccandum, ergo etiam quia cognitio præcepti ad moriendum ex parte actûs primi est impedimentum non moriendi, non datur in Christo potentia libera ad non moriendum.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd unio hypostatica ita se teneat ex parte actûs primi, ut tollat omnem objectivam indifferentiam judicij, & indifferentiam contrarietatis ad peccandum, neque illam ullo modo præsupponat aut connotet. Econtra cognitio præcepti præsupponat & connotet indifferentiâ contradictionis circa mortem, neque tollat indifferentiam objectivam judicij ad non moriendum in sensu diviso & præcisivo mortis, ideóque solùm inducat consequentem, non antecedentem necessitatem moriendi.

Articulus II.

An, & quomodo Christus meruerit per actum dilectionis?

SUMMARIA.

1. *Status difficultatis in actu dilectionis DEI.*
2. *Refertur Sententia Contensoni, & Ysamberti, & impugnatur.*
3. *Refertur Sententia Gonetti.*
4. *Impugnatur.*
5. *Terminativa libertas actûs Divini increati non potest transferri ad actum creatæ voluntatis in Christo.*
6. *Tertius modus solvendi libertatem per connotationem ad diversas regulas asseritur.*
7. *Instantia & paritas petita ab incompatibilitate fidei & scientiæ ad incompatibilitatem libertatis & necessitatis, solvitur.*

§. I.

Sententia admittens duos actus charitatis distinctos refellitur.

1. SUppono, actum dilectionis & charitatis in Christo fuisse meritorium, siquidem opus nostræ redemptionis maximè meritorium Christus ipse suæ erga Patrem dilectioni tribuit, Io. 14. *Vt cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Vis quoque meritoria per se primò & perfectissimè reperitur in actu Charitatis, utpote per se primò & ex formali sua ratione tendentis in ultimum finem, séque & alia referentis in obsequium præmiantis. Difficultas est. Si amor Christi fuisset meritorius, fuisset liber: sed non potuit esse liber: nam amor fruitivus regulatus lumine gloriæ & clarâ visione Dei, est necessarius; sed amor Christi erat fruitivus & regulabatur clara visione DEI, cùm Christus esset comprehensor, &c. ergo amor Christi erat necessarius. Minor est certa. Major constat exemplo Beatorum, qui à visione beatifica necessitantur etiam ad exercitium amoris fruitivi, ut dictum loc. cit. Ad quam difficultatem tres sunt modi celebriores respondendi, quibus utuntur etiam Thomistæ. &

2. Primò Io. à S. Th. Ysambertus, Contensonus, citantes Capreolum, Ferrariensem, & Sotum, volunt in Christo fuisse simul duos actus amoris Divini realiter distinctos, quorum unus esset Comprehensoris necessarius & fruitivus; & responderet scientiæ beatæ; alter esset viatoris, liber ac meritorius, & responderet scientiæ infusæ.

Difficultas tamen in via Thomistica est. Vel isti actûs essent distincti specie, vel numero. Non numero, prout concedit Ysambertus, quia hoc repugnat doctrinæ D. Thomæ, in qua individuatio accidentium desumitur per ordinem ad subjectum, ex quo capite inf. q. 35. a. 5. dicit. *Quia plures formæ ejusdem speciei non possunt simul inesse eidem subjecto, non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est Pater plurium filiorum.* Non etiam specie possent esse distincti I. quia utriusque actûs idem foret motivum formale, nempe divina bonitas super omnia amabilis. II. Diversæ quoque cognitiones, cùm tantùm sint conditiones extrinsecæ, non possunt inducere diversitatem specificam: sed non esset alia diversitas in objecto utriusque amoris, quàm diversitas cognitionum, quòd nimirum motivum amoris fruitivi & regulati per beatam scientiam esset bonitas Divina intuitivè cognita; amoris verò regulati per scientiam infusam, esset eadem bonitas abstractivè cognita: non ergo motiva utriusque amoris essent formaliter diversa. III. Quâ de causa eadem est charitas viæ & patriæ, dicente Apostolo: *Charitas nunquam excidit*, idémque formaliter fuit actus dilectionis, quo Angeli in secundo & tertio instanti ferebantur in bonitatem Divinam, quàm quo ferebantur in primo. IV. Tandem cùm habitus specificentur ab actibus, deberent pro diversis specie actibus admitti diversi habitus charitatis, quod rursus est à doctrina Thomistica alienum.

§. II.

Oppugnatur sententia Gonetti.

SEcundò Gonet, Alvarez, aliique plures dicunt, amorem etiam quatenus regulatum per scientiam beatam fuisse liberum & meritorium in Christo, prout ille terminabatur ad bonitatem Divinam, quatenus hæc est ratio amandi creaturas; non verò quatenus est ratio amandi increatas Dei perfectiones, quia bonitas Divina ut contingenter connexa cum creaturis, & ut ratio illas amandi sic in esse objecti diversificatur à seipsa, prout est necessariò connexa cum divinis perfectionibus, & ratio amandi illas. Sub priori ratione & habitudine terminat actum liberum, sub poste- 3.

posteriori necessarium, & sic absque ulla contradictione idem amor Christi fruitivus potest esse secundùm diversas rationes liber & necessarius, quemadmodum eadem Scientia respectu diversorum objectorum potest esse intuitiva & abstractiva, & quemadmodum actus liberi in DEO, quamvis sint necessarij, quâ ratione habent pro suo motivo bonitatem Divinam, ut est ratio amandi seipsam; sunt tamen simul terminativè indifferentes, quatenus pro motivo habent eandem bonitatem, ut est ratio amandi creaturas, prout dixi in Tract. de DEO.

Verùm subtiliùs ista, quàm veriùs. Contrà enim est primò: Detur huic sententiæ, quòd amor terminatus ad bonitatem Divinam, ut est ratio amandi creaturas, habeat conditionem libertatis ad meritum requisitam, tamen deficit ex alia conditione, quia non est actus Viatoris, sed comprehensoris quâ talis: atqui actus meritorius Christi debebat esse actus Viatoris quà talis, cùm enim Christus utrumque statum in se complecteretur, aliqui actus ipsius erant tanquam comprehensoris, aliqui tanquam Viatoris, nec merebatur nisi per actus sibi ut Viatori proprios: quæ causa est, quòd ex communi sententia post mortem nihil ampliùs meruerit, atque ita docet S. D. q. 19. a. 3. ad 1. dicens: *Nec tamen per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* Major verò probatur dupliciter, primò, quia amor Beatorum, quo ex vi beatificæ visionis de facto rapiuntur erga divinam bonitatem, non tantùm terminatur ad eandem ut est ratio amandi Deum, sed etiam creaturas, sicut & visio beatifica manifestat essentiam & bonitatem Divinam, non tantùm secundùm connexionem cum Divinis perfectionibus, sed etiam cum creaturis actualibus: ergo ille amor est proprius comprehensoris, non viatoris. Secundò, quia amor habens rationem per se primò distinctivam status comprehensoris, à statu viatoris, est comprehensoris non viatoris; sed amor regulatus per scientiam visionis habet hanc rationem per se primò distinctivam, scilicet lumen gloriæ & visionis beatæ, quo status comprehensoris per se primò constituitur, & à statu viatoris distinguitur; ergo.

Contra est secundò. Amorem terminari ad bonitatem Divinam, ut est ratio amandi creaturas, & volendi Deo bona extrinseca, v. g. redemptionem generis humani, &c. vel significat amari ipsam bonitatem Divinam, eamque esse objectum terminativum amoris, vel amari ipsas creaturas sub motivo tamen Divinæ bonitatis: neuter modus loquendi solvat difficultatem: ergo. Non primus; quia sicuti ipsa Divina bonitas, tam ut est ratio amandi bona intrinseca, quàm bona Deo extrinseca per claram Dei visionem repræsentatur, ut perfectio in se summè amabilis, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem; ita est impossibile, quin voluntas videntis Deum amore necessario prosequatur eandem Divinam bonitatem, quod patet ex instantia ipsius Gonett. Divina namque voluntas non est libera intuitu suæ Divinæ bonitatis, quam necessariò amat sub omni ratione, sub qua est amabilis; sed tantùm per ordinem ad objecta creata, sub motivo Divinæ bonitatis proposita. Nec secundus modus satisfacit, primò; quia non salvat meritum in actu præcipuo & nobilissimo charitatis, qui est velle DEO suam bonitatem, & perfectiones intrinsecas, eùmque amare, ut est in se & propter se, sed est ipsa sententia, quam amplectitur Lorca, disputatione 72. concl. 2. & quæ tanquam insufficiens ab istis Authoribus relinquitur. Secundò, quia etiam actus, quo voluntas videntis Deum fertur in creaturas propter Deum, illas non amat liberè, sed necessariò, ita enim expressè tradit S. D. 1. 2. q. 4. a. 4. *Voluntas videntis Deum per essentiam ex necessitate amat, quidquid amat sub ordine ad Deum.* Cujus hæc videtur esse ratio, quia amor affectivus tunc est necessarius, cùm trahitur à bonitate objecti necessariò & absque indifferentia repræsentata: Sed videnti Deum ordo rerum creatarum ad Divinam bonitatem, ratione cujus amantur, apparet sine indifferentia, ergo illarum amor est necessarius. Minor probatur: nam supposità manifestatione, quâ Deum videnti clarè apparet connexio talium creaturarum cum Divina bonitate, est impossibile, quin & connexio seu ordo & ipse amor, seu prosecutio actualis talis bonitatis appareat amabilis, neque enim ille ordo & connexio subditur electioni videntis Deum, sicut econtra subditur electioni & liberæ determinationi voluntatis Divinæ, cujus amor respectu creaturarum non est affectivus sed effectivus. Atqui cum objectû ejusque actualis prosecutio tali modo apparet amabilis, nullus relinquitur locus libertati, vel exercitij vel specificationis. Vnde

Contra est tertiò. Quòd ruinosum sit fundamentum hujus responsionis ductum à paritate liberi decreti Divini ad libertatem dilectionis in Christo. Nam ideo Theologi dicunt actum liberi decreti in Deo esse entitativè necessarium & objectivè seu terminativè liberum, quia infinitas actûs puri non admittit contingentiam seu defectibilitatem entitativam & subjectivam; sed tantùm activam, objectivam, & terminativam. Undè etiam Divinæ libertatis indifferentia non est actus, sed ad objecta, quæ sibi ipsi subjicit & facit esse volita, ejusque amor erga creaturas actuales non est affectivus, sed effectivus. Atqui hæc omnia conveniunt soli DEO propter infinitam eminentiam increatæ voluntatis, & actus puri, nec possunt creatæ libertati Christi attribui, quæ est ejusdem rationis cum libero arbitrio aliorum hominum.

Unde primò necesse est, actum liberum dilectionis in Christo non tantùm terminativè & connotativè, sed etiam entitativè esse contingentem & liberum, quia de ratione effectûs intrinsecè contingentis, & à causa contingenti & indifferenti procedentis, est non tantùm connotativa, sed etiam entitativa & subjectiva contingentia, ac defectibilitas: atqui omnis actus creatus liber est effectus à libero arbitrio tanquam causa indifferente procedens; ergo debet in se entitativè & subjectivè, & secundùm quod dicit in recto, non tantùm (ut in Divinis) secundùm quod dicit in obliquo, & terminativè potuisse non esse. Hinc secundò libertas creata non tantùm est ad objecta,

jecta, sed etiam ad actus, adeóque actus charitatis in Christo non tantùm ex eo capite potest esse liber, quia connotat objectum contingenter connexum cum bonitate Divina, sed etiam quia vi propositionis indifferentis absolutè poterat poni, vel omitti talis actus. Ac tertiò contingens connexio inter bonitatem DEI & creaturas nihil facit ad libertatem amoris creati, sed tantùm voluntatis vel amoris increati: quia ideo contingens connexio rerum creatarum cum bonitate fundat libertatem decreti Divini, quia in illa contingenti connexione videt DEUS nullas creaturas posse adæquare latitudinem suæmet bonitatis & voluntatis, ideóque plenissimo sui actûs dominio illas sibi subjicit in esse voliti, vel respuit in esse noliti: atqui hæc ratio non habet locum respectu creatæ voluntatis, quæ non ipsa sibi constituit objectum, sed ab objecto trahitur ratione Divinæ bonitatis, quam etsi in objecto contingenter conjunctam reperiat, est tamen illa contingentia penitùs à libero arbitrio creato independens, & ad illud impertinens.

§. III.

Tertius & noster modus salvandi libertatem.

Tertius modus salvandi libertatem dilectionis, à pluribus doctissimis Thomistis usurpatus, quem cæteris præferimus, est, quòd unus idémque charitatis actus, quatenus regulatus scientiâ visionis, sit comprehensorii & necessarius; quatenus verò regulatus lumine scientiæ infusæ sit actus viatoris liber & meritorius, etiam in ordine ad ipsam Divinam bonitatem, ut in se est. Hæc sententia supponit libertatem & necessitatem actualem esse quasdam perfectiones connotativas, quæ in recto nihil dicunt distinctum ab ipso actu, in obliquo verò & de connotatò important judicium intellectûs, vel objectivè indifferens, vel determinatum, prout dictum in tr. de act. hum. & se habent proportionaliter, sicut in probabili sententia veritas & falsitas, quæ in recto dicunt ipsum actum cum connotatione in obliquo objecti taliter, vel aliter existentis, quàm enunciatur. Quo posito ita probatur Responsio. Tunc amor Christi poterat esse meritorius, etiam quà terminatus ad bonitatem Divinam, ut est ratio diligendi infinitas perfectiones DEI, quando non obstante necessitate orta ex lumine gloriæ, tamen poterat esse liber circa idem objectum, sed hoc potuit; ergo. Minor probatur. Illa inclinatio est libera, quæ connotat judicium objectivè indifferens regulativum sui: sed amor ille Christi connotabat judicium indifferens indifferentiâ contradictionis ex parte scientiæ infusæ; ergo. Minor probatur: Quando connotata possunt stare simul, tunc etiam connotationes possunt esse simul; sed circa eundem amoris actum potest in intellectu Christi simul stare duplex propositio objecti, una per modum naturæ ex parte scientiæ beatæ, & altera per modum indifferentiæ ex parte scientiæ infusæ: ergo etiam in eodem actu amoris possunt simul consistere duæ connotationes propositionis necessariæ & indifferentis. Atqui actus humanus simul habens connotationem propositionis objectivè necessariæ, & indifferentis, est simul liber & necessarius: ergo idem actus amoris in Christo poterat simul esse liber & necessarius.

Opponitur tamen gravis instantia in sententia D. Th. Idem non potest simul esse creditum & scitum: ergo idem objectum eodem actu non potest simul esse liberè & necessariò volitum, & sicut idem actus non potest esse scientia & fides; ita nec idem actus potest esse liber & necessarius. Consequentia probatur. Non minùs sunt effectus ac denominationes contradictoriè vel privativè oppositæ, esse determinatum & indeterminatum, quàm esse clarum & obscurum: sed implicat, ut ex diversis motivis idem actus vel objectum sit evidens & inevidens, ergo pariter implicat, ut ex diversis principijs & regulis scientiæ beatæ & infusæ, idem actus amoris sit determinatus & indeterminatus: sed esse liberum est esse indeterminatum, & esse necessarium est esse determinatum; ergo.

Respondeo negando consequentiam & suppositum paritatis, quòd esse actualiter sive in actu secundo liberum, sit esse indeterminatum; hoc enim tantùm convenit libertati privativæ, potentiali, & in actu primo. Itaque actum esse liberum, est illum ita esse determinatum ad unum, ut vi propositionis indifferentis potuerit non esse determinatus ad illud; & esse necessarium est, esse ita determinatum ad unum, ut defectu indifferentis propositionis non potuerit non esse determinatus: quæ duo non sunt effectus privativè oppositi, uti sunt esse evidens, & inevidens. Et iste respondendi modus principijs Thomisticis, atque ad nostræ doctrinæ consequentiam, propositæque difficultatis solutionem videtur esse convenientior.

Articulus III.

Quid Christus meruerit?

Summaria.

1. *Quid non meruerit Christus?*
2. *Quid sibi meruerit?*
3. *Christus electis meruit prædestinationem.*
4. *Ejus prædestinatio est tripliciter causa nostræ prædestinationis.*
5. *Christus meruit omnem gratiam antiquis PP.*
6. *Et omnibus hominibus quoad sufficientiam, remissionem omnium peccatorum, & collationem omnium auxiliorum.*
7. *Christi mors pro omnibus astruitur contra Jansenium.*
8. *Christus ratione humanitatis dicitur servus non rigorosè,*
9. *Sed latiori significatione.*

10. Non

10. *Non autem dicitur filius adoptivus.*
11. *Est Sacerdos in æternum.*

§. I.

Quid sibi Christus meruerit.

1. NOn meruit Christus (1.) unionem hypostaticam, cùm ista esset principium omnis meriti, ut pridem dictum. Non (2.) gratiam, ob eandem causam, quòd ista esset principium quo operis meritorij, & quia perfectius, Christóque decentius erat, ut illam connaturaliter debitam haberet pro omni instanti etiam naturæ, quàm ut pro aliquo instanti illâ careret: caruisset autem si meruisset. Non (3.) meruit gloriam essentialem; primò quia etiam ista pertinet ad principium meriti: nam Christi meritum vel regulatur per scientiam beatam, vel per infusam: si primum, hoc ipso est principium meriti; si secundum, etiam illa scientia infusa & regulativa meriti derivatur à scientia beata, tanquam supremâ in genere cognitionis: & sic visionem beatificam priorem naturâ supponit. Secundò, quia etiam gloria essentialis erat Christo titulo connaturalitatis debita; nec fuerat conveniens, ut ullo instanti etiam naturæ illâ careret.

Porro, an Christus saltem potuisset mereri gratiam & gloriam? ex eo pendet, an admittas tanquam possibile meritum supernaturale solùm virtute auxilij transeuntis, vel hypostaticæ unionis elicitum? Si admittis possibile, nihil videtur obstare, quin per absolutam potentiam Christus utramque mereri potuisset, cùm Divina omnipotentia titulum connaturalitatis impedire possit. Si non admittis possibile, etiam consequenter negabis, quòd Christus gratiam & gloriam mereri potuisset.

Neque dicas: si fuisset possibile, ut Christus mereretur gratiam & gloriam essentialem, tunc de facto fuisset meritus: quia hoc pertinet ad dignitatem Christi; sed consequens non admittitur: ergo. Respondeo negando sequelam, quia si Christus suam gratiam & gloriam essentialem meruisset, tunc pro aliquo instanti naturæ gratiâ & gloriâ caruisset, & aliqua ipsius operatio ex gratia sanctificante non processisset, quod juxta præsentem rerum ordinem de Christo dici non potest.

2. Meruit verò Christus sibi ipsi sui corporis gloriam & nominis exaltationem. Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Vidimus IESUM propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Heb. 2. *propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Philip. 2. II. Meruit animæ impassibilitatem, (ne videlicet ampliùs tristari, aut dolere posset) resurrectionem à mortuis, triumphum ascensionis, &c. Nam tale meritum cedit ad gloriam Christi, illudque è varijs Scripturis colligunt SS. PP. nempe ps. 119. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem.* Ioan. 17. *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi &c. Et nunc clarifica me tu Pater.* Inde Tertull. de Cor. mil. *Christus favos post fella gustavit; nec antea rex gloriæ in cœlestibus salutatus, quàm Rex Iudæorum proscriptus in cruce.* III. Meruit potestatem judiciariam, ut colligit S. D. q. 59. art. 3. ex illo Iob. 36. *causa tua tanquam impij judicata est, causam judiciumque recipies.* IV. Dominium quoque & Regnum totius Mundi quoad actum secundum, veluti indicatur Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur.* Et Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Dixi, *in actu secundo*, h. e. usum & actuale exercitium dominij: nam dominium in actu primo, seu jus supremi dominij ac potestatem dominativam etiam temporalem titulo filiationis naturalis Christo debitam & obtentam fuisse à primo instanti conceptionis, agnoscunt communiter Theologi cum S. D. lib. 1. de Regim. Princ. c. 22.

§. II.

Quænam Christus alijs meruerit?

CONCLUSIO I. *Christus omnium electis meruit prædestinationem, omnesque effectus ejus, nempe gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, perseverantiam, &c.* Ita communis Catholicorum, & habetur in Trid. sess. 6. de Iustif. Probatur ex Apostolo Ephes. 1 *Benedictus DEUS & Pater Domini nostri IESU Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Sed potissima benedictio spiritualis est prædestinatio cum effectibus inclusis, præcipue gratia & meritis: ergo prædestinatio facta est in Christo, h. e. secundum interpretationem SS. PP. ex meritis Christi. Secundò, ex Io. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quæ verba Christi D. Augustinus c. 19. de prædestin. SS. & c. 7. de corrept. & grat. exponit de electione prædestinativa ad gloriam, dicens: *illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* 3.

Hinc inferes. Prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis, in genere causæ finalis, exemplaris & meritoriæ. Finalem expressit Apostolus Eph. 1. dicens: *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESUM Christum in ipsum*, ubi Tò *in ipsum* causam finalem denotat. Causam exemplarem præter S. D. q. 24. a. 3. docet D. Augustinus de prædestin. SS. c. 15. dicens: *est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator DEI & hominum homo Christus IESUS*, & ex inde constat, quòd filiatio naturalis sit exemplar filiationis adoptivæ: sed Christus est prædestinatus ut filius naturalis: ergo. Causam meritoriam primùm conclusimus, eò quòd Christus mereatur tum ipsam electionem ad gloriam, tum omnes effectus prædestinationis. 4.

CONCLUSIO II. *Christus meruit omnem gratiam antiquis PP. collatam.* 5.

Ratio est: quòd omnia gratiæ dona ullis hominibus collata continentur in Christo, tanquam in capite, & causa universali: ergo virtus Christi meritoria debet se extendere ad omnes omnino gratias ulli hominum post Adami lapsum collatas. Ideo Act. 4. dicitur. *Non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri &c.* Apoc. 13. Christus dicitur: *Agnus occisus ab origine Mundi*, quia mors ipsius futura jam ab origine Mundi operabatur effectum meritorium. Ad Hebr. 9. dicitur, Christus *mortuus, in redemptionem earum*

jecta, sed etiam ad actus, adeóque actus charitatis in Christo non tantùm ex eo capite potest esse liber, quia connotat objectum contingenter connexum cum bonitate Divina, sed etiam quia vi propositionis indifferentis absolutè poterat poni, vel omitti talis actus. Ac tertiò contingens connexio inter bonitatem DEI & creaturas nihil facit ad libertatem amoris creati, sed tantùm voluntatis vel amoris increati: quia ideo contingens connexio rerum creatarum cum bonitate fundat libertatem decreti Divini, quia in illa contingenti connexione videt DEUS, nullas creaturas posse adæquare latitudinem suæmet bonitatis & voluntatis, ideóque plenissimo sui actûs dominio illas sibi subjicit in esse voliti, vel respuit in esse noliti: atqui hæc ratio non habet locum respectu creatæ voluntatis, quæ non ipsa sibi constituit objectum, sed ab objecto trahitur ratione Divinæ bonitatis, quam etsi in objecto contingenter conjunctam reperiat, est tamen illa contingentia penitùs à libero arbitrio creato independens, & ad illud impertinens.

§. III.

Tertius & noster modus salvandi libertatem.

TErtius modus salvandi libertatem dilectionis, à pluribus doctissimis Thomistis usurpatus, quem cæteris præferimus, est, quòd unus idémque charitatis actus, quatenus regulatus scientiâ visionis, sit comprehensorii & necessarius; quatenus verò regulatus lumine scientiæ infusæ sit actus viatoris liber & meritorius, etiam in ordine ad ipsam Divinam bonitatem, ut in se est. Hæc sententia supponit libertatem & necessitatem actualem esse quasdam perfectiones connotativas, quæ in recto nihil dicunt distinctum ab ipso actu, in obliquo verò & de connotato important judicium intellectûs, vel objectivè indifferens, vel determinatum, prout dictum in tr. de act. hum. & se habent proportionaliter, sicut in probabili sententia veritas & falsitas, quæ in recto dicunt ipsum actum cum connotatione in obliquo objecti taliter, vel aliter existentis, quàm enunciatur. Quo posito ita probatur Responsio. Tunc amor Christi poterat esse meritorius, etiam quà terminatus ad bonitatem Divinam, ut est ratio diligendi infinitas perfectiones DEI, quando non obstante necessitate orta ex lumine gloriæ, tamen poterat esse liber circa idem objectum, sed hoc potuit; ergo. Minor probatur. Illa inclinatio est libera, quæ connotat judicium objectivè indifferens regulativum sui: sed amor ille Christi connotabat judicium indifferens indifferentiâ contradictionis ex parte scientiæ infusæ; ergo. Minor probatur: Quando connotata possunt stare simul, tunc etiam connotationes possunt esse simul; sed circa eundem amoris actum potest in intellectu Christi simul stare duplex propositio objecti, una per modum naturæ ex parte scientiæ beatæ, & altera per modum indifferentiæ ex parte scientiæ infusæ: ergo etiam in eodem actu amoris possunt simul consistere duæ connotationes propositionis necessariæ & indifferentis. Atqui actus humanus simul habens connotationem propositionis objectivè necessariæ, & indifferentis, est simul liber & necessarius: ergo idem actus amoris in Christo poterat simul esse liber & necessarius.

Opponitur tamen gravis instantia in sententia D. Th. Idem non potest simul esse creditum & scitum: ergo idem objectum eodem actu non potest simul esse liberè & necessariò volitum, & sicut idem actus non potest esse scientia & fides; ita nec idem actus potest esse liber & necessarius. Consequentia probatur. Non minùs sunt effectus ac denominationes contradictoriè vel privativè oppositæ, esse determinatum & indeterminatum, quàm esse clarum & obscurum: sed implicat, ut ex diversis motivis idem actus vel objectum sit evidens & inevidens: ergo pariter implicat, ut ex diversis principijs & regulis scientiæ beatæ & infusæ, idem actus amoris sit determinatus & indeterminatus: sed esse liberum est esse indeterminatum, & esse necessarium est esse determinatum: ergo.

Respondeo negando consequentiam & suppositum paritatis, quòd esse actualiter sive in actu secundo liberum, sit esse indeterminatum; hoc enim tantùm convenit libertati privativæ, potentiali, & in actu primo. Itaque actum esse liberum, est illum ita esse determinatum ad unum, ut vi propositionis indifferentis potuerit non esse determinatus ad illud; & esse necessarium est, esse ita determinatum ad unum, ut defectu indifferentis propositionis non potuerit non esse determinatus: quæ duo non sunt effectus privativè oppositi, uti sunt esse evidens, & inevidens. Et iste respondendi modus principijs Thomisticis, atque ad nostræ doctrinæ consequentiam, propositæque difficultatis solutionem videtur esse convenientior.

ARTICULUS III.

Quid Christus meruerit?

SUMMARIA.

1. *Quid non meruerit Christus?*
2. *Quid sibi meruerit?*
3. *Christus electis meruit prædestinationem.*
4. *Ejus prædestinatio est tripliciter causa nostræ prædestinationis.*
5. *Christus meruit omnem gratiam antiquis PP.*
6. *Et omnibus hominibus quoad sufficientiam, remissionem omnium peccatorum, & collationem omnium auxiliorum.*
7. *Christi mors pro omnibus astruitur contra Jansenium.*
8. *Christus ratione humanitatis dicitur servus non rigorosè,*
9. *Sed latiori significatione.*

10. *Non autem dicitur filius adoptivus.*
11. *Est Sacerdos in æternum.*

§. I.

Quid sibi Christus meruerit.

1. NOn meruit Christus (1.) unionem hypostaticam, cùm ista esset principium omnis meriti, ut pridem dictum. Non (2.) gratiam, ob eandem causam, quòd ista esset principium quo operis meritorij, & quia perfectius, Christóque decentius erat, ut illam connaturaliter debitam haberet pro omni instanti etiam naturæ, quàm ut pro aliquo instanti illâ careret: caruisset autem si meruisset. Non (3.) meruit gloriam essentialem, primò quia etiam ista pertinet ad principium meriti: nam Christi meritum vel regulatur per scientiam beatam, vel per infusam: si primum, hoc ipso est principium meriti; si secundum, etiam illa scientia infusa & regulatiua meriti derivatur à scientia beata, tanquam supremâ in genere cognitionis: & sic visionem beatificam priorem naturâ supponit. Secundò, quia etiam gloria essentialis erat Christo titulo connaturalitatis debita; nec fuerat conveniens, ut ullo instanti etiam naturæ illâ careret.

Petes, an Christus saltem potuisset mereri gratiam & gloriam? ex eo pendet, an admittas tanquam possibile meritum supernaturale solùm virtute auxilij transeuntis, vel hypostaticæ unionis effectum? Si admittis possibile, nihil videtur obstare, quin per absolutam potentiam Christus utramque mereri potuisset, cùm Divina omnipotentia titulum connaturalitatis impedire possit. Si non admittis possibile, etiam consequenter negabis, quòd Christus gratiam & gloriam mereri potuisset.

Neque dicas: si fuisset possibile, ut Christus mereretur gratiam & gloriam essentialem, tunc de facto fuisset meritus: quia hoc pertinet ad dignitatem Christi; sed consequens non admittitur: ergo. Respondeo negando sequelam, quia si Christus suam gratiam & gloriam essentialem meruisset, tunc pro aliquo instanti naturæ gratiâ & gloriâ caruisset, & aliqua ipsius operatio ex gratia sanctificante non processisset, quod juxta præsentem rerum ordinem de Christo dici non potest.

2. Meruit verò Christus sibi ipsi sui corporis gloriam & nominis exaltationem. Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Vidimus IESUM propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Heb. 2. *propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Philip. 2. II. Meruit animæ impassibilitatem, (ne videlicet ampliùs tristari, aut dolere posset) resurrectionem à mortuis, triumphum ascensionis, &c. Nam tale meritum cedit ad gloriam Christi, illudque è varijs Scripturis colligunt SS. PP. nempe ps. 119. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem.* Ioan. 17. *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi &c. Et nunc clarifica me tu Pater.* Inde Tertull. de Cor. mil. *Christus favos post fella gustavit; nec antea rex gloriæ in cœlestibus salutatus, quàm Rex Iudæorum proscriptus in cruce.* III. Meruit potestatem judiciariam, ut colligit S. D. q. 59. art. 3. ex illo Iob. 36. *causa tua tanquam impij judicata est, causam judiciumque recipies.* IV. Dominium quoque & Regnum totius Mundi quoad actum secundum, veluti indicatur Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur.* Et Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Dixi, *in actu secundo*, h. e. usum & actuale exercitium dominij: nam dominium in actu primo, seu jus supremi dominij ac potestatem dominativam etiam temporalem titulo filiationis naturalis Christo debitam & obtentam fuisse à primo instanti conceptionis, agnoscunt communiter Theologi cum S. D. lib. 1. de Regim. Princ. c. 22.

§. II.

Quænam Christus alijs meruerit.

CONCLUSIO I. *Christus omnibus electis meruit prædestinationem, omnesque effectus ipsius, nempe gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, perseverantiam, &c.* Ita communis Catholicorum, & habetur in Trid. sess. 6. de Iustif. Probatur ex Apostolo Ephes. 1. *Benedictus DEUS & Pater Domini nostri IESU Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Sed potissima benedictio spiritualis est prædestinatio cum effectibus inclusis, præcipue gratia & meritis: ergo prædestinatio facta est in Christo, h. e. secundùm interpretationem SS. PP. ex meritis Christi. Secundò, ex Io. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quæ verba Christi D. Augustinus c. 19. de prædestin. SS. & c. 7. de corrept. & grat. exponit de electione prædestinativa ad gloriam, dicens: *illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* 3.

Hinc inferes. Prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis, in genere causæ finalis, exemplaris & meritoriæ. Finalem expressit Apostolus Eph. 1. dicens: *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESUM Christum in ipsum*, ubi Tò *in ipsum* causam finalem denotat. Causam exemplarem præter S. D. q. 24. a. 3. docet D. Augustinus de prædestin. SS. c. 15. dicens: *est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator DEI & hominum homo Christus IESUS*, & ex inde constat, quod filiatio naturalis sit exemplar filiationis adoptivæ: sed Christus est prædestinatus ut filius naturalis: ergo. Causam meritoriam primùm conclusimus, eò quòd Christus mereatur tum ipsam electionem ad gloriam, tum omnes effectus prædestinationis. 4.

CONCLUSIO II. *Christus meruit omnem gratiam antiquis PP. collatam.* 5.

Ratio est: quòd omnia gratiæ dona ullis hominibus collata continentur in Christo, tanquam in capite, & causa universali: ergo virtus Christi meritoria debet se extendere ad omnes omnino gratias ulli hominum post Adami lapsum collatas. Ideo Act. 4. dicitur. *Non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri &c.* Apoc. 13. Christus dicitur: *Agnus occisus ab origine Mundi*, quia mors ipsius futura jam ab origine Mundi operabatur effectum meritorium. Ad Hebr. 9. dicitur, Christus *mortuus, in redemptionem* earum

earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento. Ad Rom. 3. *quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Si dicas: quòd causa meritoria debet priùs existere, quàm præmium: Responsum est supra, debere priùs existere saltem naturâ & in æterno decreto executivo DEI; non autem necessariò præexistere in temporanea mensura & executione.

Cæterùm quòd Christus gratiam & gloriam essentialem Angelis non sit promeritus, patet ex antè dictis, ubi ostendimus Christi Incarnationem fuisse intentam post prævisum Adami peccatum, adeóque & prædestinationem Angelorum. Unde nec gratia Adami in statu Innocentiæ cadebat sub Christi meritum.

6. CONCLUSIO III. *Christus meruit omnibus hominibus quoad sufficientiam remissionem peccati tam originalis, quàm actualis, omniáque auxilia gratiæ sufficientis vel efficacis, excitantis & adjuvantis.* Ita communiter Theologi ex prædicto loco Apostoli, & doctrina Trident.

Ratio est: quòd quidquid conducit ad salutem, habetur ex meritis Christi; ut est de fide: sed omnia enumerata aliquo modo conducunt & ordinantur ad hominum salutem; ergo sunt ex meritis Christi. Et quidem remissio peccatorum clarè exprimitur 1. Io. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi.* Et Ephes. 1. *habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis.* Dixi, *quoad sufficientiam*, quia licèt passio & mors Christi sufficienter meruerit omnibus hominibus remissionem peccatorum, gratiam & gloriam, non tamen actu illam operatur, nisi quando vel ex opere operato per Sacramenta, vel ex opere operantis per actus charitatis aliarúmque virtutum supernaturalium applicatur. Quemadmodum & medicinæ virtus, quamvis sufficiens ad operandam sanitatem, illam tamen non nisi applicata operatur.

7. Inferes ex dictis contra Lutherum, Calvinum, & Iansenium, Christum non tantùm esse mortuum pro prædestinatis, sed pro omnium omninò hominum salute, ita ut seriò suam mortem & passionem pro omnibus obtulerit, etiam pro perituris & reprobis. Traditur primò in plurimis Scripturæ locis. 1. Tim. 2. ubi dicitur, quòd *DEUS vult omnes homines salvos fieri.* Sed DEUS non nisi dependenter à meritis passionis & mortis Christi vult homines salvos fieri: ergo debuit mors & passio Christi tanquam effectus istius voluntatis pro omnibus hominibus offerri. Ibid. dicitur: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Rom. 8. *pro nobis omnibus tradidit illum.* 1. Io. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris* (fidelium) *autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi.* 1. Tim. 4. *qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Item Rom. 5. & 2. Cor. 5. Apostolus contraponit mortem Christi *pro omnibus*, morti omnium, & mortem omnium infert ex morte Christi pro omnibus. *Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus Christus mortuus est*: quæ illatio non valeret, nisi sicut omnes per peccatum sunt mortui, sic pro omnibus hominibus Christus fuisset mortuus; prout optimè expendit D. Augustinus l. 6. contra Jul. c. 4. dicens: *Apostolus unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt: in illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius pro omnibus: unus enim pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.* Traditur eadem Catholica assertio à symbolis: Nam in symbolo indistinctè dicitur: *propter nos homines & propter nostram salutem Christus descendisse* &c. *Crucifixus etiam pro nobis* &c. *passus pro salute nostra.* Quod symbolum fidei cùm credendum omnibus, inter quos non tantùm sunt electi, sed etiam reprobi, proponatur, quilibet credere tenetur, Christum pro se fuisse mortuum. Traditur tertiò à Concilijs & Sum. Pontif. nam Concilium Arelat. III. Lucidum Presbyterum coëgit ad hanc confessionem: *Damno sensum illum, qui dicit, quòd Christus & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* Tridentinum sess. 6. post relata c. 2. Apostoli verba 1. Io. 1. *Hunc* (Christũ) *proposuit DEUS propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi.* hæc cap. 3. subjungit: *Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt: sed ij duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. quintam Iansenisticam propositionem, quâ dicitur: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam in eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, hæreticam &c. declararunt.* Tradunt eandem hanc doctrinam SS. PP. præsertim D. Augustinus, qui in illa verba ps. 95. *Iudicabit orbem terrarum &c. non partem*, inquit, quia non partem emit; *totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Et L. 2. de symb. ad catechum. inducit Christum reprobis ista exprobrantem: *Videtis vulnera, quæ infixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quoniam & per vos, & propter vos apertum, nec tamen intrare voluistis.* Unde quando vel sacra Scriptura, vel SS. PP. redemptionem, sanguinem, mortem Christi videntur ad solos electos restringere, intelligendi sunt de redemptione & oblatione mortis quoad efficaciam, & applicationem effectûs, qui est consecutio salutis æternæ.

§. III.

Servitus, adoptio, Sacerdotium Christi.

QUæres primò: An Christo conveniat dici servum DEI? 8.

Respondeo cum distinctione: Nam servitus tripliciter potest accipi. Primò ut sit *moralis*; quo sensu dicitur, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Secundò *legalis* & strictè talis, quæ ex aliquo titulo juris, puta bello, emptione, nativitate ex ancilla originem trahit. Tertiò *naturalis*, quam contrahit filius erga patrem ratione generationis; & creaturæ erga DEUM ratione productionis & conservationis. Prima & secunda servitus Christo non convenit, ita ut ne quidem cum

cum addito *quà homo* Christus in rigore servus dici possit, quo sensu Adrianus Papa I. cum Concil. Francoford. invectus est in quosdam Episcopos Christum servum nuncupantes: *Cur non veremini queruli obtrectatores DEO odibiles, illum servum nuncupare, qui vos servitute Diaboli liberavit?* Et sic Damasc. l. 3. de fide c. 21. *Serva esset caro, nisi unita esset Verbo: semel unita secundùm hypostasin, quomodo serva erit?* Ratio quoque in promptu est: quia filius naturalis, cùm sit hæres bonorum, non potest esse rigorosè servus; sed Christus etiam in assumpta humanitate est Filius naturalis DEI Patris: ergo non potest esse servus.

9. In tertia verò acceptione Christus rectè dicitur servus DEI, ut sæpe expressum habetur in sacro textu: Is. 54. *Hæc dicit Dominus, ex utero formans me servum sibi.* Ezech. 34. *suscitabo super eos pastorem unum, servum meum.* Is. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Et c. 53. *Iustificabit ipse justus servus meus multos.* Unde & Chrysost. exponens illud Philip. 2. *Qui cùm in forma DEI esset &c. sicut*, inquit, *in forma DEI perfectus est DEUS; ita in forma servi perfectus est servus.* Ratio quoque est: Ad denominationem servitutis naturalis sufficit dependentia fundata in generatione, vel productione, quâ quis alterius potestati aut dominio subjicitur ac subordinatur: sed humanitas Christi, sicut omnis alia creatura ratione productionis & conservationis subordinatur cum dependentia inabdicabili dominio DEI: ergo secundùm humanitatem Christus recipit denominationem servi. Ubi advertit S. D. q. 20. a. 2. consultum esse, ut nomen servi Christo tribuatur cum addito & denotatione humanæ naturæ; non enim ratione personæ, sed solùm ratione naturæ humanæ potest servus dici, quemadmodum dicitur creatura subjectus Patri, minor Patre.

10. Quæres secundò: An sic etiam ratione naturæ & quà homo possit dici filius adoptivus?

Respondeo negativè secundùm superiùs dicta. Estque ita conclusum in Concil. Francofor. contra Elipandum Archiepiscopum Toletanum his verbis: *Unitas personæ, quæ est in DEI Filio, Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* Colligitur ex Evangelico textu, ubi Christo etiam ut homini tribuitur filiatio naturalis. Io. 3. *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Luc. 1. *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.* Et ratio est: quòd cùm dominium & servitus sint nomina consequentia naturam, ratione duplicis naturæ Christus & Dominus dici possit, & servus: ast filius est nomen suppositi, & personæ; quæ cùm in Christo sit unica, consequitur, quòd filiatio naturalis in Christo non admittat aliam distinctam & extraneam filiationem.

Quæres tertiò, quomodo Christus sit Sacerdos in æternum? 11.

Respondeo cum S. D. q. 22. Christus est verè Sacerdos tum seipsum cruentè offerendo in Cruce; tum incruente in ultima cœna, ejúsque Sacerdotium durat in æternum h. e. in finem Mundi, quia eòusque pergit Patrem interpellare pro nobis, séque ipsum in incruento Sacrificio altaris per Ministros sacrificare. Ita habetur ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternū secundùm ordinem Melchisedech.* Hebr. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, IESUM Filium DEI.* Et c. 7. *Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ratio his testimonijs indicata est: sacrificare est actus Sacerdoti proprius, sed Christus sacrificavit seipsum offerendo in ara Crucis, & adhuc offert in Sacramento Altaris: ex Trid. sess. 22. c. 2. ergo Christus est Sacerdos, cúmque sacrificium incruentum Altaris duret in finem Mundi, rectè dicitur: *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* De quo plura in Tract. de Eucharistia.

DISPUTATIO XV.

De Adoratione Christi, cultúque Sanctorum, & Reliquiarum.

CUm ex præmissis constet, quòd Christus sibi nominis exaltationem meruerit, rectò ordine cum S. D. subjungimus quæstionem, quo igitur cultu & adoratione Christus nobis secundùm suam humanitatem sit prosequendus (nam secundùm Divinitatem esse adorandum, nemo negaverit, nisi vel Christo divinitatem, vel divinitati existentiam abrogaverit) Quò pertinet etiam contra nostrorum temporum Novatores inquirere, & determinare, quis cultus Beatis cœlitibus, quis sacris imaginibus, signis, Lipsanis debeatur?

ARTICULUS I.

De Adoratione Christi.

SUMMARIA.

1. *Definitur adoratio.*
2. *Ejusdem divisio in latriam, duliam & hyperduliam.*
3. *Et in absolutam & respectivam.*
4. *Humanitas Christi unâ adoratione cum divinitate adorari debet.*
5. *Christus ut homo potest adorari absoluto latriæ cultu.*
6. *An humanitas Christi ut præcisa ab unione hypostatica, & accepta cum puris donis accidentalibus adorari possit cultu hyperduliæ?*

§. I.

Quid & quotuplex sit adoratio?

CONCLUSIO I. *Adoratio est nota, seu significatio submissionis erga alterius personæ dignitatem.*

tatem. Ita D. Damascen. orat. 1. de Imagin. Hâc definitione significatur primò duplex actus præsuppositivè concurrens ad orationem: primus se tenet ex parte intellectûs, hoc est, internum judicium & existimatio de alterius excellentia & dignitate. Alter ex parte voluntatis, qui est affectus & propositum exhibendi significationem talis existimationis de alterius dignitate. Secundò significatur actus externus submissionis, in quo formaliter consistit ipsa adoratio, nempe signum & nota aliqua submissionis v. g. genuflexio. Unde tametsi quis nullam haberet internam existimationem de idoli excellentia, si tamen externam submissionis notâ illi exhibeat, jam dicitur illud adorare, prout advertit Lugo disp. 28. se. 2. n. 14. Tertiò significatur differentia adorationis à glorificatione, & honoratione: quia adoratio est erga solos Superiores, non autem laudatio, honoratio, glorificatio, quæ etiam potest esse erga inferiores, quemadmodum etiam DEUS honorat & glorificat Sanctos: unde quidem omnem illum honoramus, quem adoramus, non omnem tamen adoramus, quem honoramus.

2. CONCLUSIO II. *Adoratio dividitur primò in latriam, duliam, & hyperduliam.* Latria est cultus soli DEO ob supremam excellentiam debitus. Dulia est cultus Sanctis debitus propter sanctitatem seu excellentiam participatam. Hyperdulia est cultus creaturæ debitus propter excellentiam & singularem sanctitatem, quâ alias creaturas excedit, ejusmodi est cultus & adoratio Beatissimæ Virgini exhibita.

3. *Dividitur secundò in adorationem absolutam & respectivam.* Adoratio absoluta dicitur, quâ aliquid propter excellentiam & sanctitatem sibi inexistentem adoratur: respectiva dicitur, quâ aliquid adoratur propter excellentiam non sibi, sed alteri inexistentem, ad quem dicit respectum.

§. II.

De adoratione humanitatis Christi.

4. QUæritur primò: An humanitas Christi debeat adorari unâ adoratione cum divinitate?

Respondeo affirmativè cum S.D. a. 1. estque definitum in 5. yn. Gen. Scitata in arg. sed contra. Ratio est: quia in exhibitione honoris & adorationis duo considerantur, persona, quæ honoratur, & ratio dignitatis & excellentiæ, propter quam honoratur: sed in Christo in primis est eadem persona terminans humanitatem & divinitatem; dignitas quoque, quæ primariò spectatur (& in omni qui honoratur non secundaria, sed primaria dignitas & excellentia respicitur) in ipsa humanitate, est dignitas personæ & divinitatis hypostaticè unitæ: ergo eâdem adoratione adoranda in Christo est divinitas & humanitas.

Quæritur secundò: an Christus ut homo possit adorari absoluto cultu latriæ? 5.

Respondeo affirmativè cum S. D. a. 2. contra Zwinglium. Constat primò ex testimonijs S. Script. Philip. 2. v. 10. *Exaltavit eum* (Christum hominem) *ut in nomine Iesu omne genu flectatur &c.* Heb. 1. v. 6. *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli DEI.* Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, honorem & gloriam &c.* Ratio est: quia absoluta adoratio latriæ est, quæ fit propter excellentiam divinam rei, quæ adoratur, intrinsecè inexistentem; sed Divinitas intrinsecè inest humanitati per unionem hypostaticam: ergo humanitas Christi, seu Christus ut homo potest adorari absoluto cultu latriæ. Quemadmodum & corpus hominis sancti, quamdiu per animam vivificatur, ratione realis unionis cum anima sancta colitur absoluto cultu duliæ.

Quæritur tertiò. Utrùm humanitas Christi per rationem nostram ab hypostatica unione præcisa, & accepta cum puris donis accidentalibus possit adorari cultu hyperduliæ? 6.

Respondeo. Ut humanitas Christi rectè & decenter adoretur, non potest, nec debet tali modo præscindi ab unione hypostatica. Ratio primæ partis, quòd non debeat ita præscindi, est, quia persona non recipit cultum sibi decentem & debitum, quando colitur inferiori genere cultûs, quam habere possit, e. g. si quis simul habens titulos Regis, Ducis, Comitis coleretur solùm cultu Comiti debito, prætermissâ regiâ veneratione, non reciperet honorem & cultum sibi debitum: ergo etiam humanitas Christi, quæ est capax absolutæ latriæ propter divinitatem sibi intrinsecè unitam, non adoratur debito cultu, si recipiat adorationem hyperduliæ propter præcisam sanctitatem accidentalem, prætermissâ adoratione latriæ debitæ propter excellentiam Verbi intrinsecè uniti. Ratio secundæ partis est, quia adoratio exhibetur supposito & personæ, vel certè rei existenti; ipsa quoque humanitas ut habens in se sanctitatem creatam saltem, implicitè concipitur existens; sed ratione existentiæ humanitas jam meretur cultum latriæ; siquidem illa non est creata & identificata cum natura humana, ut putat Suar. sed increata & identificata cum supposito, ut alibi dictum: ergò humanitas Christi non potest ita præscindi, quin semper mereatur absolutum cultum latriæ.

ARTICULUS II.

De cultu respectivo pertinente ad Christum D.

SUMMARIA.

1. *Statuitur sacratissimum IESU nomen esse respectivo cultu adorandum.*
2. *Probatur ratione.*
3. *Ex continuo Ecclesiæ usu.*
4. *Comparatione cultûs & venerationis, qui clarissimorum virorum nominibus defertur.*
5. *Ex confessione ipsorum Dæmonum.*
6. *Ab efficacia nominis D. Pauli.*
7. *Infertur error Calvinistarum.*
8. *Laudatur piorum fidelium consuetudo.*
9. *Quomodo Crux & Imago Christi adoranda?*
10. *Differentia inter Crucem Christi originalem, vel cætera arma passionis ejus, & inter alias cruces, ac signa passionis.*
11. *Connexio crucis Christi cum Christo.*
12. *Solvitur objectio.*

§. I.

§. I.

Adoratio Sacratissimi Nominis IESU.

1. CONCLUSIO. *Sacratissimum IESU nomen est respectivo cultu adorandum.* Ita DD. Catholici contra Calvinistas, præcipuè Puritanos.

Ita clarissimè continetur in SS. Scripturis, & primò in citato c. 2. Philip. ut *in nomine IESU omne genu flectatur* &c. quo quid aliud, quàm cultus latriæ designatur? ps. 110. v. 9. *Sanctum & terribile nomen ejus*, ergo & adorabile. ps. 71. *Benedictum nomen majestatis ejus in æternum.* ps. 60. *Psalmum dicam nomini tuo &c.* ps. 28. *Afferte Domino gloriam nomini ejus.*

2. Probatur secundò ratione: Cultus respectivus est, quo aliquid colimus non propter se, sed propter dignitatem alicujus personæ, quam repræsentat vel significat; sed nomen JESU, quemadmodum alia nomina propria Moyses, Elias, Petrus, Paulus, characteristicè significat nobis Filium DEI, suppositum Divinum, Caput omnium prædestinatorum, *Sanctum Sanctorum.* Dan. 9. *magni consilij Angelum*: & quod præcipuum, generis humani *Redemptorem & Salvatorem*: unde Angelus & nomen JESU & rationem nominis designans Mat. 1. dixit: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: ergo utique est cultu latriæ adorandum, siquidem in nomine tanquam primario signo Christum ipsummet veneramur & adoramus.

3. Probatur tertiò ex continuo usu Ecclesiæ: nam Concilium Moguntinum §. 2. dicit: *Codices oculis perlustrans, cùm ad venerabile & tremendum IESU nomen deveniret; caput aperit, inclinatur, & suspirans in cœlum oculos attollit*, &c. Gregorius X. in Concil. Lugdun. *c. decet, de immunit Eccles. in 6.* ita decrevit: *Convenientes ibidē* (nempe in Templo, de quo dixerat:) *nomen illud, quod est super omne nomen (à quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet IESU Christi, quod salvum faciet populum à peccatis eorum) exhibitione reverentiæ specialis attollant, & quod generaliter scribitur, ut in nomine IESU omne genu flectatur, singulariter in se ipsis implentes, præcipuè dum aguntur Missarum sacra mysteria, gloriosum illud nomen quandocunque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur.* De libro Evangeliorū exstant Synodi Generalis 7. & 8. sancita, *Evangeliorum librum esse adorandum, quia sanctissimas nobis res proponat.* In sanctissimo JESU nomine omnis sanctitatis, Virtutis, mysteriorum, Divinorúmque aliorum Nominum, velut in nuce illas continetur: Ideò D. Gregorius expendens Evangelii brevitatem, quod legitur in festo circumcisionis, & Divini nominis istius impositionem continet ho. 3. in Ev. *sanctis*, inquit, *Evangelii brevis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus gravida.* Et D. Bernard. in Sen. *Nomen IESU breve syllabis, leve prolatione sermonis grave sententiis, superefflnit & redundat ineffabilibus Sacramentis. Omnia quæcunque DEUS pro salute humana ordinavit, in IESU nomine comprehenduntur.*

Et verò in tanti nominis venerationem non tantùm flectitur omne genu terrestrium, sed Apostolo attestante etiam cœlestium & inferorum, Cœlestium quidem, hoc est, Angelorum, quia nemini magis perspecta est nominis hujus dignitas, quod omnia Angelorum, hominúmque nomina excellens, Regem sæculorum, & omnis creaturæ Caput enuncians, in Divina mente ab æterno conceptum, non nisi Archangelo Gabriele internuncio Mundo innotuit.

Quærit Paschasius, cur Matthæus c. 1. prætermisso JESU specialiter dicat, *Christi generatio hâc erat?* & causam subjungit: *Christi nomen solùm hic sine additamento dixit, nam nomen IESUS Angelo dicendum reservavit.* Et D. Petrus Dam. noster serm. de Nat. D. expendens illud Prophetarum: *Vocabitur nomen ejus Emanuel*; *Omnes*, inquit, *Prophetæ nomen istud aut nescierunt, aut penitus tacuerunt, & reservata est prærogativa dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore Beatissima Virgini illud primò evolvit.*

Aliam causam, cur hoc sanctissimum nomen SS. Angelis sit in summo pretio & cultu, adducit insignis ejusdem cultor D. Bernardinus Sen. to. 4. s. 4. expendens locum Lucæ. 10. ubi cùm Discipuli lætabundi Christo dicerent. *In nomine tuo Dæmonia ejecimus*, subjunxit Christus: *Videbam Sathanam, sicut fulgur cadentem de cœlo*, quæ prædictus Doctor sic exponit: *quasi vellet dicere; Ne admiremini, si in virtute mei IESU nominis expellitis Dæmonia, quia in hoc nomine fuerunt expulsi Dæmones de paradiso, ruendo tanquam fulgur, quod cum impetu descendit, &c.* ut proinde in sanctissimo JESU nomine SS. Angeli relatæ contra Luciferi Phalanges victoriæ causam à primâ statim creatione agnoscant.

Impletum est vaticinium Isaiæ c. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, & charitas ejus replet orbem terrarum*: dum quacunque Christi nomen insonuit, & vera Religio radices egit, omnes omniū statuū & ordinum homines æquè summi ac imi huic sacratissimo nomini summâ veneratione assurgunt, & poplites curvant; illud mente volvunt; illud in periculis & adversis casibus invocant & adorant: illud labaris præferunt, & splendidissimis radiis circumseptum, modò in sacris numismatibus, modò in ædium præcipuè sacrarum parietibus, aris, & SS. vestibus, modò in columnis & obeliscis eleganter depictum, intextum vel insculptum, publicæ venerationi proponunt.

Probatur quartò à comparatione cultûs & venerationis, qui clarissimorum virorum nominibus defertur propter illos nimirum, quorum præstantia & virtus in memoriam revocatur, ut quotidianis claret exemplis, cùm Cæsarum, Principúmque nominibus reverenter assurgimus. Sanè quantam Philosophicorum Principum nominibus venerationem deferret, expressit Romanus morum Præceptor ep. 65. *si Consulem*, inquit, *videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semitâ cedam. Quid ergò M. Catonem utrumque, & Lælium sapientem, & Socratem cum Platone & Zenonem, Cleanthémque in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus semper assurgo.* Hunc Sapientibus honorem deberi Cordubensis existimat, eò quòd suis documentis multum boni generi humano contulissent: infinitam igitur dignitatem sibi vendicat JESU nomen, à 4.

 quo

quo homini salus & omne bonum; quo non Plato, non Socrates, non Salomon ipse, sed *plus quàm Salomon* denotatur, nempe æternæ Patris sapientia secundùm divinitatem, & *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI* Coloss. 30. etiam secundùm humanitatem.

5. Probatur quintò confessione ipsorum Dæmonum, à quibus juxta Apostoli effatum hoc sanctissimum nomen tremendo ac fugiendo adorari propter infinitam ipsius efficaciam palam est. Et testatur S. Chrysost. hó. 7. in ep. S. Pauli ad Philip. *Memores quippe salutiferæ & victricis potentiæ hoc sancto nomine contentæ, quæ pridem inferni vires confregit, illius solo vel sonitu, vel aspectu ceu fulmine quodam aguntur in fugam, ejúsque terrore & metu S. nominis gloriam & reverentiam profitentur.* Testis est quoque S. Gregorius. Naz. ep. ad Nemes. *Ipse, qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronunciavi, cùm statim Dæmon, non sine stridore se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.* Arnob. l. 1. contra gentes. *IESU nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium Vatibus, Haruspices inconsultos reddit, arrogantium Magorum frustrari efficit actiones.* Et antiquissimus D. Justinus Martyr contra Tryphon. *Per nomen ipsius Filii Dei & primogeniti omnis creaturæ, Dæmonium omne adjuratum vincitur, & in ditionem redigitur, ejus nominis potentiam Dæmones tremunt & formidant.* Prout nimirum Christus ipse promisit & prædixit Marci 16. in nomine meo Dæmonia ejicient.

6. Et quid mirum? De D. Pauli nomine affirmat Theodoret. ep. ad Philem. *Sufficit nominis mentio ad efficiendum, ut revereatur vel maximè adversarius.* Causámque subjicit: *qui nempe Paulum audit, audit prædicatorem totius orbis terræ, terra marísque cultorem, & vas electionis, & alia, ad quæ narranda vel decies mille linguis opus esset.* Quantò magìs JESU nomen expavescet inimicus, quo Crucis victoria & generis humani salus continetur? Optimè Lactantius l. 4. c. 27. *Sicut Christus, cùm inter homines ageret, & universos dæmones verbo fugabat, hominum mentes emotas & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine Magistri sui, & signo passionis excludunt.*

7. Inferes ex dictis primò. Quàm meritò damnandi, imò deplorandi sint impii Calvinistæ, qui contra Patris æterni decretum, contra Apostoli monitum, contra cœlestium, terrestrium, & inferorum testimonium Augustissimo huic nomini cultum abrogant, testante & exprobrante oculato teste Godefrido à Driell, qui in suo libello Antipericope inscripto; *Vidi quoque*, inquit, *aliud admirandum Heidelbergæ anno proximo præterito, nimirum vos Calvinistas ad auditum nomen vestri Principis capita aperire, dexteram osculari, toto corpore assurgere, rectósque aliquantisper consistere; Et rectè. At ad auditum sanctissimum illud DEI, ac Domini nostri nomen, quod est super omne nomen, IESVS, ut truncos, ut asinos, ut atheos nullà prorsus exhibità reverentiâ, ne politicâ quidem, considere.*

8. Inferes secundò. Quàm meritò laudanda sit piorum fidelium consuetudo, qui sub hujus Divini nominis signo & tessera adversùs hostes, visibiles invisibilésq; procedunt, exemplo D. Capistrani, qui inscriptum hoc triumphali nomine labarum præferens, ingentem de Turcis victoriam apud Albam Græcam reportavit. Eleganter D. Ambros. l. 2. de fide: *Non hic aquilæ militares, neque volatus avium exercitum ducunt, sed tuum Domine IESU nomen & cultus:* Agnoscunt quippe salutiferam hujus Divini nominis efficaciam, quam compendiò expressit Origenes l. 1. contra Celsum: *Nomen IESU lymphatos sanat, Dæmones exigit, morbis præsentibus affert auxilium.* Ideò juxta Apostoli monitum Coloss. 3. ab hujus Augustissimi Nominis auspiciis omni suo operi manum admovent, præeunte in exemplum Imperatore Justiniano, qui in *l. 2. in princ. Cod. de Offic. Præfect. Prætor. Afr.* sic loquitur: *In nomine Domini nostri IESU Christi ad omnia consilia, omnésque actus semper progredimur.*

§. II.

Adoratio S. Crucis & Imaginum Christi.

9. CONCLUSIO II. *Crux & imago Christi sunt adorandæ cultu Latriæ non absoluto, sed respectivo.* S. D. a. 3.

Ratio ejusdem S. D. a. 3. & 4. est universìm; quòd insensibili creaturæ non debeatur honor aut reverentia, nisi propter rationalem naturam, quam vel specialiter repræsentat, vel cui speciali ratione connectitur: sic quippe veneramur Regis imaginem, quia ipsum repræsentat; vestimentum & arma, quia per contactum ipsi specialiter connectuntur: Vel igitur Crux & imago Christi spectatur materialiter, prout est res quædam inanimata, & ut sic caret intrinsecâ dignitate & excellentiâ, ratione cujus absolutè sit adorabilis: vel spectatur formaliter, prout Crux Christi est sacrata per contactum corporis & profusionem Sanguinis Christi, & imago, prout est repræsentativa sui exemplaris & prototypi: & sic est capax tantæ adorationis, quantâ debet adorari ipsum prototypon; non quidem absolutâ, sed adoratione respectivâ: quia nimirum motus animæ imperantis adorationem non sistit aut quiescit in Cruce vel imagine, sed ulteriùs tendit in ipsum prototypon, sicque in Cruce, vel imagine tanquam medio objectivo & repræsentativo colitur & adoratur ipse Christus. Et hoc respectivo cultu latriæ Crux Christi ab Ecclesia adoratur, dum canit: *O Crux ave spes unica: &c.*

Cæterùm notabilis differentia adverti debet inter Crucé Christi originalem; in quâ ipse passus est, vel cætera arma passionis Christi, & inter alias cruces & imagines, seu signa passionis. Nam Crux originalis & cætera passionis arma, non ideò tantùm merentur adorationem respectivam, quia suâ figurâ repræsentant Christum patientem; sed etiam quia sunt sanctificata per realem contactum ex corpore & sanguine Christi, & fuerunt gloriosa arma, quibus Christus potestates tenebrarum superavit, nobisque salutem æternam comparavit; Crux quoque Christi erat illud altare, supra quod Christus se ipsum in sacrificium obtulit. Ideò particulæ Crucis Christi, aliorúmque instrumentorum passionis, quamvìs non ampliùs habeant figuram crucis, alteriúsve instrumenti, nihilominus adorantur cultu respectivo latriæ; quam adorabilitatem amittunt aliæ cruces & imagines, post-

postquam crucis, alteriúsve instrumenti figuram & imaginem perdiderunt.

11. Quantam porro connexionem cum Christo Crux ipsius habeat, ubique sacer textus ingerit, ut mirum sit, ista ignorari à sectariis, qui sacræ scripturæ sensum volunt esse cerdonibus pervium. An non enim ex Jo. 13. v. 14. *hoc est humanæ redemptionis instrumentum, & triumphale tropheum adversùs potestates tenebrarum à Christo victore erectum?* in quo solo gloriosus athleta Christi D. Paulus gloriam suam collocavit Gal. 6. 14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* Nonne hæc summi Pontificis, & Sacrificii cruenti ara, in qua se Christus, suúmque SS. sanguinem obtulit in pretium Mundi, *Pacificans per sanguinem crucis ejus.* Col. 1. v. 20? Nonne Christi ad regnum scala Jo. 12. v. 32. *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum* &c. An non hoc Divini Imperatoris vexillum? *Tunc parebit signum Filii hominis in cælo.* Mat 24. v. 30. Ideo nunc signum Crucis splendet in Regum fronte & diademate; & crucis virtutem SS. PP. frequenter inculcant: Ambrosius in Theodosium: *sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum levavit, ut crux Christi in Regibus adoretur.* Athanasius l. de Incar. verbi *signo crucis omnia magica compescuntur.* Signare se signo crucis Basilius de Spir. S. ponit inter primas Apostolicas traditiones. Paulinus in Natali S. Felicis narrat, se maximum incendium, quod nullâ arte extingui poterat, ostensâ Crucis particulâ extinxisse. Constantinus Imperator virtute crucis gloriosissimâ potitus victoriâ de Maxentio, eandem Imperiali globo, quem manu gestabat, signis & labaris ad publicam venerationem exposuit, ne crux ad reorum supplicium ampliùs adhiberetur, sancivit. Si ergo *scabellum pedum* DEI adorari jubet Psaltes regius ps. 95. v. 5. *Adorate scabellum pedum ejus.* Si *sepulchrum ejus gloriosum* Is. 11. v. 10. Quantò magìs crux adoranda, utpote Divini Salomonis thronus & *ferculum charitate constratum*, sponsi thalamus, Verbi docentis cathedra, clavis Paradisi, arca novi fœderis, & Testamenti?

Dices. Homo est perfectior, quia viva imago DEI; nec tamen adoratur cultu respectivo DEI; ergo talis cultus nec aliis DEI vel Christi imaginibus exhiberi debet. 12.

Respondeo cum S. D. negando consequentiam: quia in homine dignitas naturæ rationalis & gratiæ sanctificantis fundat & meretur cultū absolutum, quem non merentur imagines inanimatæ, in quibus proinde non est periculum scandali vel idololatriæ, quod esset in adoratione hominis vel Angeli. Duplicem porro cultum absolutum potest homo recipere, unum propter naturalem Dei imaginem, quam animæ impressam habet, isque pertinet ad virtutem observantiæ; alterum propter supernaturalem imaginem gratiæ & participationem naturæ Divinæ, isque pertinet ad virtutem duliæ.

ARTICULUS III.

De cultu Sanctorum.

SUMMARIA.

1. *Sanctos piè coli, & adorari cultu duliæ vel hyperduliæ, probatur testimoniis S. Scripturæ, & ratione ex ipsis petitâ,*
2. 3. *Roboratur exemplis S. Scripturæ.*
4. *Antiquissimo Ecclesiæ universalis usu.*
5. *Statuitur Sanctos, Angelos, & homines beatos à nobis piè & utiliter invocari.*
6. 7. 8. *Solvuntur objectiones heterodoxorum.*
9. *Ostenditur imagines Sanctorum esse honorandas cultu respectivo duliæ.*
10. *Extenditur ad eorum reliquias, sputa, sanguinem, ossa, cineres, vestes, &c.*
11. *Probatur testimoniis SS. PP.*
12. *Quomodo reliquiæ Christi in terris relictæ adorandæ?*

§. I.

De cultu Sanctorum in se ipsis.

1. CONCLUSIO. *Sancti piè coluntur, & adorantur cultu duliæ, vel hyperduliæ.* Est de fide ex Tridentini definitione contra Lutherum & Calvinum, quorum ille Postil. Dom. 23. post Trinit. dicit, cultum Sanctorum esse rem Diaboli.

Constat primò authoritate & testimoniis S. Scr. Rom. 2. v. 10. *Gloria, & honor omni operanti bonum*, sed Sancti Angeli & homines plurimum operantur boni: ergo merentur cultum & honorem.

Constat secundò ratione ex ipsis Scripturis petitâ. Illis rectè defertur honor & reverentia, seu cultus duliæ, in quibus reperitur quædam singularis eminentia & dignitas supernaturalis; sed ista reperitur in Beatis Angelis & hominibus: ergo rectè ipsis defertur cultus & reverentia. Major constat: quia, ut dictum, adoratio seu cultus & honoratio in genere aliud non est, quàm sui quædam submissio extrinsecùs significata erga alterum ex recognitione excellentiæ ipsius; quæ proinde si sit increata, est cultus latriæ; si creata, est cultus duliæ.

Roboratur primò exemplis S. Scripturæ, quibus constat, ejusmodi cultum tam SS. Angelis, quàm hominibus frequenter fuisse exhibitum: Ita quippe Angelos Abrahamus Gen. 18. v. 2. Lot Gen. 19. v. 1. Josue c. 5. v. 15. Manue Jud. 13. v. 20. Saul animam Samuelis 1. Reg. 28. v. 14. Abdias Eliam 3. Reg. 18. v. 7. filii Prophetarum Elisæum 4. Reg. 2. v. 15. adoràsse leguntur. 2.

Secundò testimoniis ejusdem S. Scripturæ, quibus habetur, adorationem templo, Sanctuario, arcæ fœderis fuisse exhibitam: uti dicitur ps. 98. v. 5. *adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* ps. 131. v. 7. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Hebraicè. *Adorabimus scabellum pedum ejus.* Unde S. Hieron. ep. ad Marcellam: *Venerabantur Iudæi sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca testamenti.* 3.

Tertiò antiquissimo usu Ecclesiæ universalis, quem testatur D. Augustinus Serm. 1. de SS. Petro, 4.

&

& Paulo, *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis aderat gentium multitudo.*

Inferes ex dictis, Sanctos Angelos & homines Beatos à nobis piè utilitérque invocari, prout definitum est à Tridentino cit. Probatur primò. Illos tanquam Intercessores ad DEUM ritè rectéque invocamus, qui speciali pollent amicitia & gratia apud DEUM, sed Beati tam homines, quàm Angeli istâ pollent, ut dictum: ergo rectè invocantur. Major constat ex testimoniis S. Script. Gen. 48. v. 16. *Angelus* (dicebat Jacob) *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum*, &c. Idem Jacobus *flevit & rogavit Angelum*. Os. 12. v. 4. Christus Luc. 16. v. 24. & 27. in exemplum adducit divitem ita orantem: *Pater Abraham miserere mei* &c. Job. ult. v. 8. Deus mandat: *Ite ad servum meum Iob, ipse orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam* &c. Paulus Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Quod & repetit Eph. 6. Thessal. 5. & alibi. Si ergo vivi utiliter invocantur, & orant pro nobis; cur non & mortui amici DEI?

Probatur secundò ex antiquissimo & perenni usu Ecclesiæ, quem cernimus in omnibus liturgiis, ubi fit memoria & invocatio Sanctorum Martyrum, quémque contestatur Concilium Chalcedonense, in quo PP. antiqui Ecclesiæ congregati dicebant act. 11. *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.*

6. Probatur tertiò amotione impedimentorum, quæ Heterodoxi objiciunt: nam vel obstaret primò, quòd SS. nondum fruantur æternâ beatitudine, neque videant Divinam essentiam, qui est error Armenorum, Lutheri, Calvini, damnatus in *c. firmiter*, ubi dicitur: Beatis *pervium esse Divinitatis speculum.*

Estque in contrarium primò illud Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Et illud de Christo ascendente Eph. 4. v. 8. *Ascendens in altum Christus captivam duxit captivitatem.* 2. Cor. 5. v. 8. *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Philip. 1. v. 23. *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo.* Apoc. 7. v. 14. *Sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die & nocte in templo ejus.* Matt. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Cur non igitur & animæ sanctæ, quæ Angelis æquiparantur: *æquales Angelis sunt, & filii sunt DEI* Luc. 20. v. 36. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem* (in alterâ vitâ) *facie ad faciem.*

7. Unde non obstat secundò, quod cum Calvino oggannit Wittakerus, res nostras à Sanctis non intelligi: nam sic primò frustra Apostolus SS. Angelos vocaret in testes: *testor coram Deo, & Christo IESU, & electis Angelis.* Tim. 5. v. 2. quomodo cum veritate diceret? *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis & hominibus.* 1. Cor. 4. v. 2. & ps. 137. David: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Quo pacto SS. Angeli in Cœlo *gaudium haberent super uno peccatore pœnitentiam agente*, ut Christus affirmat Luc. 15.? Et quid impediat hunc prospectum Beatorum, *cùm videant videntem omnia*, iisque *pervium* sit *Divinitatis speculum*? quorum plurimi, dum in hâc vitâ degerent, res loco & tempore remotissimas in Prophetico lumine perspectas habuerunt?

Nec obstat tertiò, quòd opponant Sanctos non audire preces nostras, neque orare pro nobis, quæ est hæresis Calvinistarum, Zwinglianorum, &c. 8.
nam prima pars contradicit S. textui Gen. 48. cit. *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum*, &c. quæ invocatio esset ridicula, si non audiretur. 1. Reg. 28. v. 15. ubi Samuel audivit Saulem vocantem. Luc. 16. v. 25. ubi Abraham invocatus à divite epulone audivit eum, & respondit: *fili mi* &c. Secunda pars æquè repugnat authoritati Divinæ: nam Petrus ep. 2. v. 15. præmittit: *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum*, &c. Apoc. 5. v. 8. *Viginti quatuor Seniores* habebant singuli *citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Jerem. 15. v. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me* (ad intercedendum pro populo) *non est anima mea ad populum istum.* Zachar. 1. v. 12. *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem*, &c. Hic ipse fuit sensus Antiquorum PP. uti constat ex Concil. Chalced. priùs relato, & S. Hieronymo de obitu Blesillæ: *Pro te Dominum rogat, mihique impetrat veniam peccatorum.*

§. II.

Cultus SS. imaginum, reliquiarum.

CONCLUSIO SECUNDA. *Sanctorum imagines sunt honorandæ cultu respectivo duliæ.* 9.
Est de fide contra impios iconoclastas tum antiquos, tum novos, Calvinum, Lutherum &c.

Ratio est eadem, quæ de imaginibus Christi. Honor imaginis redundat in honorem sui prototypi, quod repræsentat: ergo cùm honorem Sanctis Cœlitibus debeamus; honor eorundem imaginibus exhibitus in eorummet personam derivatur, cùm sit cultus respectivus, quemadmodum honor vel despectus statuæ Cæsaris exhibitus in ipsius Cæsaris personam redundat: prout observat D. Ambros. serm. in ps. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse videtur injuriam.*

CONCLUSIO TERTIA. *Sanctorum reliquiæ, puta sanguis, ossa, cineres, vestes, &c. sunt respectivo cultu veneranda.* 10.

Est de fide definitum in Tridentino tum contra recentes SS. Lypsanorum profanatores, tum contra antiquos Marcionem, Manetem, Vigilantium. Et præter perpetuum usum ac traditionem Ecclesiæ deducitur è multis S. Scripturæ exemplis: nam Ex. 13. Moyses in egressu ex Ægypto ossa Josephi Patriarchæ religiosè tollit, postmodum in terra Sichem tumulo honorificè illata 4. Reg. c. 2. Eliæ pallio sistuntur & finduntur ruentes Jordanis undæ. 4. Reg. 3. DEUS in honorem cadaveris Elisæi suscitavit mortuum. 4. Reg. 5. Cinctoria & sudaria D. Pauli delata fuêre ad sanandos ægrotos: è quibus est manifestum, DEUM ipsum suorum Sanctorum reliquias honorare, & per illas miracula patrare, uti de facto contingit, dum Sanctorum corpora & arida ossa odorato liquore & salutari oleo perfusa cernuntur.

Pluri-

Plurima sunt hanc in rem SS. PP. testimonia: Justinus M. q. 28. ait: SS. corpora, Martyrúmque reliquias, *dæmonum amoliri insidias & morborum ab arte medica comploratorum conferre sanationes.* S. Athanasius in vita M. Antonij refert de se ipso, quantâ cum reverentiâ illius Sancti pallium exceperit: De ipso verò Antonio recenset S. Hieronymus tunicam S. Pauli primi Anachoretæ è palmis contextam magno cultu prosecutum, & non nisi in solennioribus festis induere solitum. S. Joann. Chrysost. ho. 32. in ep. ad Rom. *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius?* &c. Et hom. 66. ad pop. *Idcirco*, inquit, *sæpè eos invisamus, tumulos adornemus, magnáque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionē aliquam assequamur.* Ambros. serm. in festo SS. Gervasij & Protasij de illorum Martyrum inventione loquens, *Severus*, inquit, *nomine, lanius ministerio* &c. *ut contingit fimbriam de veste Martyrum, quâ sacræ reliquiæ vestiuntur, clamat sibi restitutum lumen*, &c. S. Hieronymus ep. ad Marcellam: *Martyrum ubique sepulchra veneramur, & sacram favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus*, &c. S. Augustinus multus est in enarrando miraculo, quo mulier cœca, quàm primùm reliquias S. Stephani contigit, visum recepit: & de ijsdem reliquijs ep. 103. ad Quintiam. *Qui has litteras ad te perferent, simul reliquias gerent beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis.*

Rationem porrò hujus venerationis tradit idem S. P. L. 1. de Civ. c. 15. & ex ipso D. Thomas a. 6. *Quisquis habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ post mortem ab ipso relinquuntur, veneratur: sed Sanctos DEI in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, DEI Filios & amicos, nostrósque intercessores: ergo etiam eorum reliquias in eorum memoriam congruo honore venerari debemus; præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa & organa Spiritûs S. in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam Resurrectionem.*

Colliges ex dictis: Reliquias S. Sanguinis 123
Christi in terris relictas (uti & instrumenta passionis, vestes, Sindonem) supposita nostrâ sententiâ, quòd ejusmodi partes relictæ non ampliùs sint Verbo hypostaticè unitæ, esse adorandas cultu latriæ respectivo, eò quòd licèt non amplius sint partes Christi, neque per unionem hypostaticam conjunctæ divinitati; fuerint tamen aliquando partes humanitatis, hypostaticè unitæ Verbo, infinitum pretium & lytrum nostræ redemptionis.

ARTICULUS IV.

De Cultu & Adoratione Beatissimæ Virginis Deiparæ.

SUMMARIA.

1. *MARIÆ Virgini Deiparæ debetur cultus hyperduliæ.*
2. *Pro quo stat consensus Ecclesiæ, & PP.*
3. *Confessio ipsorummet hæreticorum.*
4. *Fundamentum à ratione.*
5. *Veritas fidei de Maternitate Deiparæ.*
6. *Est dignitas infinita, &*
7. *Origo aliorum charismatum.*
8. *Ideò rectè vocatur Regina cæli.*
9. *Veritas fidei de Virginitate Deiparæ.*
10. *Testimonia SS. PP. pro Virginitate Deiparæ etiam in & post partum.*
11. *Figuræ & allegoriæ antiqui testamenti.*
12. *Hæreticorum objectiones depelluntur.*
13. *B. V. ante salutationem Angeli emisit votum Virginitatis.*
14. *Nec obstat conjugium cum S. Iosepho.*
15. *MARIA gratiæ plenitudine superat homines universos.*
16. *Deducitur ex testimoniis S. Script. & SS. PP.*
17. *Continebat suâ sanctitate omnium aliorum perfectionem.*
18. *Gloria Deiparæ superat omnem aliorum Sanctorum gloriam.*
19. *Beatiss. Virg. puritas est immunis ab omni peccato etiam originali.*
20. *Rationes congruentiæ pro omnimoda immunitate peccati.*
21. *Testimonia S. Scripturæ pro immaculata Conceptione.*
22. *Ecclesiæ totius sensus & consensus pro eadem.*
23. *Beatiss. Virgo habet prærogativam Mediatricis respectu totius generis humani.*
24. *Mediatrix est ratione Virginei partûs.*
25. *Et universalis patrocinij, ac intercessionis.*
26. *Variæ figuræ & Symbola S. Script. pro hâc veritate.*
27. *Encomia & efficacia Nominis Mariani.*

§. I.

Veritas Catholica.

CONCLUSIO *MARIA DEI Mater & Virgo ter admirabilis post Christum veneranda & adoranda est super omnes homines & Angelos.* 1.
Ita tota Ecclesia Catholica tam orientalis, quàm occidentalis contra Bezam aliósque sectarios.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ. Nam primò ipsemet DEI Filius Virginem Matrem filiali submissione veneratus ad ejus cultum suo præivit exemplo: sic quippe dicitur Lucæ 1. v. 51. *Et erat subditus illis.* Mariæ nimirum, sanctissimóque ejus Sponso Josepho: Rursus jam morti vicinus in Cruce dilectissimo suo Discipulo Ioanni in mandatis dedit, ut MARIAM semper coleret, tanquam matrem. *Ecce Mater tua.* Io. 19. v. 27. II. Gen. 3. v. 15. DEUS ad serpentem de B. V. DEIpara prædixit: *Ipsa conteret caput tuum.* Quæ sanè fuit prærogativa singularis, nulli hominum, vel Angelorum concessa, quâ notatur singulare beneficium humano generi Virgineo partu conferendum; unde non nisi mortalium ingratissimus debitum ipsi cultum potest subtrahere. III. Ipsa de se Luc. 1. v. 48. Divino afflata Spiritu: *Beatam me dicent omnes generationes*: ergo Spiritus S. ipsemet B. V. præ-

coni-

conium toto orbe voluit propagari. IV. Sic & Archangelus Gabriel *plenam gratiâ, & benedictam in mulieribus*: h. e. præ cunctis mulieribus, & pariter Elizabeth *repleta Spiritu Sancto, Benedictam inter mulieres* salutavit. Luc. 1. à v. 41. quæ etiam, quantumvis foret *justa ante DEUM, incedens in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, eandem tamen sibi multopere prætulit, cùm exclamavit: *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* quibus potissima venerationis causa exponitur, *maternitas DEI.* Optimum denique est argumentum à pari, quo utitur author Lapidis Lydij, puncto 100. Apostolus Heb. 1. v. 4. Christi hominis excellentiam attollens, dicit: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: Cui enim dixit aliquando Angelorum; filius meus es tu, ego hodie genui te? & rursum: ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?* Ergo similiter nobis licet colligere excellentiam, & consequenter debitam MARIÆ venerationem præ omnibus Sanctis: *Cui enim dixit DEUS aliquando Angelorum, Mater mea es tu. Tu me genuisti*; & rursum: *Ego ero illi in filium, & ipsa erit mihi in Matrem.* Sicut ergo præ omnibus Sanctis speciale *& differentius nomen præ illis* obtinuit, ut diceretur & esset *Mater DEI*; ita & majorem præ omnibus Sanctis cultum meruit, quem hyperduliam nominamus.

2. Probatur secundò à consensu SS. PP. totiúsque Ecclesiæ Catholicæ, tam Græcæ, quàm Latinæ, quorum testimonia confertim refert Cottonus l. 1. Eccl. triumph. c. 9. Ego pauca tantùm delibo, è quibus constet antiquissimus Ecclesiæ mos B. V. summè honorandi, invocandi, ejúsque festa celebrandi. E Græcis S. Athanas. serm. de sanctiss. Deipar. in fine to. 1. *Ad te clamamus, memor esto nostri sanctissima Virgo, quæ post partum etiam Virgo permansisti, & in vicem exiguæ hujus precationis, ex ea divinorum munerum abundantia, quâ plenissima es, aliquid in nos deriva.* S. Io. Chrysost. serm. de Annunc. apud Surium: Beatissimam Virg. nominat, *templum DEI animatum, cœli terræque pariter domicilium, & illius, qui comprehendi non potest, amplissimum habitaculum.* Cyrillus Alexander homil. contra Nestorium recitata in Concil. Ephesino: *Salve Sancta Deipara, eximium illud totius orbis decus & ornamentum; salve Lampas inextinguibilis, corona Virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ; templum indissolubile.* S. Epiphanius serm. de Laud. Deiparæ. *Quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem; solo enim DEO excepto cunctis superior existis, naturâ formosior es ipsis Cherubin & Seraphin, & omni exercitu Angelico.*

E Latinis Patribus D. Ambrosius orat. 2. præpar. ad Miss. tom. 2. *ut efficax mea sit deprecatio, Beatæ MARIÆ Virg. suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipsam tam novum acciperet.* Et l. 2 de Virg. *Quid nobilius DEI Matre? quid splendidius eâ, quam splendor elegit? quid castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit?* &c. D. Augustinus in suis libris, præsertim Meditationum, intercessionem B. V. ferventer implorat, è cujus serm. 18. de sanctis suis publicis precationibus hanc formulam precandi Ecclesia inseruit: *Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes* &c.

Quod attinet ad D. Virginis festa, S. Athanasius loc. cit. festum Annunciationis miris laudibus celebrat. Gregorius Nyssenus & Cyrillus Hierosolymitanus, festum Hypapantes seu occursûs, h. e. festum purificationis B. V. piè venerantur. Sophronius & Andreas Cretensis meminerunt Assumptionis, de quâ etiam habetur oratio Eucherij Episcopi Lugdunensis, qui floruit ad annum quadringentesimum quinquagesimum. Demum Concilium Lugdunense an. 580. *de consecrat. dist. 3.* de festis Deiparæ ita decernit: *pronunciandum est Laicis, ut sciant tempora feriandi per annum, id est omnem Dominicam, natale Domini,* &c. *Purificationem S. MARIÆ, Assumptionem S. MARIÆ. Nativitatem ejusdem.*

Quin imò ipsimet fidei nostræ Impugnatores, & hæresum primipili nimiâ veritatis claritate convicti à debitis Virgini præconijs temperare non potuêre. Io. Huss. in suæ fidei declaratione apud præcitatum Cottonum Deiparam appellat *Virginem castissimam, genitricem Salvatoris, reparatricem humani generis, Reginam cœli, quæ intra omnes Beatos citra suum Filium est beatior, singulari privilegio gloriosior*, &c. Lutherus in Euang. festi de Matre DEI: *Nulla Mulier tam sancta est, nec fuit nec erit imposterum, quàm MARIA.* Calvinus in l. de reformat. Eccles. *Omni studio MARIAM Virginem honoramus Magistram omnium*, &c. 3.

Probatur tertiò. Beatos Cœlites veneramur & colimus propter supernaturales eorum prærogativas, sanctitatem, gratiæ & gloriæ eminentiam: sed Beatissima Virgo supernaturalium donorum apparatu, & prærogativis eminet super omnes Sanctos, solo DEO Homine minori eminet quippe maternitate DEI, fœcunda Virginitate, Sanctitate immuni ab omni peccato actuali, & originali, ipsóque fomite peccati, gratiæ quoque & gloriæ plenitudine, quibus omnibus titulis est Mater admirabilis, & Virgo singularis, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem, prout sequentes §. §. docebunt: ergo Beatissimæ Virg. Deiparæ debetur veneratio & cultus super omnes alios Sanctos, h. e. cultus hyperduliæ, absolutus in seipsa, respectivus in suis sanctis imaginibus, & reliquijs. 4.

§. II.

Prærogativa Maternitatis DEI.

Impium Nestorij dogma, quo Virgini Immaculatæ titulum Deiparæ abrogavit, nolens vocari Θεοτόκον, pridem damnavit & anathemate ferijt concilium Ephesinum can. 1. dicens: *si quis non confitetur DEUM esse secundùm veritatem Emanuel, & propter hoc DEI Genitricem Sanctam Virginem, anathema sit.* Quam veritatem desumpsit ex manifestis S. paginæ oraculis Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.* Galat. 4. *Misit DEUS Filium suum factum ex muliere factum sub lege* Is. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Neque obstat, quòd concursus maternus B. V. non attingat in se Divinitatem, aut personalitatem verbi: ut enim sit verè Mater DEI, sufficit, quòd terminus ipsius concursûs & generationis, sit persona, habens non tantùm huma- 5.

humanitatem, sed etiam Divinitatem, sicuti ad hoc, ut mater dicatur peperisse hominem, non requiritur, ut concursus maternus attingat substantiam animæ rationalis, sed sufficit, quòd terminus generationis sit homo habens carnem & animam rationalem, prout cum S. Cyrillo reponit Angelicus Doctor q. 35. a. 4.

Hæc DEI maternitas omnium dignitatum & gratiarum Virgini collatarum caput est, per quam MARIA, ut loquitur Arnoldus Carnotensis constituta est super omnem creaturam; *& quicunque IESU curvat genu, Matri quoque pronus supplicat.* Unicum illud: *de qua natus est IESUS* Matth. 1. omnium est titulorum & dignitatum epilogus, omnium elogiorum epitome. *Hoc unum de MARIA dicere, quod Mater Dei est, superat omnia, quæ ab Angelo vel ab homine dici possunt, inquit D. Petrus Damianus.* *Contremiscat*, addit idem Purpuratus Pater serm. de Nativit. *omnis creatura & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.* Quam subtiliter expendens noster S. Anselmus l. de excell. Virg. c.3 *Intendat mens humana, intendat & videat, & admiretur. unicum Filium sibi consubstantialem DEUS prægenuit, hunc sibi tam unicum & in omnibus omnino æqualem non est passus remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit esse S. MARIÆ unicum, & dilectissimum, & naturalem Filium, ut unus & idem ipse qui Filius DEI est in una persona, Filius esset S. MARIÆ & qui Filius esset S. Mariæ, ipse Filius esset DEI.*

6. Ex hic Angelicus Doctor optimè concludit, Beatiss. Virginem à maternitate DEI infinitam quandam dignitatem concipere. Ita loquitur 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. *B. Virgo ex hoc, quod est Mater DEI, habet quandam infinitatem ex bono infinito, quod est DEUS & ex hac parte nihil potest fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse DEO.* Adstipulatur D. Bonaventura in spec. c. 8. *Majorem Mundum potest facere DEUS, majorem Matrem, quam Matrem DEI facere non potest* Et Albertus M. in Marial. *Filius infinitat matris bonitatem, omnis enim arbor ex fructu cognoscitur.* Nimirum relatio ut species ita moralis æstimabilitatis mensuram à termino accipit, ideo *gloria patris est Filius sapiens*; cum ergo terminus maternitatis MARIÆ sit persona Divina infinitæ dignitatis; inde pronum est inferre, ipsam quoque maternitatem DEI infinitam [illegible] dignitatem.

7. Ex hac [illegible] scaturiunt cæterarum [illegible] enta gratiarum. [illegible] D. Bern. serm. de Nativ. M. expendens illud ps. 71. *Descendet sicut pluvia in vellus*, ubi B. V. [illegible] Gedeonis vellere adumbratur: *Intuere*, [illegible] *DEI*, [illegible] *consilium* [illegible] *terram rigatum* [illegible]. *Redempturus humanum* [illegible] *in Mariam.* Et [illegible] Chrysol. [illegible] 3. de Annunc. *Cœlesti* [illegible] *in vellus* [illegible] *fudit illi* [illegible] *nostræ carnis* [illegible]. Ab hoc D. [illegible] illapsu omnium bonorum [illegible] gi. [illegible] cùm Salomon [illegible] S. p. 4. de [illegible] benè loquitur Beatiss. Virgo [illegible] *pariter* [illegible], ut vertit Rupertus Abbas l. 1. in Cant. [illegible] *mihi totum* [illegible] *quomodo* [illegible] *etiam* (ut argumentatur A[illegible]) *cum illo mihi omnia donavit*

Scitè igitur & festivè dictum à Paulo Aresio: illum, qui singulares DEIparæ prærogativas mente percurrit, cœlum nocturnum contemplari, & stellas numerare: nam

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera cœlo.

Qui verò Matrem DEI cogitat cœlum diurnum aspicere, quemadmodum enim solaris lucis immensa copia minorum syderum faces quodammodò absorbet, imò eminentissimè supplet, atque iisdem de sua luce communicat: ita prærogativa maternitatis alios gratiarum radios sua dignitate velut exhaurit, imò etiam eminentissimè continet, & copiosissimè profundit.

Hinc est, quod speciali titulo DEIparam veneramur, ut Cœlorum reginam, & Mundi Dominam: quomodo enim non Regina, quæ filium habet & subditum Regem Regum? Unde D. Bernard. expendens illud Luc. 1. *Erat subditus illis: Miare utrumlibet, & elige, quid amplius mirere, sive Filij DEI benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem, utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod DEUS feminæ obtemperet, humilitas sine exemplo, & quòd DEO femina principetur, sublimitas sine socio.* MARIA, Regina eò ipso, quòd DEI Mater, *sufficere debet notitia humanæ, hanc vere fateri Reginam cœlorum, pro eo, quòd Regem peperit Angelorum*, inquit August. serm. 35. de SS. *Et MARIAM nasci & vocari Dominam & Reginam, ipsa sui germinis, h. e. Christi Filij sui fecit & impetravit auctoritas.* Addit Arnold. Carnot. tract. de Laud. Virg. *Nec a dominatione vel potestate Filij Mater potest esse sejuncta, una est Christi & MARIÆ caro*, &c.

§. III.

Illibata & fœcunda Deiparæ virginitas.

9. Virgineæ puritatis florem inter præcipua Deiparæ decora & ornamenta splendescere, totus fatetur orbis, Divino tum Isaiæ, tum Evangelij edoctus oraculo, ubi dicitur: *Ecce Virgo concipiet Ad Virginem desponsatam viro.* Is. 7. *Virum non cognosco* &c. Lucæ 1. ideoque Epiphan. hær. 78. rectè pronunciavit, *quis unquam* [illegible] *quo sæculo* [illegible] *nomen S. MARIÆ* [illegible] *interrogatus non* [illegible] *Virginis* [illegible]? *Non* [illegible] *S. MARIÆ* [illegible], *& Virgo* [illegible] *impermansit.* Unde & à S. Jacobo Apostolo in liturg. appellatur *Virginum gloria*, à S. Cyrillo hom. 6. cont. Nestor. *Virginitatis corona*, à Greg. Naz. *Virginum prima*; à Bernardo *Virginitatis primicerius, sine corruptione fœcunda, sine gravatione gravida, sine dolore puerpera*, à S. Germano *Virginitatis opus, & forma puritatis* ab Ambrosio *Virginum* [illegible], *Virginitatis Magistra*; à Damasceno *Gloria totius Virginitatis.*

Hanc porro virginitatem in partu, & post partum mansisse illibatam contra [illegible] Elvidij blasphemiam, dicentis B. Virg. post Divinum partum à Josepho cognitam, tota semper [illegible] Ecclesia quæ in V. Synodo pronunciavit: *MARIÆ Virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerata*, ut eandem [illegible] *intemeratam semper Virginem, per* [illegible], *tribus & post* [illegible] officio [illegible] pietate Sedulius Poëta (qui floruit sub Theodosio Imp. ad an. 430.) versus intexuit;

Sal-

Salve sancta parens, enixa puerpera Regem,
Qui cœlum terrámque tenet per sæcula, cujus
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum Virginitatis honore
Nec primam similem visa est nec habere sequentem:

Sancti PP. hanc illibatam Deiparentis integritatem miris præconijs extollunt. S. Ambros. l. 2. de Virg. *Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid illa candidius, quam candor elegit? Quid castius eâ quæ corpus sine corporis contagione generavit.* S. Leo Serm. 8. de Nativ. *per Spiritum S. fœcundata Virginitas sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem, & suæ stirpis authorem.* Causam addit Augustinus apud Contensonum allegatus: *Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur ejus integritas, qui venerat sanare corrupta:* & congruo exemplo adumbrat Concilium Ephesinum: *Neque nostrum Verbum cùm paritur, corrumpit mentem; neque DEUS Verbum substantialem partum eligens peremit Virginitatem.*

11. Huc pertinent Veteris Testamenti figuræ & allegoriæ, inprimis *virga Aaronis*, quæ floruit sine radice Num. 17. idoneè designat virgineum DEIparæ partum, ita exponente Mellifluo Doct. Serm. 2. in Missus. *Nec virga virorem floris lædit emissio; nec Virginis pudorem sacri partûs editio:* quam allegoriam argutè fusiùsque prosequitur D. Augustinus. *Hortus conclusus, fons signatus,* Cant. 4. *Conclusus*, inquit Sophron. Serm. de Assumpt. *ut nesciat violari nec corrumpi; signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat. Acervus tritici vallatus Liliis. An non acervus tritici venter ejus, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum seges excrevit? Liliis vallatus dicitur, eò quòd uteri materni perennis integritas comprobetur.* B. Amedeus ho. 5. tabernaculum & arca fœderis extructa de lignis Setim, quod genus ligni erat levissimum, purissimum & incorruptibile, solidissimum; ideóque Symbolum Virgineæ puritatis in MARIA, quæ levis erat, eò quòd inquit S. Hieron. *nullus erat oneribus gravata conjugii*, purissima, quia immunis ab omni corporis & animi nævo; solidissima, quia perennis & intemerata: quæ causa est, quòd nec post mortem viderit corruptionem virgineæ privilegio incorruptionis.

12. Neque obstat, quòd dicat Evangelista, MARIA *inventa est in utero habens de Spiritu S. antequàm convenirent*: ex quo Elvidius inferebat, ipsos postea convenisse. II. *Ioseph accepit uxorem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Ubi τὸ *donec*, videtur significare terminum temporis, quo alicujus operis vel obligationis dilatio finitur. III. Quòd Christus appelletur MARIÆ primogenitus & descendisse Capharnaum cum fratribus suis Jo. 2.

Respondeo enim ad I. ex S. Hieron. non significari posteà convenisse; neque eam esse hujus voculæ (*antequam*) energiam, ut semper eventum secuturum significet, sed tantummodò *quid factum non fuerit ostendi*: ut si dicas, Petro gratiam, antequam pro illa sollicitaret, obtigisse, non significas eundem posteà pro gratia sollicitâsse. Ad II. nego, quòd per τὸ *donec* semper indicetur terminus temporis uti patet ex ps. 109. *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos &c.* neque enim potestas Christi finitur, subactis ipsius inimicis. Et ps. 122. *Oculi nostri semper ad Dominum, donec misereatur nostri*: neque enim post impetratam misericordiam oculi sunt à DEO avertendi. Igitur tantummodò sensus est: MARIAM peperisse Christum, quantumvis ad id temporis mansisset viro incognita.

Ad III. & IV. Respondeo, Stylo sacro appellari primogenitum, qui primus nascitur, sive alius sequatur partus, sive non. Fratres quoque & sorores appellari proximos consanguineos, uti patet ex historia Abrahæ, cujus uxor Sara consanguinea & fratris filia, sese Abrahæ sororem nuncupavit.

13. Insuper antequam Beatissima Virgo ab Angelo salutem acciperet, imò priusquam Josepho desponsaretur, sese virginalis continentiæ voto DEO consecrâsse, saltem conditionatè, *si DEO placeret*, expressè docet Angelicus Doctor in 3. p. q. 28. a. 4. in c. & ad 1. Ubi & rationem assignat: *perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur: Virginitas autem debuit in Matre DEI præcipuè pollere: & ideò conveniens fuit ut ejus Virginitas esset ex voto DEO consecrata.* Eunt in eandem sententiam SS. PP. Gregor. Nyssenus, Augustinus, Ven. Beda, Bernardus, Anselmus, Rupertus, qui votum virginitatis efficaciter probant ex illo Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* his enim verbis indicavit Virgo purissima, impedimentum se habere, ne Mater fieret. Et quodnam illud, nisi votum virginalis continentiæ, quo tenebatur, ne imposterum quoque virum cognosceret, quantumvis esset desponsata viro? Audi Nyssenum, Virginis verba sic exponentem Orat. de Christi Nativ. *quoniam DEO dicatam, & consecratam carnem veluti sanctum quoddam donarium intactam servari oportebat, propterea etiamsi Angelus sis*, inquit, *ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id, quod apparet, attamen ut virum cognoscam fieri non potest, quomodo Mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem novi, virum autem non cognosco?*

Nec minus D. August. lib. de S. Virg. c. 4. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco: quod profectò non diceret, nisi DEO Virginem antè se vovisset.* D. Bern. serm. 4. super Missus, Virginem sic loquentem inducit: *Cum sciat Dominus meus testis conscientia mea, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, quâ lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud?*

14. Oppones: si B. V. fuisset voto virginitatis adstricta, non potuisset inire contractum conjugalem cum Josepho: is quippe essentialiter requirit consensum in copulam, quem votum perpetuæ virginitatis excludit. Ad hanc controversiam respondebitur ex instituto in Tract. de Matrimonio. Nunc cum S. D. in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. quæst. 2. ad 2. & 3. dico: ad substantiam contractûs conjugalis non requiri consensum explicitum in copulam, sed sufficere implicitum, & in potentia; qui non repugnat cum voto virginitatis. *Copula carnalis cecidit implicitè in consensu B. Virginis, sicut actus implicitè in potentia: potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actûs, qui-*

quidem nunquam fuit in proposito Beatissimæ Virginis: sed erat jam certificata, quod alteri nunquam sequi deberet. Hæc S. D. qui etiam præcit. q. 28. a. 4. ad 1. docet B. V. ante desponsationem Virginitatem non absolute, sed *sub conditione, si Deo placeret, vovisse, postquam autem [illegible] DEO acceptum, absolute vovisse antequam ab Angelo annunciaretur.* Adjungit: *sed post desponsationem ex communi voluntate simul cum sponso suo votum virginitatis emisit.*

§ IV.

Plenitudo ac perfectio gratiæ & gloriæ.

15. MARIAM gratiâ plenam salutavit Angelus, [illegible] plenitudinem post Christum omnem [illegible] Sanctorum gratiam superasse docet Angelicus Doctor in 3. p. q. 27. a. 1. in c. idque [illegible] communi Ecclesiæ sensu & SS. PP. *Inter animas Sanctorum & choros Angelorum supereminens & [illegible] merita singulorum & omnium titulos antecedit*, inquit Petrus Dam. serm. de Nativ. Virg. MARIA, *solo DEO excepto, cunctis superior existit*, Epiphan. de laud. Virg. *Omnes res creatas superat, omnibus dominatur operibus: super cœlos cœlorum [illegible] incomparabiliter.* Jo. Damasc. or. 1. [illegible]. *Sanctior Cherubim, Sanctior Seraphim, & [illegible] comparatione cæteris omnibus excelsior* [illegible] de Laud. V. Ideò *similitudinem [illegible] thesaurum, & longe maximum DEI [illegible] tabernaculum* appellat S. Andreas Cret.

16. Quid mirum? Ubi aliorum sanctitas definit, ibi Sanctitas MARIÆ incipit, toto vitæ decursu novis aucta meritorum & inanimatæ charitatis incrementis: *quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid [illegible], totum adhibens, non sufficiat, [illegible] indesinenter cremabatur ardore [illegible] amoris, [illegible] movebatur repleta Spiritu S. cœlestium secretorum incitamentis*, inquit S. Hieron. ad Eustochium. Hinc Is. 2. MARIA vocatur *mons in vertice montium*, quia Interprete S. Gregorio M. in l. 1. Reg. c. 1. *meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit.* Ideò dicitur fundata in Sapphiris Is. 54. & *in electis mittere radices.* Eccl. 24. quia infimo sanctitatis gradu superat summum gradum perfectionis aliorum Sanctorum. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31. MARIA *optimam partem elegit.* Luc. 10.

17. Plenitudo gratiæ & sanctitatis Marianæ omnem gratiam cuicumque Sanctorum concessam complectitur. *[illegible] mortalium constat fuisse collatum, fas certe [illegible] tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* S. Bern. ep. 174. *[illegible] intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in MARIAM.* S. Bonav. [illegible] Anselmus expendens Angeli verba: *Spiritus S. [illegible] te. In alios*, inquit, *Sanctorum [illegible], sed in te superveniet, quia præ omnibus & super omnes elegit te, ut superes universos, qui [illegible] sunt plenitudine gratiæ.* De B. V. [illegible] Bernardus [illegible] Eccl. 24. *In plenitudine Sanctorum [illegible] mea: quia [illegible] perfectio [illegible] sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit. Cæteris per partes præstatur, MARIÆ vero simul tota se infudit gratiæ plenitudo*, ait D. Hieron. *In me omnis gratia viæ & veritatis.* Eccl. 24. *quia quicquid honoris, quicquid felicitatis habetur in singulis, totum abundabat in Virgine*, inquit D. Laurentius Justi. Ideo illam *mare gratiarum* D. Bonav. de Laud. V. *Abyssum gratiæ.* D. Damasc. *Sanctitatis collegium* D. Petrus Chrysol. appellant. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* dicebat sponsus Cant. 4. Cur malorum punicorum? quia sicut malogranatum innumera grana sub coronato cortice comprehendit, sic MARIA omnium Sanctorum dotes & prærogativas suo sinu complectitur, ut ipsi potiori jure malogranatorum symbolicè tribuas, quam [illegible] gentiles [illegible] quondam Deorum Matri factum esse volunt.

- - - quæ diversa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Nihil est enim virtutis, quod ex te non resplendeat; & quidquid singuli habent Sancti, tu sola possidis. Bern. serm. 4. super Salve.

18. Hinc inferas, quanta sit gloriæ eminentia, quâ nunc Virgo Sanctissima in cœlis fruitur: siquidem gratia est radix meriti, & semen gloriæ, cujus perfectio perfectioni gratiæ & charitatis admensuratur. Sicut ergo B. V. omnes Sanctos superavit perfectione gratiæ, charitatis & meriti, sic pariter omnes Sanctos excellit magnitudine gloriæ, solo minor Filio, ideoque ut D. Thomas advertit, non dicitur *sedere à dexteris*, [illegible] quod æqualitatem denotat, *sed assistere*, quod innuit inferioritatem: *Astitit Regina à dexteris tuis* ps. 44. Optimè Doctor mellifluus serm. 1. de Assumpt. *Quemadmodum non erat in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium DEI MARIA suscepit, ita nec in cœlis locus dignior regali solio, in quo MARIAM Filius sublimavit. Quantum enim*, addit idem, *gratiæ in terris est adepta præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis.* D. Ildefonsus s. 2. de Assumpt. affirmat *incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit, cum sit incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit.*

§ V.

Puritas immunis ab omni peccato.

19. REctissimè Ambros. l. 2. de Virg. *Quid candidius illa, quam candor elegit?* Hic est candor intaminatissimæ puritatis, quâ Virgo Beatissima super omnes Sanctos effulget. Multos quidem Beatos cives cœlestis curia numerat, adeò Divinis benedictionibus præventos, ut innocentiam in Baptismo acceptam nullo lethali piaculo ad extremum usque spiritum conservarent, ut verò ne levioris quidem & venialis culpæ nævus vitam aliquando inficeret, ut primus in mortalem vitam ingressus à stygii serpentis morsu & originalis peccati labe, ut corporis à fomitis concupiscentiæ tabe foret immunis, soli concessum est, quæ à Divino Sponso audit Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* quæ verba explicans Hugo Victorinus ita sponsum loquentem inducit: *Ego totus pulcher & tu tota pulchra, ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est: tu tota pulchra, quia nil quod turpe est, in te est. Pulchra tota sine nota cujuscunque maculæ.* Canit S. Casimirus in hymno.

 Ita

Ita censuit Angelicus Doctor in 1. dist. 44. q. un. a. 3. ad 3. statuens: *Dicendum, quòd puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. V. quæ peccato originali & actuali immunis fuit.* Quibus plura ejusdem S. Doctoris testimonia accenset Eusebius Nierenberg. & ex illo Clarissimus Pater Illsung in Tract. de Immac. concept. à v. 32. Præiverunt Sanctissimi PP. & Doctores Ecclesiæ. S. August. Serm. 20. ad FF. in eremo: *MARIA Mater electa est, super omnes creaturas praelecta omnibus gratiis fœcundata, omni virtute & sanctitate in utero repleta, ut de mundissima Matre mundissimus Filius nasceretur, & sicut in cœlo Filius habuit Patrem immortalem & æternum, sic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem*: Rursus: *scimus, quòd plùs gratia ei donatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatū, quæ concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* S. Cyprianus multò antiquior serm. de Nativ. Christi: *Spiritu S. obumbrante incendium originale extinctum est: ideóque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia, ut vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimùm à ceteris differens natura communicabat, non culpâ, unde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria.* S. Noster Ildefonsus l. de parturit. V. *Constat illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solùm maledictio Matris Evæ soluta est, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.* S. quoque noster Anselmus, cui Immaculatæ Conceptionis festivè celebratæ debentur initia, multus est in commendanda omnimodâ immunitate peccati etiam originalis. In l. de concept. B. M. c. 15. *Vas, inquit, electionis cognominatus S. Paulus omnes homines in Adam peccâsse fatetur: Vera utique sententia & cui contradicere nefas esse pronuncio; sed cùm eminentiam gratiæ DEI in te MARIA Virgo considero, sicut non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo intueor, ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione devinctam esse opinor. Decens erat,* ait ibidem c. 18. *ut eâ puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEUS Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat.* S. Petrus Damiani serm. de Assumpt. *Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non assumpsit.*

20. Rationes cumulatè suppeditant eorundem SS. PP. Testimonia, & multiplices figuræ seu allegoriæ à S. Ecclesia Beatissimæ Virg. in publico ejus cultu accommodatæ: *quid vitii* ait S. Jo. Damasc. *in ejus mente vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudinis totius Divinitatis meruit esse sacrarium?* Debuit sanè thronus Divini Salomonis formari ex ebore candidissimo, cujus potissima est in candore gloria. Oportuit, ut illa concha in suo conceptu à Solis æterni luce purissimum nitorem traheret, cujus influxu concipienda erat Verbi Divini inæstimabilis margarita. Debuit Virginea MARIÆ caro ab omni putredine peccati servari libera, ex qua Incarnando DEI Filio formanda erat Arca assumptæ humanitatis. Debuit exulare omne idolum & abominatio peccati à Templo inhabitantis Verbi. Pertinebat ad incommutabilis DEI æternitatem, ut inhabitandæ Virginis anima immutabili decore nusquam sibi dissimili perennaret. Decebat ejus immensam omnipræsentiam, ut in electo sibi domicilio omnem prorsus partem suæ splendore sanctitatis impleret, essétque, ut loquitur Petrus Cell. *Maria tota Deitatis gratiâ superfusa.* Divinæ sapientiæ erat congruum, ne in hoc suo selectissimo opere ulla linea ab artis æternæ regula aberraret. Justitia increata dictabat, indecorum esse, ut Mater vel minimo temporis puncto gratiâ & sanctitate egeat, cujus Filius infinitis gratiarum thesauris abundet: cùm humana quoque jura decernant: *iniquissimum esse Patrem aut Matrem egere, cujus Filius sit in facultatibus.* Misericordia suggerebat, longè præstantius esse miserentis beneficium alienam prævenire miseriam, quàm miseriæ subvenire. *Gratior enim Medicus,* inquit Chrysost. *qui anticipat morbos, quam qui in morbis ingerit seram, & non sine dolore, medicinam.*

Hanc D. Virginis prærogativam indicavit Divini sponsi calamus primò in illa ad serpentem comminatione Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem: & semen tuum & Semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*: quibus verbis indicatur perfecta & plena Deiparæ adversus stygium serpentem victoria: quam utique non obtinuisset, si quo vel temporis momento originalis peccati jugo, adeóque & Dæmonis servituti subjecta fuisset: præsertim cùm nomine capitis rectè S. Augustinus intelligat originale peccatum, ceu caput & originem omnium peccatorum, in quo Virgo debuit de infernali dracone triumphare. Secundò. Cùm Beatiss. Virgo *gratiâ plena,* & *benedicta* salutatur ab Angelo, indicatur specialissima gratiæ plenitudo, quæ nullam vitæ partem reliquit vacuam: intelligitur benedictio omnimoda, quâ excluditur omnis Evæ maledictio. Ita exponit S. Bonav. ser. 2. de Deip. *Domina nostra fuit plena gratiâ præveniente in sua sanctificatione; gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ.* S. Anselmus de parturit. M. MARIA *quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore nec sub corruptione genuit.* Refert etiam præcit. P. Illsung verba D. Andreæ in Epistola presbyt. Achaiæ: *sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra Virgine nunquam maledicta.* Tertiò. Huc pertinent encomia, quæ in Canticis sponsæ allegoricè tribuuntur, & ab Ecclesia ad Beatissimam Virginem transferuntur. *Sicut Lilium inter spinas &c.* c. 2. *Tota pulchra es.* c. 4. *Una est columba mea* c. 2. Quartò. Illud Eccl. *Ipse creavit illam in Spiritu S.* cùm ab Ecclesia D. Virgini accommodatur, ipsius animæ creationem in Spiritu S. h. e. in gratia factam fuisse indicatur. 21.

Sumam porrò huic prærogativæ authoritatem tribuit S. Ecclesiæ Romanæ sensus, quæ festum Immaculatæ conceptionis (quo nomine primum instans animationis seu infusionis animæ significatur) annuo officio festivè & cum Octava solenniter toto orbe celebrari præcepit, institutas ad ejus honorem pias sodalitates approbavit, & indulgentijs variisque gratijs ornavit: parvum quoque officium de Immaculata Conceptione pridem 22.

dem recitari concessit, adversæque sententiæ silentium imposuit. Secuta sunt Ecclesiæ exemplum integra regna, quæ eandem festivitatem etiam profesto colunt jejunio: secutæ sunt celeberrimæ orbis Universitates, quæ ad Immaculatæ Conceptionis cultum ac defensionem etiam jurisjurandi religione se obstringunt.

§. VI.

Titulus Matris & Mediatricis totius generis humani.

23. QUamvis prædictæ B. V. prærogativæ & singulares excellentiæ debitum ipsi hyperduliæ cultum abundè evincant, tituli tamen communis omnium hominum & pientissimæ Matris ac Mediatricis, potentissimæ Patronæ & Advocatæ specialem reverentiam ac devotionem sibi vendicant, *Mediatricem salutis* S. Bernardus serm. in signum magnum. *Mediatricem & mediam inter humana & Divina*, Richardus à S. Vict. *Mediatricem cœli & terræ* S. Epiphan. ep. 174. appellant. Non utique principalem Mediatricem: ea quippe prærogativa est Divini Filij propria, qui suis theandricis operationibus & infinitis tum meritis tum satisfactionibus ima summis conciliavit; sed secundariò, & ut præcitatus Bernardus loquitur, tanquam *Mediatrix ad Mediatorem*, tum quia ipsâ per suum consensum ac Virgineum partum mediante, & cooperante, Verbum Divinum ex ejus purissimo sanguine carnem assumpsit, tum quia jugi patrocinio & intercessione, suis clientibus gratias impetrat efficaces, præcipuè finalis perseverantiæ; ijsque adversùs insidias & tentationes Dæmonum potenter assistit; tum quia Divinus Filius quemadmodum per ipsam semetipsum, ita per ipsam, h. e. eâ impetrante gratias suas consuevit effundere.

24. Primam mediationem sic D. Augustinus elegantissimè exponit serm. 10. de SS. *Per fœminam mors, per fœminam vita: per Evam interitus, per MARIAM salus; illa corrupta secuta est seductorem; hæc integra peperit Salvatorem: Auctrix peccati Eva, auctrix meriti MARIA. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit; illa percussit; ista sanavit* &c. Nec minùs aureis verbis Chrysost. ho. de interdict. Adam. *Mors per Adam, vita per Christum, Evam serpens seduxit, MARIA Gabrieli consensit; sed seductio Evæ attulit mortem, consensus MARIÆ peperit sæculo Salvatorem. Restauratur per MARIAM, quod per Evam perierat, per Christum redimitur, quod per Evam fuerat captivatum, redditur per MARIAM vita, quæ per Evam fuerat corrupta.*

25. Alteram mediationem maternæ intercessionis ac potentissimæ impetrationis agnoscit S. Germ. homil. de Deipar. *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te ô sanctissima. Nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te ô purissima. Nullus est, cui donum concedatur, nisi per te ô castissima. Non est, cujus miseratur gratia nisi per te ô honestissima.* Ideo S. Ecclesia Deiparam *Iannam cœli* indigitat, *quia per MARIAM habemus viam, quæ ducit ad patriam.* Hymn. Casim. Nec dubitat noster Virgineus Doctor S. Anselmus asserere: *Impossibile est, quòd illi, à quibus Virgo Maria oculos misericordiæ avertit, salventur: ita necessarium est, quòd hi, ad quos oculos tuos convertis, pro eis advocans, justificentur, & glorificentur.* Accinit Venerab. noster Blos. in Can. vit. spiri. *fieri non potest, ut pereat, qui MARIÆ sedulus cultor fuerit. Tu igitur fac illam tibi unicè familiarem.*

Hæc est illa Iris in circuitu *sedis*. Apoc. similis visioni smaragdinæ, quia (exponit Sylveira) sicut ista recreat, & delectat visum, sic sacratissima Virgo sua suavi intercessione DEI iram mitigat, & omnes recreat. Hæc est arca fœderis & *commune Mundi propitiatorium*, ut vocat D. Amedeus de dormit. Hæc est *civitas DEI* ps. 86. de quâ *gloriosa dicta sunt.* Civitas refugij, civitas Jerusalem, h. e civitas pacis & visionis, de quâ Hieronymus c. 3. *vocabitur Ierusalem in tempore illo solium Domini, & congregabit ad eam omnes gentes.* Hoc est Interprete Alberto M. *MARIA in tempore gratiæ solium Domini, in quo DEVS sedit per misericordiam se incarnando, & congregabit ad eam omnes gentes, id est, peccatores, qui ibi absolvuntur, & non secundùm merita puniuntur. Hæc est columba Noë pacis nuncia, ideò elevata ad æternæ pacis jussionem, ut quiescat & quiescere faciat,* Bern. serm. 4. de Assumpt. 26.

An non igitur communi totius humani generis Advocatæ & Mediatrici, quæ omnes materno complectitur, & miseratur affectu, quæ juxta Filij in cruce morituri ultimam voluntatem in & cum Joanne omnes homines recepit in filios, filiale præ omnibus Sanctis debemus obsequium, cultum & venerationem? Nonne ipsam jure meritissimo salutamus, *Vita dulcedo & spes nostra salve?* Ita præit, docet & hortatur Mellifluus Doctor ho. 2. super Miss. *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicij horrore perterritus baratro incipias absorberi tristitiæ & desperationis abysso, cogita MARIAM: in periculis, in angustijs, in rebus dubiis MARIAM invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde* &c.

§ VII.

Prærogativa Sanctissimi Nominis MARIÆ. 27.

DIvini IESU Nominis efficaciam ac dignitatem omni cultu dignissimam paulò antè exposui: æquum est ad MARIANI nominis dignitatem & cultum facere digressionem, argumento Jurisperiti in *l. Princeps ff. de Leg. Principes Augusta privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Certissimus, quemadmodum Christus ingentes gratias, dona, perfectiones sibi proprias Matri voluerit esse participativè communes: ut & ipsa esset à peccato ejúsque fomite immunis: ut esset Domina Mundi, Imperatrix Universi, Angelorum Regina, Janua cœli, Mediatrix hominum, porta paradisi. Quid mirum, si etiam MARIÆ nomini eam contulit gratiam & dignitatem, ut post IESU nomen foret singulare generis humani solatium & adversus hostes præsidium. Iuvat ergo inter utrumque IESU & MARIÆ nomina instituere parallelon, & ex ipso IESU nomine derivatam in MARIÆ nomen virtutem & efficaciam ponderare.

Author Sanctissimi IESU nominis est ipsa summa Trinitas, quæ illud de infinitæ sapientiæ thesauro evolvit: in quo ceu cornucopia omnes gratiarum divitias inclusit, omnes aliorum titu-

titulorum prærogativas constrinxit: unde si IESUM audis, pariter audis *Admirabilem*, *Consiliarium*, *DEUM fortem*, *Principem pacis* &c. If. 9. *Dominus IESUS*, inquit S. Vincentius Ferrer. *est nomen virtuosum, quia omnes virtutes continentur in hoc benedicto nomine IESUS*. serm. de Circumcis. D.

An non hæc gratia Mariano quoque nomini communicata reperitur? Quis enim illius author? Loquatur devotissimus Idiota in prol. *Dedit tibi Virgini MARIÆ tota supersancta Trinitas nomen.* Loquatur Petrus Dam. serm. 2. de Annunc. *fecit DEUS sermonem cum Angelis de redemptione hominum, ac illis stupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, statim de thesauro divinitatis MARIÆ nomen evolvitur.*

Nec mirum, cùm Marianum nomen tanta contineat mysteria gratiarum; quæ uti à solo DEO conferri, sic ab ipso solo dignè concipi possunt, & nominari. Noverat hoc mysterium Archangelus Gabriel, ideóque Virginem salutans non antea sanctissimum MARIÆ nomen est ausus proferre, quàm gratias illô contentas præmisisset. *Ave*, inquit *gratiâ plena* Luc. 1. Ita exponit locum Albertus M. *Omittit*, inquit, *Angelus interponere nomen Mariæ, quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ ejus fuerant explanatæ, sine quibus plenè significatio nominis non intelligeretur.*

Priusquam Seraphini apud Isaiam DEUM nominarent, & dicerent *Dominus DEUS Sabaoth*, præmiserunt *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Sic Gabriel priusquam Mariæ nomen prænunciaret, ter sanctam priùs voluit indicare: sanctam per plenitudinem gratiæ, cum diceret: *Ave gratiâ plena*. Sanctam inhabitatione Verbi Incarnati, cùm diceret: *Dominus tecum*. Sanctam persusione omnium cœlestium charismatum & benedictionum, cùm adderet: *benedicta tu in Mulieribus*. Ita sui sanctissimi Nominis gratiam Mariano nomini voluit esse communicatam.

Omni Hyblæo melle suavius est IESU nomen, cujus *dulcis memoria, dans vera cordi gaudia*, & attestante D. Bernardino Sen. *ipsam lætificans Trinitatem*: adeò ut cum Seraphicus Pater Franciscus illud pronunciaret, labia sua tanquam melle perfusa soleret lambere.

Et quid dicam de nomine MARIÆ? loquatur mellifluus Bernardus: *Tu*, inquit, *nec nominari potes, quin recrees, tu nunquam sine dulcedine divinitùs tibi insita memoriæ portas ingrederis.*

Viderat Angelus B. V. ex insperata salutatione consternatam; cujus liquoris aspergine, quo florum, quo balsami suavi odoramento usus est ad erigendum Virginis animum, ad abstergendum timorem? non alio, quàm proprij nominis: *Ne timeas*, inquit, MARIA. Magna est virtus & efficacia in sanctissimo nomine IESU, quam Dæmones agnoscentes contremiscunt. *Torquetur Apollo, Nomine percussus Christi*, canit Prudent. cujus victricis virtutis figuras antiquum Testamentum suppeditat; Virga Moysis habebat in varijs partibus inscriptum nomen tetragrammaton, quod continetur in nomine IESU, scribit Aloys. Novar. Vmb. Virg. n. 1509. Josue soli stationem indixit & invicto robore gentes inimicas prostravit, quia in suo nomine portavit nomen IESU, inquit D. Bernardin. sen. to. 2. s. 4. David gigantæum illud monstrum Goliathum prostravit, quia ut ipse dixit, *venit in nomine Domini*, suntque teste Arefio Rabbini, qui existimant, in illo lapide, quo David Gigantis frontem elisit, inscriptum fuisse nomen Josue, quod idem est cum nomine IESU. Sanè D. Chrysostomus totam Davidis victoriam Divino nomini in acceptis refert: *hæc vox*, inquit (nempe cùm David diceret, *ego venio ad te in nomine Domini*) *lapidem, velut manum direxit in Goliath; hæc pavorem incussit barbaro; hæc hostis confidentiam fregit, hæc inimicum labefecit.*

Gloriosum, triumphale, & admirabile est nomen MARIÆ, & qui illud retinet, non expavescit in puncto mortis, ait D. Bonavent. in psalt.

Denique ea est Divini Nominis IESU prærogativa, ut nostris ad DEUM precibus pondus addat & pretium; *si quid*, inquit ipse Io. 16. *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Eleganter Rupertus l. 12. in Io. *solum hujus unigeniti Filij DEI nomen, quod est IESVS Christus, necessarium universæ orationis est vehiculum, quo in cœlum directo cursu perlata consistat ante Patris conspectum* &c. quæ causa est, quod S. Ecclesia publicas suas preces eâ clausulâ finiat, per I. C. D. N. Etiam hoc privilegium concessum est MARIÆ, ut specialem sortiantur efficaciam preces, quæ per MARIÆ nomen mittuntur in cœlum. Unde monet Mellifluus Bern. *quicquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem alveo ad Largitorem gratiæ gratia redeat, quò influxit.* Addit D. Bernardin. sen. to. 1. serm. 61. *quòd in omnium gratiarum effluxùs jurisdictionem quandam habeat hæc Virgo, veluti quædam Præfecta cælestium aquaductuum.*


En! parallelon inter suavissima nomina IESU & MARIÆ. Primum igitur locum in capite Libri & cordis tui tribue Augustissimo IESU Nomini, quia nomen est super omne nomen. Alterum MARIÆ sanctissimi nominis cultum quotidianum à D. Joscione D. Bertini Monacho Benedictino usurpatum, DEUS insigni miraculo comprobavit, cùm ex ejus defuncti capite quinque rosæ aureis 5. litteris Mariani nominis insignes pullularunt. Tertium denique locum IESU & MARIÆ, in tuo pectore tribue Josepho Sponso & Nutritio: ijsque omnibus accine:

Hæc tria Nomina
Bona sunt omina,
Et mundi Lumina,
Et cæli Limina.



TRACTA-

TRACTATUS XV.
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.
PROLOQUIUM.



A Salvatore ad fontes Salvatoris progredimur, & posteaquam Dominicæ Incarnationis mysterium priori Tractatu expendimus, nunc SS. Sacramenta consideramus, per quæ Incarnationis, & Passionis virtus nobis applicatur; nósque in præsenti ad gratiam, in altera vita ad gloriam perducimur. Sunt quippe canales, per quos Vulnerum & Sanguinis Christi efficacia in nos derivatur: sunt venæ, per quas à Christo Capite in totum Ecclesiæ corpus Spiritûs S. gratia, cunctáque charismata dispensantur. Sunt rami, per quos à prima radice Christo, & salutari Crucis stipite omnis boni vigor in fideles tanquam hujus arboris frondes diffunditur, ut copiosos gignant bonorum operum fructus. Itaque recto Thomisticæ doctrinæ ordine cum Angelico Doctore à q. 60. ad 66. primò de Sacramentis in genere, postea de singulis in specie disputabimus.

DISPUTATIO XVI.
DE
Essentia Metaphysica Sacramenti.
ad q. 60. & seqq.

SIcut compositio physica vel quasi physica est, ex materia & forma; ita compositio metaphysica ex genere & differentia. Unde cùm Sacramenti rationem essentialem, quâ in ratione Sacramenti constituitur, & ab omni alio, quod non est Sacramentum, distinguitur, consideramus, dicimur ipsius essentiam metaphysicam considerare; cùm verò de ipsius materia & forma tanquam partibus compositum morale & artificiale constituentibus loquimur, dicimur loqui de essentia physica ipsius. Nunc ergo de metaphysica ipsius essentia disputamus.

ARTICULUS I.
Sitne Sacramentum in genere signi?

SUMMARIA.

1. *Etymon Sacramenti.*
2. *Triplex acceptio rei Sacræ.*
3. *Definitio & divisio signi.*
4. *Aliud signum speculativum, aliud practicum.*
5. *Aliud significans in actu primo, aliud in actu secundo.*
6. *Sacramentum est in genere signi.*
7. *Non naturalis, sed ad placitum.*
8. *Sitne propterea formaliter ens rationis?*
9. *Negatur.*
10. *Non datur signum sensibile naturaliter gratiam significans.*

§. I.
Prænotanda.

NOtandum primò. Nomen Sacramenti *derivari à Sacro, ideóque secundùm diversam habitudinem* ad aliquid sacrum diversas habere acceptiones. Et primò Tullius & Varro nomine Sacramenti intelligunt pignus sive pecuniam olim à liti- 1.

litigantibus in loco sacro deponi solitam. Secundò. In jure vox Sacramenti usurpatur pro juramento, sive re per juramentum firmata, *per l. 2. Cod. si adversus venditionem.* Tertiò. Scriptura frequenter utitur hoc nomine, pro mentis secreto, sive signo rei occultæ, quod Græcis mysterium dicitur: ita Tob. 12. dicitur: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Eph. 1. *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ.* Sap. 2. *Nescierunt Sacramenta DEI.* Cypr. ep. ad Quir. c. 50. *Sacramentum fidei non est prophanandum.* Quartò à D. August. alijsque PP. ac Theologis accipitur pro *signo rei sacræ*, & hîc specialiter (ut ex dicendis constabit) pro *sensibili signo gratiam continente, vel significante.*

2. Notandum secundò Sacrum aliquid tripliciter dici posse secundùm triplicem habitudinem ad sanctitatem, à qua denominatur *formaliter, significativè & effectivè.* Formaliter, quia in se habet formam Sanctitatis, ut anima Justi; significativè, quia est signum alicujus Sanctitatis, uti Sacræ imagines; effectivè, quia est causa Sanctitatis, ut passio Christi. Cæterùm & causa Sanctitatis & ipsa Sanctitas potest esse duplex. Causa alia est physicè, alia moraliter operativa. Moraliter operativa vel est activè & propriè talis, quia nempe in se habet valorem & virtutem sufficientem ad effectum morali modo ponendum & inferendum, quemadmodum se habet meritum respectu præmij; vel est tantùm impropriè & metaphysicè talis, eò quòd sit mera conditio positiva, vel signum, ad cujus positionem effectus aliundè producitur, quo modo (ut habet S. D. hîc q. 62. a. 1.) *denarius plumbeus est pactio, quòd dentur 100. libræ.* Et traditio annuli est signum & causa investituræ Episcopalis &c. Sanctitas quoque vel est perfecta & completa, eáque est gratia Sanctificans; vel est imperfecta & legalis, quæ hominem non physicè & intrinsecè, sed tantùm moraliter & extrinsecè sanctum denominat, éstque vel deputatio ad quædam sacra officia & status, ut erat in veteri testamento Sacerdotium, in novo benedictio Abbatum, prima Tonsura &c. vel licentia & libertas legalibus concessionibus & privilegijs fruendi, uti econtra legaliter immundus apud Judæos dicebatur, cui ex lege interdictum erat conjugem ex Israëlitis ducere, templum ingredi, cum alijs conversari &c.

3. Notandum tertiò. *Signum* instrumentale, de quo hîc sermo ex D. August. l. 2. de doctr. Christ. c. 1. communiter definiri, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire.* Sive, quod præter seipsum aliquid aliud animo manifestat. Idque dividitur in signum naturale, quod independenter à libera alicujus institutione ex ipsa natura rei habet aliud præter se repræsentare, ut effectus causam, fumus ignem, & in signum arbitrarium, seu ad placitum, quod non nisi ex libera alicujus impositione seu institutione alijs notificatâ hoc vel illud significat, ut hedera vinum &c.

4. Notandum quartò. Signum ulterius dividi in speculativum & practicum. Speculativum est, cujus finis ab institutione intentus est solùm repræsentare & manifestare rem repræsentatam abstrahendo ab ejus productione; sicuti voces significant res & conceptus; signum practicum est, quod ex intentione instituentis significat rem tanquam sive per se, sive per alium efficiendam.

Notandum quintò. Signum & significationem rursus dividi in signum in actu primo & in actu secundo. In actu primo est res sensibilis, quæ habet efficaciam præter sui cognitionem, etiam alterius rei cognitionem excitandi. In actu secundo est, quæ illam actu excitat. Ita hedera ante fores cauponæ appensa est signum vini vendibilis in actu primo, quia licèt de vino actu nil cogites, suppositâ tamen institutione communiter ab hominibus acceptatâ vim habet per sui aspectum & notitiam excitandi species & cognitionem vini vendibilis, quam ubi actu excitaverit, erit signum formaliter in actu secundo. His positis sit 5.

§. II.

Asseritur ratio signi excluso ente rationis.

CONCLUSIO. *Sacramentum ponitur in genere signi; estque signum sacrum ex institutione significans.* Ita S. D. hîc a. 1. 6.

Et prima pars probatur primò Auth. S. Scr. PP. & Conciliorum: nam Circumcisio, quæ erat Veteris legis Sacramentum Gen. 17. appellatur *signum fœderis* inter DEUM & Abraham, & Rom. 4. vocatur *signaculum justitiæ*, ibidem c. 6. Baptismus dicitur significare sepulturam & Resurrectionem Christi. SS. PP. Ambros. l. 4. de Sacr. c. 5. & D. Augustinus ep. 118. Sacramenta novæ legis vocat signa præstantissima. Concil. Trid. sess. 7. can. 6. de fut. Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant. Probatur secundò ratione desumpta ex D. August. l. 2. de doctr. Christ. c. 1. signum est res, quæ ita movet sensum exteriorem, ut simul cognoscentem trahat in cognitionem alterius rei, sed Sacramentum præter speciem sui, quam sensibus ingerit v. g. Baptismus præter ablutionem corporis, simul significat aliud quid occultum v. g. interiorem emundationem animæ, Eucharistia refectionem, & sic de cæteris Sacramentis: ergo Sacramentum rectè ponitur in genere signi.

Secundæ partis ratio est: quia omne signum vel est naturale vel ad placitum ex institutione: 7.
sed Sacramentum non potest esse signum naturale rei Sacræ; siquidem nulla res sensibilis habet proportionem & connexionem cum occulta sanctitate, quæ à Sacramento significatur (ut seq. art. dicemus) ergo est signum ad placitum ex institutione, sed non ex institutione alicujus creaturæ: quia illius tantùm est instituere signa sanctitatis & gratiæ promissæ vel conferendæ, qui potest sanctitatem & gratiam conferre; sed solus DEUS potest gratiæ sanctitatem promittere & conferre; ergo & solus ille potest veræ sanctitatis & gratiæ signa instituere. Ergo Sacramentum est signum rei Sacræ divinitùs institutum.

Objicies: si Sacramentum esset formaliter signum ad placitum, tunc esset formaliter ens rationis; sed hoc est absurdum: quia ens rationis non est formaliter nisi quando concipitur; atqui Sacramenta ex divina institutione habent formaliter esse Sacramenti independenter ab operatione nostri intellectûs: ergo formaliter non sunt ens rationis.

Sequela

Sequela probatur, quia formalis relatio signi ad placitum est vera relatio rationis signi ad rem significatam.

Respondent primò Gonet, & Jo. à S. Th. Labat, aliique Thomistæ ex suppositione, quòd ratio signi constitutiva sit relatio rationis. Ly *Sacramentum*, quod significat compositum quoddam artificiale principaliter supponere pro materiali, nempe reali entitate & subjecto substrato denominationi & relationi rationis: ideóque licèt Sacramentum sicut omne signum ad placitum de formali sit ens rationis; absolutè tamen non esse concedendum, quòd Sacramentum sit ens rationis, & qui suscipit Sacramentum, suscipiat ens rationis, eò quòd Ly *Sacramentum* principaliter supponat pro reali subjecto v. g. actione divinæ institutioni subjecta & apta ad recipiendam relationem rationis signi ad placitum.

Responderi potest secundò. Si Sacramentum formaliter esset signum ad placitum solùm in actu secundo, tunc formaliter esset ens rationis, transeat. Si in actu primo, nego sequelam majoris. Nam relatio signi (supposità sententiâ docente, quòd signum formaliter constituatur per relationem rationis) tunc concipitur, cùm signum actu significat, non quando est aptum significare: aptitudo enim illa est independens ab omni figmento rationis; atqui formalis ratio signi, quam Sacramentum importat, est, quod significet in actu primo, hoc est, ex divina institutione habeat vim significandi supernaturalem sanctitatem, tametsi illa habitudo signi ad rem significatam actu non apprehendatur.

9. Respondeo tertiò negando sequelam & probationem majoris. Nam (ut suppono ex mea Philosophia) ratio signi tam in actu secundo quàm primo non constituitur per relationem rationis, sed significatio in actu primo consistit formaliter in voluntate institutorum non retractatà & moraliter continuatà in acceptatione vel notitiâ hominum: significatio in actu secundo est ipsa actualis excitatio specierum illius rei, ad quam repræsentandam signum est institutum: nam v. g. hoc ipso, quòd sciam, hederam suspensam ex impositione & communi acceptatione populi esse deputatam ad repræsentandum vinum vendibile; idcircò conspectâ hederâ etiam excitatur species repræsentativa vini vendibilis; quod totum est quid reale absque interventu alicujus fictionis: quemadmodum & aliæ denominationes extrinsecæ, ut esse visum, cognitum formaliter sunt reales, & solummodo præbent intellectui nostro fundamentum concipiendi aliquem ordinem & relationem rationis. Sic pariter in Sacramento v. g. Eucharistiæ, post verba consecrationis prolata species panis immediatè significat præsentiam realem Christi, ideóque S. Hostia continuò adoratur: quia hoc ipso, quòd Catholicus credat, hæc verba esse divinitùs instituta, ut super substantiam panis prolata repræsentent realem præsentiam Christi, & pro illa supponant; ideò excitatis speciebus illa verba consecrationis & species Sacramentales repræsentantibus continuò etiam in memoria suscitantur species repræsentativæ realis præsentiæ Christi.

Colliges ex dictis contra Cardin. de Lugo. sect. 10.
3. esse implicantiam, ut detur aliquod signum sensibile naturaliter gratiam significans: quia omnis naturalis significatio est vel causæ ad effectum, vel effectus ad causam, vel imaginis ad suum prototypon; sed gratia sanctificans, quæ est prima qualitas in ordine supernaturali, & participatio divinæ naturæ, non potest causari naturaliter ab aliqua re sensibili, nec ipsa potest rem corpoream aut sensibilem naturaliter causare, nec potest habere aliquam sui imaginem naturalem, cùm ipsa sit quædam similitudo divinæ naturæ, toto ordine ab omni re sensibili diversa. Unde cùm SS. PP. aliquando exigant similitudinem inter actionem Sacramentalem & effectum significatum, v. g. inter ablutionem corporalem & spiritualem, non de propriè dicta similitudine conformitatis, sed impropriè dicta alicujus analogiæ & proportionis sunt accipiendi.

ARTICULUS II.

Quale signum sit Sacramentum?

SUMMARIA.

1. *Ratio dubitandi.*
2. *Sacramentum est essentialiter signum practicum.*
3. *Ratio dubitandi diluitur.*
4. *Sacramentum est signum sensibile.*
5. *Et juxta præsentem DEI legem connaturaliter.*
6. *Posset tamen per absolutam potentiam institui insensibile.*
7. *Non ideo foret signum Angelicum.*
8. *Est juxta præsentem DEI legem signum stabile.*
9. *Potuisset tamen institui pro unico actu.*
10. *Quomodo magis, vel minus durare, pertinere possit ad rei essentiam?*
11. *Sacramentum non necessariò physicè causat sanctitatem in suscipiente.*
12. *Ex opere operantis tam antiquæ, quàm novæ legis Sacramenta possunt causare gratiam, prout sunt actus religiosi.*
13. *Aliqua causalitas sanctitatis pertinet ad rationem Sacramenti.*
14. *Locus D. Thom. oppositus explicatur.*

Quatuor in præsenti quæruntur I. Sitne Sacramentum necessariò signum practicum? II. Sensibile? III. Stabile & permanens? IV. Causativum sanctitatis? Unde sit

§. I.

An Sacramentum essentialiter sit signum practicum?

Ratio dubitandi est: si Sacramentum essentialiter esset signum practicum, tunc quodlibet Sacramentum esset causa operativa sanctitatis: sed non est; ergo. Minor probatur. Illa sanctitas causata vel esset sanctitas perfecta vel imperfecta & legalis, vel ab utraque præscindens: non primum, quia Sacramenta antiquæ legis non conti-

tinebant vel causabant gratiam, sed tantùm per Christum dandam significabant, ut dicitur in Decreto Conc. Florent. non secundum & tertium, quia sanctitas significata in definitione Sacramenti per Ly *rei sacræ* est sanctitas finalis & completa secundùm S. D. hîc a. 2. ad 3. & dicetur art. seq. Nihilominus sit

2. CONCLUSIO. *Sacramentum est essentialiter signum practicum.* Ita constat ex D. Th. cit. a. 2. ad 1. & 2. ubi discrimen assignans, cur aliquæ cæremoniæ & figuræ Veteris testamenti, nec non creaturæ sensibiles non sint Sacramenta, cùm tamen significent vel significaverint res sacras, utpote passionem Christi vel Divinas perfectiones, dicit, quòd ista sensibilia significent aliquid sacrum, *in quantum est in se ipso sacrum, non etiam in quantum nos per illud sanctificamur*, ideoque non possint dici Sacramenta. Subsumo: sed significare rem sacram in quantum per illam sanctificamur, est practicè significare: ergo de ratione Sacramenti est practicè significare. Minor probatur. Illud dicitur practicum, quod pro fine habet praxin, hoc est, opus aliquod, sed sanctificatio seu introductio sanctitatis quà talis est quoddam opus: ergo quod hanc sanctificationem significat, practicè significat.

3. Ad rationem dubitandi, si Ly causa & operativum propriè accipiatur, nego seq. & dico cum Jo. à S. Th. disp. 22. dub. 5. Hanc esse diversitatem inter signum speculativum & practicum, quòd speculativum sit institutum præcisè ad repræsentationem rei, ita ut finis ipsius sit mera manifestatio rei, ut in se est; practicum verò sit institutum ad repræsentationem rei tanquam acquirendæ. Sic Sacræ imagines significant rem sacram speculativè tantùm, quia pro fine habent solam repræsentationem non usum illius: Sacramenta verò etiam antiquæ legis significant practicè, quia sunt instituta ad significandam ipsam sanctificationem, seu ut inquit S. D. ad *significandam rem sacram, in quantum nos per illam sanctificamur.*

§. II.

An Sacramentum necessariò sit signum sensibile?

4. Duplex potest esse sensus quæstionis. Primò. An secundùm præsentem DEI ordinationem & legem ordinariam Sacramenta necessariò sint signa sensibilia. Secundò. An absolutè sit de essentia Sacramenti ut sic esse signum sensibile? & circa primum potest esse ratio dubitandi, quòd nec corpus Christi in Eucharistia, nec contritio in Sacramento Pœnitentiæ sint aliquid sensibile, & tamen participent rationem Sacramenti: ergo non est de ratione Sacramenti etiam de facto, quòd sit sensibile. Circa secundum affirmat Jo. à S. Th. l. c. a. 4. negat Gonet, Reding, aliique Thomistæ.

CONCLUSIO. *Etsi de facto omnia Sacramenta sint signa sensibilia (2) idque suppositâ præsenti ordinatione divina sit ipsis connaturale (3) tamen non est ita essentiale, quin DEUS in re vel actu purè spirituali possit ac potuerit instituere aliquod Sacramentum.*

Prima pars est de fide, nam constat ex S. Scriptura, omnia veteris legis Sacramenta in aliquo signo & ritu sensibili fuisse tradita. Quod de novæ legis Sacramentis affirmat Concil. Florent. & Trid. & de Consecr. dist. 2. c. Sacrificium, traditur illa Sacramenti definitio, quam refert & amplectitur Mag. in 4. D. 1. quòd sit *invisibilis gratiæ visibilis forma*. Constat quoque ex D. Augustino tom 19. contra Faust. c. 11. ubi dicit: *In nullum religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibili consortio.* Tum etiam tr. 80. in Jo. cit. à S.D. hîc a. 4. *Accedit*, inquit, *verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ad quæ subsumit D. Th. Elementum autem est quid sensibile: ergo res sensibiles ad Sacramentum requiruntur. Ad rationem dubitandi Resp. corpus Christi in Eucharistia & contritionem in Sacramento Pœnitentiæ induere rationem Sacramenti, quatenus illud per species panis, ista per confessionem externam fit sensibilis.

Secunda pars probatur. Illud est connaturale Sacramento, tanquam signo ad placitum & ex institutione, quod est proportionatum fini & intentioni instituentis, sed quòd constet rebus sensibilibus, est proportionatum fini instituentis: ergo. Minor probatur. Finis instituentis DEI est, Primò; ut Sacramenta sint signa humana, adeoque usui humano accommodata. Secundò. Ut per illa homines in unum cœtum & nomen Religionis adunentur: sed primus finis connaturaliter exigit rem sensibilem; siquidem connaturalis modus intelligendi hominis est, per sensibilia ad intelligibilia pervenire. Unde D. Chrysost. ho. 83. in Matth. si esses incorporeus, ipse dona incorporea tibi tradidisset, sed quia corpori juncta est anima tua, ideò in rebus sensibilibus tibi intelligenda traditur. Alter finis pariter exigit signa sensibilia, quia sicut ipsum corpus Ecclesiæ est visibile, sic fideles non per alios ritus sanctificativos, quàm visibiles vel sensibiles in tali corpore uniuntur, atqui inter se in publico modo DEUM colendi communicant, adeoque ex suppositione quòd DEUS Sacramenta instituerit tanquam signa humana, & fidelium in unam Religionis communionem & sacram Rempublicam congregantia, connaturaliter exigunt esse sensibilia. 5.

Tertia pars probatur. Non est assignabilis ulla ratio implicantiæ, cur DEUS, à cujus libera voluntate pendet signorum Sacramentalium institutio, non posset aliquod spirituale signum sanctificationis, nempe aliquem actum internum v. g. meditationem passionis pro aliqua anima electa determinare, eique per revelationem indicare, quòd ad ejus usum gratia vel ejus augmentum ex opere operato consequeretur; sed tale signum esset verum Sacramentum; quia licèt de ratione signi quatenùs fidelium in unum Religionis cœtum congregantis, & ad modum intelligendi homini connaturalem, proportionanti sit, quòd præter speciem, quam sensibus ingerit, aliud faciat in cognitionem venire, (quo sensu signum à D. Augustino definitur) tamen ad rationem signi instrumentalis ut sic sufficit, quòd præter se aliquid aliud manifestet, sive ut præsuppositâ sui cognitione ducat in cognitionem alterius. 6.

Dices: Tale signum potius esset Angelicum, quàm humanum; atqui Sacramenta sunt signa huma- 7.

humana, adeoque debent modo humano per sensibilia ad intelligibilia deducendo significare. Resp. primò. Quamvis quoad modum significandi tale signum potiùs esset Angelicum, quàm humanum; tamen quoad usum etiam posse esse humanum, non in ordine ad totum cœtum, sed ad peculiarem hominis personam, quo modo etiam privata revelatio sufficit ad fidem. Resp. secundò. Hoc ipso non esse de essentia Sacramenti ut sic, quòd sit signum sensibile, si dari potest in Angelo signum spirituale practicè significativum gratiæ.

§. III.

Sitne de ratione Sacramenti, ut sit signum stabile & permanens?

8. HUjus quæstionis resolutio affinis est præcedenti. Unde breviter sit

CONCLUSIO. *Etsi juxta præsentem DEI institutionem & ordinationem sit de ratione Sacramenti esse permanens, & stabili lege introductum* (2.) *absolutè tamen potuissent dari Sacramenta non permanentia, sed pro una tantùm vice practicè significantia.* Ita Sylvius, Lugo, Reding, aliique.

Primæ partis ratio est, quia ex D. August. l. cit. liquet, Sacramenta secundùm præsentem DEI ordinationem esse instituta ad fideles in unum Religionis nomen colligendos, sive ut per usum istorum rituum Sacramentalium fideles inter se communicarent, unámque communem Religionem profiterentur: ergo sicut ipsa Religio est publica, stabilis & permanens; ita pariter isti ritus & signa debent esse publica, & permanentia, defectu cujus permanentiæ, verba Christi Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua; insufflatio in Discipulos Jo. 20. cum ijs verbis: Accipite Spiritum S. &c. non fuerunt Sacramenta.

9. Secundæ partis ratio est, quia cùm Sacramenta sint signa ad libitum, quæ dependent ex arbitrio instituentis, potuisset DEUS pro unica vice instituere tale signum practicum gratiæ, quod non esset ordinatum ad fidelium inter se communionem; sed ad unius vel plurium sanctificationem pro una tantùm vice obtinendam: ut si in hunc finem ordinâsset apparitionem linguarum ignearum, quo casu tale signum fuisset verissimum Sacramentum.

Confirmatur. Quamvis Sacrificium non minùs sit actus & ritus publicus Religionis, ejúsque discretivus ab infidelibus, quàm Sacramentum, adhuc tamen DEUS potuit instituere Sacrificium, imò de facto tale instituit, quod non nisi pro una vice offerretur, neque transiret in exemplum, quemadmodum cùm Abrahæ præcepit immolationem filij, imò etiam cùm Christus semetipsum obtulit in Sacrificium cruentum in ara crucis: ergo pariter poterat instituere Sacramentum, quod non stabili lege transiret in communitatem, sed non nisi pro una alterâve vice, aut determinatis personis suam haberet significationem & effectum.

10. Dices I. Magis vel minùs durare non pertinet ad essentiam rei, éstque extra essentialem conceptum illius; ergo quòd Sacramentum sit signum stabile & permanens, est extra essentialem conceptum ipsius.

Respondeo cum Isamberto, magis, vel minùs durare non pertinet ad essentiam rei modo physico spectatæ, concedo, modo morali & in ordine ad usus humanos spectatæ, nego. Hoc ipso enim, quòd Sacramentum sit institutum ad communem usum hominum & publicam Religionis duraturæ perfectionem, debebat stabili & publica lege institui, adeóque esse signum stabile & perseverans.

Dices II. Essentiæ rerum sunt immutabiles, ergo si de facto est de essentia Sacramenti, ut sit signum stabile, semper erit, adeóque non poterit unquam dari Sacramentum transiens.

Respondeo disting. conseq. Si de facto est de essentia Sacramenti, ut sit signum stabile, semper erit de essentia Sacramenti instituti ad usum communem in una Religione, concedo: de essentia Sacramenti præcisè instituti ad sanctificandum, nego istam & alteram consequentiam. Essentia quippe signi Sacramentalis fundatur in institutione libera DEI: pro cujus diversitate potest habere diversa prædicata moraliter essentialia.

§. IV.

An Sacramentum necessariò sit causativum Sanctitatis.

CErtum est primò. Non esse necessarium, ut Sacramenta causent aliquam Sanctitatem in suscipiente causalitate physicè, strictè & propriè sumptâ; sic enim Sacramenta antiquæ legis deficerent à ratione Sacramenti, cùm certum sit illa non fuisse instrumenta physica alicujus Sanctitatis, præsertim internæ & perfectæ. 11.

Certum est secundò. Quòd non minùs antiquæ, quàm novæ legis Sacramenta considerata in ratione operis meritorij & religiosi ex gratia procedentis potuerint causare, vel causârint gratiam ex opere operantis; siquidem ut sic considerata habebant omnes conditiones ad rationem operis meritorij requisitas. Dubium est, an sit de communi ratione Sacramenti conferre suscipienti aliquam Sanctitatem non ex opere operantis, hoc est, intuitu operis quatenùs meritorij; sed ex opere operato, hoc est, intuitu operis præscindentis ab eo, quòd sit meritorium, necne, & ex vi suæ institutionis, non quatenus ex charitate procedit. Dixi aliquam Sanctitatem, nam utrum sit de ratione Sacramenti in communi causare perfectam Sanctitatem gratiæ, infra commodiùs resolvemus. Sit 12.

CONCLUSIO. *Si per ly causare sanctitatem nil aliud intelligatur, quàm suscipientem consecrare ad cultum Divinum, tunc est de ratione Sacramenti causare aliquam Sanctitatem sive formaliter, sive efficienter.* 13.

Probatur primò Authoritate D. Th. 1. 2. q. 102. a. 5. *Sacramenta propriè sunt ad quandam consecrationem, per quam scilicet* deputabantur quodammodo ad cultum DEI. Et q. 101. a. 4. dicit, *quòd ex parte colentium duo possunt considerari, scilicet eorum institutio ad cultum divinum, quod fit per quandam consecrationem vel populi, vel Ministrorum, & ad hæc pertinent Sacramenta.*

Probatur secundò ratione. In hoc Sacramentum per se distinguitur à Sacrificio, quòd istud

istud sit protestatio divini cultûs immediatè per destinationem rei sensibilis in signum supremi dominij, illud verò sit protestatio divini cultus mediante sanctificatione fidelium; ergo oportet, ut immediatè significetur aliqua Sanctificatio fidelium Sacramenta suscipientium; eáque vel perfecta (ut de Sacramentis novæ legis ex Conc. Florent. & Trid. infra dicemus) vel saltem imperfecta & legalis, qualem Sacramentis antiquæ legis disertè astruit S. D. hîc q. 62. a. 2. ad 1. dicens: illa Sanctificatio (veteris legis Sacramentorum) erat figuralis, per hoc enim sanctificari debebantur, quòd applicabantur cultui divino secundùm ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam passionem Christi.

Dixi, sive *formaliter*, *sive efficienter*. Nam cùm Sanctitas legalis sit mera extrinseca denominatio, non exigit terminare causam sui productivam & ideò Sacramenta antiquæ legis, prout hanc Sanctitatem conferebant, videntur pertinere ad genus causæ formalis extrinsecè Sacramentis, ut affirmat Martinez à Prado citatus à Gonet: Nec bene nominatus Gonet pro se allegat S. D. in 4. d. 1. q. 1. a 1. q. 1. dicentem, Sacramentum, secundùm proportionem vocabuli importare Sanctitatem activè, quasi exinde probetur, quòd Sacramentis debeat convenire aliqua causalitas saltem moraliter effectiva Sanctitatis, nam contra est, quòd D. Th. illo loco ly *activè* non accipiat in sensu Philosophico, sed grammaticali, vult nimirum dicere, Sacramentum quoad ethymologiam dici à sacrando, quòd non proveniat à verbo passivo sacrari, sed ab activo sacrare, uti patet ex adjuncto exemplo; sicut, inquit, ornamentum dicitur, quo aliquid ornatur. Constat autem ornamento aliquid non effectivè, sed formaliter ornari; & sic vi istius Authoritatis sufficiet, si per Sacramentum aliquid formaliter, non effectivè sacretur, quantumvis Sacramentum denominetur ab activa voce sacrare.

14. Objicit Jo. à S. Th. aurh. D. Th. cit. q. 62. a. 1. ubi explicat D. Bern. dicentem, quòd sicut investitur Canonicus per librum &c. sic divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis, ita, inquit, iste modus non transcendit rationem signi; & sic liber est quoddam signum, quo designatur traditio Canonicatûs; & secundùm hoc Sacramenta novæ legis non essent plùs quàm signa gratiæ; ergo, non obstante, quòd Sacramenta sint deputationes ad aliquam religionem, non sequitur, quòd sint causa, sed solummodò signa consecrationis. Secundò. Quod est extra habitudinem signi ad suum signatum, est extra essentiam Sacramenti, sed causare Sanctitatem est extra habitudinem signi; ergo. Major probatur: tota essentia signi consistit in habitudine ad suum signatum, cùm signatum sit adæquatum specificativum signi, sed Sacramentum est essentialiter signum: ergo tota essentia ipsius consistit in habitudine ad suum signatum, adeóque quod est extra hanc habitudinem, est extra essentiam signi.

Respondeo ad primum, esse causam alicujus Sanctitatis legalis pertinere ad rationem signi non ut præcisè significantis, sed etiam significando consignantis ad cultum divinum, & legalem Sanctitatem quasi imprimentis; impossibile enim est, quin aliquid sit institutum ad practicè significandam aliquam dignitatem, vel Sanctitatem per sui usum obtinendam, quia hoc ipso per sui usum etiam saltem in genere causæ moralis formalis eandem aliquo modo conferat: quod etiam verum est de signis, quibus inaugurantur DD. investiuntur Episcopi, Canonici, &c. D. Th. verò loquitur de causalitate propriè effectiva, quæ superadditur ad rationem signi, éstque propria Sacramentis novæ legis.

Ad secundum Resp. quod est extra habitudinem signi præcisè ut sic, est extra essentiam Sacramenti, nego, extra habitudinem signi ut sacrativi & consignativi subjecti ad Sanctitatem significatam, concedo Majorem, & pariter dist. min. nego consequentiam.

ARTICULUS III.

Cuius rei sacræ signum & quid sit Sacramentum?

SUMMARIA.

1. *Varietas sententiarum proponitur.*
2. *Est de ratione Sacramenti significare Sanctitatem perfectam.*
3. *Sanctitas figurativa antiquæ legis ordinabatur ad perfectam Sanctitatem.*
4. *Sacramenta antiquæ legis potuerunt esse signa practica gratiæ, quamvis eandem ex opere operato non causaverint.*
5. *Est de ratione Sacramenti significare gratiam in suo usu conferendam.*
6. *Authoritas Florentini, & D. Thomæ exponitur.*
7. *Quid intelligendum sit per causalitatem Sacramenti?*
8. *Quid sit apud Thomistas causare gratiam ex opere operato activè, vel passivè?*
9. *Non est de ratione Sacramenti passivè causare gratiam sanctificantem ex opere operato.*
10. *Authoritas S. Script. Concil. Florent. D. August. & D. Th.*
11. *Rationes nostræ assertionis.*
12. *Authoritas S. D. exponitur.*
13. *Sacramenta antiquæ legis non continebant moraliter virtutem passionis Christi.*
14. *Non salvatur ratio signi practici per significationem gratiæ in nova lege conferendæ.*
15. *Definitio Sacramenti.*
16. *Sacramentum prout de facto institutum præter gratiam sanctificantem significat passionem Christi & gloriam æternam.*
17. *Principalius tamen gratiam, quàm passionem & gloriam.*
18. *Sacramenta novæ legis sunt signa demonstrativa, commemorativa, & prognostica.*
19. *Enumerantur varia signa sacra, exclusa à ratione Sacramenti.*

§. I.

§. I.

An sit de ratione Sacramenti significare perfectam Sanctitatem gratiæ?

1. Circa hoc est quorundam Hæreticorum error, quòd Sacramenta sint signa divinæ benevolentiæ & prædestinationis, cujus tamen falsitas exinde liquet, quòd etiam peccatores & reprobi veluti Judas in ultima cæna Sacramenta quandoque recipiant. E Catholicis, DD. docent inprimis Canus, Bellarminus aliique, citati à Gonet hîc a. 2. de ratione Sacramenti ut sic esse, ut significent Sanctitatem in genere præscindentem à perfecta seu interna, & ab imperfecta seu externa & legali Sanctitate, unde ajunt, Sacramenta antiquæ legis non significare perfectam, sed solummodò imperfectam Sanctitatem, quam causabant.

Secundò. Suarez, Sotus, Sylvius, Dicastillo, & plerique RR. docent esse de ratione Sacramenti significare Sanctitatem perfectam, sive gratiam, non tamen ut in actuali usu de præsenti suscipienti conferendam, sed sufficere, quòd significet gratiam aliquo tempore conferendam, & ut in suo usu conferat aliquam saltem legalem Sanctitatem, quod fieri asserunt in Sacramentis antiquæ legis. Tertiò Card. de Lugo dicit esse de ratione Sacramenti, ut non tantùm significet, sed etiam causet gratiam vel de præsenti in suo actuali usu, vel saltem de futuro in lege Evangelica conferendam, & ita dicitur Sacramenta Mosaica antiquæ legis etiam fuisse causas morales gratiæ per Christum Fidelibus conferendæ, quia erant quædam promissiones Christi venturi, & gratiæ per ipsum dandæ; promissiones autem vel signa promissiva habent quandam causalitatem moralem respectu rei promissæ. Quartò. Illustrissimus Reding in sua Theologia a. 1. contr. 1. n. 7. dicit, adæquatam rationem Sacramenti consistere in hoc, quòd habeat virtutem exercitè significativam, & radicaliter causativam gratiæ, vel immediatè, ut in Sacramentis novæ legis, vel mediatè mediante scilicet impressione figuralis & repromissæ Sanctitatis, (ut in Sacramentis Mosaicis) ad quam concomitanter DEUS se solo producebat gratiam in ipso usu & susceptione talium Sacramentorum. Quintò fermè eodem sensu Magister in 4. dist. 1. Scotus ib. q. 2. n. 9. cum Hicquæo, ib. & Mastrius d. 1. q. 1. a. 1. Gonet disp. 1. a. 2. §. 1. dicunt Sacramenta essentialiter significare gratiam seu perfectam Sanctitatem ut in actuali usu, & ratione Sacramenti conferendam: & ita licèt Sacramenta antiquæ legis non habuerint vim physicè productivam gratiæ, sicut Sacramenta novæ legis, tamen DEUM moraliter excitaverint ad gratiam dandam illa Sacramenta ritè suscipientibus. Sextò. Jo. à S. Th. convenit quidem cum priori sententia in hoc, quòd Sacramentum essentialiter significet Sanctitatem perfectam etiam in suo exercitio conferendam, in hoc tamen discrepat, quòd dicat significâsse illam gratiam dandam non ratione vel virtute Sacramentorum, sed virtute dispositionis, v. g. contritionis, & fidei formatæ, excepta Circumcisione & remedio peccati originalis in parvulis.

Ut inter diversas opiniones nostram feramus sententiam, sit

CONCLUSIO. *Est de ratione Sacramenti significare Sanctitatem perfectam Divinæ gratiæ.* 2.
Est D. Th. hîc. a. 2. ad 3. dicentis: res denominatur à fine & complemento: *dispositio autem non est finis: neque perfectio. Et ideò quæ significant dispositionem ad Sanctitatem, non dicuntur Sacramenta, sed solùm ea, quæ significant perfectionem Sanctitatis humanæ, hoc est, gratiam sanctificantem.*

Probari solet primò authoritate Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. amplectentis definitionem Sacramenti traditam c. *Sacrificium. de consf. dist. 2.* quòd sit *invisibilis gratiæ forma visibilis*, quamvis, ut verum fatear, locus iste non multùm probet, cùm Concilium ibi videatur loqui de solis Sacramentis novæ legis. Efficaciùs probatur ex Conc. Florent. quod in Decreto Unionis de Sacramentis veteris legis, de quibus tantùm dubitari potest, expressè affirmat, quòd *gratiam per Christum dandam significaverint.* Probatur etiam authoritate D. August. l. 19. contra Faustum c. 16. dicentis, Sacramentum esse *donum temporale, & significare donum æternum*, quod non est nisi Sanctitas perfecta.

Probatur secundò ratione. Illius Sanctitatis signum est Sacramentum, quæ est ipsius distinctiva ab omni eo, quod non est Sacramentum: sed Sanctitas legalis, figuralis, & dispositiva est communis alijs, quæ non sunt Sacramenta: ergo non sufficit ad rationem Sacramenti, ut significet aliquam imperfectam, & legalem Sanctitatem; sed oportet, ut insuper significet Sanctitatem perfectam gratiæ. Minor quoad primam partem patet, nam in primis pleræque antiquæ legis cæremoniæ conferebant aliquam Sanctitatem legalem, nec tamen erant Sacramenta: aspersio quoque aquæ benedictæ, prima tonsura, benedictio Abbatum &c. conferunt aliquam imperfectam & dispositivam Sanctitatem, nec tamen sunt Sacramenta.

Confirmatur à posteriori. Si ad significationem Sacramenti sufficeret Sanctitas legalis, tunc sicuti Ecclesia potest instituere cæremonias significantes ejusmodi Sanctitatem, ita posset instituere Sacramenta: sed hoc non potest, cùm secundùm communem DD. soli DEO & Christo competat authoritas instituendi Sacramenta, sicut ipse solus est Author gratiæ.

Objicies primò. Sacramenta antiquæ legis tantùm significabant legalem Sanctitatem: ergo non est de ratione Sacramenti in genere significare perfectam Sanctitatem. Consequentia patet, quia, quod convenit generi, convenit cuilibet speciei contentæ sub illo: ergo si à contrario Sanctitas perfecta non convenit alicui Sacramento in specie, species etiam non convenit Sacramento in genere. Antec. probatur: Illius Sanctitatis significatio sufficit, quæ est propria illi statui, pro quo dantur Sacramenta; sed Sanctitas legalis & figuralis est propria antiquæ legi, ergo sufficiebat, ut Sacramenta illius legis significarent Sanctitatem legalem. Resp. nego antecedens, cujus oppositum manifestè habetur in Decreto Concil. Florent. Ad probationem distinguo majorem. 3.

Nisi

Nisi illa Sanctitas propria statui sit dispositiva & ulteriùs ordinetur ad aliam Sanctitatem perfectiorem & finalem, etiam in illo statu acquirendam, quantumvis sit alteri statui propria, conc. secus nego. Sed Sanctitas legalis est propria antiquæ legi, ita tamen, ut subordinetur perfectiori Sanctitati gratiæ sanctificantis etiam in illo statu legis antiquæ, quamvis non ex vi ipsius acquirendæ, conc. secus nego minorem & consequentiam.

4. Objicies secundò. Illam Sanctitatem significant Sacramenta, cujus sunt signa practica; sed Sacramenta antiquæ legis non erant signa practica gratiæ; ergo illam non significabant. Minor probatur: illa sunt signa practica gratiæ, quæ illam aliquo modo saltem moraliter, & ex opere operato causant: sed antiquæ legis Sacramenta nullo modo causabant gratiam, ita definiente Florentino posteà referendo. ergo.

Respondent primò Suar. aliique RR. qui negant, quòd Sacramenta antiquæ legis significaverint gratiam in suo usu conferendam neg. vel distinguendo majorem. Illam Sanctitatem significant significatione vel adæquatâ, vel inadæquatâ, conc. adæquatâ neg. ergo antiquæ legis Sacramenta non significabant gratiam significatione adæquatâ, conc. inadæquatâ, negant: Dicunt igitur, Sacramenta antiquæ legis adæquatè significâsse, tam perfectam quàm imperfectam Sanctitatem, ita tamen, ut illa significatio respectu Sanctitatis imperfectæ fuerit practica, & respectu Sanctitatis perfectæ speculativa.

Respondent secundò Gonet, Labat, aliique neg. utramque minorem, & ad authoritatem Florentini dicunt, illâ negari Sacramentis antiquæ legis vim effectivam gratiæ, non quamlibet vim, moraliter excitativam ad gratiam Sacramentum ritè suscipientibus conferendam. Sed de veritate hujus responsionis vide §. seq.

Respondent tertiò cùm Jo. à S. Th. neg. min. & Maj. prob. ut enim infra advertimus: ad rationem signi practici sufficit, quòd significet gratiam vel ut à se, vel ut ab alio causandam; sicuti in plurimorum sententia ad rationem habitus practici sufficit, quòd pro fine habeat opus, sive à se efficiendum, sive tantummodò dirigendum; & ita licèt Sacramenta antiquæ legis respectu gratiæ non essent signa effectiva, sed tantummodò directiva, nihilominus erant signa practica, quæ magis patebunt ex sequentibus.

§. II.

An sit de ratione Sacramenti significare gratiam tanquam in suo usu conferendam?

5. CONCLUSIO *est affirmativa*, & deducitur ex S.D. hîc a. 2. in c. dicente: *Sacramentum est signum rei sacræ*, nempe Sanctitatis perfectæ, *in quantum est sanctificans homines*; sed non in quantum est sanctificans in tempore futuro: ergo in quantum est sanctificans homines de præsenti, & illos, qui actu suscipiunt Sacramentum. Subsumptum probo ex eod. Doctore in 4. d. 1. q. 1. a. 2. q. 1. ad 3. dicit: *ad 3. dicendum, quòd quamvis serpens aneus esset signum rei sacrantis, non tamen in quantum sacrans est actu, quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur, sed solùm effectus exterioris curationis.* Ex quibus sic argumentor: Sacramentum est signum Sanctitatis, non qualiscunque, sed actu sacrantis; sed sanctitas non est actu sacrans, nisi cùm suscipientem in usu & exercitio formaliter sanctificat: ergo Sacramentum est signum perfectæ sanctitatis & gratiæ in ipso suo usu conferendæ.

Probatur ratione. Si sufficeret ad rationem Sacramenti, significare gratiam de futuro conferendam in lege Evangelica per passionem Christi, tunc & sacrificia antiquæ legis, & matrimonium in statu tum legis scriptæ, tum naturæ, & pleræque ceremoniæ Mosaicæ fuissent Sacramenta: nam sacrificia antiqua figurabant & significabant Christi passionem & mortem ceu causam gratiæ & reconciliationis, adeoque etiam significabant gratiam per Christi merita dandam. Matrimonium verò tam in statu naturæ, quàm legis scriptæ significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia, adeoque & gratiam per Christum dandam. Omnia quoque, quæ fiebant in lege veteri, significabant gratiam per Christum conferendam, secundùm illud 1. Cor. 2. *Omnia ipsis in figura contingebant.* & Coloss. 2. quòd lex fuerit *umbra futurorum.* Præsertim cùm ejusmodi cæremoniæ potuerint utentibus conferre aliquam legalem sanctitatem, &, ut inquit Apostolus, *emundationem carnis.*

Confirmatur. Si Sacramentum non significaret gratiam in suo usu conferendam, non esset signum practicum gratiæ. consequens non potest dici. ergo. Sequela probatur: Pro eo statu signum sacrum non est practicum, pro quo sanctitas significativa non practicatur, seu introducitur in subjectum; sed si Sacramenta antiquæ legis tantum significent gratiam in nova lege conferendam, tunc sanctitas ab ijs principaliter significativa pro illo statu non introducitur in subjectum; ergo pro illo statu non sunt signa practica. Sed neque sunt practica pro statu novæ legis: quia pro illo statu jam amiserunt vim significandi, suntque evacuata. Minor constat ex præced. §. ubi ostensum est, principale & speculativum significatum Sacramenti esse sanctitatem non imperfectam, sed perfectam; ergo Sacramentum debet esse signum sacrativum & practicum etiam in ordine ad gratiam sanctificantem.

Objicies I. Concil. Florent. quod in Decreto Un. ita loquitur de Sacramentis antiquæ legis. *Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant*: sed gratia per Christum erat danda in nova lege: ergo Sacramenta antiquæ legis tantùm significabant gratiam dandam de futuro in nova lege. II. D. Th. q. 62. art. 2. in c. dicit, *quòd sanctificatio veteris legis Sacramentorum erat figuralis: per hoc enim sanctificari debebantur, quòd applicabantur cultui divino secundùm ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam passionem Christi.* Ex quo infertur, quòd Sacramenta antiquæ legis in tantùm fuerint practica signa sanctitatis, in quantum significabant sanctificationem figuralem, non autem veram internam: ergo non erat necessarium, ut in ipsorum usu & exercitio de præsenti tribueretur sanctitas interna. 6.

Respon-

Respondeo ad I. In Decreto illo Florentini à Sacramentis antiquæ legis tantùm removeri causalitatem gratiæ, non verò præsentialitatem, nam etiam gratia, quæ in usu Sacramentorum conferebatur, erat danda per Christum, sive ex meritis Christi prævisis, & existentibus in decreto executivo DEI. Ad II. Resp. sensum esse, quòd omnis sanctificatio causata per Sacramenta veteris legis erat tantùm figuralis, non autem significativa. Unde negatur illatum: erant quippe signa practica tum figuralis sanctitatis, quam non solùm *immediatè* significabant, sed etiam causabant, tum veræ internæ sanctitatis, quam licèt non causarent, tamen ut causandam & ex meritis Christi venturi à DEO de præsenti producendam significabant.

§. III.

An sit de ratione Sacramenti gratiam significatam causare ex opere operato?

7. PRænotandum primò. Ad evitandas vocum contentiones & quæstiones de nomine, si per causalitatem nil aliud velis, quàm quòd in Sacramento conferatur gratia sanctificans per ipsum Sacramentum significata absque hoc, quòd necesse sit intuitu Sacramenti conferri aliquam gratiam vel augmentum gratiæ præter vel supra mensuram dispositionis & contritionis, quæ est in suscipiente, tunc re ipsâ te nobiscum sentire, quamvis vox causalitatis nimium abusivè & tantùm metaphysicè usurpetur. Quæstionem igitur ponimus in sensu hoc, an sit in omni Sacramento necessarium, ut ad positionem Sacramenti conferatur gratia suscipienti, non tantùm respondens dispositioni vel merito suscipientis, sed etiam ipsi operi, adeóque ex opere operato, quemadmodum in lege naturæ dabatur pro parvulis remedium contra originale peccatum, & in lege Mosaica circumcisio, in qua præter omne meritum vel dispositionem parvuli infundebatur gratia remissiva peccati originalis, sicuti nunc in Baptismo. Unde

8. Prænotandum secundò. Esse sententiam multorum Thomistarum, quòd omne Sacramentum conferre debeat gratiam ex opere operato vel activè, vel passivè. Distinguunt igitur modum causandi gratiam ex opere operato in activum & passivum: & activum vocant, cùm Sacramentum præbet concursum instrumentalem activum, uti dicetur de Sacramentis novæ legis; passivum appellant, cùm DEUS se solo producit gratiam in subjecto ritè disposito ad passivam solius operis positionem, uti fiebat in circumcisione. His positis sit

9. CONCLUSIO. *Non est de ratione Sacramenti causare aliquo modo perfectam sanctitatem ex opere operato etiam passivè.* Hæc videtur mihi certa esse mens D. Th. è textibus statim referendis.

Ratio est, si hoc est de ratione omnis Sacramenti, tunc etiam de Sacramentis antiquæ legis; sed hoc non: ergo. Minor, in qua est tota difficultas,

10. Probatur primò authoritate Apostoli antiquæ legis Sacramenta passim appellantis *umbras & figuras* novæ legis, & præsertim Gal. 4. Hebr. 9. 1. Cor. 7. *infirma, egena & vacua elementa, munditias carnis; quæ non valent mundare conscientias, umbras futurorum.* At non essent puræ umbræ futurorum, si gratiam de præsenti conferrent, valerent quoque mundare conscientias saltem virtute quâdam morali, si quo modo moraliter gratiam sanativam & animæ emundativam causarent. Rursus Heb. 10. dicitur: *Impossiblie est sanguine hircorum & taurorum auferre peccata*: sed sacrificia hircorum pro peccato juxta doctrinam Thomistarum erant pariter Sacramenta pro peccato; ergo Sacramenta legis non poterant auferre peccata, nec proinde conferre gratiam remissivam peccati: ideo glossa ad illa verba Heb. 9. *Habuit prius testamentum justificationes culturæ*, dicit: *non veras & spirituales, sed pro modo culturæ carnales*, subsumit S. D. in 4. d. 1. q. 1. a. 5. sed Sacramenta novæ legis purgant ab immunditijs spiritualibus; ergo illa purgabant ab immunditijs carnis, hoc est, legalibus & extrinsecis.

Probatur secundò authoritate Concil. Florentini, quod postquam in Decreto unionis dixit, novæ legis Sacramenta multùm differre à Sacramentis antiquæ legis, hanc reddit causalem: illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant, ubi expressè per particulam exclusivam *solùm* excluditur omnis causalitas à Sacramento. Neque dicas: excludi causalitatem physicè & propriè effectivam. Contra enim est primò, quòd Concilium per particulam malignantem *non* removet omnem causalitatem, adeoque etiam moralem. Contra est secundò. Assignatum discrimen Florentini debet universaliter verificari, tam in istorum Theologorum doctrina, qui Sacramentis novæ legis astruunt moralem, quàm eorum, qui physicam propugnant causalitatem: atqui in sententia admittente tantùm moralem causalitatem, non esset sufficiens differentia; nam sicuti ad exhibitionem signorum sacramentalium novæ legis operarentur merita Christi præterita ad productionem gratiæ supra dispositionem recipientis; ita etiam ad exhibitionem signorum sacramentalium antiquæ legis operarentur merita Christi futura ad similis gratiæ productionem.

Probatur tertiò authoritate D. Augustini, & D. Th. Nam D. Augustinus ep. 19. loquens de antiquis Sacramentis: *eis*, inquit, *homines non justificantur, umbræ enim sunt, prenuntiantes gratiam, quâ justificantur.* D. Th. verò hîc a. 1. ad 1. *Non oportet*, inquit, quòd *Sacramentum semper importet causalitatem.* Et infra q. 62. a. 2. in c. *patet, quòd Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, quâ operarentur ad gratiam justificantem, sed solùm significabant fidem, per quam justificabantur.* Et ad 1. *Antiqui PP. habebant fidem de passione Christi futura, quæ secundùm quod erat in apprehensione animæ, poterat justificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest justificare etiam secundùm realem usum sacramentalium rerum.* Ad 2. dicit, sanctificationem antiquorum Sacramentorum fuisse *figuralem, nec proinde internam.* q. 72. a. 5. ad 3. dicit de circumcisione, præcipuo veteris legis Sacramento, quòd *justitia, quæ in illo dabatur, erat ex fide significatâ, non ex circumcisione significante.* Non minùs clara sunt, quæ habet in lib. sen-

sentent. Nam in 4. d. 1. q. 1. a. 5. hanc ipsam quæstionem negativè resolvit, ubi post rejectam Hugonis Victorini sententiam, (quam sequitur Reding) de indirecta & mediata causalitate gratiæ, sic inquit: *Ideò alij dicunt & meliùs, quod nullo modo Sacramenta ipsa veteris legis*, id est, *opus operatum in eis gratiam conferebat exceptâ circumcisione, de qua post dicetur.* Ita clarissimè S. D. subjungit in solut. ad 1. *sanctificatio quandoque importat emundationem & confirmationem spiritualem, quod fit per gratiam, & sic Sacramenta veteris legis non dicebantur Sacramenta, nisi quasi signa sanctificantium.* Et ibid. ad 5. q. 1. ad 3. *dicendum, quod Sacramenta veteris legis dicebantur medicina, quantùm ad significationem, & non quantùm ad collationem gratiæ.* Rursùs d. 4. q. 1. a. 4. q. 1. ad 2. *Dicendum, quòd Sacramenta veteris legis ex opere operato nihil conferebant &c.*

11. Probatur quartò ratione, quâ communiter Thomistæ utuntur in Tr. de Incar. In ijs, quæ à Divina voluntate pendent, oportet loqui conformiter S. Script. & Concilijs, ex quibus divina nobis voluntas innotescit: sed Script. Concil. PP. solam veteribus Sacramentis, quorum ratio à Divinæ voluntatis institutione dependet, significationem tribuunt, causalitatis verò nullam faciunt mentionem; quin potiùs manifestè denegant, ergo illa non est veteribus Sacramentis tribuenda.

Probatur quintò ratione S. D. l. c. a. 5. si Sacramenta antiquæ legis ex opere operato etiam passivè contulissent gratiam significantem, nulla vel exigua esset præeminentia legis gratiæ, præ lege antiqua; consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur: tunc est exigua præeminentia, quando per Sacramenta antiqua æquè facilè vel faciliùs potuisset obtineri gratia, quàm per Sacramenta novæ legis; atqui potuisset æquè facilè vel faciliùs: nam multa fuerunt Sacramenta legis antiquæ, expiationes quoque pro peccato actuali, quas inter antiqua Sacramenta computant Thomistæ, non habebant conjunctam particularem accusationem peccatorum & satisfactionis impositionem, quæ adeò difficile quibusdam reddit Sacramentum pœnitentiæ, adeóque tam facilè, imò faciliùs fuisset in lege antiqua peccatorum remissionem & gratiam obtinere, quàm in nova. Neque dicas: In hoc consistere præstantiam Sacramentorum novæ legis, quòd ista directè, activè, & physicè, antiquæ autem legis Sacramenta tantùm indirectè, vel passivè & moraliter eandem contulerint, quódque illa conferant longè uberiorem gratiam. Contra enim est, quòd Sacramenta novæ legis non tantùm quoad se, sed etiam quoad nos, & non tantùm in aliqua accidentali perfectione, sed quoad ipsam substantiam sanctificationis, seu sanctitatis practicè significativæ debent præeminere Sacramentis antiquæ legis; & status gratiæ, propter absolutam receptionem gratiæ, non tantùm propter majorem, vel minorem intensionem, nullus debeat esse melioris conditionis, quàm status naturæ & legis antiquæ; sed si Sacramenta antiquæ legis recipientibus ex opere operato gratiam contulissent, non esset major prærogativa statûs gratiæ, quoad ipsam gratiæ receptionem, quàm legis antiquæ; si enim ad positionem & exhibitionem alicujus operis gratia infallibiliter ex opere operato conferretur, quid interest suscipientis, an illa vel immediatè à DEO, vel mediante creaturâ, eâque vel physicè vel moraliter, directè vel indirectè cooperante, activè vel passivè se habente producatur? cùm idem sit effectus, eadémque receptio gratiæ. Nec refert, quòd nostra Sacramenta conferant gratiam ampliorem: hoc enim pertinet ad accidentalem tantùm perfectionem & distinctionem, qualis etiam inter novæ legis Sacramenta ad se invicem comparata reperitur.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò authoritatē S. D. in 4. d. 1. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2. ante legem scriptam præter Sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, admittentis Sacramentum aliquod pœnitentiæ ordinatum ad deletionē peccati actualis. Item hîc q. 84. a. 7. ad 2. docentis; in lege scripta præter circumcisionē & esum Agni paschalis institutum fuisse aliud Sacramentum ad delenda peccata actualia, ergo Sacramentis etiam extra legem gratiæ convenit esse remissiva peccati, ac proinde conferre gratiam remissivam peccati. 12.

Respondeo, nego utramque consequentiam; non enim ijs convenit esse remissiva peccati, sed significare remissionem, ut enim S. D. sæpè cit. *illa Sacramenta dicebantur medicina, quoad significationem, non quoad collationem gratiæ.* Dices: Parvuli per circumcisionem justificabantur ex opere operato, ergo aliquod Sacramentum antiquæ legis poterat ex opere operato justificare. Sed eadem est ratio de alijs; ergo: Resp. Parvulos per circumcisionem, tanquam fidei protestativam in remedium peccati originalis fuisse justificatos, quia nec per alienum, nec per proprium actum disponi poterant ad justificationem, unde DEUS, qui omnes homines vult salvos fieri, debuit ipsis de tali remedio providere. Hoc verò non contigit in circumcisione adultorum, cùm D. Apostolus expressè justificationem Abrahami fidei tribuat, non circumcisioni. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam.* Rom. 4. Idem de alijs Sacramentis antiquæ legis dicendum.

Objicit secundò Gonet, tunc Sacramenta antiquæ legis moraliter causabant gratiam, quando moraliter objectivè excitabant DEUM, ad gratiam producendam, sed moraliter excitabant; ergo. Major patet à paritate nostrorum Sacramentorum. Minor probatur. Hoc ipso, quòd aliquid sit signum passionis Christi, cujus intuitu DEUS gratiam confert, excitat moraliter ad gratiam intuitu passionis conferendam: sed etiam Sacramenta antiquæ legis erant signa passionis Christi non quidem præteritæ, sed tamen futuræ, & existentis in præsentia DEI: ergo. 13.

Respondeo, nego minorem: & maj. prob. vel nego vel distinguo. Signum passionis Christi moraliter & objectivè excitat ad conferendam gratiam, si in se moraliter contineat ac exprimat pretium seu virtutem passionis, concedo. Si in se moraliter tantùm contineat virtutē fidei ac contritionis, sic nego. Atqui legis antiquæ Sacramenta tametsi figurarent passionem, & significarent gratiam per merita Christi patientis in suo usu confe-

rendam, non tamen exhibebant DEO illam passionem, ut in se aliquo modo contentam aut continuatam, sed ut terminantem interiorem fidem & actum religiosum, cujus protestationes erant antiquæ legis Sacramenta, prout infra ostendemus.

14. Inferes ex dictis contra Lugonem: Sacramenta legis veteris non ideo habuisse practicam significationem gratiæ, quia erant signa promissiva gratiæ in nova lege conferendæ, sicque moraliter & objectivè moventia ad illam conferendam. Contrà enim est primò, quòd, ut §. antecedenti dictum, Sacramenta sint signa practica non respectu cujuscunque, sed recipientis & utentis illo, cùm aliàs omnes cæremoniæ antiquæ legis dicerentur Sacramenta; omnes quippe erant figuræ & signa promissiva Christi, non quomodocunque, sed ut Redemptoris & Authoris gratiæ, adeoque etiam significabant gratiam per ipsum dandam: ergo si sit de ratione signi practici, causare sanctitatem, quam significant, erit necesse, ut Sacramenta veteris legis in subjecto recipiente aliquo modo causent gratiam, adeòque non tantùm causent in novo testamento conferendam, consequens autem secundùm dicta in præsenti §. est falsum, ergo & antecedens. Secundò, ut efficaciter impugnat Dicastillo, quamtumvis Sacramenta antiquæ legis à D. Aug. in p. 73. appellentur promittentia Salvatorem & 19. contra Faustum Sacramenta nuntiativa, non tamen sequitur, quòd sint causæ morales futuri Salvatoris (quippe cùm Incarnatio & passio Christi in genere causæ moralis præcedat totam seriem antiqui testamenti, ut dictum de Incarnatione) ergo neque sequitur, quòd sint causæ morales gratiæ per Christum dandæ; cùm pro eodem signo, pro quo decernebatur futuritio meritorum Christi, etiam decerneretur gratia danda intuitu illorum meritorum, ut suppono ex l. cit. Secundò tametsi sacrificia antiquæ legis ab eodem D. August. ibidem appellentur promissiva, non ideo sunt moralis causa sacrificij in Cruce peracti (neque enim hoc dicere ulli Theologorum venit in mentem) ergo nec Sacramenta sunt causa moralis gratiæ in novo testamento dandæ. Cujus ratio est: quòd tunc solùm signa promissiva inducant causalitatem moralem, quando futuritio rei promissæ non antecedit, sed sequitur promissionem, estque futura, quia prænuntiatur & promittitur, uti fit in contractibus, non verò prænuntiatur, & promittitur, quia est futura, ut fit in Sacramentis Mosaicis; præsertim cùm Sacramenta tantùm metonymicè dicantur promissiones, quia erant signa promissionis factæ Antiquorum PP. non verò quòd formaliter & propriè forent tales. Tertiò sequitur ex hac sententia Lugonis, quòd Sacramenta antiquæ legis non fuissent signa practica & causæ gratiæ, cùm existerent in antiqua, sed nunc in nova lege, cùm jam non existunt, suntque evacuata. Consequens est absurdum, ut primâ fronte patet, ipsique Authori contrarium: ergo & antecedens. Sequela probatur: causa tunc actu causat, cùm ponitur effectus: sed effectus gratiæ sanctificationis primùm ponitur in novo testamento secundùm hanc sententiam, non autem in antiquo; ergo Sacramenta antiquæ legis nunc in novo testamento ex opere operato causant gratiam, atqui jam non existunt; in antiqua verò lege existebant; ergo nunc dum non existunt, nec habent ullam ampliùs practicam significationem, unà cum Sacramentis novæ legis concurrunt ad gratiam causandam ex opere operato, quam tamen, cùm existerent, & deberent esse signa practica gratiæ, minimè causabant.

§. V.

Definitio Sacramenti.

Colliges ex dictis primò. Legitimam esse definitionem Sacramenti à D. Th. hîc a. 2. traditam, quòd sit *signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.* Quæ ad conditiones Sacramenti expressiùs significandas sic potest exponi: Sacramentum est *cæremonia sacra sensibilis veram animæ sanctitatem in suo usu conferendam ex DEI institutione significans.* Vel adhuc expressiùs est *signum divinitùs institutum, practicum sensibile, ac permanens perfectæ sanctitatis in suo usu conferendæ.* Bonitas hujus definitionis patet ex hactenus disputatis, quia traditur per proximum genus & differentiam adæquatè distinctivam ab omni alio, & complectitur omnes conditiones ad Sacramenti essentiam prout secundùm præsentem DEI legem est institutum, requisitas. Prima est, quòd sit signum ex institutione divina; prout a. 1. declaravimus. Secundà, quòd sit practicum, quippe non tantùm ad sanctitatem, sed etiam ad sanctificationem utentium significandam institutum, ut d. §. 1. a. præced. Tertiò, quòd sit signum sensibile, quia ad usum humanum & modum intelligendi homini connaturalem divinitùs ordinatum. Quartò, permanens sicut ipsa Religio, sub cujus unitatem & nomen per usum Sacramentorum colligimur, est permanens, ut dictum §. 3. Quintò, quòd sit signum sacrum; idque non tantùm ex parte DEI instituentis, & rei significatæ, sed etiam ex parte recipientis, quippe quem suo usu aliquo modo ad cultũ divinũ consecrat, & per gratiã sanctificandũ significat. Et hæ conditiones pertinent ad genus Sacramenti. Sextò perfectæ sanctitatis, quia quamvis non sit possibile, ut Sacramenta, cùm sint signa sacra & religiosa, suo usu non conferant aliquam sanctitatem saltem imperfectam & extrinsecam, ut dictum §. 1. ulteriùs tamen requiritur significatio sanctitatis perfectæ, quippe quæ est finis & complementum significationis Sacramentalis, ejúsque distinctivum ab alijs signis. Septimò, ut significet hanc sanctitatem in suo usu de præsenti, non tantùm in nova lege & de futuro conferendam, quia etiam respectu hujus sanctitatis est signum practicum, ut diximus §. 5. ad quod tamen non esse necessarium, ut per ipsum Sacramentum causetur, & ex opere operato, sed sufficere, si per aliud nempe DEUM ipsum causetur in usu Sacramenti & intuitu dispositionis vel meriti operantis, diximus §. 4. & infra plura dicemus.

Quæres; An Sacramenta prout de facto instituta præter gratiam sanctificantem ab intrinseco etiam significent passionem Christi, & gloriam æternam? 16.

Respondeo affirmativè cum S. D. hîc a. 3. Cujus ratio est: quia secundùm præsentem DEI institutionem Sacramenta significant gratiam ut conferen-

ferendam; non autem confertur nisi per merita Christi patientis, & in ordine ad gloriam: ergo significant gratiam cum ordine ad passionē Christi, & gloriam æternam. Confirmatur: Sacramenta juxta præsentem institutionem sunt significativa gratiæ ut medicinalis & sanativæ naturæ lapsæ, sed ut sic dicunt ordinem tum ad passionem Christi, à qua est omne remedium contra peccati vulnus, tum ad vitam æternam, cùm sanatio naturæ lapsæ consistat in ejus reparatione & acquisitione mediorum ad consequendam vitam æternam.

17. Principaliùs tamen Sacramenta significant gratiam, quàm passionem & gloriam; cùm ad istam significandam sint proximiùs & immediatiùs instituta. Neque dicas: Id principaliùs significatur, quod est principalior causa nostræ sanctificationis: sed passio Christi & gloria sunt principaliores causæ nostræ sanctificationis; illa quippe est efficiens, ista finalis, cùm gratia tantùm sit causa formalis; ergo principaliùs debet significari passio Christi & gloria, quàm gratia.

Nam vel nego Majorem, vel distinguo minorem: sunt principaliores causæ comparatione inter ipsas causas institutá, concedo, comparatione ad subjectum & ad effectum sanctificationis, nego. tunc enim gratia, quia immediatiùs concurrit, principaliùs causare censetur sanctificationem, reliquæ minùs principaliter, quia non nisi mediante gratiâ.

Instabis. Saltem in Sacramento Eucharistiæ gratia non significatur principaliter. Primò, quia non essentialiter consistit in usu, sicut alia Sacramenta; gratia autem tantùm in usu confertur. Secundò Quia forma Eucharistiæ significat transsubstantiationem, in qua expressiùs & principaliùs significatur corpus Christi. Respondeo nego assumptum, & 1. prob. distinguo: non consistit in usu, ita tamen ut dicat essentialem ordinem ad usum, concedo, secùs nego, non enim quomodocunque significatur Corpus Christi in Eucharistia; sed tanquam ordinatum ad gratiam nutritivam & refectivam animæ per modum spiritualis alimenti producendam. Secundæ quoque probationis membrum primum distinguo; expressiùs significatur Corpus Christi, ut tamen dicens essentialem ordinem ad gratiam refectivam, concedo. secùs nego. Illud autem est principaliùs significativum, quod significatur per modum finis, similiter ad 2. in transsubstantiatione absolutè acceptâ principaliùs significatur Corpus Christi concedo, in transsubstantiatione significativâ per modum alimenti spiritualis potentis animam reficere, sic nego.

§. VI.

Alia duo Corollaria deducuntur.

18. Colliges secundò. Sacramenta novæ legis esse signa demonstrativa, commemorativa, & prognostica; ut habet S. D. c. a. 3. Demonstrativa sunt, quia de præsenti ostendunt gratiam, quam suo usu conferunt. Commemorativa, quia excitant memoriam passionis Christi præteritæ, & prognostica, quia sunt quasi pignora futuræ gloriæ; velut in Sacramento Eucharistiæ expressit D. Angel. ijs verbis. *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis pignus datur.* Sed etiamne Sacramenta antiquæ legis fuerint ostensiva, an tantùm prognostica? fuisse solùm prognostica dicendum est ijs, qui affirmant, gratiam ab ijs fuisse significatam, non ut de præsenti in suo usu, sed ut à Christo in nova lege conferendam. Verùm in nostra sententia dicendum, quòd licèt fuerint prognostica tum respectu passionis, tum gloriæ, tum etiam gratiæ in novâ lege per Christum conferendæ; fuerint nihilominus etiam aliquo modo minùs tamen propriè signa demonstrativa gratiæ de præsenti non quidem semper ex opere operato, sed ex opere operantis à solo Deo conferendæ, ut constat ex art. præced. § 3.

Colliges tertiò. Cur plurima signa sacra excluduntur à nomine Sacramenti. Nam primò sacrificium quà tale non est Sacramentum, quia ut sic non ordinatur ad sanctificationem utentium, sed ad supremi dominij divini protestationem. Dixi, ut sic, quia sicut sacrificium novæ legis, simul est Sacramentum, quatenus habet adjunctam rationem convivij spiritualis, & significat gratiam animæ nutritivam: ita etiam aliqua sacrificia antiquæ legis, quatenus habebant adjunctam significationem alicuius gratiæ vel remissivæ peccati, vel confortativæ poterant habere rationē Sacramenti; velut de sacrificio Melchisedech, & sacrificio ant quæ legis, quod pro peccato offerebatur, probabiliter sentit S. D. & hîc a. 1. ad 2. explicat his verbis: *veteris legis Sacramenta & rationem sacrificii & rationem Sacramenti habebant, sicut & modò Eucharistia, diversimodè tamen: nam ut instituta ad significandam gratiam, quæ in eorum usu conferebatur ex meritis passionis Christi futura, erant Sacramenta: ut instituta verò ad Dei cultum, ut scilicet Deus per illa coleretur, erant sacrificia.* Secundò removentur à ratione sacramenti Crux Christi, & imagines sacræ, quæ speculativo modo non practico significant sanctitatem in abstracto: non quatenus nos per illa in eorum usu sanctificamur. Tertiò excluditur S. Script. tum quia licèt significet gratiam nobis conferendam, non tamen in usu sui, sed in usu Sacramenti; tum quia primarium ipsius significatum est conceptus loquentis Dei, nostram sanctificationem non nisi indirectè & remotè significat, quatenus illa est objectum Dei loquentis. Quartò. Verba Christi ad Magdalenam *remittuntur tibi peccata*, Luc. 7. deficiunt à ratione Sacramenti, partim defectu institutionis & significationis practicæ, partim defectu permanentiæ: quia licèt juxta humanam institutionem & naturalem vim significandi remissionem peccati significarent, non tamen erant in hunc finem divinitus instituta, ut significarent gratiam in eorum usu & exercitio conferendam. Quintò. Martyrium non est Sacramentum, quia licèt illud subeunti infallibiliter conferatur gratia, non tamen ad hujus effectûs significationem per modum ritûs & cæremoniæ publicæ est divinitùs institutum. Sextò. Ecclesiasticæ cæremoniæ, quæ solent appellari sacramentalia, ut aspersio aquæ benedictæ, benedictio Abbatum, collatio primæ tonsuræ, absolutio ab excommunicatione & c. non sunt Sacramenta, quia tametsi aliquam sanctitatem dispositivam, vel externam practicè significent & conferant suscipienti, non tamen practicè significant sanctitatem internam & perfectam. 19.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An Sacramenta novæ & veteris legis univocè conveniant in ratione Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Statuitur univocatio inter Sacramenta novæ & antiquæ legis.*
2. *Perfectiorem significationem gratiæ Sacramenta novæ legis non habent ex ratione generica sed specifica.*
3. *An, & quomodo sacrare conveniat univocè Sacramentis?*
4. *Sacramentum in ratione compositi sacramentalis non est ens per accidens.*
5. *Respondetur ad notab. textum. S. D.*
6. *S. Eucharistia quomodo habeat rationem cæremoniæ?*
7. *Significatum genericum Sacramenti non est sanctitas abstracta, sed perfecta gratia.*
8. *Sacramenta Vet. & Nov. legis conveniunt in significanda gratia Mediatoris.*

§. I.

Resolutio affirmativa.

1. CONCLUSIO. *Antiquæ & novæ legis Sacramenta univocè conveniunt in ratione & definitione Sacramenti.* Ita Io. à S. Th. disp. 22. a. 2. dub. 2. Suarez, Coninc, alijque contra Scotum, Magistrum, Labat, Gonet, Reding, aliósque. Ratio est: quia nulla pars definitionis traditæ est assignabilis, quæ non ex æquo reperiatur in Sacramentis antiquæ & novæ legis. Nam si de aliqua foret dubium, esset maximè de ly *practicum*, in quo Adversarij contendunt significari habitudinem causæ, quæ non potest univocè abstrahi à Sacramentis novæ legis propriè, & antiquæ legis tantùm metaphoricè causantibus gratiam: atqui ad rationem genericam sacramenti nullam requiri causalitatem gratiæ, neque hanc habitudinem in ly *practicum* importari art. præcedenti ostendimus, eámque propterea à definitione Sacramenti in genere removemus.

Confirmatur primò. Religio nova & vetus in ratione Religionis: item sacrificia novæ & antiquæ legis, quantumvis in ratione specifica quasi in infinitum distent, tamen univocè conveniunt in ratione Religionis, & sacrificij, ut colligitur ex D. Aug. 19. contra Faustum, ergo etiam Sacramenta utriusque legis univocè conveniunt, quæ talium religionum sunt symbola & externæ protestationes.

Confirmatur secundò. Si Sacramenta antiquæ legis analogicè convenirent cum nostris, id fieret vel per analogiam attributionis, vel proportionalitatis; non primum, quia non minùs intrinsecè ipsi convenit significare gratiam conferendam tali signo utentibus, quàm hoc intrinsecè reperiatur in nostris Sacramentis: non secundum, quia ex analogis proportionalitatis una species rationem intrinsecam generis participat cum dependentia ab altera; ut accidens rationem entis dependenter à substantia, sed Sacramenta antiquæ legis significationem gratiæ non habent dependenter à Sacramentis novæ legis, sed ab institutione divina, Ergo.

Dices primò. Perfectius est significare gratiam ut virtute ipsius Sacramenti conferendam ex opere operato, quàm virtute dispositionis & ex opere operantis? Resp. Est perfectiùs perfectione differentiali & superaddita ad rationem generis, concedo; generica, vel inclusa in conceptu generico Sacramenti; nego. 2.

Dices secundò. Sacrare vel sanctificare non convenit univocè Sacramentis antiquæ & novæ legis, dum illa tantùm figuralem, ista verò internam conferunt sanctitatem, à quibus univocum genus sanctitatis vel modus illam causandi non potest abstrahi: atqui est de ratione Sacramenti, ut sacret & sanctificet suscipientem: ergo ratio Sacramenti adæquatè sumpta non potest utriusque legis Sacramentis univocè convenire. 3.

Respondeo primò. dist. mai. sacrare, per modum cæremoniæ extrinsecus initiando ad cultum divinum seu deputando ad sanctitatem internam non convenit univocè, nego: sacrare causando sanctitatem abstractam à legali & interna, non est univocum, concedo. Sed de ratione generica Sacramenti est sacrare priori modo, concedo, posteriori nego minorem & consequentiam. Sacrant igitur per externum ritum initiando ad cultum divinum, sicque cæremonialiter deputando ad gratiam internam, quam significant, tam novæ quàm antiquæ legis Sacramenta; porrò quòd ista in hac deputatione sistant, illa verò ulteriùs etiam vim causativam conferant, pertinet ad antiquæ & novæ legis Sacramentorum differentiam, de qua infra.

Responderi potest secundò, permissa Maj. Dist. min. Est de ratione Sacramenti, ut Sacramentum est, sive prout est ratio distinctiva sacramenti ab omni alio, nego; ut est cæremonia sacra, concedo: ergo ratio Sacramenti communis cum alijs cæremonijs non potest esse univoca, transeat: distinctiva, nego conseq. & consequentiam. Sicut enim ad substantiæ univocationem non requiritur, ut ens inclusum in substantia univocè prædicetur de speciebus contentis sub illa, ita pariter non est necesse, ut ly *cæremonia sacra*, quod est commune Sacramento cum alijs cæremoniis, & includitur in definitione sacramenti per modum generis, sit univoce commune cum omnibus Sacramentis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjic. primò. Ens per accidens non potest univocè definiri; sed Sacramentum est ens per accidens, ergo non potest univocè definiri. min. constat, quia conflatur ex pluribus entibus in actu; ex rebus & verbis &c. 4.

Respondeo. Sacramentum est ens per accidens in genere physico seu in ratione compositi physici, concedo, in genere moris & ratione compositi sacramentalis, nego. ergo non potest univocè definiri tanquam compositum physicum, concedo, morale & sacramentale, nego.

5. Objic. secundò authorit. notabilem S. D. in 4. d. 4. q. 1. a. 1. q. 3. ad 5. dicentis: *Sacramentum non dividitur per Sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes; ut sanum inhabens sanitatem, & signans eam. Sacramentum autem simpliciter est, quod causat sanitatem: quod autem signat tantùm, non est Sacramentum, nisi secundùm quid.* ubi videtur S. D. habere propositiones nostræ doctrinæ è diametro contrarias. Primò, quòd de ratione Sacramenti priùs sit esse causam, quàm signum sanctitatis. Secundò, quòd Sacramenta veteris & novæ legis analogicè conveniant sub nomine & definitione Sacramenti, & illa tantùm sint Sacramenta secundùm quid. Respond primò Io. à S. Th. Doct. Angelicum retractâsse suam opinionem in scripto sententiarum traditam, dum hîc a. 1. & q. seq. 61. loquitur de Sacramentis antiquæ legis tanquam de veris Sacramentis, eáque ponit in genere signi. Respond. secundò cùm eodem Authore: ipsum tanquam Commentatorem ibi locutum fuisse ex aliena sententia, nimirum Hugonis Victorini & Magistri, ex quorum supposita definitione, quòd Sacramentum sit invisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat, consequenter dicendum erat, Sacramenta importare habitudinem causæ, & in hac definitione analogicè convenire.

6. Objic. tertiò. Sacramentum Eucharistiæ cùm non consistat in usu & exercitio, non est quædam cæremonia: ergo non rectè ponitur in definitione Sacramenti, quòd sit cæremonia sacra sensibilis.

Respon. Etsi Sacramentum Eucharistiæ in facto esse non sit formaliter cæremonia, neque consistat in usu, esse tamen cæremoniam sacram in fieri, sive in consecratione, & essentialiter connotare sui usum & receptionem, in qua potens est conferre gratiam: unde adhuc tam inchoativè & ut in fieri, cùm consecratur, quàm consummativè, dum à fidelibus manducatur, & in actu secundo exercet rationem spiritualis convivij, est quædam sacra cæremonia; imò non est ulla sacratior in Religione cæremonia, quàm sacra Missæ liturgia, in qua tam consecratio, quàm sumptio Eucharistiæ peragitur.

7. Objic. quartò. Illa signa non conveniunt univocè, quorum significata non conveniunt univocè, sed sanctitas significata per Sacramenta novæ legis non convenit univocè cum sanctitate legali significata per Sacramenta legis antiquæ, ergò nec ipsa Sacramenta conveniunt univocè.

Respondent primò Dicastillo aliique neg. maj. quia tametsi actiones respiciant terminos sub nullo univoco genere comprehensos, non ideò desinunt esse sub univoco genere & prædicamento actionis: ergo similiter tametsi significatæ sanctitates non haberent genus univocum, tamen possent univocari in ratione signi & Sacramenti, quia illa univocatio magis attenditur ex modo significandi, quàm ex re significata. Contra tamen est, quòd illa definitio & definitum non dicatur univocè de inferioribus, cujus prædicatum constitutivum & differentiale non convenit univocè inferioribus; sed in definitione Sacramenti sanctitas significata est prædicatum constitutivum & differentiale Sacramenti ab alijs signis: ergo si illa non univocè reperitur in inferioribus, neque definitio Sacramenti univocè reperitur in Sacramentis novæ & antiquæ legis. Instantia de actione non est ad rem, quia prædicamentum actionis terminum sub una univoca ratione nimirum *ut ab hac* respicit, Sacramentum verò non connotat sanctitatem univocè abstrahibilem à sanctitate interna & externa.

Verùm respondeo secundò, permissâ majore nego minorem: nam primarium & differentiale significatum Sacramenti in genere non est sanctitas abstracta ab interna & externa; sed est sanctitas perfecta & interna gratiæ: ut sanctificativa de præsenti; cui sacramenta novæ legis per modum differentiæ superaddunt vim causativam gratiæ, quam non habent Sacramenta antiquæ legis.

Objic. quintò. Figura & figuratum non conveniunt univocè sub uno termino; sed Sacramenta antiquæ legis erant figuræ Sacramentorum novæ legis: omnia quippe illis in figuris contingebant 1. Cor. 10. ergo non possunt univocè convenire cum Sacramentis novæ legis. 8.

Respond. dist. Maj. non conveniunt univocè, nisi utrumque per se ordinetur ad figurandum & significandum aliquod tertium, concedo; secùs nego: (ita enim imago depicta ex imagine Cæsaris, univocè convenit cum illa imagine immediatè depicta ab ipso Cæsare: quia licet secundariò istam repræsentet, tamen utraque per se ordinatur ad repræsentandum ipsum Cæsarem) sed Sacramenta antiquæ legis erant figuræ nostrorum, ut tamen per se & primariò ordinarentur ad significandam gratiam Mediatoris, quam etiam per se primariò significant sacramenta novæ legis, concedo; secùs nego min. & consequentiam.

DISPUTATIO XVII.
DE
Essentia Physica, sive, de materia & forma Sacramentorum.

SI Sacramentum consideretur per modum alicujus concreti & compositi metaphysici vel artefacti, tunc ipsius forma totalis & ultimata est significatio rei sacræ, de qua quæstione præcedenti. Sicuti in composito & concreto substantiali, *homo*, forma totalis est humanitas, materia verò & substratum totale est compositum physicum ex materia & forma, corpore & animâ; in statua tanquam composito artefacto forma totalis est figura artificiosa, subjectum est totum compositũ physicum ex

materia

materia & forma ligni vel lapidis. Si verò consideretur per modum compositi physici, tunc in ipso subjecto hujus sacræ significationis, hoc est, in re sensibili assumpta divinitùs ad gratiam sanctificandam potest aliquid considerari per modum materiæ, & aliquid per modum formæ, sicut in homine datur compositio ex corpore & anima, in statua ex materia & forma ligni e. g. in Baptismo metaphysicè considerato forma totalis & metaphysica est significatio ablutionis internæ, quam non tantùm forma verborum, sed ipsa quoque ablutio ex divina institutione per modum signi adæquati significat. Ipsa nihilominus verba baptizantis & externa ablutio, quæ huic significationi substant, ad se invicem comparari possunt per modum materiæ & formæ; & sic dicuntur Sacramenta habere quasi physicam compositionem. Dico; *quasi physicam*; cùm enim certum sit, quòd inter partes Sacramenti non detur physica partium inter se conjunctio per modum informationis, vel inhæsionis, sed tantummodò moralis, in quantum secundùm divinam institutionem, & prudentem æstimationem una pars respectu alterius censetur exercere determinationem ad esse significativum: quemadmodum in composito physico forma determinat materiam, anima corpus ad esse totale humanitatis, idcircò per analogiam quandam hæc Sacramentalis compositio partium physica appellatur, quo prælimi-nariter supposito, sit

ARTICULUS I.

An & quomodo Sacramenta componantur ex materia & forma?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Omnia Sacramenta novæ legis constant rebus & verbis.*
3. *Ratio congruentiæ ex S. D.*
4. *Sufficiunt res & verba virtualia.*
5. *Quomodo contritio in Sacramento pœnitentiæ virtualiter sit res?*
6. *Consensus conjugis in matrimonium est virtualiter duplex.*

§. I.

Assertio affirmativa.

1\. CErtum est, non esse de ratione absoluta Sacramenti ut sic, quòd debeat constare rebus & verbis, cùm Sacramenta veteris legis de facto tantùm rebus constiterint absque additione verborum: ita enim Gen. 17. Circumcisio, Exod. 12. ritus Agni Paschalis, & ib. c. 29. ordinatio Sacerdotum in solis actionibus tradita reperiuntur. Cujus ratio est primò, quòd significatio internæ sanctitatis non tantùm per voces, sed alias quoque res & signa sensibilia obtineri possit. Secundò, cur antiquæ legis Sacramenta non constarent verbis, rationem congruam dat S. D. quia juxta D. August. voces habent principatum inter signa, ac pertinent ad perfectionem significandi; cùm ergo Sacramenta antiquæ legis fuerint umbræ nostrorum mysteriorum & signa longè imperfectiora nostris Sacramentis, conveniens erat, ut etiam modo imperfectiori solis rebus, & non verbis sanctitatem significarent. Igitur quæstione de novæ legis Sacramentis institutâ Durandi opinio fuit in Matrimonio non requiri verba, quia nutibus potest perfici; in Sacramento Pœnitentiæ non requiri rem, quia solâ pœnitentis confessione, & Sacerdotis absolutione possit perfici. Conta quem communis est Theologorum cum Magistro d. 1. & D. Th. hic a. 6. & nostra

CONCLUSIO. *Omnia Sacramenta novæ legis constant rebus ac verbis saltem virtualiter & æquivalenter.* 2.

Probatur ex Florentino in Decret. un. §. 5. dicente: *Hæc omnia Sacramenta 3. perficiuntur, rebus tanquã materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri, conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Secundò inductione singulorum: nam in Baptismo præter rem, quæ est baptizatio seu ablutio per aquam, accedunt verba invocatoria 3. Personarum SS. Trinitatis, præscripta Marc. ult. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* unde Aug. tr. 80. in Jo. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* In Confirmatione unctioni Chrismatis, & impositioni manuum, quæ est res, jungitur certa verborum formula, ut colligitur ex Act. 8. In Sacramento Eucharistiæ constat ex illis Matt. 26. *Accepit panem, fregit & dixit &c.* Sacramentum Pœnitentiæ pro re habet contritionem & confessionem, cui accedunt verba absolutoria, quæ eruuntur ex institutione hujus Sacramenti Jo. 20. De Sacramento Ordinis habet perpetua traditio & praxis Ecclesiæ indicata à D. Hieron. in c. 58. Isaiæ, ordinationem Clericorum fieri ad imprecationem vocis, & impositionem manûs. De extrema Unctione colligitur ex ult. Jac. *Ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* De Matrimonio habetur in c. *licèt de Sponsa duorum.* Oportere, ut uterque conjugum verbis, aut aliis signis consensum suum, alteri significet.

Ratio prius insinuata est, quòd Sacramenta novæ legis sint signa sanctitatis perfectissima: ergo 7.
debent ex iis constare, quibus perfectiori modo aliquid significatur; sed voces seu verba perfectiùs significant, quàm res sensibiles, ergo non tantùm è rebus sensibilibus, ut legis antiquæ Sacramenta, sed etiam verbis constare debent.

Con-

3. Congruentiæ rationem adjungit S. D. quòd Sacramenta novæ legis possunt considerari tripliciter: primò ex parte causæ sanctificantis, secundò ex parte hominis, qui sanctificatur, tertiò ex parte ipsius significationis Sacramentalis. Sed secundùm omnes has considerationes convenit Sacramentis novæ legis, quòd constent rebus & verbis. Nam primò causa sanctificans est Verbum Incarnatum, in quo carni sensibili Verbum DEI est unitum; & huic proportionatur Sacramentum, dum rei sensibili verbum adhibetur. Secundò, homo, qui sanctificatur, componitur ex corpore, & anima; & huic pariter proportionatur Sacramentalis medicina, quæ per rem sensibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Tertiò significatio perfectior est, quæ fit per verba, quia est determinatior, & magis idonea ad exprimendos internos conceptus: ideò *ad perfectionem significationis Sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur.* Inquit S. D. a. 5 in c.

4. Dixi: constare verbis & rebus saltem *virtualiter & æquivalenter* propter Sacramentum pœnitentiæ & matrimonij; in quibus aliquando verba virtualiter sunt res, cùm nempe confessio in Sacramento pœnitentiæ fit per verba vocalia, & cùm traditio corporum in matrimonio per formalia verba exprimitur: aliquando verò in Sacramento matrimonij acceptatio traditionis per solos nutus exprimitur, qui tunc æquivalenter sunt verba, quia verborum vices supplent; unde licèt in tali casu desint verba formalia, adsunt tamen virtualia, & æquivalenter talia.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

5. Objicies primò. Posito, quòd quis nullum aliud peccatum habeat quàm verbo commissum, v. g. mendacium, illúdque per verba formalia confiteatur, tunc totum pœnitentiæ Sacramentum verbis conficitur: nam absolutio per se requirit verba formalia; contritio & dolor cùm sint actus interni, non sunt res sensibiles, quibus Sacramentum constare debet; confessio verò & peccatum consistit in verbis formalibus.

Respond. neg. antec. & concessâ primâ parte probationis distinguo 2. & 3. Contritio & dolor non sunt res sensibiles spectatæ præcisè ratione sui, concedo; ratione signi & confessionis adjunctæ, nego. Item: confessio & peccatum consistit in verbis formalibus, quæ tamen sint virtualiter & æquivalenter res, con. secùs nego; habet enim confessio rationem rei sensibilis, quatenus est quædam inchoatio judicij Sacramentalis, per actum absolutionis determinanda & complenda.

Objicies secundò. Non est major ratio, cur in Sacramento matrimonij traditio dicatur habere virtualiter rationem rei sensibilis, quàm acceptatio, vel acceptatio potiùs sit æquivalenter verbum, quàm traditio, cùm eodem numero consensu maritus tradat suum corpus uxori, quo acceptat ejus traditionem. 6.

Respondeo negando assumptum: nam idem numero consensus mariti est virtualiter duplex propter diversitatem objecti, quod respicit; nam in ordine ad proprium corpus, sic est traditio; in ordine verò ad corpus uxoris est, acceptatio; & ut traditio sic præsupponitur sibi ipsi, quatenus est acceptatio; & sub ratione traditionis quantumvis verbis formalibus expressus, tamen est virtualiter res sensibilis; quatenus verò est acceptatio, sic virtualiter obtinet rationem verbi; quorum omnium ratio est: quòd illud in Sacramentis dicatur habere rationem rei sensibilis, quod est aliquatenùs indifferens & determinabile, res quippe (ut dicetur) tenent se ex parte materiæ; illud verò habet rationem verbi, quod est determinativum; atqui actus pœnitentis, cùm sint inchoatio judicij, in Sacramento pœnitentiæ sunt determinabiles per absolutionem Sacerdotis, traditio quoque in Sacramento matrimonij est determinabilis per acceptationem alterius conjugis, ergo actus pœnitentis & traditio corporum in matrimonio sunt saltem virtualiter res sensibilis; ipsa verò acceptatio tanquam completiva contractûs vel formaliter vel virtualiter habet rationem verbi.

ARTICULUS II.

An res & verba sint materia & forma intrinsecè constituentes Sacramentum?

SUMMARIA.

1. *Materia alia proxima, alia remota.*
2. *Materia remota non constituit intrinsecè Sacramentum.*
3. *Varia Authorum sententia.*
4. *Res in Sacramentis sunt materia; verba forma.*
5. *Sufficit virtualis distinctio materiæ & formæ in composito morali.*
6. *Sufficit quoque utriusque simultas moralis.*
7. *Consignificatio temporis in formis Sacramentorum significat moralem coëxistentiam cum materia.*
8. *Consecratio Eucharistica requirit physicam coëxistentiam materiæ & formæ.*
9. *In matrimonij Sacramento omnium minima coëxistentia requiritur.*
10. *In alijs major.*
11. *Omnia Sacramenta novæ legis rebus & verbis intrinsecè constituuntur.*
12. *Cur ex vi Florentini Minister non pertineat ad intrinsecam constitutionem Sacramenti?*
13. *Ratio assertionis ex utriusque partis elevatione ad significationem Sacramentalem.*
14. *Unde & forma consecrationis pertinet ad intrinsecam constitutionem Eucharistici Sacramenti.*
15. *In quo non formaliter, sed virtualiter permanet.*
16. *Solvuntur objectiones.*

§ I.

Verbis ratio formæ, materiæ ratio rebus asseritur.

Notandum primò. In omnibus Sacramentis novæ legis distinguendam esse duplicem materiam

teriam; unam remotam, alteram proximam. Remota est, res aliqua, in qua, vel circa quam exercetur actio Sacramentalis; proxima verò materia Sacramentorum, quæ in usu consistunt, est ipsa actio exercita in vel circa materiam remotam; v. g. in Baptismo, materia remota, est aqua, proxima verò ablutio. In Confirmatione remota est sacrum chrisma, proxima, est unctio, quâ fronti chrisma inungitur. In Sacramento Pœnitentiæ materia remota sunt peccata post Baptismum commissa; & actus pœnitentis nempe contritio & confessio, quæ circa illa versantur, sunt materia proxima. In Ordine Sacerdotij remota materia est calix cum vino & patena cum pane; proxima est eorundem traditio. In extrema Unctione remota est oleum consecratum, proxima unctio infirmi: in Matrimonio materia remota sunt corpora sponsi & sponsæ: ipse verò mutuus consensus, quatenus est traditio mutua juris in corpus proprium ad usum matrimonij, est materia proxima. In Eucharistia verò, quæ non est Sacramentum in usu transeunte consistens, sed permanens, materia remota quidem est panis & vinum; proxima autem non est consecratio hujus materiæ, sed species Sacramentales, hoc est, accidentia panis & vini, sub quibus post consecrationem continentur Corpus, & Sanguis Christi.

2. Notandum secundò. Certum esse, quòd materia remota non sit pars intrinsecè constitutiva Sacramenti, quia non est materia proximè receptiva formæ Sacramentalis, & per eandem determinabilis ad significationem Sacramentalem, sed est tantummodò objectum vel materia, in qua actio Sacramentaliter significativa exercetur, quâ de causa non est propriè materia, sed tantùm cum addito materia remota, vel circa quam aliàs panis & vinum Eucharistiam, peccata confitentis Pœnitentiæ Sacramentum intrinsecè constituerent, quod utique est absurdum.

3. Notandũ tertiò, Varias circa propositã quæstionẽ esse opiniones DD. Cabrera cit. à Gonett hîc a. 7. §. 1. tenet, omnia novæ legis Sacramenta intrinsecè tantùm constare rebus, ita ut verba tantùm concurrant in genere causæ efficientis, vel formalis extrinsecæ: Scotus in 4. d. 8. q. 6. quem sequuntur Ledesma, Amicus, Contenson dissert. 1. c. 1. Gonett in Manual. Thomistar. novissimè edito c. 2. Labat. d. 1. dub. 2. §. 1. admittunt intrinsecam constitutionem Sacramentorum novæ legis ex rebus & verbis, præterquam in Sacramento Eucharistiæ, quod tanquam permanens non constituitur intrinsecè ex materia & forma prout est in facto esse, sed tantùm prout est in fieri seu in actuali materiæ consecratione. Jo. à S. Th. hîc a. 6. dub. 2. Gonet l. cit. Reding. a. 2. controv. 3. concl. 3. cum Suarez, Lugone, aliisque affirmant universim de omnibus Sacramentis.

4. CONCLUSIO. I. *Res in Sacramentis novæ legis se habent per modum materiæ & verba per modum formæ.* Ita communis DD. & patet ex Decreto Con. Florent. docente; *omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materia &, verbis tanquam forma.* traditur à S. D. hîc a. 6. ad 2 his verbis: *ex rebus & verbis fit quodammodò unum in Sacramentis, sicut ex forma & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum.* Ex quibus ratio conclusionis est: Illud in composito habet rationem materiæ, quod est in potentia, seu determinabile; illud habet rationem formæ, quod est determinativum: atqui in Sacramentis novæ legis res & actiones sensibiles habent se tanquam aliquid determinabile, verba verò se habent per modum actûs determinativi & perfectivi ad significationem Sacramentalem: e. g. immersio, vel affusio aquæ in Baptismo est indifferens, ut significet refrigerationem, vel ablutionem, per verba verò *Ego te Baptizo &c.* determinatur ad significandam ablutionem &c. ergo in Sacramentis novæ legis res se habent tanquam materia, & verba tanquam forma.

Dices I. Materia & forma compositi debent inter se realiter esse distinctæ; sed in Sacramento matrimonij res & verba realiter non distinguuntur; ergo in hoc Sacramento res & verba non habent rationem materiæ & formæ. Secundò, ut ex materia & forma fiat compositum, debent esse simul, atqui inter res & verba in Sacramentis non requiritur simultas; ita quippe absolutionem Sacerdotis priùs tempore præcedit confessio pœnitentis &c. ergo non constituunt unum aliquod compositum. Resp. ad primum dist. maj. materia & forma compositi physici, concedo, compositi moralis, & quod tantùm est analogicè physicum, sic nego; in hoc quippe sufficit distinctio virtualis. 5.

Ad II. Respon. debent esse simul simultate vel physicâ vel morali, conc. simultate physicâ, nego. pariter distinguendo minorem, nego consequentiam: sicut enim Sacramenta sunt composita moralia; ita requirunt partes moraliter coëxistentes & unitas; est autem coëxistentia & conjunctio moralis, cùm juxta prudentem existimationem partes adhuc censentur ad se sufficienter relatæ & coordinatæ, & forma sufficienter cadere super materiam in ordine ad unum gratiæ signum constituendum, quo fit, ut pro diversitate Sacramentorum aliquando minor simultas requiratur, & in quibusdam levis, in alijs magna interpolatio sufficiat ad destruendam unionem hujus compositionis. Unde 6.

§. II.

Corollaria.

Colliges primò. Consignificationem temporis, quæ reperitur informis Sacramentorum, significare moralem non physicam præsentiam cum actione Sacramentali. Cùm enim aliquot hominum millia ab Apostolis baptizarentur per aspersionem aquæ, impossibile erat, ut verbum baptizo significaret physicam præsentiam & coëxistentiam partium; idem quoque fit in absolutione pœnitentis, qui post confessionem in phrenesin incidit: ergo idem dicendum de alijs Sacramentis. 7.

Colliges secundò. Omnium maximam & physicam coëxistentiam materiæ & formæ requiri in consecratione Eucharistiæ: quia ibi forma verborum significat realem & physicam transsubstantiationem seu transitum accidentium panis & vini ceu termini communis à substantia panis & vini tanquam termini à quo, ad substantiam corporis & sanguinis Christi tanquam termini ad quem; adeòque physica istorum præsentia requiritur. Econtra 8.

Colliges tertiò. Omnium minimam coëxistentiam partium requiri in Sacramento Matrimonij, & 9.

& Pœnitentiæ. In illo, quia sequitur naturam contractûs civilis; ideóque fieri potest etiam inter absentes, per litteras, per procuratorē &c. In isto, quia habet rationem judicij, ubi sententia judicis non necessariò immediatè continuatur cum accusatione vel confessione rei; ideóque licèt pœnitens peractâ confessione, consilij causâ de alijs rebus cum Confessario ante absolutionem conferat, vel confessionem dimidiet, ubi si partem confessionis generalis vesperi, alteram manè peragat, adhuc legitimè confertur absolutio, fitque pœnitentiæ Sacramentum, dummodo prudentum judicio censeatur absolutio sufficienter connecti cum præcedenti accusatione, nec pœnitens per nova peccata fecerit moralem interpolationem, de quo speciatim suo loco.

10. Colliges quartò. In reliquis Sacramentis requiri majorem coëxistentiam partium, quia perficiuntur per verba de præsenti materiam seu actionem Ministri exprimentia. Nempe *baptizo, consigno, per istam sanctam unctionem &c.* quamvis verò sit juxta infrà dicenda communior & probabilior sententia, quòd non sit necessarium, ut aliqua pars formæ etiam in istis Sacramentis physicè coëxistat cum parte materiæ v. g. ut ante absolutam integrè Baptismi formam incipiat ipsa ablutio, vel è converso ante finitam actionem forma verborum, sed sufficiat, quòd statim vel paulò pòst se invicem consequantur; sicuti ad veritatem hujus propositionis *ego jam bibo, jam sileo &c.* sufficit, quòd quis immediatè post hæc verba prolata bibat, sileat &c. in praxi tamen curandum est Ministro Sacramenti, ne in hisce Sacramentis inter materiam & formam faciat aliquam interpolationem, sed ut meliori modo (non tamen nimis scrupulosè) materia & forma secundùm aliquas sui partes etiam physicè coëxistant: quia sententia requirens hanc physicam coëxistentiam est saltem probabilis, eámque tenet Cajet. to. 1. opusc. to. 16. Navarr. in Sum. Scotus in 4. dist. 6. In administratione autem Sacramentorum oportet sequi partem tutiorem, nec licet uti formâ vel materiâ solùm probabili extra casum necessitatis, ut ex alibi dicendis suppono. Unde graviter peccaret Sacerdos, qui advertenter primùm pòst peractam ablutionem formam Baptismi præferret.

§. III.

Intrinseca constitutio ex rebus & verbis ad omnia Sacramenta extenditur.

11. CONCLUSIO II. *Omnia Sacramenta novæ legis non solùm in usu consistentia, sed etiam Sacramentum Eucharistiæ constant rebus, & verbis tanquam materiâ & formâ intrinsecè constituentibus.* Ita videtur sentire S. D. infrà q. 90. a. 2. in c. dicens: *quodlibet Sacramentum distinguitur in materiam & formam, sicut in partes essentiæ.* Et in 4. d. 1. q. 1. a. 3. ad 2. *verba & res sunt de essentia Sacramenti.* Solet etiam probari ex sæpè citatis Conc. Florent. verbis, *Sacramenta perfici rebus tanquam materiâ & verbis tanquam formâ*, quibus similia habet Trid. Sess. 14. c. 2.

12. Dices: Florentinum eodem loco addit Sacramenta perfici *personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*: ergo si quid Florentinum probat, etiam probat Ministrum ejúsque intentionem pertinere ad intrinsecam constitutionem Sacramenti; quod etsi nonnulli R.R. concedant, nobis tamen videtur magnum absurdum.

Respond. ly *perfici*, quod utitur Concilium, esse terminum universalem abstrahentem à perfectivo intrinseco & extrinseco, qui proinde in sensu accommodo & pro substrata materia est exponendus: cùm ergo à Consilio applicatur ad materiam & formam, quæ aliàs sunt partes intrinsecæ compositi, significat perfectivum intrinsecum, cùm verò applicatur ad Ministrum ceu causam exteriùs applicantem, significat perfectivum extrinsecum.

Ratio est: Illud omne pertinet ad intrinsecam constitutionem Sacramenti, quod continetur intra totam essentiam ipsius; sed in omnibus Sacramentis novæ legis non minùs verba, quàm res, forma, quàm materia continentur intra totam essentiam Sacramenti; ergo pertinent ad intrinsecam constitutionem ipsius. Major est ex terminis clara, quia ex nullo alio intrinsecè constituitur & componitur totum, quàm quod est intra suam essentiam; 13.
Min. probatur: Id omne continetur intra essentiam Sacramenti, quod à Christo est assumptum ad significandam & causandam gratiam, sive, quod ex institutione Christi habet vim practicè significativam gratiæ; sed nec sola verba, nec sola res, sed tam verba quàm res, per modum alicujus aggregati & compositi moralis, à Christo sunt assumpta ad significandam gratiam: ergo tam verba, quàm res continentur intra totam essentiam Sacramenti. Major iterum est certa: quia cùm Sacramentum sit essentialiter signum gratiæ, illud omne continetur intra essentiam Sacramenti, quod ex institutione Christi est significativum gratiæ. Sicut illud omne continetur intra essentiam artefacti, supra quod cadit rectitudo artificialis. Minor ex dictis patet, quia secundùm Concilia omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus & verbis tanquam materiâ & formâ: sed quicquid in Sacramento se habet tanquam materia & forma, habet ex institutione Christi vim significativam gratiæ: eo ipso quia res per verba determinantur ad certam & specialem gratiæ significationem, unde est illud August. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Ergo tam res, quàm verba per modum totius & unius compositi sunt à Christo assumpta ad significandam gratiam.

Secunda pars continetur, & deducitur ex præced. Illud omne est pars intrinseca Sacramenti, quod à Christo est elevatum ad significandam gratiam Sacramenti, atqui non sola species, sed etiam verba & forma consecrationis sunt à Christo elevata ad significandam gratiam refectivam animæ: imò species panis nullo modo possent Corpus Christi per modum cibi spiritualis significare, nisi quatenus subsunt determinationi & significationi verborum; ergo etiam verba & forma consecrationis pertinent ad intrinsecam constitutionem Sacramenti Eucharistiæ. 14.

Confirmatur. Si qua foret ratio, cur verba consecrationis non intrinsecè constituerent Sacramentum Eucharistiæ in facto esse, foret, quia ipsa transierunt, Sacramentum verò est permanens; sed hæc ratio non est; ergo. Minor probatur: quando adest integra & perfecta significatio Sacramenti, tunc

tunc debent adesse illæ partes, à quibus significatio totalis & integra essentialiter dependet, atqui Sacramentum Eucharistiæ etiam ut in facto esse post peractam consecrationem perfectè significat gratiam sanctificantem & nutrientem, éstque integrè & perfectè signum practicum illius: ergo debent adesse omnes partes, à quibus totalis significatio dependet, atqui integra significatio Eucharistiæ dependet à verbis, ergo tunc debent adhuc existere verba. Major patet; quia significatio nec seorsim à verbis, nec seorsim à rebus provenit, sed cùm sit essentialiter forma totius signi, ex utrisque provenit, & tam in materia, quàm formâ moraliter subjectatur: sicuti forma artificialis, nec in sola materia, nec sola forma ligni, sed in toto ligno subjectatur.

15\. Sed inquis: quomodo existit forma consecrationis, quando pridem transijt? Resp. manere non formaliter, sed moraliter & virtualiter seu æquivalenter: si enim in alijs Sacramentis forma vel actio physicè jam transacta tamen potest habere moralem coëxistentiam & conjunctionem cum sua comparte, ut ante dictum, quidni etiam in Sacramento Eucharistiæ? Adest igitur forma moraliter, & æquivalenter, quia transactâ etiam consecratione vi verborum species Eucharistiæ ita continent substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ac si verba adhuc formaliter essent præsentia, & actu proferrentur: cùm ergo Eucharistia post verba jam physicè transacta, ita significet ex vi verborum gratiam & præsentiam Christi, ac si illa reverà perseverarent, censentur moraliter & virtualiter h. e. æquivalenter existere, licèt non in se, tamen in fide credentium perseverare: ideò August. tr. 80. in Jo. *In verbo Sacramentali aliud esse sonum transeuntem, aliud verò virtutem manentem*, sitam scilicet in verbo fidei. Ex quibus facilè solves argumenta Adversariorum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

16\. Obijc. I. Res, vel Sacramentum permanens non potest intrinsecè constitui per formam transeuntem; Sacramentum Eucharistiæ est permanens. forma verborum transiens, ergo. II. Causa efficiens non constituit intrinsecè suum effectum; sed verba consecrationis sunt causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ: ergo illud intrinsecè non constituunt. III. Una numero forma non potest intrinsecè componere plura numero composita, atqui per unam numero formam consecrantur plures Eucharistiæ: ergo non potest esse intrinsecum constitutivum illarum in ratione Sacramenti. IV. Sequeretur, quòd verba formæ Eucharistiæ comederentur, & biberentur, quia totum illud comeditur, & bibitur, quo Eucharistiæ Sacramentum intrinsecè constituitur in ratione cibi. Sed per verba intrinsecè constituitur in ratione cibi spiritualis, ut dictum, ergo. V. Si Sacramentum intrinsecè componatur ex rebus & verbis, deberet etiam supponere pro rebus & verbis, sicuti compositum physicum pro suis partibus substantialibus supponit; atqui non supponit, siquidem concretum accidentale, uti est Sacramentum, supponit tantùm pro parte materiali.

Respondeo ad I. Sacramentum permanens non potest intrinsecè constitui per formam tam formaliter, quàm virtualiter transeuntem, conc. tantùm formaliter transeuntem, nego. Sed forma Eucharistiæ est formaliter transiens conc. virtualiter, nego minorem & consequentiam. Ad II. dist. min. Verba sunt causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ inadæquatè spectati, pro speciebus consecratis continentibus Christum, conc. adæquatè spectati pro illo toto composito, quod divinitùs assumitur ad perfectè significandam gratiam nutritivam, sic nego. ergo non intrinsecè constituit Sacramentum Eucharistiæ sub priori ratione, concedo; sub posteriori ratione nego. Ut sic enim consideratur tanquam formale determinativum specierum in esse significativi gratiæ, éstque proinde pars intrinseca totius Sacramenti. Ad III. opponi possunt instantiæ ex Baptismi & Pœnitentiæ Sacramento, cùm plures per unam formam baptizantur, vel absolvuntur. Unde Resp. majorem esse veram in compositis physicis, ubi forma individuatur à subjecto, & non est virtualiter multiplex, non autem in composito morali, ubi forma verborum non individuatur à materia Sacramenti, éstque virtualiter multiplex. Ad IV. negatur sequela absurdi, nam neque significatio Sacramenti; tametsi etiam secundùm Adversarios pertineat ad intrinsecam constitutionem ipsius, dicitur comedi, bibi, abluere, ungere &c. Igitur illud solùm dicitur comedi, & bibi, quod per ordinem ad manducationem importatur in recto, sed in Sacramento Eucharistiæ sola materia proxima, nempe species continentes Corpus & Sanguinem Christi in ordine ad manducationem & potum importantur in recto, verba verò in obliquo; nam species continentes Christum quatenus substant verbis formæ, sunt cibus animæ, ergo. Ad V. nego min. nam concretum accidentale supponit quidem pro materia totali, non autem partiali. Unde quia species continentes Christum, sunt tantùm materia partialis comparativè ad formam verborum; materia verò totalis comparativè ad significationem non sunt solæ species, sed insuper verba consecrationis, idcircò Sacramentum Eucharistiæ supponit pro utrisque.

ARTICULUS III.

An materia & forma Sacramentorum sit determinata.

SUMMARIA.

1. *Tam res, quàm verba Sacramentorum sunt à DEO, vel Christo determinata.*
2. *Neque ab Ecclesia mutari possunt.*
3. *Opponitur Sacramentum matrimonij & Ordinis.*
4. *Concilium Tridentinum non mutavit materiam matrimonij formaliter, sed materialiter.*
5. *In Sacramento Ordinis Christus non specificè determinavit materiam & formam.*
6. *Verba Sacramentorum non sunt concionatoria, sed consecratoria.*

§. I.

Assertio Catholica.

1\. CONCLUSIO. *Tam res (2.) quàm verba Sacramentorum sunt (3.) à DEO, vel in nova lege à Christo immobiliter determinata.* Ita communis DD. cum S. D. hîc a. 5. & 7.

Ratio totius conclusionis est. Cùm res & verba in Sacramentis sint signa spiritualis gratiæ ad placitum, quæ non ex sua natura, sed ex arbitrio instituentis possunt gratiam significare, necesse est ex innumeris rebus & verbis aliqua eligi & determinari, quæ gratiam spiritualem præ alijs significent, cúmque verba se teneant ex parte formæ, quæ in omni composito est principium determinationis, ideò major requiritur determinatio ex parte verborum, quàm ex parte rei sensibilis. Jam verò illius tantùm est instituere practica signa spiritualis gratiæ, in cujus potestate est gratiam conferre, quíque in spirituali republica principatum tenet, & authoritatem condendi Ecclesiam, quæ per Sacramenta adunatur; sed hoc soli DEO & Christo convenit: ergo res & verba Sacramentorum sunt à DEO & Christo determinata.

2\. Ex quo sequitur esse immutabiliter determinata, ita ut nec Apostolis, nec Ecclesiæ aut Vicarijs Christi competat facultas hæc signa mutandi, quemadmodum non convenit illis authoritas ejusmodi signa instituendi. Unde & Apostoli non nisi *ministri & dispensatores mysteriorum DEI* appellantur 1. Cor. 4. Quoad Sacramenta novæ legis conclusio est etiam de fide, expressa in Trid. sess. 7. can. 1. his verbis, *si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo IESV D. N. instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, anathema sit.* Et sess. 21. c. 2. *Præterea declarat hanc potestatem in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ magis expedire judicarent.* Agnoscit ergo Trident. Sacramenta novæ legis, adeòque eorundem materiam & formam ita esse à Christo determinatas, & institutas, ut Ecclesiæ potestas non ad illas, sed ad dispensationem tantummodò se extendat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

3\. OBijci solet primò. Sacramentum matrimonij, in quo ante Trident. (vel in partibus, ubi Tridentinum non est receptum) sufficiebat contractus clandestinus, post Tridentinum verò in partibus, ubi Tridentinum est receptum, requiritur assistentia parochi & testium: videtur ergo Tridentinum Concilium immutâsse materiam Sacramenti matrimonij.

Secundò. Ecclesia Græca alio ritu & formâ utitur in ordinatione Sacerdotum, quàm Ecclesia Latina, quia Latina ordinat Sacerdotes per traditionem calicis cum patena; Græca verò per impositionem manuum & pallij cum his verbis: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum &c.* pari ritu utuntur Græci in ordinatione Diaconi & Sub-Diaconi, qui ritus reprehendi non potest, siquidem sacræ litteræ Act. 6. & 14. 1. Tim. 1. cùm de SS. Ordinationibus loquuntur, solius impositionis manuum meminerunt: Romæ quoque, summo Pontifice annuente, hoc ritu Græci ordinantur: & D. Chrysostomum sic ordinatum fuisse refert in vita Metaphrastes: imò antiquitùs in Ecclesia Africana ad Latinam pertinente Diaconos, Presbyteros, & Episcopos solâ manuum impositione fuisse ordinatos ex Concil. Carthagin. IV. refert Contenson hîc c. 1. nec est verisimile, in prima Ecclesia Diaconos per traditionem Evangelij fuisse ordinatos, ubi libri Evangelij nondum erant conscripti: manet ergo, materiam Ordinum pro locorum & temporum diversitate esse diversam & mutationi obnoxiam.

4\. Respondeo ad I. Concilium Tridentinum mutavit materiam matrimonij materialiter sumptam conc. formaliter sumptam, nego. Materialiter sumpta est contractus matrimonij præcisè in se spectatus; formaliter sumpta est contractus matrimonij ut substans institutioni Christi. Mutavit ergo Tridentinum contractum & materiam matrimonij materialiter sumptam, quia fecit, ut contractus, qui priùs erat legitimus, postea non esset legitimus; cùm enim sit de natura contractûs, ut ejus legitimitas & valor possit pendere à certis conditionibus, hinc fit, ut summa potestas Ecclesiæ possit adjectis certis conditionibus contractûs valorem limitare, ita ut sine illis contractus sit irritus & nullus. Non verò mutavit materiam matrimonij formaliter sumptam, quia hæc est non qualiscunque, sed legitimus matrimonij contractus, qualis etiam post requisitam parochi & testium assistentiam est materia matrimonij.

5\. Ad secundum, pariter Resp. Etiam in isto Sacramento Ordinis materias vel formas Sacramenti non diversificari vel mutari formaliter, sed materialiter tantùm, eò quòd materia vel forma Sacramenti Ordinis, quatenus à Christo evecta & assumpta ad rationem Sacramenti non sit hæc specie, vel numero actio, hæc numero verba &c. Sed actio aliqua vel verba in genere exprimentia potestatem Ordinis & traditionem officij sacerdotalis. Determinavit ergo Christus materias & formas omnium Sacramentorum novæ legis; sed alias magis genericè, ut in Ordine, & Matrimonio; alias magis specificè, ut in Baptismo, & consecratione Eucharistiæ; quamvis etiam in istis Sacramentis verba non adeò in individuo à Christo determinata fuisse Contensonus existimet, quin aliqua verborum determinatio, modus & additio Ecclesiæ potestati fuerit relicta, cùm Ecclesia Græca in baptismo utatur his verbis: Baptizatur servus DEI in nomine Patris &c. neque, ut graves Authores testantur, in consecratione Calicis utatur omnibus verbis ab Ecclesia Latina adhiberi solitis.

6\. Inferes ex dictis contra Novatores hæreticos: verba Sacramentorum non esse merè concionatoria ad excitandam fidem, sed consecratoria; quia verba sunt determinata à Christo & instituta ad hominem sanctificandum, sed talia sunt consecratoria. Unde & Apostolus 1. Cor. 10. verba consecrationis vocat *benedictionis*, non institutionis. Ridiculum quoque est, ut verba in baptismo infantis dicantur concionatoria, vel exhortatoria, præsertim si is à muliere conferatur,

tur, cùm nec ille sit idoneus ad percipiendam exhortationem, vel excitandam fidem, nec ista ad concionandum, prohibente Apostolo: *mulieres in Ecclesia taceant.* 1. Cor. 14.

ARTICULUS IV.

Quænam mutatio materiæ, vel formæ obsit valori Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis proponitur.*
2. *Regula quando sit mutatio essentialis, vel accidentalis ex parte materiæ.*
3. *Quædam corollaria practica.*
4. *Committitur peccatum mortale per mutationem materiæ non tantùm essentialem,*
5. *Sed etiam accidentalem.*
6. *Varij modi, quibus fieri potest mutatio ex parte formæ.*
7. *Regula dignoscendi essentialem, vel accidentalem mutationem.*
8. *Variatio idiomatis non facit mutationem substantialem.*
9. *Quid censendum de substitutione vocis Synonymæ?*
10. *Additio vitiat substantiam, si sensum Catholicum destruat.*
11. *Detractio vocis essentialis facit mutationem essentialem.*
12. *Et transpositio vocum, si sensum evertat.*
13. *Interpolatio, si destruat vocis, vel dictionis unitatem.*
14. *Corruptio, si debitum sensum evertat, præsertim si fiat in primis syllabis.*
15. *In solo Sacramento matrimonij omnia verba possunt in signa mutari.*
16. *Omnis notabilis mutatio advertenter facta est peccatum mortale.*
17. *Quid per omnia Sacramenta sit res tantùm, Sacramentum tantùm, & res & Sacramentum simul.*
18. *Modi diversi errandi in applicatione formæ.*
19. *Error privatus quando non noceat valori?*
20. 21. 22. *Solvuntur objectiones.*

1. Cùm ex modo dictis materia & forma Sacramentorū sint à Christo determinatæ, sequitur manifestè, tolli & invalidari essentiam Sacramenti, quoties materia & forma essentialiter mutantur, siquidem sublatis partibus essentialibus essentiam mutari necesse est: Econtra cùm in Sacramentis aliqua reperiantur, ad integritatem tantùm & perfectionem accidentalem Sacramenti pertinentia; ideò sicut in naturalibus & artefactis fieri potest mutatio accidentium salvâ eorundem essentiâ; sic pariter certū est in Sacramentis accidentalem aliquam mutationem posse contingere absque detrimento substantiæ. Dubium proinde est, undenam dignosci debeat, quando mutatio sit substantialis, vel accidentalis.

§. I.

Quando sit mutatio essentialis, vel accidentalis ex parte materiæ?

2. CONCLUSIO I. *Essentialis mutatio ex parte materiæ est, cùm res vel materia accepta juxta moralem æstimationem usúmque humanum est alterius nominis & rationis, quàm illa, quam Christus instituit; tunc verò est mutatio accidentalis, quando salvâ rei substantiâ solùm aliqualiter alterata cognoscitur.* Ita comm. DD. Ratio primæ partis est, quia tum est substantialis mutatio ex parte materiæ, quando accipitur materia non determinata à Christo, nec elevata ad significationem gratiæ; sed quando accipitur materia, quæ juxta moralem æstimationem usúmque humanum (qui maximè ex perpetuâ traditione & consuetudine Ecclesiæ æstimari debet) est alterius rationis (sive in esse physico differat, sive non) quàm illa, quam Christus instituit, jam non accipitur materia à Christo elevata ad esse significativum gratiæ: cùm enim Sacramenta sint signa moralia ad usum humanum deputata, eorundem diversitas non tam à differentijs specificis in esse physico, quàm morali discrimine in usu & æstimatione hominum est accipienda. Secunda pars liquet: quoad enim abest salvâ rei substantiâ, non nisi accidentaliter abest: ergo nullam inducit mutationem substantialē.

3. Sequitur primò. Quantumvis panis crudus & pistus probabiliter non differant specie physicâ, crudam tamen massam farinaceam non pistam ineptam esse consecrationi: quia ut sic secundùm moralem usum & æstimationem non habetur pro pane, nec est idonea comestioni. Econtra secundò vinum rubrum & album, etsi probabiliter specie physicâ differant, utrumque tamen esse materiam debitam consecrationis: quia serviunt ad eundem usum humanum. Tertiò quamvis glacies ab aqua in esse physico non distinguatur essentialiter, non tamen esse materiam baptismi, antequam resolvatur, quia ut sic moraliter est alterius nominis & rationis, neque servit ad usum exercitiū neque ablutionis. Quartò. Etsi vinum purum in esse physico specie inadæquatâ differat à vino lymphato, in quo Christus consecravit; non tamen fore invalidam consecrationem sacerdotis in vino puro consecrantis, quia utrumque moraliter & simpliciter venit nomine vini. Idem dicendum de pane azymo & fermentato; Quintò. Fore mutationem substantialem, si consecratio fiat in pane hordeaceo, quippe qui non est simpliciter panis usualis; accidentalem, si tantùm aliquot grana hordei pani triticeo sint admixta.

4. Quæres. Quomodo peccetur in mutatione materiæ? Respondeo esse peccatum mortale, quotiescunque fit notabilis mutatio materiæ, sive sit essentialis, sive accidentalis. Ratio est: quia institutio Christi & universalis consuetudo Ecclesiæ habens vim legis in materia notabili graviter obligant, sed reverenter administrare sacramenta est materia gravis & magni momenti, ergo per notabilem mutationem materiæ committendo irreverentiam graviter peccatur.

5. Dixi: *sive fiat mutatio essentialis, sive accidentalis*, quia etiam partes tantùm accidentaliter connexæ cum materia & forma Sacramenti, imò & cæremoniæ vel ritus in administratione Sacramentorum adhiberi soliti sunt sub gravi præcepto, unde

de nisi vel parvitas materiæ, vel inadvertentia excuset, peccato Minister Sacramento omittendo, vel notabiliter mutando ritus in Sacramentorum administrationem præscriptos; veluti si Sacrum celebret sine luminaribus. Longè tamen gravius peccatum committitur in mutatione essentiali, ubi præter grave sacrilegium contra reverentiam Sacramenti, plerúmque committitur peccatum contra charitatem & dilectionem proximi, qui ex irritatione Sacramenti damnum patitur; vel etiam justitiæ, cùm Minister ex officio Sacramentum tenetur administrare. Idem dicendum, cùm per mutationem materiæ dubium efficitur Sacramentum, hoc ipso quòd quis committat se periculo Sacramentum reddendi invalidum, de quo alibi dictum.

§ II.

Quando fiat mutatio essentialis ex parte formæ?

6. VArij sunt modi, quibus Sacramentorum forma mutari potest, ad 8. ferè modos revocabiles. Primò per variationem idiomatis, ut si forma Latinè proferenda, proferatur Germanicè, vel partim Germanicè, partim Latinè. Secundò additione, ut si quis dicat: Ego te baptizo *in nomine Patris, qui te creavit, & Filij, qui te redemit &c.* Tertiò, Detractione: ut *baptizo te, &c. absolvo te &c.* omissa particula: *Ego.* Quartò, per corruptionem seu depravationem vocis: sive in medio, sive in fine; ut si quis balbutiens aut ignorans dicat *hoc est colpus meum, hoc est corpus meus.* Quintò, transpositione vocabulorum, ut si in consecratione dicas: *Est hoc meum corpus.* Sextò interpolatione; ut si quis post verba *ego te baptizo*, aliquid impertinens agit, vel interloquatur; & postea subjungat, *in nomine Patris &c.* Septimò, substitutione vocis æquivalentis & Synonymæ, ut si pro *baptizo*, dicas *abluo.* Octavò, si omnia verba vocalia mutentur in scripturam, vel alia signa. De his universaliter fit

7. CONCLUSIO II. *Tunc est essentialis mutatio formæ, quando non manet sensus & significatio verborum; hac verò manente censetur accidentalis.* Ita S. D. a. 8. cum communi Theologorum, & ratio est in promptu: quia substantia formæ consistit in sensu verborum, nam verba sub tali determinato sensu & significatione fuere à Christo elevata ad rationem Sacramenti; ergo mutato sensu verborum forma mutatur essentialiter. Hinc

8. Colliges primò: Mutationem formæ, quæ fit per solam variationem aut mixtionem idiomatis non esse essentialem; unde valida semper erit forma sive Latinè sive Græcè, sive Germanicè proferatur, cùm semper retineatur substantialis sensus verborum.

9. Colliges secundò. Idem dicendum, cùm mutatio fit in verba synonyma, ut cum pro *baptizo* dicitur *abluo*; si pro figurata dictione: *hic est calix sanguinis mei*, dicatur: *hic est sanguis meus.* Quòd si verò verbum non idem eodem modo, hoc est, non æquè distinctè & expressè; sed tantùm confusè significet, poterit esse mutatio substantialis, ut si in forma Baptismi diceres: *Ego te baptizo in nomine sanctissimæ Trinitatis*, quia ly *Trinitas* personas non nisi implicitè & confusè significat. Oportet etiam, ut vocum æquivalentia & synonymia non sit ex privato mutantis arbitrio imposita, quia verba, à Christo ad esse Sacramenti requisita & elevata sunt verba publicè & apertè ad usum humanum significantia. Sed quid si vox synonyma sit æquivoca, quæ verum & falsum sensum habere possit: ut si in Baptismo pro ly *Patris* dicatur *parentis*? tunc enim ly parens est æquivocum, quòd æquè matrem ac patrem significare potest. Resp. voces æquivocas terminari ex intentione proferentis, unde si minister intendat legitimum Ecclesiæ sensum, & nomine *Parentis* velit Patrem significare, forma subsistit; sin' erroneè velit significare matrem, forma erit invalida.

Colliges tertio. Tunc solùm per additionem formam essentialiter vitiari, quando verba addita destruxerunt legitimum & catholicum sensum: veluti si Arianus baptizet *In nomine Patris majoris, & Filij minoris &c*, ideò econtra valet consecratio Sacerdotis Græci dicentis: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, quia hæc ultima verba superaddita, non destruunt verum sensum realis præsentiæ corporis Christi, per priora verba significatum. Sed quid si quis baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. & B. Virginis? Resp. cum S. D. a. 8. in c. si Minister per illam additionem tantùm velit intendere intercessionem B. V. formam accidentaliter mutari; sin intendat significare æqualem concursum Matris cum Sanctissima Trinitate quasi conferat illum in virtute & potestate B. V. sicuti confert in virtute & potestate sanctissimæ Trinitatis, formam fore invalidam & mutationem essentialem, eo ipso quia perit sensus à Christo intentus. 10.

Colliges quartò. Tunc solùm detractione formam substantialiter mutari, cùm vox detracta est essentialis ad exprimendum sensum à Christo intentum. Sic omissio alicujus Divinæ personæ in forma Baptismi, omissio Pronominis hoc & hic in forma consecrationis, Pronominis *Te* in forma absolutionis faciunt mutationem essentialem: econtra omissio Pronominis *Ego* in baptismo, & ly *enim* in consecratione tantùm est accidentalis. 11.

Colliges quintò. Transpositionem vocum tunc solùm facere mutationem essentialem, quando est tam enormis, ut sensum evertat, qualis foret in forma Baptismi: *baptizo & Spiritûs S. Te & Filij ego Patris in nomine.* 12.

Colliges sextò. Interruptionem seu interpolationem vocis, ac orationis, quæ fit tanta, ut morali existimatione non amplius censeatur una vox, vel oratio, censeri mutationem essentialem, secùs si adhuc censeatur una vox, vel idem tractus orationis. Ita non censetur esse mutatio substantialis, si baptizans post has voces: *Ego te baptizo*, paululùm mente distrahatur, vel interponat aliqua verba v. g. aqua est nimis frigida, vel sternutet & posteà statim prosequatur, *in nomine Patris & Filij &c.* esset verò mutatio substantialis, si ante ultimorum verborum prolationem aliorsum in suum conclave abiret, & exinde rediens illa primùm absolveret, vel aliquas preces & actiones impertinentes interponeret. Facillimè verò contingit mutatio substantialis in interpolatione vocum, quarum unitas non est ita divisibilis, ut unitas dictionis; unde censent graves DD. nullam fore conse- 13.

cra-

crationem; si Sacerdos, postquam dixit in consecratione, *hoc est enim cor*- sternutaret, & post sternutationem prosequeretur -*pus meum*. Cùm proinde interpolationes verborum præsertim interlocutoriæ præter irreverentiam etiam sint periculosæ, & facilè Sacramentum possint reddere vel nullum, vel saltem dubium, diligenter sunt cavendæ.

14. Colliges septimò. Si corruptio non tollat debitum sensum (qui advertente S. Doctore faciliùs destruitur primarum quàm ultimarum syllabarum depravatione, ut si pro *in nomine Patris* dicas *in nomine Matris*) mutationem esse tantùm accidentalem. Exemplum habetur *in c. retulerunt*, *de Consec. dist.* 4. ubi Zacharias Papa pro valida Baptismi forma agnoscit illam à quodam Sacerdote linguæ latinæ ignaro prolatam: *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia, & Spiritua Sancta*.

15. Colliges octavò. Ut omnia verba mutentur in signa, in solo Sacramento Matrimonij esse accidentale; quia cùm illud sequatur naturam contractûs, non requiritur tanta verborum expressio; in omnibus verò alijs Sacramentis esse mutationem essentialem, eò quòd juxta Concilia & Ecclesiæ doctrinam Christus in ijs verba formalia requisierit, ut suis locis dicetur.

16. Colliges nonò. Omnem formæ mutationem notabilem accidentalem, advertenter factam, esse peccatum mortale; quamvis verò absolutè videatur probabile, talem mutationem in re parva, si absit scandalum & contemptus, tantùm esse peccatum veniale, in praxi tamen vix poterit talis mutatio fieri scienter absque aliquo saltem virtuali contemptu; cùmque confessio Sacramenti sit res gravissima, meritò existimat Dicastillo dubit. 8. n. 117. quidquid in re tam gravi mutetur, gravem inordinationem continere, ac proinde vix à peccato mortali excusandum, qui sciens volens in consecratione particulam *enim*, vel in Baptismi forma particulam *in* omitteret.

17. Colliges decimò. Quid sit in Sacramentis *res tantùm*, *Sacramentum tantùm*, & aliud quod dicitur *res & Sacramentum simul*. Nempe prout docet Mag. in 4. & D. Th. infra q. 84. a. 1. ad 3. In Sacramentis novæ legis invenitur aliquid, quod ita est signum gratiæ, ut tamen ipsum non significetur, & hoc dicitur Sacramentum tantùm, recepto Theologorum Stylo. Secundò invenitur aliquid, quod significatur, non autem significat, idque dicitur res Sacramenti. Tertiò est aliquid, quod simul per aliud significatur & significat, idque vocatur res & Sacramentum simul. Inveniuntur hæc 3. in omnibus Sacramentis novæ legis; Nam in 3. Sacramentis Baptismi, Confirmationis & Ordinis imprimentibus characterem, Sacramentum tantùm est materia & forma, quæ gratiam & characterem tantùm significant. Gratia est res tantùm, quia tantùm significatur: res & Sacramentum simul est character, qui gratiam significat, & simul significatur per Sacramentum. In Eucharistia species sunt Sacramentum tantùm, quia significant gratiam, & corpus Christi, nec tamen per Sacramentum significantur: res tantùm est gratia; res & Sacramentum simul est corpus Christi, quia ita significat gratiam conferendam suscipientibus, ut ipsum quoque significetur per species & verba consecrationis. In pœnitentia ob eandem rationem Sacramentum tantùm est absolutio & confessio, res tantùm est gratia remissiva; res & Sacramentum simul est contritio significans gratiam, & significata per confessionem. In Matrimonio Sacramentum tantùm sunt verba exprimentia mutuum consensum, gratia Sacramentalis est res, vinculum indissolubile est res quatenus significatur, & simul Sacramentum, quatenus significat unionem hypostaticam, & conjunctionem Christi cum Ecclesia. In extrema unctione Sacramentum tantùm est materia & forma, res tantùm est gratia; res & Sacramentum simul est sanitas corporalis, quæ quatenus per hoc Sacramentum significatur & causatur sub conditione, si animæ expedit, res est; quatenus verò significat internam animæ sanitatem, sic est Sacramentum.

§. III.

Quando error privatus noceat in mutatione formæ?

Notandum, quòd in debitæ formæ ad debitam materiam applicatione Minister errare possit vel tantùm internè, ut nimirum existimet aliqua verba, quæ pronunciat, non esse de essentia Sacramenti, quæ tamen sunt de essentia, vel legitima & catholica verba intelligat in sensu hæretico, veluti si Valentinianus hæreticus dicendo *corpus meum*, intelligat corpus cæleste, Arrianus dicendo in *nomine Filij*, intelligat creaturam Patris. Vel secundò potest errare externè, ut nimirum errorem exprimat in additione aliquâ vel mutatione accidentali verborum, quæ ex se non destruit sensum à Christo & Ecclesia vera intentum, uti si Græcus Sacerdos ad consecrationem panis addat sequentia, *quod pro vobis tradetur*, erroneè quasi illa essent de essentia consecrationis. Qui error tripliciter se habere potest. Primò ut existimet bonâ fide esse de essentia consecrationis. Secundò, ut sciens non esse de essentia, nihilominus velit addere. Tertiò, ut insuper illa addendo velit novũ ritum & errorem in Ecclesia inducere. Igitur, hoc posito, sit 18.

CONCLUSIO III. *Si debita forma debitæ materiæ à Ministro applicetur, cum intentione faciendi, quod Christus instituit, vel facit Ecclesia DEI, error privatus Ministri non obest valori Sacramenti, sive ille (1) sit internus (2) sive sit externus (3) etiamsi intendat novum ritum inducere in Ecclesia.* 19.

Prima pars probatur I. ex Conc. Trid. sess. 7. de Bapt. can. 4. anathema illi dicente, qui negat hæreticorum Baptismum collatum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, esse verum; sed talis Baptismus stat cum errore interno, uti patet ex adducto exemplo Sacerdotis Arriani vel Eunomiani baptizantis in nomine Filij, quem credit esse minorem Patre.

Probatur secundò ratione: quia cùm habetur debita materia, forma, legitimus Minister cum intentione faciendi Sacramentum, adsunt omnia requisita ad valorem Sacramenti, ut patet ex Florentino, sed hæc omnia adsunt non obstante privato errore Ministri: ergo. Min. probatur: quia cùm Minister habet intentionem faciendi, quod Christus instituit vel facit Ecclesia, verba habent significationem Sacramentalem, quippe quæ non dependet ex privato cujusque judicio, nec aliud quicquam deest ex essentialibus requisitis. Ergo.

Se-

Secunda pars, quæ etiam est communis DD. probatur: Quando error externus non destruit formæ legitimum sensum, éstque compatibilis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nihil deest de requisitis ad essentiam Sacramenti; ergo tunc habetur essentia Sacramenti. Sed hoc fieri potest, uti constat in adducto exemplo Sacerdotis Græci, qui licèt exprimat suum errorem additione illorum verborum *quod pro vobis tradetur*: quia tamen hæc non mutant verum sensum verborum antecedentium, in quibus consistit forma Sacramenti, ideò verè consecrat, dummodo non alliget suam intentionem ad illa verba sequentia, ita ut nolit præcedentia habere sensum completum, priusquam & posteriora absolverit: tunc enim non quidem defectu formæ, sed intentionis Sacramentum foret irritum, de quo infra.

Dixi: quando error non destruit legitimum sensum; hinc enim ut ex infra dicendis patet, non esset validus Baptismus Arriani baptizantis *in nomine Patris Majoris, Filij Minoris &c.* nec valeret consecratio Valentiniani dicentis: *hoc est corpus meum caleste*, quia per talis epitheti adjectionem ly *Filij*, ly *Patris &c.* alienatur à vero & Sacramentali sensu.

Ratio tertiæ partis, quam præter plerosque Thomistas amplectitur etiam Suar. d. 2. s. 6. concl. 1. hæc est: quia si hæc privata intentio Ministri irritum redderet Sacramentum, esset vel quòd destrueret verum sensum formæ, vel quòd esset incompossibilis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Neutrum dici potest, non primum, quia supponimus additionem formæ tantùm esse accidentalem, quæ sensum non variat, nisi Minister ita alliget suam intentionem, ut nolit sub alia ratione, quàm per talium verborum additionem Sacramentum conficere; non secundum, quia nulla prorsus apparet incompossibilitas inter hos actus, ut Sacerdos dicat, etsi sciam hæc verba non esse de essentia formæ, nihilominus illa volo addere, ut induceam novum ritum; consecrabo tamen per verba à Christo instituta ad conficiendum Sacramentum.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

20. OBjicies primò, quòd in *cit. c. retulerunt*, Zacharias Papa decernit, Baptismum collatum sub hac accidentali mutatione *in nomine patria &c.* fuisse validum, si baptizans non intendebat inducere errorem, aut hæresin: ergo à sensu contrario; si intendebat hæresin inducere, Sacramentum fuit nullum: quod ipsum videtur asserere S. D. hîc a. 8. in c.

Responderi potest primò, cum Card. de Lugo, quòd in hoc casu intentio inducendi hæresin non reliquisset sensum legitimum formæ, ac proinde mutatio fuisset essentialis, eò quòd baptizans voluisset significare, in Divinis dari filiam, non filium. Responderi potest secundò. Sum. Pont. loqui ex suppositione, & præsumptione, quæ in tali casu prudenter formari posset, quòd Sacerdos efficaciter intenderit illegitimum sensum cum efficaci exclusione intentionis operandi secundùm institutionem Christi. Sed

Objicies secundò. Ille non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, qui habet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ; sed qui habet intentionem inducendi novum ritum, habet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ, tales erroneos ritus proscribentis; ergo. Confirmatur: qui sciens facit contra institutionem Christi & Ecclesiæ, non potest habere intentionem faciendi, quod Christus instituit, & Ecclesia fieri præcepit: sed hoc facit, qui per mutationem accidentalem intendit hæresin inducere; ergo. 21.

Respondeo dist. Maj. si habet intentionem efficaciter contrariam universali intentioni Ecclesiæ, conc. si tantùm inefficaciter contrariam, nego: & pariter dist. min. nego consequentiam. Efficaciter habet contrariam, si nolit ullâ aliâ ratione conficere Sacramentum, quàm sub tali forma erronea, inefficaciter, si nihilominus saltem implicitè velit agere ut Minister Christi, & secundùm intentionem Ecclesiæ. Ad confirmationem respondeo. Qui sciens facit contra institutionem Christi essentialem, non potest habere intentionem faciendi, quod Christus instituit, conc. qui contra accidentalem, nego; sed iste facit contra institutionem accidentalem, conc. min. essentialem, nego min. & consequentiam.

Objicies tertiò. Ad formæ valorem requiritur, ut verba formæ pronuncientur in eo sensu, in quo Christus instituit; sed habens errorem sive internum, sive externum non pronunciat verba in eo sensu, sub quo illa Christus instituit; ergo forma non potest esse valida. Resp. requiritur, ut verba formæ pronuncientur in sensu, quo Christus instituit, vi intentionis tantùm privatæ & minùs efficacis, nego; vi intentionis communis & efficacis conc. & pariter dist. min. nego consequentiam. Sed de his plura infra, ubi ex instituto agemus de intentione Ministri. 22.

DISPUTATIO XVIII.

DE

Necessitate, & Existentia Sacramentorum. ad q. 61.

CErtum est Sacramentorum institutionem absolutè & simpliciter non fuisse necessariam ad hominum salutem: quia absolutè DEUS multis alijs modis homini providere potuisset de adipiscenda salute æterna vel hominem creando & conservando in gratia: vel homini per peccatum lapso conferendo actualia auxilia ad

ad eliciendam perfectam contritionem excitantia; vel se solo infundendo gratiam absque dispositione prævia peccatoris, de quo alibi dictum. Tantum igitur secundùm quid & ad meliùs esse necessarium, sive conveniens fuit, ut instituerentur aliqua Sacramenta, prout dicit S. D. hìc q. 61. a. 1. triplicem rationem congruentiæ assignans. Prima est ex conditione humanæ naturæ, cujus est per sensibilia deduci in cognitionem intelligibilium & per ritus sensibiles externos convenire in Societatem politicam; unde sapientia divina sese hominum conditioni suaviter accommodans voluit per corporalia & sensibilia signa homines ad internam animæ sanctitatem perducere & in unam Religionem adunare. Secunda est ex lapsu hominis, qui peccavit affectum animi subjiciendo corporalibus, ut igitur vita resurgeret, unde mors oriebatur, oportebat per corporalia signa homini medicinam parari. Tertia est ex proclivitate hominis ad corporalia; unde congruum erat hominem per corporalia exercitia Sacramentorum abduci à superstitiosis vel vitiosis actibus & exercitijs. His suppositis dubium est de necessitate & institutione Sacramentorum pro singulis statibus, quorum numerantur 4. Primus est status Innocentiæ, in quo Adamus fuit conditus. Secundus est legis naturæ, à tempore lapsûs Adami usque ad Moysen. Tertius est legis Mosaciæ & veteris testamenti à Moyse videlicet usque ad Christum. Quartus denique est legis gratiæ à Christo usque ad finem Mundi.

ARTICULUS I.

An fuerint, vel fuissent Sacramenta in statu Innocentiæ?

SUMMARIA.

1. *Nulla fuerunt instituta Sacramenta in statu Innocentiæ.*
2. *Neque fuissent instituenda, si status ille durâsset.*
3. *Etiamsi forsan aliqui peccâssent.*
4. *Multiplex objectio opponitur.*
5. *Disparitas inter Sacrificia & Sacramenta.*
6. *Religio requirens coadunationem fidelium per Sacramenta supponit lapsum Adami.*
7. *Uti non ad primam, ita neque ad secundam gratiam fuisset conveniens Sacramentum.*
8. *Aliud est per sensibilia deduci in cognitionem spiritualium: aliud sanctificari per signa sensibilia.*
9. *Gratia sanativa in illo statu non habebat locum.*
10. *Status innocentiæ non erat usque quaque perfectior, quàm status naturæ reparatæ.*
11. *Herbæ medicinales tanquam pars universi fuerunt conditæ cum universo.*

§. I.

Sententia negativa & Thomistica exponitur.

QUæstio potest institui in duplici sensu, nempe de statu Innocentiæ, qui de facto fuit, & de statu Innocentiæ, qui fuisset, si Adam non peccasset. Ut utrique satisfiat, sit

1. CONCLUSIO I. *De facto nulla fuerunt Sacramenta instituta pro statu Innocentiæ.* Est communis Theologorum cum S. D. hìc a. 2. & ratio est: tum quia nullum ejusmodi Sacramenti vestigium extat in SS. litteris, ex qua nobis debent innotescere mysteria, quæ à libera DEI voluntate dependent; tum quia propter brevitatem illius statûs DEUS providebat institutionem Sacramentorum fore inutilem & supervacaneam.

Neque obstat, quòd Apostolus Ephes. 5. Matrimonium primorum parentum appellet *Sacramentum*; appellatur enim Sacramentum in latiori sensu, tanquam mysterium significans futuram desponsationem & conjunctionem Christi cum Ecclesia; non verò in sensu proprio, tanquam signum practicum gratiæ de præsenti conferendæ.

CONCLUSIO II. *Vi præsentis decreti nulla fuissent Sacramenta in statu Innocentiæ, si Adamo non peccante status ille continuatus fuisset.* Ita communis Thomistarum contra Suar. Ysambert, aliósque RR. & probatur duplici fundamento S. D. Sacramenta vi præsentis decreti sunt instituta dependenter à meritis Christi; sed si Adam non peccâsset, nulla fuisset Incarnatio & merita Christi, ut cum S. Doctore docuimus in Tr. de Incarn. ergo Adamo non peccante nulla fuissent Sacramenta instituta. Secundò. Sacramenta vi præsentis decreti sunt instituta, ut anima vel secundùm scientiam, vel secundùm gratiam perficiatur per signa corporalia; sed hoc non fuisset conveniens pro statu Innocentiæ: quippe in quo erat rectitudo ordinis, ut superiora dominarentur inferioribus, nec ab istis ullatenùs dependerent. Confirmatur: Vi præsentis decreti Sacramenta sunt instituta tanquam medicina & remedium naturæ infirmæ; sed in statu Innocentiæ non erat opus medicinâ, cùm natura esset sana & integra; ergo. 2.

Dices. Saltem potuissent aliqui in illo statu peccare, séque inordinato motu liberi arbitrij subjicere rebus corporalibus; ergo pro illis saltem necessarium fuisset Sacramentum. Respondent aliqui primò ad mentem D. Anselmi l. 1. Cur DEUS homo c. 18. omnes homines ex Adamo nascituros tunc fuisse confirmandos in gratia, nec proinde peccaturos: magìs tamen conformiter menti Ang. Doct. Resp. Secundò. neg. consequentiam; quia non nisi pauci peccâssent, iique vel ad modum Angelorum relinquendi in massa perditionis, vel instar primorum parentum per solam contritionem in gratiam restituendi: quemadmodum enim Christus propter illos pau- 3.

cos redimendos, non fuisset venturus, ita nec Sacramenta pro eorum institutione fuissent instituenda.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. OBjicies I. In illo statu fuissent vera Sacrificia & II. vera religio : ergo & Sacramenta. Siquidem secundùm D. Augustinum *in nullum nomen Religionis homines coadunari possunt nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio.* III. Etsi Sacramenta in statu Innocentiæ non fuissent necessaria ad primam gratiam acquirendam, quia hæc per modum naturæ vi generationis fuisset propaganda in Posteros, potuisset tamen servire ad gratiam conservandam, vel augendam; ergo fuissent nihilominùs aliqua Sacramenta ad gratiam augendam idonea, qualia sunt in nova lege Sacramenta Evchariſtiæ, Ordinis &c. IV. Præscindendo ab omni peccato est homini connaturale, ut ex sensibilibus deveniat ad cognitionem spiritualium & intelligibilium : ergo tametsi homo non peccâsset, tamen ipsius naturæ fuisset conveniens, ut ex Sacramentis sensibilibus perduceretur in cognitionem & acquisitionem gratiæ spiritualis. V. Tametsi nullum fuisset peccatum, adhuc tamen Sacramentum Evchariſtiæ & intrinsecus finis ipsius, nempe unio intenta cum Christo ac realis præsentia ipsius fuisset per se appetibilis: ergò non est ratio, cur non fuisset institutum Sacramentum Evchariſtiæ. Idem dixeris de Sacramento Ordinis, quod dicit habitudinem ad Evchariſtiam. VI. Status innocentiæ fuisset perfectior, quàm modernus status viæ; ergo non debuit carere medijs, quibus gratiæ perfectio in præsenti statu viæ augetur. VII. Herbæ medicinales fuerunt in paradiso conditæ, priusquam homo ijsdem indigeret; ergo etiam Sacramenta tanquam medicinæ spirituales priùs fuerunt instituta, quàm homo ijsdem propter lapsum Adami indigeret.

5. Respondeo ad I. neg. paritatem; quia Sacrificia sunt de jure naturæ DEO debita, neque hominem rebus sensibilibus, sed DEO subjiciunt, ad cultum ipsi è rebus sensibilibus exhibendum, Sacramenta verò non sunt de jure naturæ, ipsúmque hominem rebus sensibilibus subjiciunt, quod statui Innocentiæ non est conveniens.

6. Ad II. neg. consequentiam. Quia Sacramenta tantùm sunt necessaria pro illa Religione, in quam homines per sanctificationem internam signis externis significatam uniuntur; hoc autem fit solùm in Religione, supponente lapsum Adami; in statu quippe Innocentiæ homines fuissent quasi naturaliter sanctificati, nec proinde indiguissent alijs signis, quàm quibus Divinum cultum extrinsecùs protestarentur, quod per Sacrificia, publicas preces, aut orationes &c. absque Sacramentis contigisset. In quo sensu intelligimus dictum D. Augustini.

Ad III. neg. ant. primò, quia conservatio & augmentum gratiæ debet proportionari ipsius primæ productioni : cùm igitur in statu Innocentiæ primam gratiam homo accepisset absque subiectione ad signa sensibilia, etiam augmentum accepisset non per subjectionem ad ista signa, sed per intensiores actus charitatis; secundò, quia in illo felicissimo statu nihil fuisset passus gratiæ conservationi contrarium; uti in statu naturæ lapsæ patitur ex fomite concupiscentiæ; tertiò, quia gratia augmentativa, quæ vi præsentis decreti per Sacramenta confertur, est augmentum gratiæ sanativæ & reparativæ; quæ in statu Innocentiæ non habet locum. 7.

Ad IV. neg. consequentiam : quia cùm homo ex sensibilibus deducitur in cognitionem rerum spiritualium, non ipse subjicitur, sed sibi subjicit sensibilia, ex ijs formando species intelligibiles, quod pertinet ad perfectionem, in usu verò Sacramentorum ipse subijcitur sensibilibus, tanquam instrumentis ad acquirendam gratiam divinitùs institutis, quod dicit aliquam naturæ imperfectionem. 8.

Ad V. neg. antec. Nam Sacramentum Evchariſtiæ, Christi præsentia & interna unio non sunt appetibilia nisi suppositâ existentiâ Christi; illa autem non fuisset, si Adam non peccâsset, ut suppono ex dictis de Incarnatione. Adde, quòd primarius finis Evchariſtiæ sit conferre augmentum gratiæ sanativæ contra fomitem concupiscentiæ, quod in illo statu locum non habuisset. 9.

Ad VI. dist. antec. Status innocentiæ fuisset perfectior quoad dona ad integritatem naturæ pertinentia, conc. quoad spiritualia gratiæ dona, quæ per Sacramenta tanquam canales ex passione Christi in nos derivantur, nego; sic enim status naturæ per Christum reparatæ est perfectior. 10.

Ad VII. neg. consequentiam: nam herbæ medicinales sunt pars Universi, ideóque creandæ cum Universo, Sacramenta verò sunt medicinæ spirituales, quæ excedunt omnem naturam, & dependent à libera institutione DEI. 11.

ARTICULUS II.

An & quæ Sacramenta fuerint instituta in lege naturæ?

SUMMARIA.

1. *In lege naturæ etiam obligabant præcepta supernaturalia.*
2. *Quando inceperit lex scripta?*
3. *Diversæ sententiæ de Sacramento in statu naturæ.*
4. *Fuit pro parvulis institutum remedium peccati originalis,*
5. *Non tamen in utero materno decedentibus.*
6. *Non consistens in solo actu interno fidei.*
7. *Dicta SS. PP. in speciem contraria exponuntur.*
8. *Consistebat in externa protestatione fidei in Christum.*
9. *Fuitque verum Sacramentum.*
10. *Quænam distinctio inter legem naturæ & scriptam?*
11. *Hoc signum protestativum fidei à DEO tantùm fuit determinatum in genere.*

12. *In*

12. *In particulari determinatio fuit facta à Republ. vel Principibus familiarum.*
13. *Ad illud non requirebatur interna fides Ministri.*
14. *Corollaria ex dictis.*
15. *Illud signum protestativum fuit etiam necessarium pro adultis necessitate medij.*
16. *Asseritur Sacramentum Pœnitentiæ in lege naturæ necessarium pro adultis.*
17. *Et quidem necessitate medij.*
18. *Circumcisio parvulorum etiam non requirebat in Ministro actualem & explicitam fidem in Christum.*
19. *Etiam Sacramenta antiquæ legis ad remissionem peccatorum instituta necessaria necessitate medij.*

§. I.

Asseritur remedium parvulorum in lege naturæ.

1. NOtandum primò. Legem naturæ non ideò dici, quasi sola præcepta naturalia in illo statu obligaverint; cùm suppositâ hominis elevatione in finem supernaturalem, præcepta supernaturalia Fidei, Spei, Charitatis, Religionis ipsum obligent pro omni statu; sed ideò, quia in illo statu & ante Moysen lex tam naturalis, quàm supernaturalis nondum erat scripto tradita, sed tantùm exarata in tabulis cordis, ita ut lex naturæ haberetur per solum instinctum & dictamen luminis naturalis; lex verò supernaturalis per inspirationem divinam ex parentum instructione in filios & familias derivatam.

2. Notandum secundò, inceptionem legis scriptæ rigorosiùs sumptam computari à tempore Moysis, qui tabulas legis à DEO accepit; minùs rigorosè & latiùs sumptam computari à tempore Abrahami, qui positivum præceptum circumcisionis à DEO accepit, quod tempus ab Abrahamo usque ad Moysen appellari solet confinium legis naturæ & scriptæ: uti tempus, quod fluxit à Joanne Baptista usque ad prædicationem Christi, vocatur confinium legis scriptæ & gratiæ. In præsenti initium legis scriptæ latiùs sumitur, èstque sensus quæstionis: An post lapsum Adami usque ad Abrahamum (quem accepisse Sacramentum circumcisionis certum est) fuerint aliqua Sacramenta? & quænam illa?

3. Notandum tertiò. Non fore dubium, quòd aliquod saltem Sacramentum fuerit in lege naturæ, si modò constet, in illo statu fuisse aliquod remedium institutum pro delendo originali peccato, quod verè habuerit rationem Sacramenti. De hoc enim potissima est quæstio, & sunt diversæ Authorum opiniones. Nam primò pauci quidam relati à Vasq. d. 165. n. 1. sentiebant parvulos in lege naturæ caruisse omni remedio peccati originalis, ad instar illorum infantum, qui nunc in utero materno moriuntur; vel jam nati Baptismo destituuntur. Secundò Vasq. cum pluribus censet parvulos per solam internam parentum fidem absque signo exteriori, ac proinde absque Sacramento in lege naturæ fuisse justificatos. Tertiò D. Th. hîc q. 61. a. 3. Scotus in 3. d. 1. q. 3. n. 7. cum Suarez. Gonet. Labat affirmat, remissionem peccati Originalis in illo statu fuisse factam per aliqua signa sensibilia protestativa fidei in Christum venturum. Unde sit

4. CONCLUSIO. *Fuit in lege naturæ pro parvulis institutum* (I.) *remedium peccati originalis* (II.) *quod non in solo actu interno fidei consisteret, sed requireret aliquam actionem externam sensibilem* (III.) *protestativam fidei in Christum venturum.* (IV.) *adeóque esset verum Sacramentum &c.* Ita Auth. citati ad mentem D. Th.

Prima pars communis Scholasticorum probatur primò Author. D. Augustini l. 5. contra Julian. c. 9. dicentis: *non est credendum ante datam circumcisionem famulos DEI (quandoquidem illis inerat mediatoris fides) nullo ejus Sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura tacere voluerit.* Probatur secundò ratione. Si nullum fuisset remedium pro parvulis institutum, non omnes homines haberent sufficientia media ad consequendam salutem. Consequens non potest dici, effectus quippe seriæ voluntatis antecedentis, quâ DEUS secundùm Apostolum 1. Tim. 2. *vult omnes homines salvos fieri*, & neminem perire, est præparatio sufficientium mediorum ad consequendam salutem, ut aliundè suppono. Ergo debuit pro parvulis institui aliquod remedium, quo à peccato originali mundari, sicque æternam salutem consequi possent. Seq. constat, quia si parvuli sunt destituti remedio peccati originalis, etiam sunt destituti medio consequendæ salutis, cùm istius consecutio peccato originali impediatur, quod alio remedio, quàm Sacramento deleri non potest. Confirm. In lege scripta præter circumcisionem pro parvulis institutam fuit etiam remedium originalis peccati pro femellis, neque enim erat conveniens, ut sexus femininus ejusmodi remedio destitueretur: sed illud remedium non erat aliud, quàm quo parvuli ante circumcisionem juvabantur; ergo fuit aliquod remedium peccati originalis pro parvulis.

5. Dices: hoc argumento probari, quòd parvuli etiam in utero materno existentes deberent habere remedium peccati originalis, quod tamen ne quidem in lege gratiæ est concessum. Resp. neg. consequentiam. Est enim per accidens, quòd parvuli in utero materno incapaces recipiendi media, quæ DEUS omnibus hominibus ad consequendam salutem præparavit, moriantur, antequam illa possint recipere; atqui parvuli extra maternum uterum progeniti sunt capaces ejusmodi mediorum; unde quia illud est de rarò contingenti & ex defectu naturæ, ut parvuli in utero matris decedant, non oportuit, ut DEUS speciali modo succurreret, at verò cùm hoc sit frequentissimum, ut parvuli moriantur, priusquam ad usum rationis pertingant, non esset divinæ pietati congruum, ut absque ullo remedio sibi applicabili relinquerentur; quanquam haud dubiè DEUS absolutè hoc permittere potuisset.

6. Secundæ partis, quam habet S. D. q. 70. a. 4. ad 2. & q. 4. de Malo. a. 8. ad 12. dicentis: *fides antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem.* Ratio est primò: quia per illud remedium peccati originalis non minùs parvuli initiabantur tanquam membra in unum Eccle-

Ecclesiæ visibilis corpus, quàm modò per Baptismum initiantur in unam Ecclesiam visibilem, & per circumcisionem in lege scripta: ergo sicuti propterea oportuit in lege scripta & lege gratiæ dari signum sensibile, quo homines initiantur in Ecclesiam visibilem; ita pariter erat necessarium in lege naturæ. Secundò. Si solâ fide interna parentum potuisset succurri parvulis, non est ratio, cur non potuisset succurri infantibus adhuc in utero materno existentibus; ac proinde infantes in lege naturæ fuissent melioris conditionis, quàm in lege gratiæ, ubi tali remedio succurri non potest. atqui hoc est absurdum. ergo. Tertiò. Conveniebat tale esse remedium peccati originalis, ut possent homines moraliter certificari de remissione ipsius: sed ratione actûs interni homines non poterant moraliter certificari, ergo.

7. Objic. authoritatem D. Gregor. l. 4. Moral. c. 2. & D Bern. ep. 77. dicentium, quòd in illa lege naturæ parvulis sola fides profuerit. nam ille sic habet: *quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro adultis virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium circumcisionis.* Iste verò: *in nationibus verò quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem & fide & sacrificijs credimus expiatos, parvulis autem solam fidem profuisse, imò sufficeisse credimus.* Resp. SS. PP. ly *sola* ponere non per oppositionem ad externam protestationem fidei, sed ad Sacrificia, ut sensus sit, parvulos non fuisse expiatos sacrificijs, sicuti adultos, sed protestatione fidei; nam ipsa quoque externa fidei protestatio rectè fides appellatur, & ita colligitur ex contextu. Nec refert, quòd S. Doctor in 4. d. 1. q. 2. a. 6. q. 2. D. Gregorium ita explicet, quòd sola fides absque omni exteriori signo parvulis sufficerit. Nam cum communi Thomistarum dicendum, quòd S. Doctor sententiam mutaverit in Summa & qq. disputatis, prout patet ex locis citatis.

8. Tertia pars, quæ docet, illam actionem sensibilem fuisse quandam protestationem fidei in Christum venturum, est communis Doctorum tradita à S. Doctore hîc q. 61. a. 3. in c. & locis infra cit. Deducitur ex Apostolo ad Rom. 3. *Nullus potest sanctificari post lapsum Adami, nisi per fidem in Christum, quem proposuit DEUS propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Sed parvuli non poterant justificari per fidem propriam, neque per actum internum fidei alienæ; ergo per actum externum, hoc est, protestationem externam fidei ab alijs factam.

9. Quarta pars, quam præter S. D. l. c. tradit D. August. citatus pro prima parte conclusionis, sequitur ex dictis: signum sensibile gratiæ in suo usu conferendæ est verum Sacramentum; atqui illud remedium peccati originalis erat tale signum; ergo. Minor probatur. erat actio externa protestativa fidei in Christum & practicè significativa peccati originalis delendi per Christum, cùm adhiberetur in finem delendæ hujus maculæ; adeóque erat signum practicum gratiæ, cùm non nisi per infusionem gratiæ peccatum originale deleri possit.

Objicies: Si in lege naturæ fuissent Sacramenta, tunc illa lex non sufficienter distingueretur à lege scripta: in hoc quippe videtur consistere utriusque distinctio, quòd lex scripta habeat præcepta positiva, non item lex naturæ: sed si fuissent Sacramenta in lege naturæ, tunc fuissent instituta per præceptum positivum; ergo. 10.

Respond. neg. seq. & maj. prob. Hoc quippe est distinctivum sufficiens legis naturæ & scriptæ, quòd in illa homines habuerint paucissima præcepta, & non de cæremonijs determinatis in particulari, sed solùm in communi, unde nec in alijs quàm cordis tabulis erant descripta: in lege verò scripta, præcepta quoque erant scripta & plurima, & de cæremonijs determinatis in particulari, ut patet ex toto Levitico.

§. II.

Qualênam fuit hoc Sacramentum parvulorum.

QVæres primò. An illud signum protestativum fidei, quod erat remedium parvulorum, fuerit à Deo determinatum? Resp. determinationem illius Sacramenti à Deo factam fuisse solùm formaliter & in genere, ut nempe per aliquem actionem externam significaretur sufficienter fides in Christum venturum: non verò materialiter & in specie. Ratio est: quòd determinationem actionis alicujus externæ protestativæ fidei indicent SS. PP. & necessitas parvulorum; ulterioris verò determinationis, in quanam actione deberet consistere & exhiberi illa protestatio, nullum est vestigium aut fundamentum. Discriminis verò congruentiam, cur Deus in lege scripta Sacramenta etiam materialiter determinaverit, non item in lege naturæ, exprimit S. D. 3. p. q. 70. a. 2. ad 1. quòd cùm in lege naturæ tam fides, quàm ratio naturalis in homine magis vigeat, meritò ipsius arbitrio fuisse relictum, ut ipse sibi pro libitu signa eligeret, quibus fidem suam protestaretur. At verò circa Abrahami tempora fide jam diminutâ, & naturali ratione per augmentum carnalis concupiscentiæ obscuratâ, convenienter institutam fuisse circumcisionem ad profitendam fidem & minuendam concupiscentiam. 11.

Colliges: determinationem ejusmodi signorum fuisse factam à Republ. vel à Principibus familiarum, ut (prout S. D. cit. q. 70. a. 4. ad 2. existimat) fideles pro parvulis vel aliquas preces funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent. Ratio est: quòd determinatio signorum pro usû alicujus communitatis pertineat ad eos, qui habent authoritatem in communitate, non ad quemlibet privatum; sed Sacramentum illud erat ejusmodi signum; ergo. 12.

Quæres secundò. An ad validam illius Sacramenti applicationem fuerit necessaria fides actualis Ministri? Affirmant Card. de Lugo disp. 3. se. 2. Reding. q. 2. a. 1. n. 31. Negant Suar. Ysambertus, Rosmer, Amicus, Magnif. P. Bened. Perschacher q. 3. de Sac. a. 4. coac. 3. Respondeo: probabilius videri non fuisse necessariam fidem internam actualem Ministri. Probatur primò ex D. August. l. 1. contra Crescon. c. 31. ep. 203. circa med. docente, quòd circumcisio à Samaritano collata non minùs fuerit valida, quàm nunc validus sit Baptismus 13.

Baptismus ab hæretico collatus. Sed eadem est ratio de Sacramento remissivo peccati originalis in lege naturæ, quæ de circumcisione in lege scriptâ; nam sicut Baptismus circumcisioni, ita & circumcisio successit illi Sacramento, quod erat remedium peccati originalis in lege naturæ.

Probatur secundò. Fides Ministri in lege naturæ non magis influebat per signum sensibile ad justificationem parvuli, quàm influat per Baptismum in lege gratiæ: sed in hac nostra lege non requiritur actualis & interna fides Ministri sive informis sive formata per gratiam, ut partim constat ex dictis, partim constabit ex dicendis: ergo neque requirebatur ad applicandum remedium naturæ.

Probatur tertiò. Finis hujus Sacramenti erat subvenire necessitati parvulorum, sed convenientius fuit pro hoc fine consequendo, ut non requireretur fides actualis & interna Ministri; siquidem incertitudo illius internæ fidei etiam incertum reddidisset Sacramentum; ergo.

Inferes ex dictis primò. Cùm SS.PP. dicant, pueros fuisse justificatos per fidem Christi venturi; non intelligi fidem subjectivam sed objectivam, hoc est, intentionem applicandi remedium, quod veri Dei cultores applicabant. Dices. In adulto justificando requirebatur fides actualis & interna propria; ergo in parvulis requirebatur fides actualis aliena Ministri. Resp. nego consequentiam; quia adulto non conferebatur gratia, nec conferenda significabatur per Sacramentum, nisi juxta propriam dispositionem ipsius; unde in ipso necessaria erat fides. Secus est in parvulis, quorum justificatio nec à propria nec ab aliena Ministri dispositione pendere poterat.

Inferes secundò, non fuisse in Ministro necessariam fidem explicitam Christi: hoc ipso, quia non erat necessaria fides actualis in Christum, & quia in illa lege non requirebatur fides explicita in Christum ad justificationem adultorum, ut aliundè suppono: ergo multò minùs requirebatur ad justificationem parvulorum.

Inferes tertiò, illud remedium peccati originalis potuisse à quolibet Ministro applicari validè; non item licitè. Patet ex paritate Baptismi, qui licèt in nova lege à quocunque non etiam baptizato & invitis parentibus infanti validè conferri possit, tamen partim propter periculum subversionis & irreverentiæ contra nostram religionem, partim propter violationem patriæ potestatis non potest invitis parentibus licitè conferri.

15. Quæres tertiò, utrum illud remedium peccati originalis fuerit pro solis parvulis, vel etiam pro adultis necessarium?

Respond. fuisse pro adultis quoque necessarium, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medij. Ratio est. Illud est necessarium necessitate medij, ita ut absque illo salus æterna obtineri non possit, quod est de natura veræ fidei: sed de natura veræ fidei quatenus in homine adulto reperitur, in statu legis naturæ erat actio externa protestativa fidei: ergo illa actio externa (in quâ collocamus Sacramentum deletivum peccati originalis) erat pro adultis necessaria necessitate medij. Major est certa, Minor probatur: De natura fidei quatenus in homine adulto reperitur, est, quòd ab actu interno prodeat in externum; nam ut Apostolus Rom. 9. *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed actio externa est ipsa protestatio fidei, de qua loquimur; ergo ex natura veræ fidei est externa ipsius protestatio.

Confirmatur primò. In omni statu est necessarium necessitate medij, hominem per veram fidem aggregari ad communionem fidelium & corpus veræ Ecclesiæ; sed ad hanc aggregatur per fidem sensibili signo declaratam: cùm ipsa quoque Religio & Ecclesia sit sensibilis; ergo

Confirmatur secundò, sicuti in nova lege per Baptismum intratur in veram DEI Ecclesiam, ita in lege scripta per circumcisionem, & in lege naturæ per externam protestationem fidei intrabatur in veram Ecclesiam: ergo sicuti nunc Baptismus in re vel voto susceptus secundùm communem Theologorum est omnibus adultis necessitate medij necessarius ad salutem; sic illud quoque remedium peccati originalis erat omnibus adultis in lege naturæ necessitate medij necessarium ad salutem.

Confirmatur tertiò. Ex natura gratiæ ut habendæ per Redemptorem est, ut quoties acquirenda est gratia, acquiratur in protestatione Redemptoris, cùm non sit aliud nomen sub Cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri: ergo etiam ad acquirendam gratiam remissivam peccati originalis necessarium erat ex ipsa natura gratiæ, ut adhiberetur protestatio Redemptoris.

Dices: In adultis peccatum originale deleri poterat per actus charitatis & contritionis: ergo Sacramentum illud non erat necessarium necessitate medij. Sed contra est; non obstante, quòd in nova lege peccatum originale per charitatem & contritionem deleri possit, & in sententia D.Th. in homine ad usum rationis veniente actu deleatur, si is se in illo instanti efficaciter convertat in Deum; nihilominus Baptismus est necessarius necessitate medij, saltem ut in voto suscipiendus: ergo similiter non obstante, quòd adultus in lege naturæ potuerit per actum contritionis vel charitatis justificari, tamen signum externum protestativum fidei saltem ut in voto recipiendum erat necessarium necessitate medij. Unde in forma dist. antec. poterat in adultis peccatum originale deleri per actus contritionis & charitatis ut includentibus votum externæ protestationis fidei, con. ut illud excludentibus, nego antecedens; ergo illud signum externum non erat necessarium, ut semper in re suscipiendum, conc. in re vel in voto, neg. consequentiam.

§. III.

Fuerintne alia legis naturæ Sacramenta pro adultis?

CONCLUSIO. *Dabatur in lege naturæ etiam Sacramentum pro remissione peccatorum actualium peccatoribus adultis necessarium necessitate medij ad salutem.* Ita Thomistæ communiter contra Suar. 16.

Prima pars probatur primò apertâ satis authoritate S. Doctoris q. 84. a. 7 ad 1. dicentis: *esse de jure naturæ*, quòd qui mortaliter peccavit, pœniteat de commissis, sicut Ninivitæ fecerunt, & *quòd ali-*

aliqua signa doloris ostendat; atqui dolor iste, quatenus includebat signum sensibile stabili lege à Deo institutum ad significandam gratiam remissivam peccati, habebat veram rationem Sacramenti, ergo. Item in 4. d. 1. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2. inquit, *dicendum, quòd ante legem scriptam erant quadam Sacramēta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati: & similiter pœnitentia, qua ordinabatur ad deletionem actualis.*

Probatur secundò authoritate S. Scr. ubi Iob. c. ult. legitur ex mandato Dei obtulisse Sacrificia pro remissione peccatorum & Sanctificatione suorum amicorum, quæ proinde verisimile est habuisse rationem veri Sacramenti.

Probatur tertiò ratione. Non minùs remissio peccatorum actualium pendebat à merito & satisfactione Christi, quàm remissio peccati originalis, siquidem Christus est Reparator non tantùm peccati originalis, sed etiam actualis: ergo sicuti ad delendum originale peccatum, necessaria erat exterior protestatio Mediatoris, quâ practicè significabatur remissio peccati originalis obtinēda per Christum: ita pariter erat necessaria protestatio ejusdem, quâ practicè significaretur remissio peccati actualis.

Probatur quartò. In lege Veteri & Nova, ubi major est abundantia gratiæ, & expressior cognitio Christi, obligantur homines ad peccata sua externo doloris signo manifestanda, ergo neque lex naturæ erat ab hoc onere libera; cùm præcipuè ejusmodi signum externum serviret partim ad refrænandam peccandi licentiam, partim ad dolorem vehementiùs excitandum.

17. Secunda pars probatur Primò à paritate superioris §. Ad delendum originale peccatum erat adultis necessarium Sacramentum necessitate medij, quia ex natura gratiæ ut habendæ per Redemptorem est, ut acquiratur in protestatione Redemptoris: ergo ex eodem capite ad delendum peccatum actuale adultis necessarium erat Sacramentum necessitate medij, quo protestarentur, se velle reconciliari per gratiam Mediatoris. Secundò In lege nova datur Sacramentum necessarium necessitate medij ad remissionem peccatorum actualium; ergo etiam in lege naturæ & lege Scripta: quia eadem est ratio congruentiæ pro lege antiquâ, quàm pro nova in prioris partis probationibus adducta.

Cæterùm, an alia quoque fuerint Sacramenta, In incerto est; verosimile est fuisse etiam aliqua Sacramenta ad sese conservandum in gratia, quale probabiliter fuit illa Panis & Vini oblatio à Melchisedech facta, & præfigurativa Sacramenti Eucharistiæ.

Inferes ex dictis primò. Ob paritatem vel potiùs identitatem rationis, etiam ad circumcisionem parvulorum, quæ successit in remedium illud legis naturalis, non fuisse necessariam explicitam & actualem fidem Ministri in Christum, sed sufficeisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. 18.

Inferes secundò ob eandem rationis paritatem, etiam in lege antiqua, Sacramenta ad remissionem tum originalis, tum actualis peccati instituta fuisse necessaria necessitate medij. Circumcisionis quoque necessitas spiritualiter probari solet ex illo Gen. 17. *Masculus, cujus praputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, quem locum licèt aliqui interpretentur de exclusione temporali à communione populi Israelitici, tamen plures cum D. August. intelligunt de morte æterna & spirituali. Unde sicut ex illis Christi verbis Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI*, rectè infertur, Baptismum esse necessarium necessitate medij ad salutem, sic pariter ex ijs verbis Geneseos rectè infertur, circumcisionem apud Judæos fuisse necessariam necessitate medij ad salutem.

ARTICULUS III.

An & qualia fuerint Sacramenta in lege scripta Moysis?

SUMMARIA.

1. *Præter circumcisionem fuerunt plura Sacramenta in lege Moysis.*
2. *Omnia reduci possunt ad tria genera.*
3. *Figurabant quatuor Sacramenta N. legis.*

1. CONCLUSIO: *In lege Mosaica plura fuerunt Sacramēta præter circumcisionem.* Ita cōmunis DD. & cōnstat tum ex Decreto Eugenij in Concil. Florent. tum Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis antiquæ legis in plurali numero loquentibus. Item ex D. August. l. 19. contra Faustum c. 13. ita loquentis: *Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora.* Rationem congruentiæ insinuat S. Doctor hic a. 3. ad 2. primò, quòd quantò magis crescunt morbi, tantò pluribus medicinis est opus, sed successu temporis peccatum & concupiscentia in homine magis invaluit: ergo opus erat non tantùm, ut darentur plura præcepta positiva & determinata, sed etiam plura & magis determinata Sacramenta in lege scripta, quàm primitùs erant in lege naturæ, tanquam medicamenta contra peccatum. Secundò: quantò tempora erant propiora adventui Christi, tantò magis decebat explicari & crescere notitiam ac fidem Christi, sed Sacramenta erant quædam protestationes fidei in Christum, ergo oportebat, ut in lege scripta usque ad Christum duraturâ, essent plura, & magis determinata atque expressa Sacramenta.

Porrò hæc legis Mosaicæ Sacramenta ad 3. capita seu genera reducuntur à Doct. Ang. 12. q. 102. a. 5. primum est eorum, quibus homines ad cultum divinum initiantur, idque vel generatim, & sic dabatur circumcisio, quæ erat janua ad omnes legales sanctificationes pro universo populo, vel speciatim, & sic dabantur consecrationes Sacerdotum, quibus aliqui specialiter ad cultum Divinum deputabantur. Secundum est eorum, quæ sunt instituta ad rerum sacrarum participationem & recognitionem divinorum beneficiorum 2.

ficiorum, quo pertinent comestio Agni Paschalis, & panum propositionis. Tertium est eorum, quibus homines expiabantur à peccatis & purificabantur à maculis legalibus; qualia erant pro toto populo aspersio aquæ, pro Sacerdotibus lotiones manuum & pedum, ac rasio pilorum &c.

3. Ex quibus colliges: legis Mosaicæ Sacramenta fuisse figuras 4. Sacramentorum novæ legis: nam Baptismum præfigurabat Circumcisio, agnus paschalis & panes propositionis Eucharistiam, Ordinem consecratio Sacerdotum, & Pœnitentiæ Sacramentum expiationes. Confirmationi nullius Sacramenti figura respondebat, uti neque extremæ unctioni; nam illa significat plenitudinem gratiæ; ista introitum gloriæ; in illa verò lege omnia erant egena, neque tum advenerat plenitudo gratiæ, neque patebat aditus ad gloriam necdum persoluto Redemptionis pretio. Matrimonium quoque antiquæ legis nec erat Sacramentum, nec figurabat Matrimonium novæ legis, quia nondum erat facta unio hypostatica inter verbum & naturam humanam, vel conjunctio Christi cum Ecclesia, quam significat novæ legis Matrimonium: ideò in veteri lege dabatur libellus repudij, quod est contra rationem Sacramenti, inquit S. D. l. cit.

ARTICULUS IV.

Quæ, & quot sint Sacramenta in lege gratiæ?

SUMMARIA.

1. *In nova lege sunt Sacramenta distincta à Sacramentis antiquæ legis.*
2. *Eaque septem ex Scripturâ.*
3. *Et ex ratione congruentiæ.*

§. I.

Veritas Catholica probatur.

1. CONCLUSIO. *In nova lege sunt septem verà Sacramenta* (2) *quæ congruè hoc ordine recensentur: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.* Ita Catholici universi.

Prima pars est definita à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacr. in communi. Ratio sancti Doctoris est: sicuti in antiqua lege justificatio & salus obtinebantur per fidem Christi venturi; sic in nova lege per fidem Christi jam nati & passi; ergo sicuti in antiqua lege requirebantur Sacramenta tanquam signa protestativa fidei in Christum venturum; ita in nova lege requiruntur Sacramenta tanquam signa protestativa fidei in Christum jam natum & passum. Cùmque signa rei præsentis vel præteritæ oporteat esse diversa à signis rei futuræ, oportebat, ut Sacramenta novæ legis, quæ Christum jam passum annuntiant, essent distincta à legis antiquæ Sacramentis Christum tantummodò venturum prognosticantibus.

2. Secunda pars est definita in can. Trid. suprà cit. & probatur. Tot sunt Sacramenta novæ legis, quot diversi ritus in Scrip. indicantur, habentes annexam promissionem gratiæ, sed 7. ejusmodi ritus in S. Script. assignantur; ergo; Minor probatur. Nam de Baptismo dicitur Marci ult. *baptizantes eos &c.* De Confirmatione habetur Act. 8. & 19. *Manus ab Apostolis fuisse impositas baptizatis ad accipiendum Spiritum S.* De Eucharistia Jo. 6. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De Pœnitentia Jo. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De extrema Unctione Jac. 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum &c. & si in peccatis sit, remittentur ei.* De Ordine 2. Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* De Matrimonio Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Congruentiæ ratio pro septenario numero & ordine prædictorum Sacramentorum traditur à S. Doctore q. 65. a. 1. in c. ex analogia vitæ spiritualis ad vitam corporalem. Septem quippe sunt requisita, quibus hominis vita corporalis perficitur, & ex ijs 5. quibus perficitur per ordinem ad esse hominis singulare, duo, quibus perficitur per ordinem ad communitatem & rempubl. Primum est generari; secundum crescere; tertium nutriri; quartum à morbo, si quo prematur, sanari; quintum à reliquijs morbi & debilitate relicta liberari; sextò per ordinem ad Remp. habere potestatem officia & munia Reipublicæ exercendi; septimò pro generis humani conservatione prolem legitimè propagare. Ita in vitam spiritualem homo primò generatur per Baptismum. Secundò roboratur per Confirmationem. Tertiò nutritur per Eucharistiam. Quartò sanatur per Pœnitentiam. Quintò à reliquijs peccati liberatur, & à debilitate corroboratur per extremam Unctionem. Sextò per S. Ordinem accipit potestatem Spiritualem exercendi ministeria & officia Ecclesiastica. Septimò per Matrimonium accipit gratiam prolem ad DEI honorem sanctè procreandi & educandi. 3.

Nec obstat huic enumerato ordini primò, quòd Eucharistia dignitate excedat omnia reliqua Sacramenta. Secundò, quòd Baptismus & Pœnitentia sint magis necessaria, quàm reliqua cuncta. Tertiò, quòd Ordo & Matrimonium respiciant bonum commune, quod est principalius bono privato. Nam Resp. In enumeratione Sacramentorum ab Ecclesia attendi ordinem naturæ, & generationis, quo non obstante Eucharistia est primum ex omnibus Sacramentis ordine dignitatis & perfectionis, Baptismus & Pœnitentia ordine necessitatis. Quamvis verò sub alijs respectibus bonum publicum sit potius privato; ordine tamen generationis & naturæ privatum est prius publico, quia multitudo supponit unitatem, siquidem ex unitatibus componitur.

Quæ Hæretici contra septenarium numerū Sacramentorū objiciunt; in singulorū Sacramentorū tractatione suo quæque loco refutanda occurrent.

DI-

DISPUTATIO XIX.
DE
Efficacia & Causalitate Sacramentorum.
Ad q. 62.

PRæcipua differentia inter Antiquæ, & novæ legis Sacramenta in efficacia & causalitate consistit, quam hoc loco disquirimus, & triplici quæstione expedimus. I. An Sacramenta antiquæ legis contulerint gratiam ex opere operato? II. An novæ legis Sacramenta eandem immediatè ex opere operato, ac III. An physicè causent?

ARTICULUS I.
An Sacramenta antiquæ legis contulerint gratiam ex opere operato?

SUMMARIA.

1. *Quinque modi, quibus gratia à Sacramentis causari potest.*
2. *Quid sit conferre gratiam ex opere operantis, & ex opere operato?*
3. *Certa præmittuntur.*
4. *Nullum Sacramentum antiquæ legis dabat gratiam ex opere operato activè.*
5. *Circumcisio dabat parvulis gratiam ex opere operato passivè.*
6. *Non verò adultis, uti nec alia Sacramenta.*
7. *Circumcisio non continebat valorem moralem ex passione Christi communicatum.*
8. *Quod solùm convenit Sacramentis novæ legis.*
9. *Objectiones contra tertiam conclusionem.*
10. *An & quando signa promissionum habeant vim moraliter causativam?*
11. *Sacramenta antiquæ legis non erant instituta ad primam gratiam intuitu ipsius operis conferendam.*
12. *Discrimen significata fidei in circumcisione parvulorum, & adultorum.*
13. *Non sequitur, Sacramenta antiquæ legis fuisse meras cæremonias.*
14. *Remedium parvulorum in lege naturæ non conferebat gratiam activè ex opere operato.*
15. *Circumcisio fuit principaliùs instituta ad remissionem peccati originalis, quàm ad consignationem populi electi.*

De hac controversia in præcedenti disputatione jam aliqua prælibavimus. Nunc quæ de Circumcisione potissimo antiquæ legis Sacramento supersunt, cum S. D. a. 6. discutiemus. Unde sit

§ I.
Prænotanda.

1\. NOtandum primò. 5. modos, quibus gratia causatur, in Sacramentorum perceptione posse accipi. Primò, quòd ipsa Sacramenta producant, vel causent gratiam virtute propriâ, non derivatâ à passione Christi. Secundò, quòd causent & producant gratiam virtute aliena & derivatâ, eâque physicâ. Tertiò, quod quidem activè causent gratiam virtute derivatâ, sed morali tantùm, tanquam exhibentia in se ipsis valorem sufficienter moventem, ut gratia ipsi correspondens conferatur: veluti nummus moraliter continens valorem à Republ. impositum, sufficienter movet venditorem ad mercem tradendam pretio & valori commensuratam. Quartò, ut quidem gratia à solo DEO conferatur ad præsentiam Sacramenti, tanquam ad conditionem sine qua non, ita tamen, ut Sacramentum non habeat aliquem valorem moraliter moventem, sed tantummodo sit conditio, quâ passivè positâ DEUS vi suæ promissionis confert gratiam præter dispositionem subjecti, sicut ad exhibitionem chirographi continentis promissionem movetur promissor ad solvendam rem promissam, ubi ipsa promissio est morale motivum, exhibitio verò chirographi est per modum conditionis. Quintò, ut gratia ad passivam positionem Sacramenti à solo DEO producatur solummodò juxta mensuram & modum dispositionis internæ, ita ut nihilò plus gratiæ accedat propter additionem Sacramenti, tanquam si non adesset.

Notandum secundò. Modum conferendi divinam gratiam juxta communem stylum Theologorum dividi in collationem gratiæ ex opere operantis, & ex opere operato. Ex opere operantis confertur gratia, cùm confertur propter honestatem vel vim meritoriam operis sive de condigno, sive de congruo quatenus videlicet ex operante procedit. Ex opere operato confertur, quando confertur gratia ratione ipsius operis ad effectum conferendæ gratiæ à DEO constituti, secluso respectu ad honestatem & bonitatem meritoriam ipsius; quem loquendi modum etsi irrideant Hæretici, tanquam Grammaticorum legibus minùs conformem, est tamen receptus à Theologis Catholicis usurpatus à Concilijs & Innocentio III. de S. Altaris mysterio l. 3. c. 5. dicente: *quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.* Iy *ex opere operato* Thomistæ dividunt in opus operatum activè & passivè. Conferre gratiam ex opere operato activè est illam conferre secundùm proprium valorem præter meritum operantis, prout loco tertio primùm exposuimus: ex opere operato passivè conferre gratiam est, cùm solus DEUS ad positionem talis operis activè producit gratiam absque influente & movente valore ipsius operis, ut loco quarto explicuimus. 2.

No-

contulerint gratiam, cùm ex dictis, solus Deus sit author gratiæ; & ejusmodi virtus ne quidem Sacramentis novæ legis possit competere, neque habuerint vim instrumentalem physicè productivam gratiæ: cùm à Script. & Concil. passim vocentur egena elementa, quæ non continebant gratiam. Certum esse secundò, quòd eadem Sacramenta, quatenus erant opera honesta ex motivo virtutis imperata, potuerint conducere ad gratiam acquirendam vel augendam ex opere operantis; cùm nihilò sint deteriora alijs actibus ex motivo virtutis elicitis aut imperatis, quibus hæc efficacia convenit. Restat igitur dubium, in quonam ex 3. ultimis modis in primo notando relatis collocari debeant Sacramenta antiquæ legis? Inter diversa authorum placita sit

§. II.

Resolvitur quæstio triplici conclusione.

CONCLUSIO I. *Nullum Sacramentum antiquæ legis dabat gratiam ex opere operato activè.* Ita Sotus, Gonet, Contenson, Jo. à S. Th.
4.
Constat primò ex authoritate S. Scr. Conc. Florentini & D. Thomæ in Disp. 16. a. 3. à nobis adductis. Nec est fundamentum excipiendi circumcisionem, nam & illa continetur inter antiquæ legis Sacramenta, quæ ab Apostolo vocantur *egena & vacua elementa* Gal. 4. continentur quoque inter opera legis, de quibus universim affirmat Apostolus Rom. 3. *ex operibus legis non justificari omnem carnem.* Ratio ulterior est. Si quis activus concursus ad justificationem conveniret circumcisioni, alijsve Sacramentis antiquæ legis, tunc conveniret propter valorem ipsis ex Christi meritis & satisfactione communicatū, sed ex hoc capite non convenit. ergo. Major ex eo liquet; quia Sacramentis novæ legis non aliundè convenit activus concursus moralis ad productionem gratiæ (abstrahitur à physico concursu, qui est in dubio) quàm quia continent & exhibent valorem passionis & satisfactionis Christi. Minor etiam probatur: quia nullum est fundamentum illum valorem adstruendi Sacramentis antiquæ legis, quem habent Sacramenta novæ legis ex speciali prærogativa, quòd succedant loco passionis Christi præteritæ; ideòque SS. PP. dicant, illa fluxisse de latere Christi, sintque actiones ipsius Christi ceu Ministri principalis.

5. CONCLUSIO II. *Circumcisio dabat parvulis gratiam ex opere operato passivè.* Ita Authores citati.

Ratio est. Circumcisio dabat parvulis gratiam remissivam peccati originalis ex opere operato, sed non activè; ergo passivè modo exposito. Major constat clarâ authoritate Innocentij in c. *Majores de Baptismo* dicentis: *quòd sicut per baptismum ita per circumcisionem remittebatur originalis culpa.* Item SS. PP. D. Augustini, qui in l. 4. de bapt. c. 24. dicit: *ex circumcisione posse nos conjicere, quid valeat in parvulis Sacramentum baptismi.* Et D. Bern. Sermone 20. de Assumt. *In baptismate sola gratia lavat hanc maculam, quam olim rasit petra circumcisionis.*

Confirmatur. Dari gratiam ex opere operato passivè, est gratiam à solo Deo activè conferri mediante aliquo opere, quod non sit meritum operantis. Sed Deus accedente opere circumcisionis confert parvulis gratiam remissivam peccati originalis, ut constat ex communi consensu PP. absque intuitu alicujus meriti; non ipsius parvuli, quem constat esse meriti incapacem, non Ministri, vel Ecclesiæ, cùm alteri mereri de condigno gratiam, solùm pertineat ad Gratiam Christi tanquam capitis. Meritum quoquede congruo non est ad rem, quia est fallibile, circumcisio verò infallibiliter conferebat remissionem peccati originalis.

CONCLUSIO III. *Adultis neque circumcisio, neque aliud antiquæ legis Sacramentum ex opere operato etiam passivè sumpto conferebat gratiam, sed erat præcisè signum gratiæ à Deo conferendæ secundùm mensuram vivæ fidei, & dispositionis internæ.* 6.
Ita Nunno, Suarez, Jo. à S. Th. q. 62. d. 24. a. 6. dub. un. contra Gonet &c.

Probatur primò authoritatibus & rationibus disp. 16. adductis quæ hìc repetere supervacaneum ducimus.

Probatur secundò. Quotiescunque Deus adulto dat gratiam, secundùm legem ordinariam requirit subjectum dispositivum dispositione proportionatâ ad formam: atqui solus Deus in lege antiqua, dabat gratiam recipientibus aliquod Sacramentum, ipsis Sacramentis nihil activè conferentibus, ut Adversarij fatentur, ergo in usu Sacramentorum antiquæ legis nulla dabatur gratia, nisi quæ responderet dispositioni suscipientis. Sed quoties datur gratia respondens soli dispositioni & bonitati, suscipientis datur ex opere operantis, & non ex opere operato, ne passivè quidem; ergò Sacramenta antiquæ legis adulto non dabant gratiam ex opere operato etiam passivè. Maj. est communis Thomistarum, nec est ullum fundamentum è S. Script. illa Sacramenta excipiendi, sed potiùs contrarium, siquidem de Abrahamo Gen. 15. & Rom. 3. expressè affirmatur, illum non ex circumcisione, sed ex fide justificatum; sive ut S. D. loquitur, *non ex circumcisione significante, sed ex fide significatâ*, unde idem S. Doctor hoc ponit discrimen inter nostra & antiqua Sacramenta, quòd in nostris detur gratia mediante usu rerum exteriorum, hoc est ex opere operato, per quod applicatur virtus passionis Christi; in illis verò dabatur gratia ex virtute & valore fidei internæ, sive *mediante*, ut inquit, *actu animæ.*

Confirmatur primò. Si Sacramenta antiquæ legis poterant dare gratiam præter dispositionem recipientis, & facere ex attrito contritum, non erit major abundantia gratiæ in novæ, quàm antiquæ legis Sacramentis: Siquidem ut alibi diximus, recipientis nihil interest, an Sacramenta physicè vel moraliter activè vel passivè concurrant, modò ipse vi & ratione talis operis præsenti gratiam æquè consequatur; sed consequeretur æquè in antiqua, quàm nova lege. Inquis: non consequeretur tantam; sed minùs perfectam. Contra est, quòd abundantia gratiæ in nova lege debeat esse major quoad substantiam receptionis, (hoc est, quòd habeat meliora & faciliora media ad gratiam perveniendi, quàm fuerint in lege antiqua) non tantùm quoad accidentalem perfecti-

ctionem & gradum intensionis, atqui fuissent in antiqua lege plura media acquirendi gratiam, siquidem plura fuerunt Sacramenta, & ex magna parte faciliora, siquidem expiationes pro peccatis non requirebant particularem & auricularem accusationem peccatorum, ut Sacramentum Pœnitentiæ requirit in lege nova.

Confirmatur secundò. Sacramenta legis veteris non erant instrumenta gratiæ moralia vel physica, ergo non poterant facere ex attrito contritum, & consequenter circumcisio non proderat ad justificationem adulto non habenti perfectam contritionem & fidem vivam seu charitate formatam. Antecedens concedunt Adversarij, consequentiam probo. Deus in nova lege, ubi est major abundantia gratiæ, non facit ex attrito contritum sine instrumento; ergo minùs in lege antiquâ.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

7. Objicies primò contra primam conclusionem. Tametsi nostra Sacramenta non essent physica instrumenta gratiæ, adhuc tamen ex opere operato activè darent gratiam: ergo etiam saltem circumcisio ex opere operato activè confert gratiam. Consequentia probatur. Ideò nostra conferunt gratiam ex opere operato activè, quia sunt signa practica applicativa meritorum Christi, ad quorum positionem Deus confert gratiam præter dispositionem recipientis: sed etiam in circumcisione parvulorum Deus hoc modo conferebat gratiam; ergo.

Respond. nego consequentiam. Et ad probationem distinguo causalem antecedentis. quia sunt signa practica, ad quorum positionem Deus confert gratiam respondentem valori morali ipsis Sacramentis ex passione Christi communicato, conc. non respondentem ejusmodi valori, nego: atqui circumcisio non continet ejusmodi valorem, sed tantummodò promissionem seu pactum divinum remittendi originale peccatum ad talis signi protestativi positionem.

8. Dices: Non minùs poterat derivari valor & virtus divinæ passionis quatenus existentis in efficaci & executivo decreto DEI in Sacramenta legis antiquæ, quàm valor illius, quatenus executæ & positæ in propria duratione derivatur in Sacramenta novæ legis, siquidem omnis gratia in quocunque statu est effectus passionis Christi tanquam causæ meritoriæ, juxta illa, quæ diximus, in Tr. de Incarn. ergo non est ratio, cur non etiam Sacramenta antiquæ legis, præsertim circumcisio tanquam significativa futuræ passionis habuerint valorem moralem derivatum ex passione Christi.

Respondeo: quicquid sit de antecedente, nego consequentiam. Etsi enim demus potuisse à passione Christi ut futura & existente in mente divina talem valorem communicari, quod plures Thomistæ negant; nullum tamen est fundamentum asserendi illum fuisse communicatum, si quidem juxta Concilia & PP. hæc est specialis prærogativa Sacramentorum novæ legis, quòd sint à Christo instituta & ab ipso quasi substituta loco suæ sanctissimæ Passionis, ut scilicet in illis, & per illa pretium ac virtutem Passionis præteritæ ipsemet applicaret, & ad hominum justificationem operaretur usque in finem Mundi, quâ de causâ SS. PP. dicunt illa fluxisse de latere Christi. De antiquis verò Sacramentis universim affirmant fuisse umbras futurorum & egena elementa, quod sanè dici non posset, si nostris in valore communicato forent æqualia. Et decuit utique majori efficacia Passionem Christi in executione extra causas existentem influere in Sacramenta, quàm ut existentem in mente divina, siquidem lex & plenitudo gratiæ per ipsam ut actu in rerum naturâ positam fuit fundata.

Objicies secundò contra tertiam conclusionem. 9.
Hoc ipso, quòd Sacramenta antiquæ legis sint signa practica gratiæ & figurativa passionis Christi, habent vim moraliter excitativam ad gratiam intuitu passionis Christi conferendam, sed hoc sufficit, ut aliquo modo saltem passivè ex opere operato causent gratiam, ergo.

Confirmatur primò. Promissiones & fidejussiones sunt morales causæ præstandæ rei promissæ; sed Sacramenta antiqua appellantur quædam promissiones & fidejussiones gratiæ per Christum dandæ. ergo erant causæ morales gratiæ. Confirm. secundò. Omne signum practicum est operativum rei significatæ: ergo & Sacramenta antiquæ legis: sed non ex opere operantis, ergo ex opere operato saltem passivè. Resp. primò ex hoc potiùs probari, quòd essent causativa gratiæ ex opere operato activè, quàm passivè, quòd est contra Adversarios. Resp. Secundò. dist. Maj. habent vim moraliter excitativam, si contineant in se valorem moraliter excitativum, conc. secùs, nego. atqui Sacramenta antiqua non continuisse valorem modò diximus.

Ad primam confirmationem Resp. primò. Hinc probari, quòd illa Sacramenta causarent etiam Christi Incarnationem & gratiam novi testamenti, quæ est sententia Lugonis etiam Adversarijs improbata & à nobis superiùs impugnata. Resp. Secundò, illa Sacramenta fuisse promissiones & fidejussiones, metonymicè accipiendo signum pro re significatâ, non formaliter.

Inquis: etiam signum promissionis vel fidejussionis v. g. chirographum habet vim moraliter excitativam ad præstandam rem promissam. Resp. 10.
primò præter retorsionem suprà datam, habet vim excitativam remotè & ratione promissionis in se inclusæ, quam exhibet, conc. proximè & ratione valoris sibi proprij nego. ergo habet vim causativam figuratè & metonymicè, hoc est, significativam, conc. propriè hoc est operativam & causantem ex opere operato, sic nego. Resp. secundò. Si signum sit institutum ad hoc, ut significet ipsi promittenti, uti contingit in humanis, transeat. Si sit institutum, ut tantùm significet utenti sic nego. Ideò enim in humanis signa promissionum reduci solent ad genus causæ moralis, tanquam instrumenta moralia, quia sunt instituta, ut ipse promissor, debitor &c. per illa signa & chirographa suæ promissionis vel obligationis admoneatur, vel con-

vincatur. atqui DEUS non instituit Sacramenta, ut sibi suam promissionem significarent, sed hominibus, qui talibus signis utuntur: unde vim significativam (in qua tamen Adversarij fundant vim moraliter excitativam) non exercent respectu DEI, sed respectu recipientium, ex quo nulla probatur moralis causalitas. Inquis. Est saltem conditio, ad cujus præsentiam DEUS confert gratiam, quam aliàs non conferret. Transeat: non ideò sequitur pertinere ad genus causæ moraliter effectivæ, sicuti revelatio passiva non pertinet ad intrinsecum motivum fidei, quantumvis sit conditio applicativa illius, nec repræsentatio & propositio finis pertinent formaliter ad genus causæ finalis, tametsi sit conditio applicativa ipsius.

Ad secundam confirmationem nego majorem: nam ut suprà dictum, signum practicum in hoc consistit, quòd sit significativum rei in suo subjecto operandæ, sive id fiat per se, sive per alium.

11. Objicies tertiò. Sacramenta instituta ad conferendam primam gratiam conferunt illam ex opere operato, sed Sacramentum circumcisionis & expiationis pro peccato in lege antiqua, erat institutum ad conferendam primam gratiam. ergo confert illam ex opere operato. Major probatur. Tunc Sacramenta gratiam ex opere operato conferunt, quando non præsupponunt illam jam infusam propter dispositionem suscipientis, tunc enim ex sua institutione illam suo usu conferre debent; sed Sacramenta instituta ad conferendam primam gratiam non præsupponunt illam infusam virtute dispositionis propriæ subjecti, uti patet in Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, quæ propterea sunt Sacramenta mortuorum, & faciunt ex attrito contritum, quia sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, eamque non præsupponunt.

Respond. primò. in rigore neg. min. neque enim illa Sacramenta erant per se instituta ad conferendam, sed ad significandam collationem seu productionem gratiæ non in virtute & ex valore Sacramenti, sed in virtute & ex valore dispositionis & fidei significatæ faciendam. Resp. secundò dist. ma. si sint instituta ad primam gratiam intuitu dispositionis & fidei contentæ conferendam nego. intuitu ipsius operis conferendam conc.

12. Instabis. Etiamsi circumcisio parvulorum secundùm S. D. ex fide significata conferret primam gratiam, nihilominùs illam conferebat ex opere operato saltem passivè: ergo etiamsi adultis conferret gratiam ex fide vel in virtute fidei significatæ, tamen conferebat ex opere operato: non enim minùs circumcisio erat à DEO posita in signum fidei pro adultis, quàm pro parvulis.

Respond. in hoc convenire circumcisionem parvulorum & adultorum, quòd utrobique circumcisio habuerit annexam promissionem divinam remittendi peccatum originale in virtute fidei significatæ per circumcisionem, & quòd nusquam habuerit virtutem seu valorem activum respectu gratiæ. In hoc verò esse discrimen, quòd in parvulis circumcisio tantùm objectivè continebat fidem in Christum, quatenus nempe Minister circumcisionis pro objecto intentionis saltem implicito habebat Christum Mediatorem ab Ecclesia creditum. In adultis verò debebat continere fidem subjectivè & formaliter sumptam, tanquam dispositionem necessariam ad ipsam gratiam. Hinc fit, quòd cùm parvulis esset promissa justificatio conferenda ad circumcisionem, quatenus hæc erat protestativa non propriæ aut Ministrorum fidei, sed fidei Ecclesiæ, etiam ad positionem circumcisionis tanquam conditionis divinam promissionem exhibentis, DEUS independenter à dispositione vel parvuli vel ministri produxerit gratiam, quod nihil est aliud, quàm gratiam dari ex opere operato passivè. Econtra cùm adultis sit promissa justificatio conferenda ad circumcisionem, quatenus hæc erat signaculum propriæ fidei formaliter sumptæ, tanquam necessariæ dispositionis ad justificationem, nec DEUS secundùm legem ordinariam se solo producat formam gratiæ nisi juxta proportionem dispositionis, consequenter gratia remissiva peccati originalis conferebatur adultis juxta proportionem suæ fidei, non utique informis, quæ nunquam est sufficiens dispositio ad gratiam, sed charitate formatæ, seu cum charitate conjunctæ, quod est gratiam conferri ex opere operantis.

Inquis. Ergo antiquæ legis Sacramenta conferebant gratiam ex opere operantis: sed hoc est commune cuilibet operi supernaturaliter bono, & non proprium Sacramentis. Resp. neg. consequentiam. non enim ipsa, sed in ipsis gratia conferebatur ex opere operantis. Ergo replicas, illa Sacramenta nihil distabant à meris cæremonijs, ad quid enim Judæo jam per fidem vivam in Christum justificato necessaria erat circumcisio? Resp. non fuisse meras cæremonias, quia fuerunt instituta ceu signa practica continentia divinam promissionem de gratia in fide Mediatoris conferenda: ipsa quoque fides & dispositio interna non nisi cum ordine ad circumcisionem (idem proportionaliter dicendum de Sacramento instituto pro remissione peccatorum actualium) valebat ad justificationem, siquidem per talem externam actionem tanquam conditionem ex necessitate medij requisitam debebat subordinari Christo Mediatori. Esto igitur, quòd illa antiqua Sacramenta seorsim ab interna dispositione accepta fuissent meræ cæremoniæ & non nisi legaliter sanctificativæ, sumpta tamen unà cum fide inclusa erant verissima Sacramenta internam sanctificationem animæ juxta mensuram dispositionis conferendam significantia. 13.

Colliges ex dictis primò. Quæ de efficacia Sacramentorum antiquæ legis diximus, esse ob paritatem rationis proportionaliter extendenda ad Sacramenta in lege naturæ, unde remedium peccati originalis non nisi in parvulis ex opere operato passivè valebat ad remissionem illius. 14.

Colliges secundò. Circumcisionem principalius fuisse institutam ad remissionem peccati originalis, quàm ad fideles consignandos in populum 15.

pulum electum. Ratio est [illegible] quod Sacramenta sint instituta principaliùs propter id, quod principalius significant; sed Sacramenta ex propria ratione principaliùs significant gratiam internam, quàm sanctitatem legalem, & circumcisio est verissimum Sacramentum; ergo. Confirmatur ex illo Gen. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Sive ut August. legit, *peribit de populo meo.* quibus significatur juxta ejusdem D. Augustini interpretationem, mors & interitus animæ spiritualis; sicut ergo ex similibus verbis, quibus Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI. Jo. 3.* rectè infertur [illegible] ...rium esse principaliter [illegible] peccati originalis [illegible] 17. rectè infertur circumcisionem [illegible] tam ad delendum peccatum originale [illegible] vertente D. Aug. l. 3. contra Julian. [illegible] *non perderetur [illegible] cumcideretur, nisi [illegible] illo Sacramento [illegible] ...rem.*

Articulus II.

An Sacramenta novæ legis gratiam causent immediatè ex opere operato?

SUMMARIA.

1. *Error Hæreticorum exponitur.*
2. *Sacramenta novæ legis vere causare gratiam ostenditur authoritate & ratione.*
3. *Idq; ex opere operato.*
4. 5. [illegible] *Testimonia S. Scripturæ ab hæreticis objecta exponuntur.*
8. *Opus operantis in Sacramentis novæ legis tantum requiritur ut dispositio.*

§. I.

Veritas Catholica statuitur.

1. AGimus hoc loco contra Hæreticos, qui ex [illegible] errore præsupposito, quòd nempe justificatio hominis non fiat per infusionem gratiæ internæ, sed per favorem extrinsecum vel justitiam DEI & Christi nobis imputatam, mediante ex parte nostra fide, vel fiducia, quâ nobis DEI & Christi justitiam prodesse credimus, consequenter docent alterum errorem, quòd Sacramenta novæ legis non sint causæ gratiæ, sed solummodò signa distinctiva fidelium ab infidelibus & sigilla promissionum à DEO factorum, quæ fidem nostram excitent & confirment, uti vult Lutherus in l. de captiv. Babylon. Contra quem errorem cum unanimi Catholicorum, sit

2. CONCLUSIO. *Sacramenta novæ legis non ponentibus obicem vere conferunt gratiam, idque ex opere operato.*

Utraque pars est de fide. Prima quidem definita tum in Florent. [illegible] tum in Trid. sess. 7. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Altera quoque pars habetur definita can. 8. [illegible] [illegible] *per novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam [illegible] sufficere, anathema sit.*

Prima pars probatur primò [illegible] PP. Nam Jo. 3. de Baptismo [illegible] *renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. [illegible] introire in Regnum DEI.* Ubi [illegible] ficat veram causalitatem [illegible] quod Spiritus S. cum aqua [illegible] ne[illegible] spiritualis [illegible] tiam. Secundò [illegible] tio, si [illegible] facta significant gratiam [illegible] benè notat Ysambertus [illegible] [illegible] gnum veri [illegible] nunt SS. PP. Aug. tr. 80. in Jo. [illegible] *tus aqua, ut corpus tangat, [illegible]* l. 2. de pœn. c. [illegible] *quid [illegible] tu videtur, DEO donare [illegible] possibile videbatur, ut peccatum [illegible]* Cyrill. l. 2. in Jo. c. 4. [illegible] *ignis interfusus aqua calefacta [illegible] ignis erit, [illegible] quæ reformantur [illegible]* [illegible] *sterquunt.* In eundem sensum [illegible] 5. dixit: *Mundans eam lavacro [illegible] vitæ*, ubi [illegible] tribuitur. Act. 22. Ananias ad Paulum [illegible] dixit: *baptizare & ablue peccata [illegible]* baptizare & [illegible] [illegible] de Baptismo dictae [illegible] Sacramentum [illegible] [illegible] de Patribus [illegible] D. Aug. [illegible] tom. & [illegible] [illegible] Item de Sacramento [illegible] ex [illegible] Apostoli [illegible] in Sacramento Confirm. Act. 8. [illegible] August. in [illegible] universaliter [illegible] *[illegible] testamenti [illegible]* [illegible] [illegible] *[illegible]*

Præterea secundò [illegible], quæ [illegible] prima & [illegible] DEI & Christi [illegible] tate. [illegible] gratiam, [illegible] DEI & Christi [illegible] seu [illegible] nobis [illegible], sed [illegible] DEUM [illegible] Christum [illegible] docent Scriptura, Concilia, PP. et[illegible]. Secundò [illegible] sacramentalis. [illegible], ut verba Sacra-[illegible] gratiæ in-[illegible] peccatorum, [illegible]. Tertiò [illegible] varia & plurima absurda [illegible]. Nam primò sequitur, [illegible] parvulis non conducere ad salutem, [illegible] ab hæreticis collatus, tunc enim [illegible], nec ex parte su-[illegible]. Secundò Baptismum [illegible] Tertiò, Sacramenta [illegible], quam si se [illegible] Tandem [illegible] Sacramentorum [illegible], [illegible] ad excitandam fidem in reci-[illegible].

[illegible] gratiam [illegible] passionis Christi [illegible] & non [illegible] ut Concilia definiunt & PP. docent, [illegible] in Baptismo [illegible] ergo.

§. II

Solvuntur objectiones.

Objicies primò [illegible] DEO tribuitur, ut [illegible] *qui baptizat*, ex quo D. Aug. [illegible] probat, solum DEUM [illegible] gratiam, quam homines [illegible].

Resp. [illegible] quòd [illegible]

Dices [illegible]

Confirmatur ex illo [illegible] *quem* [illegible]

mundi nos & sanctificare tribuitur [illegible] quam excitanto fidem. Unde [illegible] *quare non ait, mundi estis* [illegible] *quod* [illegible] *aqua?* Resp. Illa [illegible] Apost[illegible] bum [illegible], sed [illegible], quod etiam appellatur [illegible] DEI, [illegible] *dit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: verbum autem [illegible] causat gratiam.

Dices. [illegible] Rom. 1. [illegible] Evangelium dicitur, quod sit *virtus DEI in salutem omni credenti*, [illegible] obj[illegible] excitando fidem. [illegible] Evangelium [illegible] Evangelium appellari virtutem DEI [illegible] verbi concionatorij, sed vel [illegible] verbi consecratorij, quod [illegible] sumptum.

Similiter ad [illegible] mentionem fieri de verbis [illegible] sed consecratorijs, sine quo [illegible] aqua non est nisi aqua naturalis. Nec refert, quod [illegible] S. Augustinus ad illa verba, *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat,* [illegible] *Sacramentum* [illegible] quod verba Sacramentalia [illegible] gratiam, [illegible] fidem excitant. Nam Resp. [illegible] D. Th. q. 60. [illegible] Sacramenti non [illegible] propter [illegible], quæ fide creditur.

Objic. [illegible] 1. Petri 3. [illegible] [illegible] *DEUM per resurrectionem Jesu Christi.* [illegible] ubi Apostolus [illegible] 6.
[illegible] tiæ interrogatio.

Respondetur. [illegible] quod [illegible] in adultis [illegible] interrogatione [illegible] ad antiquam consuetudinem Ecclesiæ, in qua [illegible] quam [illegible] D. Aug. [illegible] qui [illegible] non [illegible] in DEUM. Et [illegible] D. [illegible] *Spir. S.* [illegible] *non est* [illegible] *aqua naturæ* [illegible] *Spiritus præsentia, non enim est Ba-*

pismus

primus depositio sordium corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

7. Objic. Quartò. *Iustus ex fide vivit.* Heb. 10. & *corde creditur ad Iustitiam.* ergo fides justificat, non Sacramenta, quæ corpore suscipiuntur. Confirm. affirmare, quòd per vilia elementa & signa corporea, ut aquam, oleum &c. sanctificemur, est homines à Deo ad vilia Mundi elementa convertere, quod est contra doctrinam Apostoli. Respondeo. Ibidem non affirmari, quòd sola fides sufficiat ad justificationem, sed quòd sit unum ex principalibus medijs, fundamentum & prima dispositio ad justificationem, prout declarat Trid. sess. 6. de Justif. c. 6. & 7. Ad confir. neg. assumptum, quia cùm elementa corporea sint simul instrumenta habentia impressam & communicatam à Deo virtutem sanctificandi: non per illa à Deo avertimur, sed ad Deum convertimur.

Objic. quintò contra secundam partem conclusionis. Si Sacramenta causarent gratiam ex opere operato, tunc ad consequendum effectum Sacramenti non requireretur in Sacramentis opus operantis; consequens est falsum, ergo. Resp. neg. sequelam: Etsi enim opus operantis non requiratur, tamquam adæquatum mensurativum gratiæ per Sacramenta conferendæ, quippe quæ non ex solo actu recipientis, sed ex meritis Christi specialem valorem obtinent, illud tamen requirunt per modum necessariæ dispositionis, sine qua nullus adultus juxta legem Dei ordinariam justificatur. 8.

Articulus III.

An Sacramenta novæ legis physicè, vel moraliter causent gratiam?

Summaria.

1. *Divisio causæ in physicam & moralem, principalem & instrumentalem.*
2. *Quo sensu Deus dicatur moraliter moveri?*
3. *Omnia Sacramenta novæ legis moraliter causant gratiam.*
4. *Sacramenta novæ legis sunt instrumenta moralia gratiæ.*
5. *Reiicitur explicatio Altisiodor. & Guil. Paris.*
6. *Non sufficit ad moralem instrumentalem influxum, quod Sacramenta sint conditiones sine quibus non.*
7. *Sacramenta non sunt conditiones applicativæ meritorum Christi ad movendum Deum, ut ipsis imprimat virtutem physicè productivam gratiæ.*
8. *Non potest esse idem influxus moralis in Sacramentis N. & V. legis.*
9. *Exponitur moralis causalitas sacramentorum N. Legis.*
10. *Sacramenta N. Legis sunt physica instrumenta gratiæ.*
11. *Probatio quorundam ut insufficiens refellitur.*
12. *Authoritas S. Scripturæ & Ecclesiæ pro physica causalitate.*
13. *Authoritas PP. pro eadem.*
14. *Ostenditur nullam involvere implicantiam physicam causalitatem Sacramentorum.*
15. *Physica causalitas non impedit, quin Christus sit causa meritoria nostræ justificationis.*
16. *Cur per sanguinem Christi mundemur moraliter?*
17. *SS. PP. exponuntur de causa principali.*
18. *Virtus physica Sacramentorum derivatur à passione Christi moraliter, & physicè.*
19. *Sacramenta physicè impedita, non admittunt moralem efficaciam producendi gratiam.*
20. *Compositio & significatio sacramentorum non est formalis ratio causandi gratiam.*
21. *Est de ratione instrumenti, ut elevetur ultra sphæram suæ activitatis.*
22. *Quodlibet elevari potest ad quodlibet non per potentiam obedientialem immediatè, sed mediatè activam, ad effectus non repugnantes.*
23. *Cur nulla creatura possit esse instrumentum creativum?*
24. *Quomodo actio instrumenti debeat esse prævia dispositiva ad effectum agentis principalis.*
25. *Quomodo Sacramenta non agant in distans?*
26. *Sacramenta intrinsecè elevantur per virtutem spiritualem vialem, & transeunter impressam.*
27. *Sacramenta causant effectum in instanti terminativo.*
28. *Quædam absurda objecta depelluntur.*
29. *Sacramenta non causant gratiam in instanti initiativo, vel intrinsecè terminativo.*
30. *Sacramentum in voto non causat gratiam ex opere operato.*
31. *Indivisibile terminativum sacramenti aliquando est ex parte formæ, aliquando ex parte materiæ.*

§. I.

Præsuppositæ.

Suppono Primò. Causam efficientem physicam esse illam, quæ actione reali à se egrediente attingit effectum. 1.

Causam verò efficientem moralem esse, quæ intentionaliter movet causam efficientem ad ponendum effectum à se distinctum v. g consulendo, suadendo, certum pretium constituendo &c. Utraque subdividitur, in principalem & instrumentalem. & de instrumentali physica ex Philosophia constat: Causa moralis instrumentalis est, quæ in moraliter causando alteri principali subordinatur & inservit, & per illius authoritatem vel valorem sibi saltem extrinsecè communicatum movet causam physicam ad ponendum effectum

ita

ita minister, cujus interventu Dominus aliquid jubet, consulit, precatur, est ipsius instrumentum morale animatum; pretium verò, quo quis inducitur ad assensum, vel redimitur à servitute, chirographa quoque authentica, (quæ propterea instrumenta appellari solent) quibus aliquid in judicio probatur, vel homines ad præstandam fidem coguntur, sunt causæ instrumentales morales inanimatæ.

2. Suppono Secundò. Quamvis ex parte actûs & ipsius divinæ voluntatis non possit dari aliqua causa creata moraliter movens, siquidem ipsius divina voluntas est identificata cum sua substantia omnis mutationis & causalitatis incapax; (uti suppono ex prima parte) dari tamen in ordine ad effectus creatos à solo Deo ponendos vel positos veram causam efficientem moralem ex parte voliti & objecti: ita enim non tantùm Christus est causa meritoria nostræ justificationis, ut definitur in Trid. Sess. 6. c. 7. sed homines justi per bona opera sunt causa meritoria gratiæ & gloriæ deficiente eod. Trid. Deus quoque sæpè in S. Script. dicitur aliquid facere, vel intermittere propter intercessionem Sanctorum, preces Justorum, & dissimulare peccata hominum propter Pœnitentiam. Sap. 11. hoc nimirum sensu, quòd Deus non aliter velit conferre homini justificationem nisi dependenter ab oblatione meritorum Christi, non velit aliter in executione conferre gloriam, nisi dependenter à meritis justorum &c. ubi nulla est dependentia actûs immanentis divini à meritis creatis, sed solùm effectûs à Deo intenti, & non nisi intuitu talis operis meritorij à Deo ponendi.

3. Suppono tertiò. sive Sacramenta novæ legis physicè causent, sive non causent gratiam, illa tamen necessariò causare gratiam moraliter, ut communiter docent Theologi; & ratio est; Sacramenta novæ legis juxta præallegatas definitiones Florentini & Tridentini causant (& per hoc differunt à Sacramentis antiquæ legis) ex opere operato gratiam, quam continent, sed non semper physicè; ergo aliquando tantùm moraliter. Quòd si aliquando moraliter, etiam semper moraliter. min. probatur. Sacramenta initerabilia cum obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam, quando jam actu præterita nec per se nec per aliquid sui physicè existunt, ut infrà docebimus, sed tunc non conferunt vel causant illam physicè; ergo moraliter. quòd si tunc causant moraliter, non est cur non semper causent moraliter; nam si Deus intuitu Sacramenti jam præteriti & actu nullam habentis existentiam, quia per illud exhibetur valor & pretium meritorum Christi, confert gratiam remoto obice sive nostro loquendi modo movetur ad producendam gratiam, multò magis ad illam conferendam propter exhibitum & adjunctum illum valorem movetur, à Sacramento actu existente & nullum habente conjunctum obicem, sed antecedens est verum, ergo & consequens. Confirmatur. Sacramenta se totis causant, adeóque non tantùm per naturalem sensibilem entitatem, sed etiam per significationem sibi divinitus inditam, sed per hanc non possunt causare physicè, siquidem vel est denominatio extrinseca ut nos dicimus, vel ens rationis, ut alij volunt: ergo tantùm moraliter.

§. II.

Asseritur instrumentalis moralis causalitas Sacramentis N. L.

CONCLUSIO. *Sacramenta novæ legis sunt instrumenta moralia gratiæ.* Ita communior Thomistarum. 4.

Ratio est Primò. Sacramenta novæ legis causant moraliter gratiam, ut dictum, sed non causant tanquam causa principalis; neque enim ipsis ex se competit ulla virtus meritoria, vel satisfactoria, multò minùs consultoria vel suasoria: ergo tãquam causa instrumentalis. Secundò. Causa moralis instrumentalis est, quæ suo modo movet causam physicam ad producendum effectum, quatenus est subordinata causæ morali principali, & habet virtutem causæ principalis in se moraliter derivatam, sibíque conjunctam; atqui hoc habent Sacramenta novæ legis; nam sunt subordinata Christo tanquam causæ meritoriæ principali, súntque etiam moraliter actiones ipsius; nam *hic est qui baptizat*, ac tandem non habent virtutem movendi Deum sibi propriam & intrinsecam, sed valorem seu pretium passionis & meritorum Christi sibi ex *institutione* merito Christi pacto divino moraliter conjunctum. Cùm enim Christus hæc Sacramenta instituerit, ut per illa ipsis fidelibus applicaret virtutem, & efficaciam suæ S. passionis, utque taliter acceptarentur, à Deo per suam S. passionem meritus fuerit, hinc eo ipso habent eandem virtutem sibi moraliter conjunctam, & rectè dicuntur gratiam continere.

Colliges ex dictis primò. Non esse competentes modos explicandi moralem causalitatem gratiæ, quos tradit Altisiodorensis & Guilielmus Parisiensis, quorum primus dicit causare gratiam in genere causæ materialis, quemadmodum vasa continentia medicamentum causant sanitatem. contra enim est primò, quòd gratia, quæ est accidens Spirituale supernaturale non contineatur in Sacramento sensibili materialiter, uti medicamentum in vase corporeo, sed virtualiter, quæ continentia pertinet ad genus causæ efficientis. Secundò. vas medicinale non habet in seipso vim medicativam, sed per accidens se habet ad sanitatem & medicinam, quæ sive sit in hoc, sive alio vase, producit sanitatem. at verò vis causativa gratiæ in Sacramentis novæ legis per se reperitur, & per se aqua baptismalis habet vim regenerativam &c. ergo. 5.

Secundus dicit, causare gratiam per modum impetrationis; quasi Deus ad positionem Sacramentorum exaudiret moralem petitionem ipsorum: contra enim est primò, quòd impetratio propriè loquendo est effectus orationis: at Sacramenta non sunt orationes, sed potiùs consecrationes, uti patet ex formis ipsorum. oratio quoque habet vim moraliter operativam non ex opere operato, sed ex opere operantis tanquam meritum de congruo. Contra est secundò; quòd propriè impetrare dicamur, quæ nec titulo promissionis sunt debita, atqui gratia est ex divina promissione debita Sacramentis novæ legis.

Col-

6. Colliges Secundò. Non sufficere ad moralem instrumentalem causalitatem Sacramentorum novæ legis, quòd sint conditiones, sine quibus positis Deus non confert gratiam, & quibus positis confert, prout docet Durandus; nam contra sunt testimonia & authoritates Conciliorum ac SS. PP. partim jam allegatæ, partim seq. §. allegandæ, quibus Sacramentis novæ legis adstruitur continentia & causalitas gratiæ ex opere operato, quæ denegatur Sacramentis antiquæ legis: constat autem Sacramenta antiquæ legis etiam fuisse quasdam conditiones, ad quarum præsentiam Deus causabat gratiam.

7. Colliges Tertiò. Influxum moralem Sacramentorum novæ legis non in hoc solo consistere, quòd sint conditiones applicativæ meritorum Christi ad movendum Deum, ut ipsis imprimat virtutem physicè productivam gratiæ: contra enim est primò, quòd quædam Sacramenta cum obice suscepta habeant influxum moralem remoto obice, neque tamen tunc moveant Deum ad imprimendam virtutem physicè productivam gratiæ. contra est secundò, quòd influxus moralis certus non rectè exponitur per impressionem physicæ virtutis incertam, & inter Scholasticorum opiniones fluctuantem. contra est tertiò. quòd hâc ratione in iisdem Sacramentis remoto obice solùm moraliter causantibus gratiam non esset assignabile discrimen à Sacramentis antiquæ legis, nec esset ratio, cur potiùs ex opere operato activè, quàm passivè conferrent gratiam. quòd enim aliquid sit conditio applicativa meritorum Christi ad movendum Deum, ut ipse se solo conferat gratiam, convenit etiam Sacramentis antiquæ legis, præsertim circumcisioni, in qua tamen gratiam non nisi parvulis ex opere operato passivè conferri secundùm communem Thomistarum suprà est ostensum.

8. Dicunt tamen aliqui: non esse inconveniens, admittere, quòd idem sit influxus moralis in novæ & antiquæ legis Sacramentis: sed contra est; quòd hoc planè deroget dignitati nostrorum Sacramentorum & claris authoritatibus Concil. & PP. qui de ipsis universim affirmant, continere & causare gratiam, quam significant, in eòque ab antiquæ legis Sacramentis discriminari. unde Aug. l. 19 contra Faustum c. 13. *Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora.* Neque ista de physica solùm causalitate exponi possunt, ut enim taceam, quòd illa sit controversa inter authores, certè Sacramenta quæ remoto obice moraliter tantùm causant effectum gratiæ, æquè conferunt gratiam morali solùm concursu, quàm si conferrent per physicum influxum, adeòque illorum præstantia præ Sacramentis antiquæ legis tam in morali, quàm physico influxu salvari debet.

9. Colliges quartò. In hoc consistere præcipuam moralem causalitatem Sacramentorum novæ legis, quòd per illa tanquam per suas moraliter operationes & à se imperatas Christus exhibet Deo valorem meritorum suæ passionis in ordine ad determinatum effectum, cujus valoris intuitu Deus producit & confert gratiam supra vel præter omne meritum & dispositionem recipientis, quod de nullo antiquo Sacramento dici potest; neque enim Christus ipsis tanquam suis moraliter operationibus communicabat valorem suæ passionis, sed solummodò per merita sua, ut in divino decreto existentia impetravit, ut ad eorum positionem Deus promitteret dare gratiam vel absque merito recipientis, ut in Sacramento parvulorum, vel ex merito recipientis, ut in Sacramentis adultorum contigisse hucusque diximus.

§. III.

Asseritur etiam causalitas physica &c.

CONCLUSIO. *Sacramenta N. Legis sunt physica instrumenta Divinæ gratiæ.* S. Th. q. 62. a. 1. in c. & ad 2. contra Scotum, Vasq. Amicum, Coninck. aliósque: Nostram tenent Suar. Reding. Ysamb. aliique RR. nostrique Salisburgenses, qui tamen non omnes in probando conveniunt. 10.

Probant aliqui tum ex auth. Trid. *Sess. 6. c. 7.* baptismum appellantis causam instrumentariam nostræ justificationis; tum hâc ratione, quòd aliàs Sacramenta antiquæ legis essent ejusdem efficaciæ, quàm novæ legis, siquidem, ipsis etiam conveniat moralis influxus, sed ex neutro efficaciter: non ex primo: quia eodem loco Concil. inter Deum tanquam causam efficientem nostræ justificationis & Sacramenta tanquam causam instrumentalem interponit Christum tanquam causam meritoriam, quod genus causæ tantùm est morale, ut constat. Non etiam ex secundò: quia Sacramenta novæ legis etiam in genere causandi moraliter esse præstantiora Sacramentis legis antiquæ suprà ostensum est. 11.

Probatur igitur hac ratione: Tunc Sacramenta novæ legis sunt instrumenta Physica gratiæ, quando Script. & PP. in proprio sensu accepti ipsis astruunt Physicam virtutem & productionem gratiæ, idque aliundè non implicat; sed hoc astruunt Script. PP. in proprio sensu intellecti, nec aliundè implicat. ergo. Major est certa, quia toties Script. est accipienda in proprio sensu, quoties nullum sequitur inconveniens, sed si non implicat à Sacramentis Physicè produci gratiam, nullum seqitur inconveniens, ergo Scriptura hoc affirmans in proprio sensu, erit etiam in proprio sensu accipienda. Minor, in qua est difficultas, tria habet membra. Primum est authoritas S. Script. alterum anthoritas SS. PP. tertium possibilitas hujus virtutis & productionis. 12.

Prima igitur pars minoris, nimirum authoritas S. Script. ostenditur. *mundare, sanctificare, regenerare, abluere, nutrire*, in sensu magis proprio significant virtutem & operationem physicam; sed per Baptismum dicimur *mundari, renasci.* Jo. 3. idem Sacramentum appellatur *lavacrum regenerationis* Tim. 3. de Evcharistia dicit Christus Jo. 6. *Caro mea verè est cibus*; quomodo, nisi quia verè nutrit verè conferendo vitam spiritualem, sicuti cibus corporalis verè est cibus, quia verè nutrit conferendo vitam corporalem; ergo. Confirm. Jo. 3. dicimur *renasci* ex aqua &

& Spiritu S. tanquam ex causis conjunctis & subordinatis: sicut Spiritui S. convenit causalitas physica principalis regenerandi hominem: ita aquæ convenit causalitas physica instrumentalis; præsertim cùm particula *ex* non possit convenire morali, sed tantùm physicæ causalitati. Authoritati S. Script. accedat authoritas Concil. & Ecclesiæ. Nam primò Florent. & Trident. infrà cit. dicunt, quòd nostra Sacramenta *contineant & conferant gratiam.* Concilium Moguntinum in doctr. fid. c. 11. dicit: *non esse simplices ritus, sed Sacrosancta signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes gratiam conferendo sanctificent.* Concil. 1. Nic. l. 3. a-ctor. ita de Baptismo loquitur: *aquam vides, considera virtutem DEI in aqua absconditam &c.* Concil. Senonense dicit, quòd *Sacramenta suâ virtute gratiam conferant, & remissionem peccatorum efficaciter operentur.* Qui modi loquendi, ut intuenti patet, in sensu proprio physicam innuunt causalitatem. Longè clarissimè verò Catechismus Concil. Trid. p. 2. c. 1. n. 21. inquirens de admirabili operatione Sacramentorum: *id quidem*, inquit, *humanâ ratione atque intelligentiâ comprehendi non potest: constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suâpte naturâ eâ vi præditam esse, ut penetrare ad animum queat: at fidei lumine cognoscimus, omnipotentis DEI virtutem Sacramentis inesse, quâ id efficiant, quod suâ vi res ipsæ naturales præstare non possunt.* quæ verba non nisi de physica efficientia possunt intelligi; nam modus moralis causandi non adeò admirabilis, neque incomprehensibilis, verba quoque sensibilia vi suæ significationis moraliter penetrare animam possunt, unde si Sacramenta vim habent penetrandi animam, & efficiendi, quod sensibilia suâpte vi nequeunt, id de efficientia physica, quæ sola est propriè talis, debet intelligi. Tertiò. Ecclesia in benedictione fontis baptismalis precatur, ut DEUS *aquam arcanâ sui numinis admixtione fœcundet, ut aqua præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces &c.* ac rursùs in consecratione S. Olei orat, ut *DEUS sua benedictione dignetur, Sancti Spiritûs ei admiscere virtutem*; atqui admixtio virtutis, efficacia lavandi &c. in proprio sensu significant quid physicum. ergo.

13. Secunda pars. Quæ est authoritas SS. PP. probatur primò. Moralis causalitas non est ultra modum admirabilis & incomprehensibilis; sed per SS. PP. causalitas Sacramentorum est talis; ergo non potest tantùm esse moralis. min. habet D. Chrysost. hom. 24. in Jo. ubi affirmat *rem esse inexplicabilem & ne quidem ab Angelis, qui intersunt, exarari posse.* Idem asserit Catechismus Trid. primùm relatus. Et D. Augustinus admirans exclamat, *quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* tr. 80. in Jo. Secundò SS. PP. agnoscunt operationem antecedentem Spiritûs S. & virtutem Sacramentis impressam & infusam, imò eandem virtutem, quâ Beatissima Virgo à Spiritu S. est fœcundata, quæ de morali virtute causandi dici non possunt. Antecedens plurimis SS. PP. authoritatibus ostendunt Ysambertus, Dicastillo, Gonet, aliíque, è quibus non nisi paucos adducimus. Et in primis de Baptismo S. Leo serm. 4. de Nativit. *Aqua Baptismi instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Et serm. 5. de eâdem. *Virtus altissimi, quæ fecit, ut MARIA pareret Salvatorem, facit, ut regeneret* unda credentem. Tertull. l. de Baptis. c. 4. *Supervenit statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eos de semetipso, & ita sanctificata vim sanctificandi combibunt.* De Sacramento Confirmationis S. Cyrill. Hieros. catechesi 3. *Sanctum hoc unguentum, postquam consecratum est, non est ampliùs unguentum commune, sed Chrisma Christi, quod adventu Spiritûs S. energiam habet, per ipsius divinitatem.* De Eucharistia præter D. Augustin. tr. 27. in Joan. aliósque Gilbertus Abbas in Cantica: *Spiritus*, inquit, *est, qui vivificat, Sacrosanctæ carni conferens in solenni Sacramento Spiritualem efficaciam ad vivificandos tanti participes mysterij*: ubi sermo est de carne Christi non quomodocunque, sed quatenus includit secum species consecratas, sub quibus realiter continetur. Tandem universim de omnibus Sacramentis S. Prosper ep. ad Demetriam, *non est idem in Sacramento forma & virtus: nam forma humani ministerij adhibetur obsequio; virtus autem per divini operis præstatur effectum.* & Hugo de S. Vict. l. 1. de Sacrament. c. 5. *Sacramenta conferunt gratiam per infusam Benedictionem.*

Tertia pars minoris de possibilitate physica operationis probatur primò positivè à pari: juxta S. D. 3. p. q. 13. a. 2. Christus per suam humanitatem tanquam per instrumentum conjunctum & physicum contulit gratiam, & patravit miracula: ergo pariter physicè potest conferre gratiam per Sacramenta tanquam instrumenta physica separata, quam consequentiam habet, & deducit D. Thom. quodlib. 12. a. 15. & q. 27. de Veritat. a. 4. in fin. c. Rursùs juxta doctrinam D. Augustini. l. 21. de Civ. c. 10. ignis infernalis tametsi materialis est, physicum instrumentum divinæ justitiæ ad torquendas animas & spiritus damnatos, quos cruciat miris, veris tamen modis: ergo etiam Sacramenta quantumvis miram, veram tamen habent efficientiam gratiæ in anima. Nam si qua foret ratio implicantiæ in Sacramentis, eadem foret in humanitate Christi, & igne infernali. 14.

Probatur secundò negativè. Nulla est assignabilis implicantia, cur creatura materialis à DEO non possit elevari ad instrumentaliter producendam vel educendam qualitatem spiritualem: ergo nulla est ratio asserendi, hanc physicam Sacramentorum causalitatem esse impos-

possibilem. Consequens patet ex obedientia potentiali cuilibet creaturæ congenita, ut possit à DEO recipere virtutem & elevationem ad producendum effectum suis viribus superiorem. quòd autem nulla sit assignabilis implicantia, patebit ex solutione objectionum. Unde sit

§. IV.

Solvuntur objectiones.

15. Objicies primò. *Si* Sacramenta habent physicam efficientiam, tunc aliquando peccatum tollitur per physicam efficientiam nempe in Sacramentis mortuorum: sed hoc est contra Trid. hoc enim sess. 5. in decreto de peccat. orig. anathema illi dicit, qui dixerit, peccatum originale per aliud remedium tolli, quàm per meritum unius Mediatoris. Sed si peccatum originale tollitur per physicam efficientiam, tollitur per aliud remedium, quàm meritum unius Mediatoris: quia meritum non habet physicam sed tantùm moralem efficaciam. Confirm. Sacramenta sunt instrumenta Christi, sed ut sic non sunt instrumenta physica, quia cùm juxta præfatum Trid. sess. 6. c. 7. Christus sit causa meritoria, adeóque moralis nostræ justificationis, ut sic non potest habere instrumentum physicum, sed morale.

Respond. neg. min. & sequelam probationis; cùm enim hanc ipsam physicam efficientiam Sacramentis Christus in sua passione fuerit promeritus, adhuc verum est, unicum remedium (nimirum radicale & principale) abolendi peccatum originale esse meritum Christi. Ad confirmation. dist. min. ut sic non sunt instrumenta physica comparativè ad Christum meritoriè operantem. quâ DEUS homo est, conc. physicè operantem, quâ DEUS est, neg. min. & pariter dist. consequen. nego consequentiam.

16. Objic. secundò. De Sanguine Christi dicitur, quòd per illum lavemur, & mundemur à peccatis. Joan. 1. *Sanguis IESU Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Apoc. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* c. 12. *Vicerunt per Sanguinem Agni.* Nec tamen exinde rectè infertur physica causalitas, sed moralis tantùm agnoscitur à SS. PP. ergo licèt S. Script. & PP. dicant, nos per Sacramenta *mundari* & Baptismum appellent *lavacrum regenerationis*, non rectè infertur physica causalitas.

Respond. neg. paritatem; quia in tantùm dicimur lavari & mundari per Sanguinem Christi, in quantum ille pro nobis meritoriè profusus est in passione, quæ actio meritoria non habet influxum physicum, sed moralem. Atqui Sacramenta non conferunt meritoriè.

Dices. Videtur esse inconveniens, ut Sacramenta habeant nobiliorem modum causandi gratiam & remissionem peccatorum, quàm Sanguis Christi; atqui haberent nobiliorem, quia haberent physicum, cùm ille tantùm haberet moralem, qui est inferior. Resp. neg. min. quia licèt modus causandi Sacramentorum sit physicus, est tamen instrumentalis tantùm, & dependet à morali & meritorio modo causandi, quo Christus per effusionem sui S. Sanguinis principaliter causat remissionem peccatorum. Licèt ergo comparativè ad idem agens nobilior sit modus agendi physicè, quàm moraliter, comparativè tamen ad diversa agentia nobilior est modus operandi moraliter, cùm procedit à causa libera & principali, quàm modus operandi physicè, cùm procedit tantùm à causa instrumentali & subordinata agenti libero.

Objic. tertiò quasdam authoritates SS. PP. in quibus soli DEO & Spiritui S. astruunt causalitatem gratiæ, uti Cypr. de Bapt. Christi. de Spiritu S. dicens. *ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.* & S. Basil. de Spiritu S. c. 15. August. epist. 23. ad Bonifacium. Resp. per particulam exclusivam non excludi aliam causam instrumentalem, sed tantùm principalem, pro qua ly *causa*, absolutè prolatum solet supponere. 17.

Objic. quartò. Omnis virtus causandi Sacramentorum est derivata ex passione Christi; sed ab hac non potest esse derivata virtus physica; ergo tantùm moralis. Minor probatur, quod jam transijt, nec ampliùs physicè existit, non potest causare physicè, vel physicam virtutem tribuere; sed passio Christi jam transijt, nec ampliùs physicè existit; ergo. 18.

Respond. neg. min. Ad probationem dist. maj. quod jam physicè transijt, non potest tribuere virtutem physicam, modo physico transeat, modo meritorio nego. & pariter distincto consequente nego consequentiam. quia ipsa physica virtus Sacramentorum derivatur ex passione Christi tanquam causa meritoria, non quidem ampliùs physicè, moraliter tamen existente in mente divina, quâ de causa adhuc Sacramenta physicè causant gratiam in virtute passionis Christi.

Instabis. Sacramenta non causant gratiam modo efficaciori; quàm passio Christ; sed hæc causat tantùm moraliter, ut dictum. Respond. neg. minor. nam passio Christi utroque modo moraliter & physicè causat effectum Sacramentorum. Moraliter quidem per modum causæ principalis meritoriæ; physicè verò per modum instrumenti. Neque refert, quòd passio Christi jam non existat, nec proinde videatur habere physicum influxum: esto enim non existat ampliùs ratione sui, existit tamen ratione subjecti & humanitatis passæ, ratione cujus producit supernaturales effectus gratiæ.

Objic. quintò. Tunc Sacramenta physicè non causant gratiam, quando sunt apta illam conferre, etiam quando non existunt physicè; sed sunt apta illam conferre, etiam quando physicè non existunt, nimirum quando sunt cum fictione vel obice suscepta, possunt 19.

sunt remoto obice conferre gratiam, quantumvis tunc secundùm nullam sui partem existant.

Respond. neg. major. cùm enim Sacramenta, præter physicam virtutem producendi gratiam, pariter habeant virtutem moralem, de qua ante dictum, ideò si quando per accidens ex obice impediantur, ne in sui susceptione cùm physicè existunt, physicè producant gratiam, nihilominùs si moraliter existunt in acceptatione divina, propter virtutem moralem sibi competentem moraliter ad eandem producendam concurrunt. De quo plura in seqq.

20. Objic. sextò. In tantùm Sacramentum causat gratiam, in quantum est quoddam compositum, & signum ex instituto; sed utraque ratio est moralis tantùm, ergo tantùm moraliter causat gratiam.

Respond. dist. major. in tantùm causat, in quantum &c. si reduplicatio significet rationem compositionis & significationis esse formalem rationem causandi sic nego. si significet esse essentiale præ requisitum, conc. sed utraque ratio est moralis tantùm, & solùm prærequisita conc. ratio formalis nego min. & consequentiam.

21. Objic. Septimò. Nulla res corporea potest instrumentaliter agere in rem spiritualem; sed Sacramenta sunt res corporeæ; ergo non possunt agere in animam spiritualem; atqui agerent, si in illa gratiam physicè producerent; ergo. Major probatur. Nulla potentia ferri potest extra suum objectum; ideò enim oculus non potest percipere sonum, & neque divinitus elevari ad videndùm Deum; quia sonus, & essentia Divina sunt extra adæquatum oculi objectum. Atqui creatura spiritualis, qualis est gratia sanctificans, est extra objectum adæquatum agentis materialis: quale est Sacramentum. ergo.

Confirmatur primò. Si res corporeæ sunt elevabiles ad producendam gratiam, non videtur, cur non quodlibet elevari possit ad quodlibet, sed hoc est contra communem Thomistarum & nostram; ergo. Confirmatur secundò. Non potest actio creaturæ elevari ad creandam minimam creaturam; ergo neque causa materialis ad producendam rem spiritualem. Consequentia probatur. Non videtur minor improportio ablutionis corporeæ ad productionem nobilissimæ qualitatis spiritualis, quàm operatio hominis ad creationem muscæ. Si ergò ista non potest divinitus elevari ad creandam muscam, neque ablutio aquæ poterit elevari ad productionem gratiæ sanctificantis.

Respondeo neg. Major. Ad cujus probationem dist. Mai. Nulla potentia potest ferri extra suum objectum, si sit vitaliter, & principaliter operans, conc. Si instrumentaliter nego. Imò hoc est de ratione instrumenti, ut elevetur ad operandum ultra Sphæram propriæ activitatis & objecti: ergo agens materiale non potest producere effectum spiritualem per modum causæ principalis conc. instrumentalis nego consequentiam. Ex quo patet disparitas ad instantias: nam potentia vitalis per ordinem ad actum vitalem est essentialiter causa principalis, unde non potest elevari ultra suum objectum specificativum. De quo videantur quæ in Tr. 1. de Deo Uno sunt dicta.

Ad primam confirmationem Resp. quodlibet elevari posse ad quodlibet non per potentiam obedientialem immediatè, sed mediatè activam, ubi non intercedit specialis repugnantia, qualis intercederet in elevatione potentiarum vitalium ultra adæquatum objectum, essent enim & non essent ejusdem speciei. 22.

Ad secundam confirmationem negatur consequentia & paritas: quia ad formam spiritualem educendam è subjecto spirituali, saltem datur in re corporea actio, quæ deservire possit agenti principali; atqui ad creandum effectum non datur actio creaturæ, quæ deservire possit agenti principali, siquidem creatio ex nihilo est essentialiter exclusiva subjecti; econtra omnis creaturæ actio cùm sit accidens, est essentialiter inclusiva, seu expetitiva subjecti. gratia autem non creatur: sed ex animæ potentia obedientiali educitur, ut suppono. 23.

Instabis. Sicut creatio est essentialiter exclusiva subjecti, ita actio corporea est essentialiter exclusiva subjecti spiritualis; sed operatio Sacramenti v. g. ablutio est actio corporea: ergo est essentialiter exclusiva subjecti spiritualis, nec proinde potest gratiam sanctificantem ex anima educere. Resp. neg. vel dist. mai. est exclusiva subjecti spiritualis secundùm potentiam naturalem conc. secundùm potentiam obedientialem, nego. Nam sicut ipsa operatio corporea Sacramenti secundùm potentiam obedientialem elevatur ad recipiendã impressionem virtutis spiritualis instrumentalis, ita etiam potentia obedientialis animæ eidem subjicitur ad recipiendam ab illa eductionem formæ supernaturalis, & sic aqua Baptismi abluendo corpus secundùm propriam virtutem, abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ, inquit S. D. hic a. 1. ad 2. sed contra

Objic. octavò. De ratione instrumenti est, quòd habeat actionem præviam dispositivam seu per quam operetur dispositivè ad effectum agentis principalis: quo modo securis arcularij, eò quòd suâ propria acuitate lignum dividat, præviè operatur, ut artifex per virtuosam applicationem inducat formam artificiosam scamni &c. (ut supp. ex Philosophia Thomistica) & ideò creaturæ non possunt instrumentaliter creare: quia non habent præviam operationem dispositivam in nihilo; atqui Sacramenta corporea non possunt habere operationem præviam sibi propriam dispositivam in anima; ablutio quippe ex propria virtute non habet nisi corpus abluere; ergo. 24.

Respondeo. Est de ratione instrumenti, ut habeat actionem præviam dispositivam sive ut operetur dispositivè, ex parte modi operandi (hoc est ut ipsa actio, vel instrumentum mediante tali actione sit dispositum & idoneum, ut à causa principali assumatur ad producendum effectum) conc. ex parte rei operatæ (hoc est, ut necesse sit in passo producere dispositionem conducentem ad introductionem formæ ab agente principali intentæ) sic nego,

nego. Esto enim hoc sit necessarium in causis naturalibus, non tamen in supernaturalibus. Discrimen est, quòd causæ naturales propter limitationem suæ virtutis non assumant nisi instrumenta proportionata effectui; unde nemo utitur malleo ad scribendum, calamo ad scindendum. At verò agens infinitum ob suam illimitationem uti potest instrumentis etiam improportionatis; ideóque licèt instrumenta causarum naturalium operentur dispositivè ad effectum causæ principalis tam ex parte rei operatæ, quàm modi operandi, instrumenta tamen causæ infinitæ tantùm operantur præviè ex parte modi operandi, quatenus aqua v. g. secundùm hanc determinatam actionem ablutionis assumitur à Deo ad gratiam in animâ producendam, & gratia vel character producitur dependenter à tali actione. Quia verò nulla creata actio ita deservire potest Deo creanti, siquidem creatio essentialiter est actio substantialis ex nullo subjecto; actio verò creaturæ accidentalis ex subjecto; ideò nec ex parte rei operatæ, nec modi operandi est dispositiva ad effectum creandi.

25. Objic. nonò, Sequeretur dari actionem in distans, quia sæpè Sacramentum non est physicè præsens, & conjunctum supposito in quo gratia producitur, aut illud physicè non contingit, nam & matrimonium aliquando contrahitur inter absentes, & verba Sacerdotis absolventis non tangunt physicè pœnitentem, nec verba consecrationis hostiam &c. imò nulla actio materialis potest physicè contingere animam; sed Sacramentum est actio corporea & materialis: ergo non potest physicè contingere animam; sed causa quæ non contingit passum, agit in distans, ergo Sacramenta agunt in distans.

Respond. neg. Sequelam, quia tametsi Sacramentum non sit semper cum subjecto vel passo conjunctum immediatè immediatione suppositi, est tamen conjunctum immediatione virtutis. Si dicas, etiam esse necessariam immediatam conjunctionem suppositi. Contra est primò, quòd in probabili sententia potentia æstimativa possit instrumentaliter producere motum in pede, quantumvis non ipsa, sed anima tanquam causa principalis ejusmodi motûs sit immediatè conjuncta pedi. Contra est secundò; quòd licèt ista conjunctio esset necessaria in instrumentis naturæ & artis, eò quòd virtus principalis causæ sit adeò limitata, ut absque conjunctione substantiali ipsius instrumenti nequeat ad subjectum deferri; oppositum tamen est in instrumentis supernaturalibus, ubi indistantia instrumenti suppletur internâ præsentiâ divinæ virtutis, quæ ratione suæ immensitatis nequaquam indiget, ut ab instrumento deferatur ad subjectum, eique præsens fiat. Unde etiam in probabili sententia D. Th. 1. p. q. 64. a. 4. ad 2. dæmones in aëre existentes igne infernali instrumentaliter torquentur, quia licèt iste distet supposito, non tamen virtute, quia virtus divina per immensitatem ubique præsens non minùs operatur eundem effectum, quàm si instrumentum ignis infernalis esset supposito conjunctum Dæmonibus.

Objic. decimò. Si Sacramenta essent physica instrumenta gratiæ, deberent intrinsecè elevari per aliquam virtutem in se receptam, uti supponitur ex communi doctrina Philosophiæ Thomisticæ, ipsique, quæ de necessitate luminis gloriæ contra extrinsecum concursum & potentiam obedientialem proximè activam dixi, in Tr. de Deo, sed hoc non potest dici: quia illa virtus, vel esset motio, vel qualitas; non motio, quia hæc pertinet ad actum secundum, instrumentum verò per virtutem superadditam debet fieri proportionatum in actu primo: non qualitas; hæc enim vel esset spiritualis, vel corporea; non corporea, quia hæc non minùs esset improportionata spirituali effectui producendo, quàm ipsum Sacramentum corporeum; non incorporea: quia subjectum corporeum, ut sunt Sacramenta, non est capax recipiendi qualitatem ad formam spiritualem. Quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. 26

Respondeo. Sacramenta intrinsecè elevari per aliquam virtutem incompletam & transeuntem instar motionis, reductivè pertinentem ad genus qualitatis: quæ quidem virtus est spiritualis & supernaturalis, quippe per se ordinata ad producendum terminum spiritualem & supernaturalem. Nec refert, quòd subjectum sit corporeum; partim quia accidens viale, quod non per se ordinatur ad perfectionem subjecti, sed productionem termini non tam subjecto, quàm termino debet esse proportionatum; termino verò est spiritualis & supernaturalis; partim quia non recipitur in Sacramento ratione potentiæ naturalis, sed obedientialis, nec quatenus est corpus, sed quatenus est ens creatum. Porrò illud axioma: quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, intelligendum est de ijs qualitatibus, quæ sunt permanentes, & per se ordinatæ ad perfectionem intrinsecam sui subjecti.

Dices. Forma essentialiter inextensa & indivisibilis non potest recipi in subjecto essentialiter divisibili, extensivo, præsertim successivo, quod habet partes post partes priores & posteriores successivè fluentes: sed Sacramenta, quæ in usu consistunt, sunt essentialiter extensa, consistentia in motu successivo habente partes priores & posteriores: ergo virtus spiritualis & inextensa non potest in illo recipi. Vel enim reciperetur in toto Sacramento, vel in parte: non in toto, quia illa virtus tota est simul; atqui Sacramenti nullæ partes sunt simul. Non etiam in parte Sacramenti, quia non minùs quælibet pars Sacramenti constat ex alijs partibus successivè fluentibus quàm totum Sacramentum; siquidem omnes sunt entia successiva. Resp. Illam virtutem supernaturalem imprimi indivisibili terminativo illius motûs, in quo ultimatò completur significatio Sacramentalis, & habetur Sacramentum in facto esse, prout ex seq. ob. ampliùs clarescet.

Objic. undecimò. Si Sacramenta physicè causarent gratiam, tunc illam causarent vel in instanti initiativo, quo Sacramenta incipiunt esse, vel 27.
fieri,

fieri, vel in instanti terminativo, in quo eorundem significatio primò completur, súntque quodammodo in facto esse, vel in duratione intermedia inter utrumque instans. Sed nihil horum dici potest: non quòd causent in instanti initiativo, quia tunc nondum sunt, cùm enim motus extrinsecè incipiat, illud est instans initiativum Sacramenti consistentis in motu, in quo verum est dicere, nunc ultimò non est Sacramentum, & immediatè post erit. Neque possunt causare in instanti terminativo; cùm enim illud quoque motui sit extrinsecum, in quo nempe primò motus non est & immediatè antea fuit, Sacramenta in illo instanti physicè ampliùs non existunt, nec proinde possunt exercere physicam causalitatem. Non etiam in tempore intermedio, quia tunc eorundem significatio nondum est completa.

Respondeo. Sacramenta in usu consistentia causare gratiam in instanti terminativo, si pro tunc nullus ponatur obex. Ita colligitur ex D. Th. 3. p. q. 56. a. 7. ubi de Sacramentali conversione panis in corpus Christi sic loquitur: *Ista conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in Sacramentorum formis.* & q. 78. a. 4. ad 3. *Vis conversiva, quæ est in formis horum Sacramentorum consequitur significationem, quæ in prolatione ultimæ dictionis terminatur. Et ideò in ultimo instanti prolationis verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia.* Clarissimè verò in 4. ad Annibald. d. 8. a. 5. *virtus communicatur Sacramento, quando est in suo termino & complemento, non quando est simpliciter in successione.*

Ad probationem in contrarium Resp. primò: tunc Sacramenta Physicè non existunt tam materialiter, quàm formaliter, hoc est, tam quoad rationem motûs, quàm completè significativi, nego. materialiter tantùm & quoad rationem motûs. conc. vel secundò, non existunt in se, conc. tam in se, quàm in aliquo sui, sic nego. Sed quod non existit, non causat Physicè, quòd nec secundùm se, nec secundùm aliquod complementum sui existit, conc. quòd tantùm secundùm se totum non existit, nego. atqui licèt Sacramenta in ultimo indivisibili terminativo non existant secundùm rationem motûs, & partes successivas jam præteritas, existunt tamen secundùm indivisibile extrinsecum, quod etsi sit extrinsecum motui in ratione termini, est tamen complementum intrinsecum in esse completè significativi.

Dices primò. Non potest dici, quòd Sacramentum ratione illius existat, ratione cujus primò non est; sed ratione indivisibilis terminativi primò non est: ergò non rectè dicitur, quòd ratione illius, vel secundùm illud indivisibile existat.

Respond. dist. maj. ratione cujus non est tam in se, quam in sua virtute, tam in fieri, quàm in facto esse conc. ratione cujus non est in se & in fieri, est tamen in sua virtute & in facto esse, sic nego. Sed in illo instanti vel indivisibili terminativo Sacramenta primò non sunt in se & in fieri conc. in sua virtute & in facto esse, nego min. & consequentiam.

Dices secundò. Hinc sequitur, gratiam Physicè non produci à Sacramento, sed ab illo indivisibili, quod est terminus extrinsecus Sacramenti, & ipsius mutatum esse. sequela probatur quia illud solùm Physicè producit gratiam, quod elevatur per virtutem productivam gratiæ; sed solùm illud indivisibile elevatur; ergo.

Respondeo nego seq. & probationem inprimis distinguo. Illud Physicè producit, quo elevatur vel in se, vel in aliquo sui, conc. tantùm in se, nego. Ais; sed illud indivisibile terminativum non est aliquid Sacramenti; cùm sit ipsum mutatum & factum esse ipsius Sacramenti intrinsecè consistentis in motu & fieri. Resp. non esse aliquid Sacramenti per modum partis componentis conc. per modum termini immediati, & intrinsecè complentis in facto esse & in esse significativi sic nego. hoc autem sufficit, ut Sacramenta dicantur causare gratiam, sicuti ad hoc ut unum corpus dicatur aliud corpus, vel una linea aliam dicatur tangere, sufficit, quòd corpus tangat in superficie, & linea in puncto tanquam indivisibili suo termino.

Respondeo secundò. dist. eandem probationem, illud solùm Physicè producit gratiam, quòd elevatur ratione sui, conc. ratione alterius, nego. sed indivisibile terminans elevatur ratione sui nego, ratione totius motûs antecedentis, quem terminat, conc. min. & neg. consequentiam.

Dices tertiò. Ex hac responsione ulteriùs sequitur primò, quòd res immediatè futura in 28.
instanti initiativo posset assumi ad Physicam productionem: neque enim res præterita habet majorem existentiam in indivisibili terminativo, quàm res futura in indivisibili initiativo. secundò. quòd actio hesterna nunc possit assumi ad Physicè producendum effectum; quippe cui nihil obest non existentia. Tertiò, quòd homo in peccato mortali mortuus possit justificari in instanti extrinseco separationis animæ à corpore, in casu quo instans extrinsecum Sacramenti coïncidat cum instanti extrinsecè terminativo Sacramenti.

Respondeo negando prædictas sequelas. Et ad I. est triplex disparitas: nam actio præterita etiamsi transierit quo ad fieri, manet tamen primò in ratione termini, & quo ad factum esse. secundò manet in determinatione subjecti; tertiò secundùm durationem fit contigua effectui, quorum nihil reperitur in actione futura, quæ in instanti initiativo nec est quo ad fieri, nec quo ad factum esse. Ad II. Resp. vel actio præterita remanet ratione alicujus effectûs, virtutis aut determinationis, & tum nil prohibet, quin assumatur à Deo ad Physicum effectum; quemadmodum mors & resurrectio Christi juxta D. Th. q. 50. & 56. ratione humanitatis mortuæ & resuscitatæ operantur ad nostram salutem & resurrectionem. Vel, non remanet, & tunc ideò non potest assumi, quia non habet contiguitatem cum effectu producendo. Sacramenta verò ratione termini ha-

bent contiguitatem cum gratia. Ad III. ratio est incapacitas & defectus subjecti, eò quòd anima separata non fit subjectum capax sive gratiæ justificationis, sive ipsius Sacramentalis termini & mutati esse. unde ex neutro capite sequitur, hominem in peccato mortali posse justificari.

§. V.

Corollaria.

29. COlliges ex dictis primò. Sacramenta non causare gratiam nec in instanti initiativo, nec intrinsecè terminativo; neque in tempore intermedio. Non primum & ultimum, quia juxta præsentem DEI legem Sacramenta causant tanquam practicè significativa; ante instans autem terminativum non habetur completa significatio. Non etiam secundum: quia Sacramenta in motu consistentia juxta naturam motûs (de quo in Physica) terminantur indivisibili extrinseco, non intrinseco.

Colliges secundò. Sacramenta in voto tantùm non causare gratiam ex opere operato; quia juxta præsentem institutionem Sacramenta conferunt gratiam in suo reali usu, & exercitio, atqui desiderium Sacramenti suscipiendi non est ipsius realiter usus & exercitium. ergo. 30.

Colliges tertiò. Indivisibile terminativum, in quo Sacramenta producunt gratiam, aliquando esse terminativum formæ, quando nimirum actio Sacramentalis citiùs absolvitur, quàm forma; aliquando esse terminativum materiæ, quando verba formæ citiùs absolvuntur, quàm materia, aliquando esse terminativum utriusque, si nimirùm simul absolvantur. Semper tamen toti Sacramento ad scribendum esse effectum gratiæ, siquidem illud indivisibile terminativum non aliter habet virtutem productivam gratiæ, nisi quatenus est complementum totius Sacramenti. 31.

ARTICULUS IV.

Quæ Sacramenta fictè suscepta, & quomodo conferant gratiam remoto obice?

SUMMARIA.

1. *Quid sit fictio in Sacramentis.*
2. *Sacramenta imprimentia characterem conferunt gratiam remoto obice.*
3. *Etiam alia Sacramenta probabiliter conferunt gratiam remoto obice.*
4. *Sacramentum Eucharistiæ indignè susceptum consumptis speciebus non remanet in acceptatione Divina.*
5. *Sacramenta characterem imprimentia & Eucharistia physicè producunt gratiam remoto obice.*
6. *Reliqua tantùm moraliter.*
7. *Proponuntur varia objectiones.*
8. *Disparitas Sacramenti fictè suscepti ab opere mortuo.*
9. *Quomodo gratia Sacramentalis sit promissa pro reali usu Sacramentorum?*
10. *Disparitas inter Sacramenta futura & præterita.*
11. *Cur Passio Christi præterita possit physicè concurrere ad gratiam Sacramentalem, non autem Sacramenta præterita?*

§. I.

Respondetur triplici conclusione.

1. NOtandum. Nomine fictionis intelligi aliquam indispositionem Sacramentum recipientis, quæ quidem potest esse duplex. Primò. Ut impediat ipsum valorem Sacramenti, ut si recipiens vel conferens Sacramentum careat debita intentione, vel contrahentes matrimonium habeant impedimentum dirimens, & tunc certum est, illud Sacramentum non reviviscere, nec ablatâ fictione conferre gratiam: unde cùm matrimonium propter dirimens impedimentum ab initio irritum, postea revalidatur, & confert gratiam, non ille prior contractus matrimonij, qui planè est nullus & irritus, censendus est remoto obice dare gratiam, sed posterius matrimonium impetratâ dispensatione validè contractum. Secundò. Fictio seu indispositio potest esse talis, ut non impediat valorem, sed tantùm effectum Sacramenti, quod proinde dicitur cum obice suscipi, ut si adultus peccati mortalis conscius absque attritione baptismum recipiat: tum enim indispositio illa & defectus attritionis etsi non impediat; quin Baptismus sit validè receptus, & imprimat characterem, impedit tamen, ne Baptismus conferat gratiam remissivam peccati originalis. Et de hac fictione est quæstio, an & quæ Sacramenta hâc fictione remotâ, & num physicè vel moraliter conferant gratiam.

CONCLUSIO *prima. Ex Sacramentis Baptismus, Confirmatio, & Ordo conferunt gratiam remoto obice.* Ita communiter Theologi cum S. D. q. 69. a. 10. in c. 2.

Prima pars probatur primò authoritate D. Augustini l. 1. de Baptismo c. 12. dicentis, *in eo, qui fictus accesserat, Baptismum tunc valere incipere ad*

ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.

Secundò ratione. Si Baptismus cum fictione susceptus remoto obice non conferret gratiam, tunc adultus post validam ejusmodi susceptionem Baptismi esset destitutus omni remedio consequendi salutem æternam. Consequens repugnat suavi Providentiæ Dei, cunctis hominibus, quamdiu sunt in viâ & statu merendi, vel demerendi providentis media sufficientia ad salutem. Sequela probatur. In tali casu adultus non posset ampliùs obtinere deletionem peccati originalis, sed hæc necessaria ad consecutionem salutis est. ergo. Major probatur. Ad deletionem peccati originalis necessarius est Baptismus vel in re vel in voto, ut definitur à Trid. sess. 6. de Justif. c. 4. neque enim peccatum originale, aliáve actualia ante Baptismum commissa sunt materia alterius Sacramenti: sed in hoc casu adultus non potest recipere Sacramentum Baptismi, non in re, quia Baptismus validè receptus est irreiterabilis, non in voto, quia contritio subsequens Baptismum non potest includere votum ipsius; ergo.

Tertiò. Tunc Sacramentum confert gratiam, quandoin subjecto disposito existit vel secundùm se, vel secundùm aliquid sui, & effectum à se relictum: sed Baptismus remoto obice existit in subjecto disposito, tametsi non secundùm se, tamen secundùm characterem à se impressum, & secundùm statum immutabilem, in quo collocat Baptizatum. Major probatur: quia ut loquitur D. August. l. cit. Sacramentum etiam fictè susceptum est sanctum instrumentum & semen Christi, modò igitur secundùm aliquid sui, nempe effectum vel physicum vel moralem existat, poterit effectum producere in subjecto jam disposito, veluti constat inductione causarum naturalium.

Secunda pars deducitur ex præcedenti: quamvis enim Confirmatio & Ordo non sint Sacramenta tantæ necessitatis, quantæ Baptismus, sunt tamen irreiterabilia ratione characteris impressi, & collocant hominem in quodam immutabili statu: ergo sicuti propterea Baptismus validè susceptus remoto obice confert gratiam, ita etiam Confirmatio & Ordo cum fictione suscepta conferunt gratiam, ne aliàs suscipiens fructu talium Sacramentorum, quo tamen indiget ad munus suum ritè exequendum perpetuò carere debeat.

3. CONCLUSIO *secunda. Probabile est alia quoque Sacramenta cum fictione suscepta remoto obice conferre gratiam.*

Probatur ratione universali. Sacramenta validè suscepta conferunt gratiam subjecto non impedito; sed alia quoque Sacramenta novæ legis, tametsi fictè, tamen etiam validè suscepta remoto obice non inveniunt impedimentum; ergo conferunt gratiam. Neque dicas, illa tùm non existere: nam contra est, quòd primò sufficiat, ut Sacramentum existat vel in se, vel in aliquo effectu physico, aut morali. Secundò, quòd existat in acceptatione divina, atqui cætera quoque Sacramenta hoc modò existunt: & inprimis Eucharistia quamdiu species non sunt consumptæ, tam diu existit in se ipsa; adeòque licèt accepta fuerit cum obice culpabili, nimirum cum conscientia peccati mortalis, remoto per contritionem obice potest producere gratiam; consumptis verò speciebus, quia neque in se, neque in aliquo effectu remanet, ideò gratiam non confert remoto obice. Pœnitentia, si cum fictione possit suscipi (quæ sententia est probabilis) remanet moraliter in habituali subjectione clavium, dum pœnitens post sua peccata semel validæ absolutioni subjecta deinceps deobligatur, ne illa rursùs teneatur confiteri; ideòque vi præcedentis absolutionis jam præteritæ acquirit directam remissionem peccatorum jam confessorum, postquam per contritionem obicem removerit, de quo suo loco. Extrema unctio, cùm durante eodem saltem morbo non sit reiterabilis, relinquit etiam ægrotum ex vi suæ significationis moraliter determinatum ad percipiendum Sacramenti effectum, quàm primùm intra terminum illius morbi nullum habuerit impedimentum. Matrimonium quoque moraliter remanet ratione vinculi & indissolubilitatis, per quam etiam durante vitâ utriusque conjugis non est reiterabile. Tandem cùm omnia Sacramenta in usu consistentia quantumvis fictè suscepta sint quædam actiones sacræ & sanctæ sanctitate derivata ab ipso principali Ministro, & offerente, qui est Christus, videntur manere in acceptatione Divina, ut remoto impedimento possint reviviscere ad conferendum effectum gratiæ; sicuti opera meritoria per peccatum mortificata remanent in acceptatione divina, ut possint reviviscere ad priorem gradum gratiæ & gloriæ, remoto peccati obice.

Dixi: *Sacramenta in usu consistentia.* Nam de Sacramento Eucharistiæ cum communi asserendum est, illud semel indignè susceptum post consumptas species non remanere in acceptatione divina. Illud quippe Sacramentum, cùm per modum convivij & realis manducationis suâ naturâ reiterabilis conferat gratiam, idque per physicam præsentiam & sumptionem primi Corporis Christi, ideò transactâ illa physica præsentia & sumptione nullum est fundamentum asserendi, quòd illud Sacramentum in se vel aliquo sui, vel in acceptatione divina remaneat. Dices. Etiam realis manducatio corporis Christi jam præterijt, quando post Eucharistiam indignè susceptam, obex removetur, priusquam species consumantur: ergo neque tunc confertur gratia. Resp. Cùm in isto casu ex vi præcedentis manducationis sive trajectionis in stomachum ibidem remaneat physica præsentia Corporis Christi sub speciebus nondum consumptis, adeòque cum practica significatione cibi refectivi, ideò esse valdè probabile, quòd remoto obice adhuc conferat gratiam: licèt enim manducatio transierit actualiter, censetur tamen durante cibi Eucharistici præsentiâ manere habitualiter, seu virtualiter. De quo suo loco. 4.

CONCLUSIO *tertia. Eucharistia & Sacramenta characterem imprimentia probabiliter physicè II. reliqua probabiliùs tantùm moraliter conferunt gratiam remoto obice.* Ita plures Thomistæ ad mentem S. Doctoris q. 69. a. 10. 5.

Ratio

6. *Exponitur Tridentinum de perfecta, non de necessaria dispositione ad baptismum.*
7. *Adultus tenetur DEO satisfacere vel ex opere operantis, vel ex opere operato.*
8. *Quomodo in Sacramento mortuorum fiat ex attrito contritus?*
9. *Tam Sacramenta mortuorum secundam, quàm vivorum causant aliquando primam gratiam.*
10. *Fundamentum hujus doctrinæ in Conciliis.*
11. *Objectiones solvuntur.*
12. *Quomodo hoc fiat ex parte subjecti per accidens,*
13. *Ex parte virtutis activæ per se?*
14. *Suppositio ignorantiæ invincibilis infert effectum per accidens ex parte subjecti.*
15. *Quomodo esse per se causativum primæ gratiæ sit differentia divisiva Sacramenti.*
16. *Sacramenta vivorum ex ratione generica & materiali sunt instituta etiam ad primã gratiam conferendã, & ex ratione specifica indirectè.*
17. *Impugnationes virtutis genericæ ad conferandam primam gratiam diluuntur.*
18. *Disparitas de augmentatione quantitatis.*
19. *Non sequitur, licere recipere Sacramentum vivorum cum attritione cognita.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò, Inter Sacramenta novæ legis esse aliqua, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, alia, quæ dicuntur vivorum. Sacramenta mortuorum sunt illa, quæ in eum finem à Christo sunt principaliter instituta, ut peccatores per illa à morte peccati transferantur ad vitam gratiæ sanctificantis, suntque Sacramenta baptismi & Pœnitentiæ, quorum illud delet peccatum originale; istud peccatum actuale. Sacramenta vivorum dicuntur, quæ in eum finem à DEO sunt principaliter instituta, ut fideles per illa in vita spirituali sive gratia sanctificante augeantur & proficiant.

2. Not. secundò. Gratiam sanctificantem habitualem comuniter dividi in primam & secundam tanquam in ejusdem gratiæ diversas formalitates vel effectus. Eadem quippe specie & numero gratia quatenus de novo advenit subjecto ipsam non habenti sicque formaliter expellit sui privationem, dicitur gratia prima; eadem verò quatenùs augetur in subjecto ipsam habente, sicque connotat aliquem sui gradum vel temporis vel naturæ prioritate præsuppositum, sic dicitur gratia secunda.

3. Not. tertiò. Dum quæritur, an Sacramenta vivorum per se vel per accidens aliquando causent primam gratiam; ly *per se & per accidens* posse diversimodè accipi. Et primò ly *per se producere* dicit rationem formalem sub quâ causa attingit effectum, quo modo homo per se producit hominem, non animal: secundò per se producere, dicit, virtutem propriam & proportionatam effectui, contento sub sphæra & objecto virtutis activæ, quo modo homo per se producit totum quod est in homine, animal, corpus, &c. quæ priori modo per se producuntur, illa producuntur per se primo formaliter, quæ verò secundo modo per se producuntur, illa per se materialiter consecutivè, aut concomitanter producuntur. Rursus per accidens causare sumi potest dupliciter, primò ex parte virtutis agendi; secundò ex parte dispositionis subiecti. Ex parte virtutis activæ sumitur, cùm virtus ex se non esset sufficiens attingere effectum, nisi alia causa jungeretur, veluti cùm Musicus ædificat. Ex parte dispositionis subjecti sumitur, cùm agens habet virtutẽ producendi effectum, per accidens tamen contingit subiectum esse taliter applicatum, vel dispositum ad recipiendum effectum E. g. cùm ignis decidens comburit materiam; illa combustio non fit per accidens effectivè & ex parte virtutis activæ, cùm ignis habeat virtutem proportionatam huic effectui; est tamen per accidens applicativè & ex parte applicationis, quia ignem huic materiæ per casum applicari per accidens est. His positis quæritur, an aliqua Sacramenta causent primam gratiam? De fide certum est, Sacramentum baptismi saltem parvulis conferre primam gratiam, de adultis vero quidam antiqui Alensis, Gabriel aliique videntur tenere contrarium, ad Sacramenta mortuorum ritè suscipienda in adulto requirentes dispositionem perfectæ contritionis, quod de Sacramento pœnitentiæ adhuc docent Sotus Corduba, aliique. De quo sit

§. II.

Sacramenta mortuorum per se causant primam gratiam.

CONCLUSIO I. *Sacramenta mortuorum, nempe baptismus & pœnitentia per se conferunt primam gratiam.* Ita cum D. Th. q. 68. a. 4. & Scoto in 4. d. 14. q. 4. a. 3. docent communiter DD. 4

Ratio est: Illa Sacramenta per se conferunt primam gratiam, quæ ad delendum peccatum mortale per se sunt instituta, sed baptismus & pœnitentia sunt Sacramenta per se instituta ad delendum peccatum mortale, baptismus ad delendum originale, pœnitentia ad actuale peccatum. ergo. Maj. prob. Sacramenta instituta ad conferendam gratiam remissivam peccati mortalis conferunt primam gratiam; hoc ipso quòd gratia remissiva peccati advenit subjecto habenti peccatum; hoc est privationem sui: sed Sacramenta instituta ad delendum peccatum, sunt instituta ad conferendam gratiam remissivam peccati: ergo per se conferunt primam gratiam.

Objic. Illa Sacramenta non conferunt primam gratiam, quæ ante sui susceptionem præsupponunt hominem jam justificatum; sed baptismus & pœnitentia semper præsupponunt hominem adultum jam justificatum, ergo. Min. prob. Perfecta contritio habet virtutem justificandi, atqui in adulto antecedenter ad susceptionem istorum Sacramentorum requiritur pro dispositione perfecta contritio, ergo. Minor iterum probatur inprimis ex Tridentino Sess. 6. de just. c. 6. docente, quòd ad baptismum in adultis requiratur contritio propter Deum summè dilectum. Secundò hâc ratione: Juxta legem DEI ordinariam adultus jure naturali tenetur DEO satisfacere pro peccato quatenùs est offensa DEI: sed non nisi contritio est satisfactio pro peccato, ut est offensa DEI: ergo jure naturali homo tenetur ad contritionem. Atqui tenetur in conscientia satisfacere huic obligationi, priusquam recipiat Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ; cùm aliàs poneret obicem Sacramento: ergo priusquam recipiat aliquid ex hisce Sacramentis tenetur elicere contritionem. Tertiò juxta legem ordinariam forma non infunditur nisi positâ ultimâ dispositione, atqui non attritio, sed contritio est ultima dispositio ad gratiam; ergo per Sacramenta baptismi & pœniten- 5

nitentiæ adulto non infunditur gratia, nisi positâ
6. contritione.

Resp. negando primam & secundam minorem, ad huius primam probationem dico, illo loco à Tridentino tantùm explicari perfectam dispositionem, non autem unicè necessariam ad recipiendum baptismum, infrà verò Sess. 14. c. 4. clarè distinguit inter contritionem & attritionem, quarum illa extra, hæc verò in Sacramento pœnitentiæ (idem est de baptismo judicium) dicitur sufficere ad justificationem.

7. Ad secundā probationē ℞. Adultus tenetur DEO satisfacere vel ex opere operantis, vel ex opere operato conc. tantùm ex opere operantis neg. sed sola contritio est satisfactio ex opere operantis conc. ex opere operato neg. min. & consequentiam. Nam ex opere operato satisfit pro nostris peccatis per ipsam satisfactionem Christi nobis in Sacramentorum usu quodammodo donatam & applicatam. Unde negatur ultimum subsumptum: non enim homo tenetur hanc satisfactionem integrè præstare, priusquam recipiat Sacramentum, sed illam inchoare per imperfectum saltem dolorem attritionis & complere per ipsam Sacramenti receptionem.

8. Ad tertium ℞. DEUM propter merita Christi in Sacramentis mortuorum ultra legem ordinariam operari, & virtute meritorum Christi attritionem, quæ ex se non esset ultima dispositio, tamen ut conjunctam Sacramento elevari ad rationem moraliter ultimæ dispositionis ad gratiam. Unde hæc Sacramenta dicuntur facere ex attrito contritum.

§. III.

Sacramenta mortuorum secundam, & vivorum primam gratiam aliquando conferunt.

9. CONCLUSIO II. *Non tantùm Sacramenta mortuorum secundam sed etiam Sacramenta vivorum aliquando causant primam gratiam.* Ita communis Thomistarum, aliorúmque cum S. D. q. 79. a. 3. affirmante de Sacramento Eucharistiæ, contra D. Bona. Vasq. & Bernal. Ratio utriusque partis est: Christus instituit Sacramenta, ut per illa applicet virtutem suorum meritorum, & gratiam conferat non ponentibus obicem, seu obstaculum gratiæ: sed qui perfectè contritus accedit ad baptismum, vel pœnitentiam non ponit obicem, ergo consequitur gratiam; non primam, siquidem supponitur justificatus, ergo secundam, hoc est augmentum gratiæ. Item qui cum ignorantia inculpabili alicujus peccati mortalis, de quo non est perfectè contritus, vel non validè absolutus accedit ad Eucharistiam aliudve Sacramentum vivorum, existimans bonâ fide se esse in statu gratiæ, non ponit obicem Sacramento: ergo consequitur gratiam; atqui in tali casu non præcisè consequitur gratiam secundam; siquidem supponitur nondum esse in statu gratiæ; ergo consequitur primam.

10. Dices primò. Non debemus Sacramentis tribuere effectum ex opere operato, nisi quem vel ex S. Script. vel definitione Ecclesiæ, vel PP. traditione, vel denique ex natura & institutione Sacramentorum eruimus: atqui quòd Sacramenta vivorum aliquando causent primam gratiam, quæ est proprius effectus Sacramenti mortuorum, nullum ex his habemus fundamentum, ergo. ℞. neg. min. quia hanc doctrinam per bonam consequentiam deducimus ex Concil. Florentino, præsertim Tridentino Sess. 7. de Sacram. can. 6. & 7. affirmante, quòd Sacramenta novæ legis universim conferant gratiam non ponentibus obicem: sed qui accedit ad Sacramentum vivorum v. g. ad Confirmationem cum sola attritione de peccato mortali, bonâ tamen fide existimans se esse contritum, vel cum invincibili ignorantia alicujus peccati, de quo non est perfectè contritus, vel absolutus, non ponit obicem: ergo acquirit gratiam Sacramenti: atqui tunc præcisè secundam gratiam non potest acquirere, siquidem hæc essentialiter præsupponit primam: ergo necesse est, ut tunc acquirat primam gratiam. Accedit authoritas D. Th. & communis consensus Scholasticorum.

Dices secundò. Sicuti ad vitam corporalem se habet potentia augmentativa; ita se habet ad vitam spiritualem Sacramentum confirmationis; ergo sicuti illa indispensabiliter præsupponit vitam naturalem; sic istud vitam gratiæ spiritualem. ℞. Ita se habet quantum ad rationem specificam conc. quantum ad rationem genericam, nego. sic enim implicitè & virtualiter etiam habet rationem potentiæ generativæ. 11.

Dices tertiò. Cibus quantumcunque applicatus mortuo non dat ipsi vitam: ergo nec Eucharistia quæ est cibus animæ. ℞. neg. paritatem, quia cibus materialis non est ipsa vita, sed vitam conservat per sui conversionem in substantiam aliti. At Eucharistia est ipsa vita vertens in se alitum, ubi non invenit obicem, juxta illud Augustini; *non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.*

Dices quartò. Qui est attritus putans se esse contritum non est magis dispositus ad Sacramentum vivorum, quàm qui scit se tantùm esse attritum, siquidem ignorantia, vel cognitio nihil addunt, vel demunt attritioni; sed iste non recipit primam gratiam à Sacramento vivorum: ergo nec ille: ideóque Sacramenta vivorum ex suppositione invincibilis ignorantiæ non dant primam gratiam. Resp. non est magis dispositus positivè conc. negativè nego. est quippe in bona fide, nec habet conscientiam peccati mortalis: ideoque non ponit obicem Sacramento, quem ille ponit, qui accedit cum conscientia peccati mortalis; atqui Sacramenta ex ratione generica dant gratiam non ponentibus obicem.

§. IV.

An Sacramenta vivorum per accidens causent primam gratiam?

CONCLUSIO III. *Cùm Sacramenta vivorum conferant primam gratiam, id fit per accidens ex parte subjecti & dispositionis, per se tamen ex parte virtutis activæ.* Ita Jo. à S. Th. & Reding q. 4. a. 1. Concl. 2. contra Gonet alibsque. 12.

Ratio

Ratio primæ partis est: tunc ex parte subjecti seu suscipientis gratia confertur per accidens, quando attentâ Juris Divini obligatione & institutione specificâ Sacramenti suscipiens debitè non est dispositus (deberet enim accedere in statu gratiæ) sed tamen excusatur ratione invincibilis ignorantiæ, quæ per accidens intervenit: atqui ita contingit in casu, quo Sacramenta vivorum conferunt primam gratiam. ergo

13. Secunda pars probatur primò. Effectus intra activam virtutem contentus à causâ per se producitur, sed Sacramenta vivorum intra suam virtutem activam continent primam gratiam, ergo eandem per se producunt. Minor probatur. Sacramenta novæ legis intra suam virtutem continent ipsam substantiam gratiæ; ita enim affirmant Concilia Sacramenta gratiam continere & causare: atqui substantia gratiæ in subjecto nondum præhabente gratiam est ipsa prima gratia; ergo Sacramenta novæ legis intra suam virtutem continent primam gratiam. Minor est certa, impossibile enim est gratiam poni in subjecto præhabente privationem gratiæ, & non esse primam, seu non conferre suum effectum formalem, qui est remissio & extinctio peccati.

Probatur secundò. Illum effectum Sacramenta per se conferunt, quem conferunt vi suæ institutionis; sed vi suæ institutionis Sacramenta vivorum aliquando conferunt primam gratiam, ergo per se illam conferunt. Minor probatur. Omnia Sacramenta, adeoque & Sacramenta vivorum vi suæ institutionis genericæ, quatenus sunt Sacramenta Evangelica, sunt signa practica & causativa gratiæ sanctificantis, ut sanctificans est, sed aliquando non possunt esse signa practica gratiæ sanctificantis quà talis, nisi sint eò ipso signa practica primæ gratiæ: ergo Sacramenta vivorum vi suæ institutionis aliquando sunt signa practica causativa primæ gratiæ. Minor probatur. In subjecto destituto statu gratiæ Sacramenta vivorum non possunt significare gratiam sanctificantem quà talem, quin eo ipso significent ipsam remissivam peccati adeóq; primam; non enim aliter sanctificatur tale subjectum, nisi quatenùs justificatur: ergo in tali subjecto vi suæ institutionis significant primam gratiam.

Probatur tertiò. Vel Sacramenta vivorũ ad productionẽ primæ gratiæ requirunt concursum alterius instrumenti & Sacramenti, vel non. Neutrum potest dici. Non primum, ut per se patet. Non secundum, quia vel per se producent effectum, utpote contentum in sua virtute, & absq; accidentali adventu alterius causalitatis; vel ne quidem per accidens producent, neque enim applicatio vel dispositio subjecti facit, ut causa producat effectũ, qui est extra sphæram & activitatem ipsius.

§. V.

Solvuntur objectiones.

14. Objic. primò. Ille effectus per accidens ponitur, qui ponitur ex suppositione ignorantiæ invincibilis: sed Sacramenta vivorũ tantùm conferunt primam gratiam ex suppositione ignorantiæ invincibilis, ergo. ℞. Ponitur per accidens vel ex parte subiecti, vel virtutis activæ conc. semper ex parte virtutis activæ, neg. & similiter dist. consequens & nego consequentiam.

Objic. secundò. Implicat differentiã divisivam alicujus generis convenire utrique speciei: e.g. rationale, quod est divisivum animalis, convenire equo & homini, sed esse per se causativum primæ gratiæ, est differentia divisiva Sacramenti Evangelici, & contractiva ad speciem subalternam nempe ad Sacramenta mortuorum; ergo non potest convenire etiam oppositæ speciei, nempe Sacramentis vivorum. ℞. primò. Hoc argumento nimis probari: quia differentia divisiva generis, qualis est rationale utrique speciei neque per accidens convenire potest. ℞. secundò dist. min. esse per se causativum primæ gratiæ, sub explicita differentia, & formali ratione primæ gratiæ, est divisiva differentia conc. sub implicita & materiali ratione primæ gratiæ, quatenùs nempe effectus primæ gratiæ continetur in ipsa substantia gratiæ, & ex suppositione subjecti gratiã destituti ex illa necessariò sequitur, neg. min. & sub data distinctione, nego consequentiam. 15.

Objic. tertiò. Illã gratiã Sacramenta per se conferunt, ad quam conferendã & practicè significandam sunt instituta; sed Sacramenta vivorum sunt per se instituta non ad primã sed ad secundam gratiam significandam & conferendam: ergo hanc tantùm per se conferunt. Min. prob. Eucharistia v. g. est instituta ad significandã gratiam cibantẽ, sed hæc est per se gratia secunda, non prima: ergo est per se instituta ad significandam & conferendam gratiam secundam. 16.

℞. primò. dist. min. non sunt instituta ad primam sed secundam gratiã per se conferendã ex ratione formali & specifica conc. ex ratione materiali & generica, quatenùs sunt Sacramenta Evangelica, neg. & eodem modo dist. conseq. Ex quo patet ad probationem: nam etsi ex ratione formali & specificâ Eucharistia significet & conferat gratiã cibantẽ, tamẽ ex ratione generica, ut est Sacramentum Evangelicum, habet conferre gratiæ substantiã, seu gratiã sanctificantem: ex quo sequitur, quòd conferat gratiã primam in subjecto inculpabiliter destituto statu gratiæ.

℞. secundò. Non sunt instituta ad primã gratiã directè conc. indirectè & consecutivè neg. Cùm enim implicet gratiã secundam v. g. cibantem recipi in subjecto, in quo non saltẽ secundùm prioritatem naturæ præsupponatur primus gradus gratiæ; idcircò ex suppositione, quòd suscipiens Sacramentũ Eucharistiæ v. g. sit inculpabiliter privatus gratiã, Eucharistia ex ipsa suæ specificæ institutionis efficacia indirectè & consecutivè habet producere primum gradum gratiæ, quippe quo non posito ad specificum effectum gratiæ cibantis pervenire non posset.

Dices primò. Christus non instituit Sacramenta secundùm aliquam rationẽ genericam, sed specificam: ergo Sacramenta vivorum secundùm genericam rationem non sunt instituta ad practicè significandam primam gratiam. ℞. non sunt instituta secundùm rationem genericam disjunctim & separatim à specifica conc. conjunctim. nego

Dices secundò. Si primam gratiam conferre Sacramentis vivorum convenit ex ratione generica, hoc ipso nunquam conferunt primam gratiam: quia impossibile est, ut genus ponatur, non positâ specie, ut homo v. g. solùm generet animal & non hominem: ergo impossibile est, ut Sacramenta vivorum 17.

vorum ponant primam gratiam. ℞. primò. nimium probari, quia genus neque per accidens ponitur non positâ specie. ℞. secundò neg. seq. & consequentiam probationis, quia prima gratia non est genus, sed ponere primam gratiam consequenter ex ratione generica Sacramenti, quæ est habere virturem ponendi ipsam substantiam gratiæ. Imò cùm Sacramenta vivorum nunquam ita conferant primã gratiam, quin pro posteriori naturæ resultet jus specificum ad gratiæ auxilia pro fine specifico Sacramenti conducentia, eadem gratia simul habet rationem primæ gratiæ quatenus in priori naturæ connotat privationem sui, & habet rationem gratiæ secundæ, quatenus saltem in posteriori naturæ præsupponit se ipsam & connotat auxilia specialia sibi debita.

Dices tertiò. Tunc ex generica ratione Sacramenti non sequitur, quòd Sacramenta vivorum per se causent primã gratiã, quando ratio generica Sacramenti præscindit à causalitate primæ gratiæ; sed præscindit, ergo. Min. prob. gratia ut sic præscindit à prima & secunda gratia; sed Sacramentum secundùm rationẽ genericã tantùm habet causare gratiã ut sic; ergo secundùm rationẽ genericã præscindit à causalitate primæ gratiæ. ℞. dist. maj. quando ita præscindit à causalitate primæ gratiæ, ut tamẽ ratio primæ gratiæ tanquam effectus contineatur in virtute ipsius gratiæ quo ad substantiã neg. si non contineatur, conc. similiter ad probationẽ, gratia ut sic præscindit à prima & secunda gratia, ut tamen in se utramq; per modũ effectûs contineat, conc. secùs neg. sicut ergo virtus calefactiva ut sic logicè & in actu signato accepta ex se præscindit ab hoc, quòd sit principiũ alterationis, vel intensionis, quia tamẽ in sua virtute utramq; operationem continet, ideo non tantùm est principium intensionis, sed etiam alterationis, si subjectum omni gradu caloris destitutum inveniat, & virtus calefactiva solis præscindens à rarefactione vel condensatione, pro diversa dispositione subjecti modò solvit, modò indurat; ita virtus gratiæ ut sic licèt præscindat ab hoc, quòd sit prima & remissiva peccati, vel quòd sit secunda & augmentativa, suppositâ tamen applicatione subjecti carentis omni gradu gratiæ, non potest non conferre effectum primæ gratiæ & remissivæ peccati, cùm hic sit effectus proprius ipsius.

18. Objic. quartò. Potentia ordinata per se ad augendam quantitatem, non potest causare primam quantitatem: ergo nec Sacramenta per se ordinata ad conferendum augmentum gratiæ, possunt per se producere primã gratiã. ℞. primò, hinc probari, quòd ista Sacramenta nec per accidens possent producere primã gratiã, quia potentia augmentativa, ne quidem per accidens potest conferre primam quantitatem. ℞. secundò neg. paritatem, quia quantitas est naturalis passio corporis, unde sicuti potentia augmentativa necessariò præsupponit corpus, ita etiam primam quantitatem ceu passionem ipsius, sed gratia non est proprietas animæ.

Dices. Ratio differentialis nunquã repugnat cũ ratione generica; sed repugnat v.g. Eucharistiæ ex ratione specifica conferre primã gratiã, siquidem ex ratione specifica ipsi convenit dare gratiam cibantem, quæ non est prima, sed secunda: ergo neque ex ratione generica illam dare potest. ℞. primò. nimis probari: quia nulla res etiam per accidens extra suã speciem abire potest. ℞. secundò dist. min. repugnat ex ratione specifica conferre primã gratiã sub ratione formali & explicita primæ gratiæ conc. sub. ratione materiali & implicita; quatenus est ipsa substantia gratiæ, & consecutivè sic nego, & eodem modo dist. consequente, nego consequentiam.

Objic. quintò. Si Sacramenta vivorũ per se conferrent primã gratiã, possent aliquis licitè illa suscipere cum conscientia peccati mortalis & attritione cognita quâ tali, sed hoc non potest; cùm hoc sit ponere obicem Sacramento vivorum. 19.

Resp neg. seq. quia homo tenetur ponere dispositionem requisitam ad specificam, non tantùm ad genericam rationem Sacramenti: ex ratione autẽ specifica Sacramenta vivorum prærequirunt statũ gratiæ. Neque dicas: quia Sacramenta mortuorum per se producunt primam gratiam, ideo licitè recipiuntur cum conscientia peccati mortalis: ergo etiam Sacramenta vivorum. Nam ℞. Ideo illa licitè recipi cum conscientia peccati mortalis & attritione cognita, quia per se ex ratione specifica & formaliter conferunt primam gratiam; at Sacramenta vivorum tantùm conferunt illam materialiter, consecutivè, & ex ratione generica. Adhuc dices. Non potest idem alicui simul convenire ex ratione generica & specifica; sed Sacramentis mortuorum convenit ex ratione specifica per se conferre primam gratiam: ergo non potest ipsis convenire ex ratione generica, ergo neque Sacramentis vivorum. ℞. non potest convenire eodem modo & ratione conc. diverso neg. Convenit igitur (per se conferre primã gratiã) Sacramentis mortuorum ex ratione specifica, sub explicita formali ratione primæ gratiæ; convenit etiam ex ratione generica implicitè & sub ratione substantiæ ipsius gratiæ.

ARTICULUS II.

Quâ proportione Sacramenta conferant gratiam?

SUMMARIA.

1. *Absolutè posset DEUS dare gratiam inæqualem subjectis æqualiter dispositis.*
2. *Sacramenta non accipiunt majorem efficaciam ex majori sanctitate Ministri.*
3. *Quomodo Missa melioris Sacerdotis possit esse magis fructuosa?*
4. *Sacramenta diversæ speciei conferunt inæqualem gratiam.*
5. *Sacramenta ejusdem speciei in subjectis æqualiter dispositis producunt æqualem gratiam, inæqualem in inæqualiter dispositis.*
6. *Objectiones diluuntur.*
7. *Infantes, & amentes recipiunt æqualem gratiam.*
8. *Sacramenta remoto obice conferunt æqualem gratiam.*
9. *Disparitas de meritis reviviscentibus.*
10. *Gratia in inæqualiter dispositis fit inæqualis, etiam prout est ex opere operato.*

§. I. *Juxta*

§. I.

Juxta æqualitatem vel inæqualitatem dispositionis in subiecto confertur major vel minor gratia.

1. CErtum est primò. Quòd DEUS per absolutam potentiam ita potuisset instituere Sacramenta, ut Sacramenta ejusdem speciei vel pro diversa sanctitate ministri conferentis diversum, vel in subjectis æqualiter dispositis inæqualem effectum gratiæ producerent, unde tantùm quæritur, quid de facto divinitus sit institutum? Ubi

2. Certum est secundò, contra Donatistas à D. Augustino l. 4. de bapt. c. 20. refutatos, quòd Sacramenta non accipiant majorem minorémve efficaciam ex majori, vel minori sanctitate & merito Ministri; hic enim error in Sacramento baptismi (par est ratio in aliis Sacramentis) validè refutatur ex illo Jo. 1. ubi Joannes de Christo dixit: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Et nihilominùs Jo. 4. asseritur de Christo, quòd ipse non baptizaret, sed discipuli ejus, quæ loca in specie contraria non aliâ ratione facilè exponuntur, nisi juxta mentem D. Augustini citati, quòd ea sit baptismatis Christi proprietas, ut etsi multi diversorum meritorum homines baptizent, sanctitas tamen baptismi tribuatur soli illi super quem descendit columba, de quo dictum est, *hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Nempe effectus Sacramenti non datur ob meritum Ministri sed Christi, & in sola ejus sanctitate fundatur, Ministro se purè habente ceu instrumento applicante Sacramentum, ergo, unde Apostolus 1. Cor. 1. nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

3. Dices. Ex mente D. Th. q. 64. a. 1. ad 2. & q. 82. a. 6. Missa melioris Sacerdotis est magis fructuosa ex devotione Sacerdotis orantis: ergo saltem concomitanter potest superaddi aliquis gradus gratiæ propter meritum vel orationem Ministri. R. mentem & sensum esse, quòd devotio Sacerdotis orantis possit de congruo mereri & impetrare auxilium efficax, quo excitetur major dispositio ad gratiam recipiendam in illo, cui sacrificii fructus applicatur, sicque majorem quoque gratiam ex opere operato recipiat; non verò quòd ipsa devotio offerentis sit ex se efficax ad aliquem gradum gratiæ absque illius dispositione & actu proprio promerendum; cùm nullus hominum præter Christum possit alteri mereri gratiam sanctificantem, juxta dicta in Tr. de Merito.

4. Certum est tertiò. Sacramenta diversæ speciei conferre inæqualem gratiam, siquidem aliqua sunt instituta ad primam, aliqua ad secundam gratiam sive augmentum illius conferendum; & alia aliis sunt præstantiora præcipuè Sacramentum Eucharistiæ, quod nobiliori modo gratiam continet, quàm reliqua Sacramenta, siquidem continet ipsum gratiæ Authorem. Restat igitur dubium, an Sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta v. g. duo baptismi in subjectis æqualiter dispositis conferant æqualem gratiam, & in subjectis inæqualiter dispositis inæqualem.

5. CONCLUSIO. *Sacramenta ejusdem speciei in subiectis æqualiter dispositis producunt effectum gratiæ æqualem; in inæqualiter dispositis inæqualem.* Ita S. D. q. 69. a. 1. cum communi Theologorum contra Paludanum admittentem inæqualis gratiæ effectus in subjectis æqualiter dispositis, & contra Alensem subjectis inæqualiter dispositis assignantem æqualem gratiam.

Utraque pars probatur primò authoritate Concilii Tridentini Sess. 6. de justif. 7. docentis: eos, qui per baptismum justificantur, accipere justitiam internam, unumquemque suam secundùm mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem, ergo habentibus æqualem dispositionem æqualiter confertur justitia seu gratia interna, habentibus inæqualem datur inæqualiter. Ratio est: DEUS instituit Sacramenta, ut modo determinato, & ad instar causarum naturalium ponerent effectum gratiæ: ergo sicut illæ in subjecto magis disposito producunt majorem & intensiorem effectum; in æqualiter disposito æqualem; sic etiam Sacramenta.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies contra primam partem. Homines sunt prædestinati ad illum gloriæ & gratiæ gradum, quem habuissent Angeli prævaricatores, si perseverâssent: sed iste fuit in omnibus Angelis 6. inæqualis, ut suppono ex Tr. d. Angelis: ergo etiam omnes homines etiam infantes baptizati recipiunt inæqualem gratiæ gradum. Major ex eo deducitur, quòd homines sint prædestinati ad implendas ruinas Angelorum.

Respondeo neg. maj. Neque enim homo præcisè ex respectu ad reparandas Angelorum ruinas, sed ex se ipso beabilis est. Unde falsum assumitur.

Objicies secundò contra secundam partem. Eo modo Sacramenta conferunt gratiam, quo modo sunt à Christo instituta; sed sunt instituta, ad determinatum gratiæ gradum conferendum: ergo determinatum conferunt: sive ergo subjectum sit magis vel minùs dispositum, conferunt illum gradum ad quem conferendum sunt determinata.

Respondeo dist. min. Sunt instituta ad conferendum determinatum gradum gratiæ absque respectu ad mensuram propriæ dispositionis nego, hoc enim repugnat Tridentino, cum respectu ad illam conc.

Dices. Si in Sacramento novæ legis confertur gratia juxta mensuram propriæ dispositionis, nihilo distabunt à Sacramentis antiquæ legis, sed hoc est contra supra dicta.

Respondeo neg. seq. Quia Sacramenta novæ legis ita dant proportionaliter gratiam commensuratam propriæ dispositioni, ut homo semper consequatur ampliorem gratiæ gradum, quàm solâ virtute propriæ dispositionis assecutus fuisset. e. g. si sit attritus tantùm, poterit unà cum Sacramento mortuorum accipere primam gratiam, quam vi solius attritionis extra Sacramentum nunquam acciperet, si habet dispositionem contritionis vel dilectionis ut tria, unà cum Sacramento pertinget ad gratiam ut sex, cùm sine Sacramento tantùm attigisset tertium gratiæ gradum, hoc autem de Sacramentis antiquæ legis dici non potest.

§. III.

Corollaria.

7. INferes ex dictis primò. Infantes & amentes recipere æqualem gratiam Sacramenti; quia in ipsis loco dispositionis est sola capacitas: sed sunt æqualiter capaces: ergo sicut adultis æqualiter dispositis Sacramenta conferunt æqualem gratiam, ita etiam infantibus & amentibus.

8. Inferes secundò. Sacramenta fictè suscepta recedente postmodum fictione conferre æqualem gratiam, eámque in infimo gradu. Ita Jo. à S. Th. d. 24. a. 1. Suar. Reding aliique contra Card. d. Lugo hîc se. 5. n. 71. Ratio est, quòd Sacramenta fictè suscepta remoto obice conferant illum gratiæ gradum, ad quem conferendum sunt acceptata à DEO in ipso instanti fictionis, sed sunt acceptata ad æqualem eúmque infimum gratiæ gradum. ergo. maj. prob. quia Sacramenta acceptantur ad determinatum effectum, quatenùs realiter applicata, sed sunt applicata pro instanti fictionis; neque enim posterior superveniens dispositio illa applicat, sed applicata supponit, & tantùm removet prohibens. Minor pariter probatur. Gratia quæ datur ex solo opere operato absque respectu propriæ dispositionis, est æqualis, ut patet in infantibus, estque minima, quia cùm sit inferior omni alia habente conjunctam dispositionem, sitque ad certum gradum à DEO determinata, est veluti *minimum quod sic* in genere gratiæ sacramentalis. Illa quippe est minima, quæ non habet unde crescat, sed ista non habet unde crescat, quia ratio crescendi est dispositio suscipientis. Sed Sacramenta in instanti fictionis acceptantur ad gratiam ex solo opere operato absque intuitu propriæ dispositionis conferendam. ergo.

9. Dices. Merita reviviscunt per pœnitentiam non secundùm primæ dispositionis, sed juxta pœnitentiæ posterioris mensuram: ergo etiam Sacramenta fictè suscepta reviviscunt non juxta primam receptionem, sed juxta illam dispositionem, per quam obex & fictio removetur. Resp. primò, in sententia admittente reviviscentiam meritorum ad totum facilè retorqueri argumentum: quia sicuti tunc tota gratia redit secundùm proportionem primæ dispositionis & meriti à DEO acceptati, & posterior dispositio tantùm est conditio removens prohibens; ita Sacramentum fictè susceptum reviviscit recedente fictione secundùm gradum Sacramento tempore fictionis debitum, posterior verò dispositio tantùm removet prohibens. In altera verò sententia, quæ solùm admittit reviviscentiam meritorum juxta proportionem sequentis dispositionis & pœnitentiæ disparitas est: quòd gratia, quæ penitus est ex opere operantis juxta legem DEI ordinariam per merita non confertur nisi secundùm mensuram præsentis dispositionis, cùm ergo etiam gratia priùs per merita comparata & modò reviviscens sit merè ex opere operantis, ac dispositionem subjecti pro adæquata mensura non tantùm pro removente prohibens, recipiat, juxta proportionem præsentis dispositionis conferri debet: atqui gratia Sacramenti, quæ confertur à Sacramento recedente fictione est totaliter ex opere operato, & ultra propriæ dispositionis mensuram per potentiam extraordinariam ponitur.

Inferes tertiò. Gratiam inæqualem, quæ recipitur in Sacramento à pluribus inæqualiter dispositis, non tantùm esse inæqualem, quatenus conjuncta est cum inæquali gradu gratiæ ex opere operantis dispositioni debito, sed etiam quatenus à Sacramento procedit, estq; penitùs ex opere operato. e. g. sint duo quorum unus recipit Sacramentum Eucharistiæ cum devotione ut 3. alter cum devotione ut 6. quæritur, an uterque supra gratiam devotioni debitam tantùm accipiat unum gratiæ gradum, sicque prior recedat cum gratia ut 4. alter cum gratia ut 7. (quæ erit inæqualitas orta solùm ex conjunctione gratiæ Sacramentalis ex opere operato cum gratia debita ex opere operantis) vel utrum gratia ex opere operato vi Sacramenti debita crescat juxta proportionem dispositionis, & accedens cum devotione ut 3. acquirat gratiam ut 6. accedens cum devotione ut 6. accipiat gratiam ut 12. &c. (quæ inæqualitas est ex se, & quatenùs procedit à Sacramento) Ratio igitur nostri asserti deducitur ex dictis, quia Tridentinum loc. cit. dicit, in Sacramentis dari à DEO gratiam juxta mensuram propriæ dispositionis, atqui gratia quæ datur præcisè ex opere operato est à DEO. ergo etiam datur & consequenter est intensior vel remissior juxta mensuram suscipientis. Causæ quoque possunt effectum magis minúsve perfectum producere, & producunt perfectiorem in subjecto magis disposito, ergo etiam Sacramenta, ceu instrumenta Christi gratiam ex opere operato ceu effectum sibi proprium perfectiùs producunt in subiecto magis disposito. 10.

ARTICULUS III.

Quid gratia Sacramentalis superaddat habituali?

SUMMARIA.

1. *Per Sacramenta confertur gratia cum virtutibus per se infusis & donis Spiritûs S.*
2. *Necessaria est aliqua distinctio tam inter gratiam Sacramentalem, & non Sacramentalem, quàm inter ipsas gratias Sacramentales.*
3. *Distinguitur Sacramentalis à non Sacramentali per superadditum jus ad auxilia specialia.*
4. *Probatur inductione omnium Sacramentorum.*
5. *In quo realiter & formaliter consistat illud jus morale?*
6. *Quomodo habilitas nova & differentia intrinseca addatur gratiæ Sacramentali.*
7. *Specialiora & plura auxilia conferuntur cùm adest occasio operandi, ex fine Sacramenti.*

§. I.

Ostenditur superaddere jus morale ad specialia auxilia.

SUppono primò. Per Sacramenta verè conferri gratiam sanctificantem cum virtutibus per se infusis & donis Spiritûs S. Ita habetur de Sacramentis ad hominis justificationem institutis definitum in Trid. Sess. 6. de justif. c. 7. Et constat ex dictis: quia Sacramenta practicè significant & conferunt veram internam animæ sanctitatem, sed hæc est ipsa gratia sanctificans, ut suppono. Ipsa porrò gratia sanctificans tanquam radix infallibiliter connectitur cum virtutibus, ac donis Spiritûs S. 1.

Sup-

2. Suppono secundò. Aliquam nihilominùs distinctionem esse admittendam tum inter gratiam Sacramentalem & non Sacramentalem, seu ut appellat S. D. a. 2. communiter dictam, tum inter ipsas gratias Sacramentales in particulari. Ratio primi est, tum quia qui justificatur extra Sacramentum, accipit gratiam sanctificantem cum virtutibus & donis Spiritûs S. nec tamen accipit gratiam Sacramentalem; tum quia gratia Sacramenti ordinatur ad fines & actus determinatos, ad quos non ordinatur gratia communiter dicta. Ratio secundi est, quòd si gratiæ Sacramentales inter se nullam haberent distinctionem, frustra plura Sacramenta fuissent instituta, siquidem per idem Sacramentum sæpiùs repetitum potuisset obtineri tanta & eadem gratia, quæ obtinetur per diversa Sacramenta. Præterea distinctivum specificum Sacramenti tanquam signi practici est sanctitas significata: si ergo Sacramenta prorsus eandem gratiam & sanctitatem significarent, etiam inter se specie non distinguerentur. His positis quæritur, quidnã sit illud superadditũ, per quod Sacramentalis gratia distinguitur à gratia cõmuniter dicta? Aureolus & Paludanus censent gratiam Sacramentalem esse habitum specie physicâ distinctum à gratia virtutum & donorum supernaturalium. Jo. à S. Th. Serra, Nunnez, aliique modales Thomistæ volunt esse perfectionem realem modaliter distinctam D. Th. hìc q. 62. a. 2. & 72. a. 7. ad 3. cum Cajet. Soto, Ysamberto, Gonet, & plerisque docet, esse auxilia specialia pro specialibus Sacramentorum effectibus necessaria, non quidem ut in actu secundo, sed ut in actu primo & in jure existentia. Cum quibus sit

3. CONCLUSIO. I. *Gratia Sacramentalis per hoc distinguitur à gratia communiter dicta, quòd superaddat jus morale ad specialia gratiæ actualis auxilia pro cujusque Sacramenti fine consequendo conducentia.*

Prima pars probatur primò. Per illud gratia Sacramentalis rectè distinguitur à non Sacramentali, extra quod aliud distinctivum non est assignabile: sed extra istud jus morale non est assignabile aliud distinctivum, ergo. Vel enim primò esset præcisus respectus gratiæ ad Sacramentum tanquam ad causam: sed contrà est, tùm quòd respectus ad causam efficientem non diversificet speciem, tùm quòd eadem sit causa principalis gratiæ sive ex opere operantis sive ex opere operato; Sacramenta verò tantùm sint instrumenta, quæ in virtute DEI tanquam causæ principalis illa producunt. Vel secundò esset aliquis habitus specie distinctus à gratia sanctificante. Sed contrà est primò; quòd gratia sanctificans intenditur & augetur per gratiam Sacramentalem; ergo non potest esse habitus specie distinctus. Secundò gratia Sacramentalis est sanctitas interna animæ, sed hæc non potest esse distincta à gratia sanctificante. Vel tertiò esset modalis perfectio, sed hæc ipsa etiam, sicut omnes alii modi, est essentialiter superflua. Vel quartò essent ipsa actualia auxilia ad consequendum Sacramenti finem collata. Sed neque hoc dici potest, quia actualis gratiæ auxilia non dantur, nisi cum instat occasio vel obligatio operandi; hæc autem non est cùm recipitur gratia Sacramenti: Restat ergo ut sit jus morale ad illa auxilia specialia suo tempore conferenda.

Probatur secundò. Gratia unius Sacramenti specie infimâ morali differt à gratia alterius Sacramenti per jus ad determinata & specialia auxilia ad specificum Sacramenti finem conducentia; ergo etiam gratia generica Sacramenti specie morali (physicâ enim non posse modò dictum est) differt à gratia communiter dicta per illud jus morale, &c. consequentia patet: quia enim species quantitatis per extensiones specificas inter se differunt, ideo ipsa quantitas per extensionem in genere rectè differt ab aliis accidentibus. Antec. prob. inductione; nam gratia Baptismi quà regenerativa (quo differt ab aliis) exigit auxilia ad observanda præcepta DEI aliaque Sacramenta ritè suscipienda conducentia. Confirmationis (quæ in finem fidei fortiter etiam cum vitæ periculo defendendæ est instituta) gratia hoc ipso exigit auxilia urgente occasione ad fidem fortiter defendendam & profitendam. Gratia Eucharistiæ ad charitatem nutriendam institutæ petit auxilia ad ferventes charitatis actus eliciendos, & tentationes superandas amicitiæ Divinæ contrarias. Pœnitentiæ pro peccatis satisfactivæ gratia petit vires ad fugienda deinceps peccata & satisfactionem præstandam, seu faciendos fructus dignos pœnitentiæ. Extremæ unctionis gratia juxta hujus Sacramenti institutionem petit auxilia corroborantia ad diaboli tentationes tempore mortis præsertim per actus fidei & spei superandas. Ordinis gratia habet jus ad gratias actuales, quibus actus Ordinum sanctè & religiosè exerceri possint. Gratia ex Sacramento Matrimonii orta habet jus ad actuales gratias, quibus conjuges in fide & castitate conjugali servanda, tum etiam in mutua dilectione, & sedula ac Christiana prolis educatione juventur. 4.

§. II.

In quo consistat jus morale Sacramentalis gratiæ ad specialia auxilia.

CONCLUSIO II. *Hoc jus morale in recto est ipsamet gratia sanctificans, in quantum connotando extrinsecè tùm Sacramentum sui productivum, tùm Divinam institutionem ac promissionem, habet moralem exigentiam ejusmodi auxiliorum.* Probatur. Tunc istud jus morale in recto non distinguitur ab ipsa gratia sanctificante, quando hæc per se ipsam supposità extrinsecâ determinatione & institutione DEI est radix intrinsecè connexa cum gratiis actualibus ad eliciendas operationes Sacramentis proprias. Sed est: ergo habet sufficientem connexionem & exigentiam ad illas operationes supernaturales mediantibus auxiliis Divinæ gratiæ eliciendas. Min. prob. quia si gratia secundùm se est radix connexa cum aliquibus gratiis actualibus ad aliquas operationes supernaturales indeterminatas necessariis, potest etiam esse radix auxiliorum ad determinatum genus supernaturaliter operandi pertinentiũ quatenus est per speciale Sacramentum collata, & includit Divinam promissionem; sicuti gratia habitualis, quamvis ex se non habeat repugnantiam cum venialibus, quatenus tamen confertur per virtutem pœnitentiæ; habet repugnantiam cum illis venialibus culpis, quæ ritè sunt subjectæ confessioni, atqui antecedens est verum: ergo & consequens. 5.

Objic

6. Objic. tamen primò. Nova habilitas intrinseca ad aliquam operationem est habitus intrinsecè superadditus, sed Sacramenta conferunt novam intrinsecam habilitatem ad actus proprios. ergo conferunt habitum intrinsecè superadditum.

Secundò. Species generi superaddit differentiam intrinsecam, sibi essentialem, sed juxta S. D. cit. a. 2. Gratia Sacramentalis ad gratiam communiter dandam se habet, sicut species ad genus: ergo debet superaddere aliquam differentiam sibi intrinsecam, quæ aliud esse non potest, quàm habitus vel modus.

Respond. ad primum. Habilitas nova intrinseca physicè nova & fundata in additione novæ virtutis productivæ, vel supponens defectum intrinsecum virtutis productivæ est habitus superadditus conc. nova moraliter fundata in additione promissionis Divinæ extrinsecæ nego. & pariter dist. min. neg. consequentiam.

Ad secundum Resp. primò cum Reding. Majorē procedere in physicis, secùs in moralibus; instantia dari potest in gratia Christi, quæ specie morali distinguitur à nostra propter conjunctionem cum divinitate. Resp. secundò. Debet superaddere differentiam sibi intrinsecam, quæ sit intrinseca tam secundùm quod dicit in recto, quàm in obliquo nego. sibi intrinsecam secundùm quod illa dicit in recto, sic transeat. ergo gratia Sacramentalis addit differentiam intrinsecam, quæ sit intrinseca secundùm quod illa dicit in recto, conc. (sic enim jus morale identificari cum gratia modò dixi) secundùm quod dicit in obliquo, nego consequent.

Colliges ex dictis. Quamvis DEUS nunquam desit suis auxiliis, cùm instat occasio virtuosè operandi, specialiùs tamen & cum abundantioribus auxiliis tunc adesse, quoties adest occasio benè operandi ex fine Sacramenti, & illa auxilia Sacramentalia sufficienter distingui à non Sacramentalibus, per connotationem ad Sacramenta, quorum ratione sunt specialiter debita. 7.

DISPUTATIO XXI.

DE

Secundario effectu Sacramenti sive de charactere.

1. NOmine characteris juxta Florent. & Trid. Concil. Sess. 7. Can. 9. intelligitur *insigne seu signum spirituale & supernaturale animæ indelebiliter impressum, quo Christiani ab aliis discernuntur, & tum in perceptione, tum administratione Sacramentorum specialiter apti efficiuntur.* De quo quærimus I. An sit? II. Quid sit? III. quod ejus subjectum & proprietates.

ARTICULUS I.

An & quæ Sacramenta imprimant characterem?

SUMMARIA.

1. *Etymon & definitio characteris.*
2. *Characterem imprimunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.*
3. *Variæ objectiones.* 4. *Solvuntur.*
5. *Irreiterabilitas intrinseca Sacramenti demonstrative probatur ex charactere; & è converso.*

§. I.

Veritas Catholica.

2. CONCLUSIO. *Datur character, qui verè imprimatur animæ (2) per 3. Sacramenta, baptismi, Confirmationis, & Ordinis.* Ita definitum est in Conc. Florent. in Decr. Unionis. & in Trid. l. cit. & in c. *majores. extra de baptismo.*

Constat primò ex Apostolo 2. Cor. 1. dicente, *qui unxit nos & signavit nos.* Ubi distinguit unctionem quæ fit per gratiam, à signatione, quæ fit per characterem. Et Eph. 4. *Nolite contristare Spiritum S. DEI, in quo signati estis in diem redemptionis.* Constat secundò antiquâ traditione & authoritate PP. quos contra hæreticos magno numero referunt Waldensis to. 2. d. sicr. c. 109. & Alph. à Castro contra hæreses Verbo *character.* è quibus D. Cyrillus Hierosol. baptismum ab effectu definiens appellat *signaculum sanctum & indelebile,* quod non potest intelligi de gratia baptismi, quæ deleri potest.

Ratio à priori est institutio Christi volentis ut illa Sacramenta imprimerent characterem, per quē homo specialiter ad divinum cultū deputatur, atque ab aliis secernitur, quæ quidem institutio ex antiqua traditione sensu ac definitione Ecclesiæ nobis innotescit. Ratio à posteriori est quorundam Sacramentorum perpetua irreiterabilitas, cujus causam Concilia & PP. agnoscunt esse characterem: nam Florent. in Decreto Un. inquit, *inter hæc Sacramenta 3. sunt; baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum imprimunt, indelebile in anima: unde in eadem persona non reiterantur.* Similiter loquitur Trid. l. cit. Et D. Augustinus l. 2. contra ep. Parmeniani c. 12. dicit: *Sacramenta baptismi, & Ordinis non minùs inhærere apostatis, quam corporalis nota Imperatoris militibus fugitivis, ideoque illa non esse iteranda, dum apostatæ redeunt ad Ecclesiam.*

Secun-

Secunda pars continetur in prædictis definitionibus Concil. antiqua traditione & sensu Ecclesiæ ac doctrina PP. sequitúrque ex dictis: quia illa Sacramenta imprimunt characterem, quæ hominem specialiter deputant ad cultum Divinum, atque ab aliis distinguunt, suntque perpetuò irreiterabilia. Sed tria sunt ejusmodi Sacramenta, nimirum baptismus, Confirmatio, & Ordo: quia per baptismum homo deputatur ad Ecclesiam Christi, & professionem fidei, secernitur ab infidelibus, & fit capax alia Sacramenta recipiendi. Per Confirmationem deputatur ad fidem fortiter propugnandam. Per Ordinem deputatur ad actus Sacramentales exercendos, seu Sacramenta ministranda, aut conficienda.

§. II.

Solvuntur objectiones.

3. OBjicies I. Est vitiosus circulus, dum Sacramenta non posse iterari, probatur ex eo quòd imprimant characterem, & quòd imprimant characterem probamus, quia iterari non possunt. Secundò, Nullum est fundamentum ex *S.* Scripr. admittendi physicum characterem, quia loca allegata etiam à Catholicis DD. exponuntur tantùm de gratia Sacramenti. Tertiò. Nulla est ratio & necessitas illum admittendi: ergo est superfluus. antec. prob. Non est necessarius ut sit dispositio ad gratiam, quia hæc Catholicis etiam confertur per Sacramentum in voto, quod nullum imprimit characterem. Non ut Christiani distinguantur ab aliis, quia DEUS & sancti illam distinctionem absque tali signo sufficienter vident tam in essentia Divina, quàm per revelationem extra essentiam, quemadmodum etiam Christiani, qui cum solo voto baptismi moriuntur, ab iis cognoscuntur. Sed neque nos viatores illam distinctionem in charactere cognoscimus, cùm ille sit insensibilis & spiritualis; neque Spiritus damnati, cùm ille sit ordinis supernaturalis, intellectus autem damnati non elevatur à DEO ad cognitionem rerum supernaturalium. Non tandem est necessarius ad exercenda quædam officia, cùm ad hoc sufficiat deputatio per denominationem extrinsecam ab actu deputantis, uti patet in Magistratibus & Judicibus. Quartò. Etiam Sacramenta veteris legis distinguebant specialiter fideles & deputabant ad cultum Divinum, ut constat ex illius legis circumcisione & Sacerdotio, nec tamen conferebant characterem: ergo ex hâc ratione non rectè probatur, quòd Sacramenta novæ legis imprimant characterem.

4. Respondeo ad I. Probationem circularem tunc tantùm esse vitiosam, quando est in eodem genere causæ, hic autem est in diverso, quia irreiterabilitas ex charactere probatur, tanquam causâ à priori, character verò ex irreiterabilitate tanquam ab effectu, & à posteriori. Ad II. Respond. quamvis illæ script. seorsim sumptæ admittant aliam explicationem, tamen junctâ interpretatione vel authoritate Concil. & PP. præbere efficax fundamentum. Ad III. Resp. Esto character saltè simpliciter & absolutè non sit necessarius, esse tamen rationabilem, & ad melius esse, ideóque meritò à Christo quasi ex liberalitate institutum, non quidem quasi sit necessarius per modum dispositionis ad gratiam, ut rectè probat argumentum: sed ut ratione characteris DEUS hominem quasi speciali jure sibi vindicet, & si quando à fidelitate defecerit, etiam ex charactere suæ perfidiæ convincat. Deservit igitur character, ut DEUS Angeli & Beati Christianos ratione ipsius cognoscant, saltem secundùm quandam rationem specialem & expressiorem, quâ DEO sunt magis obstricti. Nos verò illum licèt non in se ipso, in suâ tamen causâ nempe Sacramento, suppositâ fide cognoscimus. Nec est absurdum, ut DEUS cum intellectu damnatorum concurrat ad cognoscendum characterem in Christianis damnatis ad majorem ipsorum confusionem. Porrò licèt potestas exercendi quædam officia haberi possit per solam denominationem extrinsecam, tamen hoc tantùm probat non fuisse necesse, non autem probat non fuisse conveniens & rationabile, ut character institueretur. Ad IV. constat ex suprà dictis illa Sacramenta antiqui testamenti tantùm contulisse extrinsecam sanctitatem, internam solùm significâsse absque ullius qualitatis supernaturalis impressione.

Colliges ex dictis. Irreiterabilitatem intrinsecam Sacramenti ex charactere demonstrativè probari & ex natura rei; & è converso characterem ex irreiterabilitate intrinseca: quia quamdiu subjectum est actuatum aliquâ formâ, tamdiu non est capax illam denuò recipiendi, sed Sacramenti imprimentis characterem proprius effectus est character; ergo quamdiu subjectum est actuatum charactere, tamdiu non potest illum effectum à Sacramento recipere: sed si semel est actuatum semper est actuatum, quia character est indelebilis ex natura rei: ergo nunquam potest ampliùs characterem à Sacramento recipere. Hinc autem ulteriùs sequitur, neque Sacramentum posse iteratò suscipi: quia Sacramenta ad imprimendum characterem ordinata ita sunt divinitùs instituta, ut cùm validè reciperentur, imprimerent characterem, idemque esset obex characteris & validitatis, ergo sicuti subjectum habens characterem impressum habet perpetuum obicem illius denuò recipiendi: ita etiam habet perpetuum obicem prioris Sacramenti validè recipiendi. Dixi: *intrinsecam irreiterabilitatem*, quia datur aliqua irreiterabilitas extrinseca, nempe fundata non in aliqua forma intrinseca, sed lege solùm extrinseca, & hæc non est simpliciter talis, ut mutari non possit, qualis est irreiterabilitas matrimonii & extremæ unctionis propter legem non iterandi matrimonium durante eodem conjugio, & extremam unctionem durande eâdem ægritudine. 5.

ARTICULUS II.

Quid sit character?

SUMMARIA.

1. *Character non consistit in denominatione extrinseca.*
2. *Neque in relatione rationis.*
3. *Pertinet ad genus qualitatis.*
4. *Sed non ad quartam speciem, quæ est forma & figura.*

5. *Neque ad tertiam speciem, quae est patibilis qualitas.*
6. *Character non ponitur in prima specie qualitatis.*
7. *Sed in secunda, hoc est potentia.*
8. *Objectiones contra rationem conclusionis.*
9. *Discrimen characteris à scientia & arte.*
10. *Character non potest esse potestas purè moralis.*
11. *Cur non detur in anima Christi?*
12. *Character est qualitas determinata ad bonum objectivè, non subjectivè.*
13. *Objectiones contra conclusionem.*
14. *Potentia instrumentaria qualis est character, non sequitur ad rei essentiam.*
15. *Ostenditur, characterem esse potentiam partim activam, partim passivam.*

§. I.

Certiora praemittuntur.

1. SUppono primò contra Durandum. Characterem formaliter non consistere in denominatione extrinseca, aut relatione rationis. Nam primò Concilia & PP. dicunt, characterem animae imprimi, qui modus loquendi significat aliquid physicum, sicuti ex hoc, quòd gratia Divina cordibus nostris dicatur infundi, Theologi in Tractatu d. grat. rectè inferunt, gratiam esse qualitatem animae physicè inhaerentem. Secundò. In eo praedicta Conc. & PP. constituunt characterem, in quo sensu haeretici, contra quos agunt, negabant: sed illi non negabant secundùm aliquam moralem denominationem aut relationem rationis; sed aliquam realitatem intrinsecè inhaerentem. ergo. Tertiò. Si character in aliqua denominatione vel relatione morali aut rationis consisteret, non foret ratio, cur unum Sacramentum prae altero, vel cur potiùs novae, quàm antiquae legis Sacramenta imprimerent characterem, cùm tamen ex S. D. q. 63. a. 1. ad 3. & communi Ecclesiae consensu constet, illa antiqua Sacramenta nullum characterem impressisse.

2. Suppono secundò contra Scotum in 4. dist. 6. q. 10. n. 3. characterem non esse formam realem relativam, sed absolutam. Nam primò. Ad relationem per se non terminatur actio; atqui ad characterem per se terminatur actio productiva & impressiva characteris. Secundò. Quia principium agendi vel recipiendi non est relatio, sed character est principium & virtus agendi vel recipiendi, ut dicetur; ergo non est relatio. Tertiò relatio perit pereunte fundamento, sed character manet transeunte susceptione Sacramenti, quod est fundamentum ipsius, ergo non est relatio.

Neque dicas. Character formaliter est signum animae impressum, sed signum formaliter est ens respectivum; vel denominatio extrinseca, ergo & character. Resp. Characterem formaliter esse signum naturale, non ad placitum, quia est forma realis animae impressa, quâ intrinsecè deputatur ad aliquos actus cultûs Divini: sed signum ad placitum est formaliter vel relatio vel denominatio extrinseca conc. signum naturale, nego.

3. Suppono tertiò. Characterem pertinere ad genus qualitatis. Nam ut dixi, pertinet ad aliquod genus entis realis. Sed non ad substantiam, quia est forma impressa & inhaerens animae: non ad quantitatem, quia est accidens spirituale, & afficit spirituale subjectum: non ad relationem, ut primùm ostendimus: non ad actionem & passionem, quia istae transeunt, character permanet: non ad postrema praedicamenta, quia illa sunt quaedam affectiones quantitatis, eamque supponunt, ergo ad praedicamentum qualitatis.

Porrò cùm 4. sint species subalternae qualitatis, nempe habitus & dispositio, potentia & impotentia, passio & patibilis qualitas, forma & figura, de hoc ipso controvertitur, ad quam ex istis character pertineat: ubi

Suppono quartò contra Marsiliens. in 4. q. 4. ad 1. characterem non esse collocandum in quarta specie qualitatis: quia haec juxta Philosophorum acceptionem consequitur terminationem quantitatis, & non nisi metaphoricè transfertur ad spiritualia. Character verò non tantùm metaphoricè, sed realiter pertinere debet ad aliquam speciem qualitatis. 4.

Dices. In prima & secunda specie qualitatis non tantùm ponuntur habitus & potentiae corporales, sed etiam spirituales: ergo pariter in quarta specie qualitatis, non tantùm ponuntur figurae corporales, sed etiam spirituales, atqui character est figura & configuratio quaedam spiritualis. ergo.

Resp. Formas spirituales in esse habitûs & virtutis univocè convenire cum habitibus & virtutibus materialibus, eò quòd istae species perfectè praescindant à subjecto corporeo & incorporeo. atqui figura non praescindit à subjecto corporeo, cùm in sua definitione involvat terminationem quantitatis: ideóque formae spirituali non nisi metaphoricè accommodari potest. Ex quo ulteriùs.

Suppono quintò contra Card. d. Lugo d. 6. se. 3. characterem non esse constituendum in tertia specie qualitatis, nempe qualitate patibili, quia ut S. Doctor hîc a. 2. ad 2. in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones (idque ex ipso nomine & definitione patet) vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile, &c. aliàs quippe, ut ex philosophia suppono, tertia species qualitatis confunderetur cum prima vel secunda, quae ita sunt & esse possunt principia vel termini actionum, ut tamen non requirant rationem sensibiliter alterativam, vel transmutativam subjecti. Restat igitur ut consideremus, utrùm character potiùs ad speciem habitûs & dispositionis, prout Suarez, Ysambertus, aliique plures contendunt, an ad secundam, nempe potentiam pertineat, ut sentiunt Thomistae. 5.

§. II.

Exponitur quidditas characteris.

CONCLUSIO. *Character Sacramentalis non pertinet ad primam (2) sed ad secundam speciem qualitatis.* Ità S. Th. cit. q. 63. a. 2. in c. dicens: *Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua Divina, vel in tradendo aliis: ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa, ad recipiendum autem requiritur passiva, ideo character importat quandam potentiam.* 6.

Prima

Prima pars probatur. Si character esset in prima specie qualitatis, aut esset dispositio aut habitus. Non dispositio, quia hæc est facilè mobilis, character verò est indelebilis. Non habitus, primò: quia de ratione habitûs est, ut vel determinatè benè, vel determinatè malè disponat subjectum vel in se absolutè, vel in ordine ad operationem: atqui character subjectum indifferenter determinat ad operationem Sacramentalem validè duntaxat exercendam, sive illa fiat religiosè, sive sacrilegè, nam æquè character influit in sacrilegam, quàm in religiosam consecrationem. Secundò. habitus recipiunt magis & minùs, possunt intendi & remitti in eodē subjecto: at non character. Tertiò. tametsi habitus sit difficulter, est tamen simpliciter mobilis & delebilis à subjecto, at contrà character est indelebilis.

7. Secunda pars sequitur primò ex dictis: nam character ponendus est in aliqua specie qualitatis, sed non in prima, tertia & quarta. ergo in secunda. Secundò probatur ratione insinuatâ S. Doct. Id quod formaliter dicit potestatem ad aliquid tum agendum, tum recipiendum, pertinet ad secundam speciem qualitatis, præsertim si habeat cæteras proprietates potentiæ; atqui character Sacramentalis formaliter dicit potestatem ad recipiendum, vel operandum quosdam effectus supernaturales, idque absque intensibilitate, vel remissibilitate, indelebiliter, & indifferenter ad benè, vel malè recipiendum, aut operandum, quæ sunt potentiæ propria. ergo ponendus est in secunda specie qualitatis, nimirum potentia.

§ III.

Solvuntur objectiones.

8. Objic. contra rationem nostræ conclusionis primò. Tametsi quis possit scientiâ & arte benè vel malè uti, illa nihilominùs pertinent ad primam speciem qualitatis, suntque habitus intellectuales: ergo tametsi quis charactere possit uti religiosè, vel sacrilegè, non sequitur, quòd non pertineat ad speciem habitûs. Secundò. Ex eo quòd quis per characterem possit recipere, vel agere, quæ pertinent ad cultum Divinum, non benè infertur, quod character sit quædam potentia physica; nam ad hoc sufficit potentia moralis, & quidem potentia, quæ pendet ex conditione morali non est physica, sed moralis; sed potentia characteris pendet ex conditione morali, ita enim Sacerdos non curatus, quamvis habeat characterem, validè tamen non absolvit, acceptâ verò jurisdictione, quæ est quid morale, validè absolvit. Simplex Sacerdos acceptâ dispensatione à S. Pontifice validè confert quatuor Minores, vel Sacramentum confirmationis, quod vi characteris ante dispensationem non potuisset. Tertiò. Si character ideo est potentia, quia dat posse, etiam in Christo erit character & ista species qualitatis, quia in Christo est summa potestas in ordine ad effectus characteri proprios, sed hoc est contra communem Theologorum. Quartò. Character est qualitas determinata ad bonum: ergo propter indifferentiam ad bonum vel malum usum non rectè excluditur à ratione habitûs. Antec. prob. primò. quia est qualitas supernaturalis derivata à DEO ut Authore supernaturali. Secundò, quia est participatio potestatis sive Sacerdotii ipsius Christi, quod non potest esse indifferens ad bonum vel malum. Tertiò, quia character non exit in actum, nisi quatenùs movetur à Christo tanquam causa principali, sed Christus non potest movere ad malum, cùm aliàs in ipsum redundaret malitia actûs. Quartò. quia quod est determinatè principium benè operandi in propria materia, non est principium indifferens, ut patet ex scientia & arte; sed character est determinatè principium benè operandi in propria materia: ergo non est indifferens. Min. prob. Hoc ipso, quòd character subjectetur in intellectu, est determinatus ad verum, quod est objectum intellectûs & propria materia ipsius, ergo proprius actus ipsius est verè recipere, aut tradere Sacramenta: sed hoc est benè operari circa propriam materiam, nempe verum. ergo.

Respondeo ad I. quod bonum & malum morale sit extra materiam propriam scientiæ & artis, quæ subjectantur in intellectu speculativo, suamque materiam non respiciunt, quatenus subest principiis morum, sed quatenus subest certitudini principiorum, vel regulis artis. Unde indifferentia ipsorum ad bonum vel malum usum non probat, quòd non pertineant ad speciem habitûs, siquidem determinant intellectum semper ad benè operandum circa propriam materiam. Econtrà character respicit cultum & cæremonias Christianæ religionis tanquam propriam materiam, prout substant principiis morum; adeòque cùm subjectum suum non determinet ad benè moraliter, sed tantùm ad validè recipiendum vel operandum pertinentia ad illum cultum, consequenter manet indifferens circa propriam materiam. 9.

Ad II. neg. ant. quia si character esset potestas purè moralis, vel esset denominatio extrinseca, vel relatio rationis, quod suprà rejecimus. Secundò nihil haberet speciale supra potestatem antiquorum Sacramentorum, nam etiam circumcisi habebant moralem potestatem recipiendi alia Sacramenta Mosaica, &c. Tertiò character Sacerdotalis est participatio Sacerdotii Christi, hoc autem est potestas physica. Quartò. Sacerdos quoque vi characteris physicè remittit peccata, & conficit corpus Christi. Ac tandem non repugnat, quin character sit potentia physica, estque aliunde conveniens. ergo. Ad prob. neg. maj. nam potest etiam virtus physica, præsertim, quæ in sui effectûs productione ab institutione Divina determinatur, quoad actûs sui validitatem à certa conditione morali pendere: uti actiones Sacramentales producunt gratiam dependenter à consensu recipientis, extrema unctio dependenter ab infirmitate, &c. 10

Ad III. neg. seq. quia character est potestas tantummodò diminuta, participata, & ministerialis, servos subditósque consignans: at Sacerdotium & potestas Christi est potestas excellentiæ. de quo in sequentibus. 11.

Ad IV. neg. vel dist. ant. Est qualitas determinata ad bonum objectivè, h. e. quod ex objecto bonum, seu spectatâ conditione objecti, conc. bonum subjectivè & formaliter, h. e. quatenus à moraliter operante procedit, neg. verus DEI cultus exterior, quia respicit protestationem Divinæ excellentiæ, ex objecto semper est bonus, & in hunc character inclinat: nihilominùs verus DEI cultus exterior potest religiosè, vel sacrilegè exhiberi, sicque subjectivè esse bonus vel malus, & ad hoc character est 12.

est indifferens, sub qua distinctione ad primam probationem. ℞. qualitas supernaturalis semper inclinat in bonum vel subjectivè vel objectivè conc. semper utroque modo, nego. Ad secundam probationem nego consequentiam. quia character est participatio Sacerdotii Christi cum admixta imperfectione ex conditione subjecti participantis. Ad tertiam probationem dist. maj. character non exit in actum, nisi quatenùs movetur à Christo sub ratione efficienti, conc. sub ratione deficienti, nego. Sic enim procedit à principio solùm deficiente, neque enim motor est in causa, quòd quis charactere malè utatur, sed prava utentis intentio. Vid. quæ in simili dix. in Tract. de peccat. Ad quartam probationem nego min. ejúsque probationem, cùm enim character subjectetur non in intellectu speculativo, sicuti scientia, ars, & fides, sed in intellectu practico, pro sua materia non præcisè respicit veram, seu validam receptionem aut traditionem Sacramenti; sed illam ut substantem regulis morum; nec tamen determinatè bonam & religiosam, nec determinatè malam, & sacrilegam, ideóque indifferentiam servat.

13. Objic. etiam contra nostram conclusionem primam. Potentia, quæ est secunda species qualitatis, & principium operandi sequitur ad essentiam rei, tanquam ad principium radicale, uti patet in potentiis animæ: sed character non consequitur gratiam sanctificantem, quæ in supernaturalibus se habet per modum essentiæ & principii radicalis, cùm sæpenumero inveniatur sine gratia: ergo non est potentia. Secundò, Si character esset potentia, vel esset potentia receptiva, vel activa. Neutrum dici potest. Non quòd sit receptiva: quia characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis nihil in se recipiunt, quòd tamen est potentiæ passivæ proprium. Non quòd sit activa, nam primò per baptismum nullam acquirimus potestatem ad aliquid agendum. Secundò. quia si character Confirmationis in ordine ad professionem fidei, qui est proprius actus ipsius, se haberet per modum potentiæ, tunc professio fidei non posset fieri absque hoc charactere, quia potentiæ dant simpliciter posse; at consequens est falsum, cùm absque Sacramento Confirmationis multi Christiani fidem Christi constantissimè fuerint professi. Tertiò. neque character Ordinis quicquam efficit, vel enim primò efficeret Sacramentum, sed nullus ordinum excepto Sacerdotio hoc potest efficere, deinde Sacramenta consistunt in quadam actione sensibili, sed character spiritualis non potest esse principium actionis sensibilis, ergò. vel secundò gratiam sanctificantem, sed ista à Sacerdote absolvente non per characterem, sed per ipsum Sacramentum pœnitentiæ, quod ministr. t, producitur. vel tertiò transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Sed neque hanc causat: quia secundùm D. Th. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. *non datur qualitas permanens patrativa miraculorum*, atqui transsubstantiatio Eucharistica est maximum miraculum, ergo.

14. Resp. ad I. potentia directè pertinens ad secundam speciem qualitatis, & virtus principalis sequitur ad essentiam rei, conc. potentia instrumentaria, & reductivè pertinens ad secundam speciem qualitatis, nego. cùm ergo character sit tantùm virtus instrumentaria, sufficit, quòd ab extrinseco communicetur à causa principaliter operante.

Ad II. ℞. Characterem esse potentiam partim activam, partim passivam. Et quidem character 15. baptismi est potentia passiva dupliciter. Primò. quatenùs ipso mediante actiones aliorum Sacramentorum non tantùm corporaliter & materialiter, sed etiam Sacramentaliter recipi possunt in subjecto. Secundò quatenus characteres confirmationis & ordinis ipso mediante recipiuntur in intellectu. Nec est necessarium, quòd ipse character baptismi sit subjectum recipiens, sufficit, quòd sit ratio recipiendi, ex quo patet ad primam probationem. Ad secundam probationem respondéri potest primò negando sequelam maj. quia dare simpliciter posse, non est essentiale potentiæ, siquidem habitus virtutum supernaturalium etiam dant simpliciter posse. Resp. secundò, Confirmationis characterem dare posse simpliciter elicere propugnationem fidei tanquam ex officio & speciali deputatione, & cum indifferentia ad bonum vel malum morale, quod ad aliquam virtutem reduci nequit. Ad tertiam probationem ℞. Characterem Ordinis præcipuè Sacerdotalis esse potentiam activam, & primò quidem in ordine ad conficienda Sacramenta: nam licèt illa consistant in quadam actione sensibili, tamen quà Sacramentales à charactere procedunt. Secundò etiam in ordine ad producendam gratiam Sacramenti, non quidem immediatè, quod convenit Sacramento, sed mediatè; quatenùs videlicet Ministrum potentem reddit, ad gratiam actione Sacramentali producendam. Unde licèt gratia remissiva peccati immediatè proveniat à Sacramento pœnitentiæ, mediatè tamen etiam provenit à charactere Sacerdotali, vi cujus Minister fit potens ad proferendam absolutionem physicè productivam gratiæ remissivæ peccati. Tertiò etiam in ordine ad conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Neque urget opposita authoritas D. Th. quia loc. cit. expressè loquitur inprimis de tali qualitate patrativâ miraculorum, quæ sit virtus completa & participatio Divinæ Omnipotentiæ, sicut habitus virtutum supernaturalium, sunt participationes divinarū perfectionum. Secundò loquitur de miraculis extraordinariis. Atqui transsubstantiatio Eucharistica est miraculum divinitùs stabiliter institutum, & character tantùm est virtus instrumentaria indigens concursu elevativo.

Dices. Hoc ipsum sufficienter præstaret potentia obedientialis. Resp. potentiam obedientialem tantùm esse remotè elevabilem ad talem effectum, cùm enim non sit ad hunc finem specialiter instituta, dicta elevatio non est ipsi debita; at character est proximè elevabilis, quia cùm sit in hunc finem ordinatus à DEO, elevatio est ipsi debita.

ARTI-

ARTICULUS III.

De subjecto & proprietatibus characteris.

SUMMARIA.

1. *Subjectum proximum characteris non est essentia animæ.*
2. *Neque voluntas.*
3. *Sed intellectus practicus.*
4. *Objectiones diluuntur.*
5. *Character ab intrinseco est indelebilis.*
6. *Objectiones solvuntur.*

§. I.

Subjectum characteris.

EX dictis constat, quid sit dicendum de subjecto & proprietatibus characteris. Unde per modum Corollarii sit

1. CONCLUSIO I. *Subjectum proximum characteris non est essentia animæ, nec voluntas, sed intellectus practicus.* Ita S. Doct. a. 4. ex quo

Primæ partis ratio est primò. Character imprimitur animæ rationali secundùm quòd ipsa immediatè habet rationem imaginis sanctissimæ Trinitatis: sed istam habet non secundùm animam immediatè, sed secundùm potentias, quippe per quarum actus exprimuntur processiones Divinarum personarum: ergo character in anima recipitur secundùm potentias, sive mediantibus potentiis. Secundò. In illo subjecto proximè character recipitur, cui actus Divini cultûs immediatè competunt, sed actus Divini cultûs non animæ sed potentiis immediatè competunt. ergo. Maj. ex eo constat, quia character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt cultûs Divini. inquit cit. S. D. minor etiam patet: eò quòd sicut anima ad esse, sic potentiæ animæ immediatè ordinantur ad operandum.

2. Secundæ partis ratio est primò. In ea potentia subjectari debet character, in quà est fides: sed hæc est in intellectu, non voluntate: ergo. Maj. prob. Tunc debet in eadem potentia subjectari character & fides, quando character per se primò ordinatur ad illos actus, ad quos etiam inclinat habitus fidei. sed ita ordinatur: nam actus proprius characteris est exterior cultus Divinus, quo fit professio fidei, atqui etiam fides inclinat in ejusmodi actus. ergo. Secundò. qualitates in voluntate receptæ per se determinant ad bonum, vel malum morale; sed character est indifferens: ergo in voluntate non recipitur.

3. Tertia pars probatur. Illa potentia est immediatum subjectum characteris, quæ per characterem elevata movet alias potentias ad exercendos actus pertinentes ad cultum Divinum; sed talis potentia est intellectus practicus: quia, ut suppono ex doctrina Thomistica de actib. hum. intellectus practicus per actum imperii executivè movet alias potentias ad operandum: ergo intellectus practicus est immediatum subjectum characteris, tribuentis efficaciam ejus imperio ad movendas vel dirigendas alias potentias ad actus Divini cultûs eliciendos, vel recipiendos.

4. Dices primò. Potentiæ naturales animæ immediatè subjectantur in ejus essentia; ergo etiam potentiæ supernaturales, inter quas est character. Secundò. Dispositio est in eodem subjecto, in quo est forma introducenda, sed juxta S. Doctorem in 4. d. 3. q. 1. a. 1. ad 5. character est dispositio ad gratiam: ergo cùm gratia immediatè recipiatur in essentia animæ, anima erit immediatum subjectum characteris. Tertiò. In illa potentia subjectatur character, ad quam pertinet exhibitio cultûs Divini; sed ista pertinet ad voluntatem. ergo. Min. prob. exhibitio cultûs Divini est actus Religionis, sed Religio est in voluntate.

Respondeo ad I. neg. consequentiam, nam potentiæ naturales fluunt ex natura, nec alias potentias supponunt, sed essentiam immediatè perficiunt: at potentiæ supernaturales sunt ab extrinseco superadditæ, & præsupponunt potentias naturales, quas in operando perficiunt.

Ad II. Quicquid sit de ratione dispositionis, nego maj. saltem de subjecto immediato, sufficit enim, quòd habeant idem subjectum mediatum, uti patet ex physicis, quod maximè verum est in morali tantùm dispositione, qualis esset character, si esset dispositio ad gratiam.

Ad III. dist. maj. character subjectatur in illa potentia, ad quam pertinet exhibitio cultûs Divini, quatenùs præstanda secundùm veram fidem indifferenter ad bonum vel malum morale, conc. quatenùs piè & religiosè præstanda, nego. Sed exhibitio cultûs Divini pertinet ad voluntatem & religionem, quatenùs piè & religiosè præstanda conc. quatenùs secundùm veram fidem indifferenter ad bonum vel malum morale præstanda, sic nego min. & consequentiam.

§. II.

Indelebilitas characteris.

CONCLUSIO II. *Character est ab intrinseco indelebilis secundùm legem ordinariam tam pro hac quàm altera vita.* 5.

Ratio est primò: quia quicquid destruitur, vel destruitur per suum contrarium, vel ad destructionem subjecti, vel propter subtractionem conservationis: atqui character ex nullo horum capite destruitur, quia non habet contrarium, & intellectus est proximum subjectum ipsius, DEUS quoque qui est causa conservans non subtrahit suum influxum nisi ad exigentiam causarum naturalium vel moralium, qualis in proposito nulla est, quamvis utique posset per absolutam potentiam illum subtrahere.

Ratio est secundò. Si character destrueretur saltem in altera vita, tunc Christianus à mortuis resurgens esset rebaptizandus vel reordinandus; sed hoc non, ut patet ex historiis Ecclesiasticis. ergo.

Dices primò. Gratia quamvis sit perfectior charactere, est tamen delebilis: Secundò. Fidei habitus perit in damnatis: ergo character quoque est delebilis & perit in damnatis. Tertiò. Cessante 6.

 fine

fine & actu potentiæ, cessat etiam potentia; sed in altera vita cessat receptio & administratio Sacramentorum, qui est finis & actus characteris: ergo etiam cessat character.

Respondeo ad I. & II. neg. consequentiam, nam gratia habet contrarium, nempe peccatum, non autem character. Fides quoque requirit piam motionem, quæ in damnatis non habet locum: character non requirit piam motionem.

Ad III. dist. maj. Cessante adæquato fine potentiæ cessat potentia, conc. fine inadæquato, nego. sed receptio, &c. est finis inadæquatus, conc. adæquatus, nego, alius quippe finis ipsius est consignare & distinguere fideles ab infidelibus. Item: Ab intrinseco cessante actu potentiæ, cessat potentia conc. ab extrinseco tantùm, sic nego. Sed in altera vita character non potest habere actum proprium, quasi ab extrinseco ratione illius status, conc. ab intrinseco, quasi ex defectu virtutis, nego. Unde si quis ab illo ad præsentis vitæ statum transferatur, non indiget novo charactere ad recipienda vel administranda Sacramenta.

DISPUTATIO XXII.

DE Dispositione requisita ad validam, vel licitam receptionem Sacramenti.

Sicut in naturalibus forma non introducitur nisi in subjectum dispositum, quod proptereà dicitur subjectum proximum & formale; ita Sacramenta effectum gratiæ producunt in anima certis conditionibus ac dispositionibus instructa: quæ uti singulis Sacramentis sunt peculiares & propriæ, ita suis quoque locis peculiatim agemus. Nunc solùm de iis, quæ tum ad validam, tum ad licitam susceptionem cuivis sunt necessaria, generatim tractabimus.

ARTICULUS I.

Quid requiratur ad validam receptionem Sacramenti ex parte recipientis.

SUMMARIA.

1. *Solus viator est subjectum Sacramenti capax.*
2. *Solus baptizatus capax Sacramentorum extra baptismum.*
3. *Solus adultus rationis compos habet capacitatem pœnitentiæ, extremæ unctionis, & matrimonii.*
4. *Malitia indignæ susceptionis in quo consistat?*
5. *Positiva intentio suscipiendi Sacramentum est necessaria ad validam receptionem.*
6. *Objectæ authoritates exponuntur.*
7. *Sufficit tamen habitualis, &*
8. *Interpretativa.*
9. *Excipitur Sacramentum pœnitentiæ.*
10. *Voluntarium interpretativum sufficit ad Sacramenta in casu necessitatis dari solita.*
11. *Metus gravis excepto matrimonio non obstat valori Sacramenti.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1\. Suppono primò. Solum hominem viatorem esse subjectum Sacramenti, & effectûs Sacramentalis capax, siquidem solus ille est capax Sacramentorum, qui est capax baptismi, per quem homo habilitatur ad aliorum receptionem; sed solus homo viator est baptismi capax, quippe per quem confertur gratia redemptiva aut præservativa à peccato originali, cui solus homo est obnoxius, & à quo non nisi dum est in statu viæ liberari potest: ergo.

2\. Suppono secundò. Solum hominem baptizatum esse capacem ad cætera Sacramenta præter baptismum recipienda, cùm iste sit janua ad aliorum receptionem, ut modò dictum, & infrà dicetur. Ad Sacramentum Ordinis præterea requiri sexum masculinum, & fœminas illius esse perpetuò incapaces suo loco dicetur.

Suppono tertiò. Solum hominem adultum usu rationis præditum esse capacem trium Sacramentorum pœnitentiæ, extremæ unctionis & matrimonii. Hæc enim supponunt hominem doli, peccati & contractûs capacem. Cætera verò, nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam & Ordinem validè ab infante recipi posse: cùm ista Sacramenta non nisi in adultis aliquem proprium liberi arbitrii motum præsupponant. 3.

Suppono quartò. Indignæ susceptionis alicujus Sacramenti malitiam ex communi DD. sententia in hoc consistere, quòd suscipiens Sacramentum, quantum est ex se, falsam reddat significationem Sacramenti, quòd nimirùm ex institutione Divina practicè significat effectum gratiæ à se conferendum. Neque dicas. Institutio & voluntas Divina, de gratia practicè significanda, tantùm est conditionata: nempe, si adsit debita dispositio ex parte subjecti: ergo si absente dispositione Sacramentum non conferat gratiam, non falsificatur significatio Sacramenti. Resp. dist. antecedens, est conditionata, ut tamen ipsa conditio sit sub præcepto in ordine ad verificandam significationem Sacramenti conc. ut non sit sub præcepto, nego. hoc autem sufficit, ut indispositè accedens quantum est ex sua parte falsam reddat significationem Sacramenti. His positis, quæritur primò, quænam conditiones ad validam Sacramenti receptionem in adultis requirantur? Unde sit 4.

§. II.

Requiritur intentio positiva.

5. CONCLUSIO I. *Ad validam Sacramentorum susceptionem in adultis requiritur positiva intentio suscipiendi.* Ita communis DD.

Prima pars tradita à S. D. q. 68. a. 7. & à Soto in 4. q. 4. contra Cajetanum in cit. q. 68. existimantem, sufficere carentiam intentionis contrariæ, probatur: si positiva aliqua intentio non esset necessaria ad valorem Sacramenti, tunc Ecclesia saltem in extrema necessitate permitteret administrari sine tali intentione aliquod Sacramentum necessarium necessitate medii ad salutem: in tali quippe casu est contenta iis, quæ probabiliter saltem pertinent ad valorem Sacramenti: atqui non permittit adultis administrari ullum Sacramentum quantumcunque necessarium sine aliqua prævia voluntate illud suscipiendi: ergo talis voluntas est necessaria ad valorem Sacramenti. Minor constat primò ex Concilio Carthaginensi 3. c. 34. decernente: *ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur.* Secundò ex Conc. Arausicano I. c. 2. statuente: *obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Tertiò ex Rituali Romano Pauli V. de baptismo adultorum, ubi prohibetur baptizari, qui cùm aliquando habuerit usum rationis, priusquàm in amentiam incideret, nullam ostendit voluntatem recipiendi baptismum.

6. Objic. primò. ex *c. Majores de baptismo*, ubi S. Pontifex dicit: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit.* ergo ad valorem Sacramenti sufficit, quòd nulla adsit resistentia contrariæ voluntatis. Secundò. Ex Decreto Union. Eugenii IV. in quo dicit, *Sacramenta tribus perfici, materiâ formâ, & Ministro habente debitam intentionem*: ergo non requiritur intentio suscipientis. Tertiò ex usu fidelium; datur enim extrema unctio iis, qui subitò rationis usu destituti, hoc Sacramentum antecedenter non petierunt.

Respondeo ad primum. Ex antecedentibus verbis satis colligi, quòd S. Pontifex requirat etiam positivum propositum recipiendi Sacramentum: dicit enim moribundos esse baptizandos, si priùs cathecumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi; tales enim consuevisse Ecclesiam in necessitatis articulo baptizare. Ad secundum Resp. S. Pontificem ibidem non explicare omnia requisita ad validam receptionem Sacramenti, quæve se tenent ex parte subjecti; unde nec ipsius subjecti mentionem facit, quantumvis certum sit, etiam certum subjectum ad Sacramenti valorem pertinere. Loquitur ergo de iis, quæ sunt essentialiter requisita ad validam confectionem Sacramenti, tum ex parte causæ extrinsecæ efficientis, tum ex parte causæ intrinsecæ constituentis, ideóque utitur voce perfici, quæ non subjecto, sed causæ efficienti vel constituenti Sacramentum accommodari potest. Ad tertium Resp. In tali casu saltem probabiliter supponi interpretativam voluntatem recipiendi Sacramentum, de qua mox dicetur.

§. III.

Non requiritur tamen formalis & actualis intentio.

CONCLUSIO II. *Non tantùm I. virtualis, sed etiam II. habitualis & III. interpretativa voluntas (excepto Sacramento pœnitentiæ) sufficit tam ad validam, quàm fructuosam receptionē aliquorum Sacramentorum.* Ita communis DD. 7.

Prima & secunda pars probatur primò ex prælegatis authoritatibus Conciliorum, è quibus patet ægrotanti, qui per se respondere non potest, dandum esse Sacramentum, si ex aliorum testimonio constet, illud voluisse recipere, quæ intentio & voluntas utique tantùm est habitualis nempe voluntas præterita non retractata. Probatur secundò ratione: Illa intentio sufficit, quâ subjectum moraliter disponitur & habilitatur ad receptionem Sacramenti; sed per voluntatem vel intentionem habitualem moraliter habilitatur. ergo. Min. prob. ut aliquod subjectum moraliter habilitetur ad quempiam effectum recipiendum, sufficit passiva determinatio ipsius: sed passiva determinatio haberi potest per habitualem duntaxat permanentiam actûs præteriti, uti patet v. g. in obligatione seu reatu pœnæ remanente ex habituali perseverantia peccati, in obligatione voti remanente ex actu præterito voti, &c. ergo habitualis permanentia intentionis præteritæ non retractatæ sufficit ut validè recipiatur Sacramentū. Ex quo patet discrimen, cur in Ministro non sufficiat habitualis, sed requiratur saltem virtualis intentio, quia ista non se habet per modum passivè habilitantis, sed activè influentis, quod non fit, nisi in aliqua sua virtute perseveret: intentio verò suscipientis tantùm passivè concurrit, ut dictum est.

Tertia pars probatur ex Ecclesiæ praxi, & communi consensu DD, quòd Sacramentum extremæ unctionis, imò etiam Eucharistiæ (si absit periculum irreverentiæ) dari possit, imò debeat conferri Catholico homini moribundo & aliis remediis destituto, siquidem ex vita Catholicè transacta videtur efficaciter intendere finem æternæ salutis, & consequenter etiam velle media ad illum finem hîc & nunc utilia vel necessaria, inter quæ esse potest Sacramentum Eucharistiæ, vel extrema unctionis: adeóque prudenter præsumitur saltem implicitè & indirectè sive in causa habere voluntatem recipiendi hæc Sacramenta fortè hîc & nunc necessaria ad salutem: atqui nulla apparet ratio, cur non sufficiat hoc voluntarium indirectum & interpretativum, cùm in Sacramentis tam necessariis in favorem humanæ salutis institutis omnium minimum voluntarium sufficere videatur. 8.

Dixi tamen primò. *Extra Sacramentum pœnitentiæ*, quia de hoc est specialis difficultas, eò quòd sit institutum in forma judicii, ideóque ex parte pœnitentis requirat aliquam inchoationem judicii, de quo suo loco. 9.

Dixi secundò. *Voluntarium interpretativum sufficere ad aliquorum Sacramentorum receptionem.* 10
Nam voluntas interpretativa tantùm habet locum in casu necessitatis, & circa illa Sacramenta, quæ Christianis in illo articulo communiter dari solent, tan-

tanquam communia salutis remedia, ut notat Card. d. Lugo n. 127. Unde non sequitur, posse Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis conferri alicui in articulo mortis constituto; quia, cùm hæc Sacramenta non soleant conferri moribundis tanquam communia salutis remedia; non potest prudenter præsumi, quòd moribundus habuerit efficacem voluntatem illa recipiendi, qualis tamen præsumi potest circa Sacramentum baptismi, Extremæ unctionis & Eucharistiæ, ac proinde non adest voluntarium interpretativum, vel indirectum.

Dixi tertiò, *non tantùm ad validam, sed etiam fructuosam susceptionem*, quia Sacramenta validè suscepta in subjecto non impedito per obicem, infallibiliter producunt gratiam; sed voluntas interpretativa potest conjungi cum valida receptione Sacramenti in subjecto per obicem non impedito, ut si recipiens baptismum sit attritus, &c. ergo tunc potest conferre gratiam.

Inferes ex dictis. Metum graviter quamvis injustè incussum non obstare valori Sacramenti, excepto matrimonio, in quo SS. Canones per *c. veniens 15. de sponsal.* volunt metum in finem extorquendi consensûs injustè incussum esse impedimentum dirimens matrimonii. Ratio est: quòd metus non causet involuntarium simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ut suppono ex Act. hum. licèt ergo absoluta coactio & vis, quâ alicui nolenti & repugnanti applicaretur materia & forma Sacramenti, tolleret valorem Sacramenti, cùm in illo casu deesset omne voluntarium, si tamen ex parte subjecti adsit voluntas metu extorta, valebit Sacramentum, uti de baptismo declaratum habetur in cit. *c. Majores.* 11

ARTICULUS II.

Quænam conditiones requisitæ ad licitam receptionem Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Status gratiæ est sufficiens dispositio ad licitam receptionem cujuslibet Sacramenti.*
2. *Mortale actuale peccatum impedit licitam & in pœnitentia validam receptionem Sacramenti.*
3. *Actuale veniale non impedit licitam receptionem.*
4. *Ad Sacramenta mortuorum licitè recipienda sufficit attritio supernaturalis, cognita ut talis.*
5. *Vt adultus peccator licitè recipiat Sacramentum vivorum vel præmittere debet contritionem, vel confessionem.*
6. *Ad Sacramentum Eucharistiæ prærequiritur confessio.*

1. CONCLUSIO I. *Status gratiæ est sufficiens dispositio, ut quis sine gravi peccato possit accedere ad Sacramenta novæ legis, & consequi augmentum gratiæ.* Ita communiter DD. Ratio est: quia Sacramentum non ponentibus obicem gratiam confert infallibiliter; sed constitutus in statu gratiæ non ponit obicem; neque enim est fundamentum asserendi aliquam gravem obligationem perfectioris dispositionis. ergo.

2. Unde Inferes primò. Eum, qui cum peccato mortali actuali recipit aliquod Sacramentum, non consequi effectum Sacramenti, quia ponit obicem indignè recipiendo, ut ante prænotavimus, & in Sacramento pœnitentiæ etiam impedire valorem ipsius: quia pars intrinseca huius Sacramenti est dolor de omnibus peccatis in conscientia existentibus: quem habere non potest, qui actu mortaliter peccat.

3. Inferes secundò. Actuale peccatum veniale non impedire licitam receptionem Sacramenti, & effectum primarium, nempe gratiæ sanctificantis infusionem, vel augmentum; quia cùm veniale non opponatur charitati & gratiæ, non est obex Sacramenti, nec impedit primarium effectum ipsius. Dico *primarium*, quia secundarium aliquem effectum, ut istiusmet peccati remissionem, & abundantiora auxilia gratiæ, aliàs concedenda impedire potest.

CONCLUSIO II. *Vt adultus conscius peccati actualis licitè accedat ad Sacramenta mortuorum I. requiritur & II. sufficit attritio supernaturalis etiam cognita ut talis.* Ita communis DD. & prima pars constat, quia nullum peccatum mortale remittitur sine aliquo motu pœnitentiæ, ut suppono ex Trid. Sess. 6. c. 6. & Sess. 14. c. 4. & ex tr. d. pœnit. Secunda pars infra in Tract. de pœnit. ex instituto & in peculiari deducenda hâc ratione probatur: quia per hoc Sacramenta mortuorum ex specifica sua ratione per se primò differunt à Sacramentis vivorum, quòd per se primò conferant primam gratiam; at hoc non fieret, si ex parte subjecti per se supponerent perfectam contritionem; nam si istam per se supponerent, etiam præsupponerent statum gratiæ, siquidem contritio est ex natura rei ultima dispositio ad justificationem; sed Sacramenta, quæ per se supponunt statum gratiæ, non per se primò dant primam gratiam, sed secundam, ergo. 4

Dixi: *Adultus conscius peccati mortalis, &c.* quia si quis adultus tantùm haberet peccatum originale, (quod tamen in sententia D. Th. in Tr. d. vit. & pecc. & de grat. tradi solitum vix habet locum) & nullius actualis esset conscius, tunc solùm requireretur motus supernaturalis in DEUM per actus fidei & spei: quia *accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quia remunerator est.* Heb. 11. quæ fides suâpte naturâ ordinatur ad actum spei de obtinenda remuneratione, & ad propositum servandi legem DEI & bona opera exequendi, quod pertinet ad charitatem.

CONCLUSIO III. *Vt adultus mortalis peccati conscius licitè recipiat aliquod Sacramentum vivorum, ejusque effectum consequatur, I. requiritur vel Sacramentum pœnitentiæ, vel II. saltem existimata* 5

mata, contritio prævia III. & in Sacramento Eucharistia etiam confessio. Ita communis DD.

Prima pars constat, quia Sacramenta vivorum ad licitam sui receptionem per se & ex vi suæ significationis præsupponunt statum gratiæ, sed iste ab adulto peccatore non nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto (hoc est) contritione obtineri potest. ergo.

Secunda pars probatur: quia qui non ponit obicem Sacramento, licitè illud recipit & consequitur ejus effectum, sed qui inculpabiliter existimat se habere contritionem de suo peccato, quamvis à parte rei tantùm sit attritus, non ponit obicem Sacramento: ergo recipit ipsius effectum.

Tertia pars constat ex præcepto positivo Tridentini Sess. 13. cap. 7. Christianis omnibus imposito, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. 6.

DISPUTATIO XXIII.

DE

Causa efficiente & Ministro Sacramenti.

Ad q. 64.

Duplex est causa effectiva de qua agimus, primò institutiva, secundò administrativa seu applicativa Sacramenti. De utraque S. D. q. 62, & nos cum illo primò de causa instituente, deinde de ministrante.

ARTICULUS I.

An & quomodo Christus instituerit omnia Sacramenta novæ legis?

SUMMARIA.

1. *Potestas instituendi Sacramenta alia authoritativa, alia ministerialis; eáque vel purè talis, vel potestas excellentiæ.*
2. *Omnia nova legis Sacramenta immediatè à Christo instituta.*
3. *Secundùm authoritativam potestatem Christus ut DEUS instituit Sacramenta.*
4. *Quæ potestas nulli creaturæ est communicabilis.*
5. *Secundùm potestatem excellentiæ Christus quà homo instituit Sacramenta.*
6. *Potestas excellentiæ est communicabilis creaturæ.*
7. *Testimonia SS. PP. objecta solvuntur.*
8. 9. 10. *Aliæ objectiones solvuntur.*
11. *Justificatio impii est majus opus quàm creatio ex parte effectûs producti, non ex modo producendi.*
12. *Christus ut homo concurrit effectivè per potestatem excellentiæ ad productionem gratiæ & characteris.*
13. *Minister Sacramenti concurrit mediatè.*
14. *Non in Sacramento Eucharistiæ.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. Notandum, potestatem instituendi Sacramenta esse duplicem authoritativam, & ministerialem. Authoritativa est, quæ primariò per essentiam convenit, & independenter ab omni alio; Ministerialis est potestas à DEO commissa & dependens, rei sensibili communicandi virtutem significativam & causativam gratiæ, eáque rursùs dividitur in potestatem excellentiæ, seu ministerialem cum quâdam excellentia & speciali prærogativa; & in potestatem purè ministerialem. Purè ministerialis est, quæ præter potestatem rebus sensibilibus communicandi virtutem practicè significativam gratiæ nullam specialem prærogativam importat: potestas excellentiæ est, quæ prætereà importat tres speciales prærogativas, primò, ut habens illam potestatem de condigno mereatur collationem gratiæ per Sacramenta. Secundò, ut hæc in nomine ipsius administrentur: Tertiò, ut non sit ita adstrictus Sacramentis; quin possit etiam sine illis effectus Sacramentorum producere. His positis

2. Certum est primò de fide, omnia novæ legis Sacramenta esse immediatè à Christo instituta. Ita enim satis apertè definitur in Conc. Trid. Sess. 7. d. Sacr. can. 1. dicente: *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non fuisse omnia a Christo instituta, anathema sit.* Nec refert, quòd ly *immediatè* non legatur additum, nam implicitè subintelligi debere constat primò, quòd mediatè instituere non sit propriè instituere Sacramenta, sed tantùm tribuere vel communicare alteri potestatem conferendi. Secundò, quòd aliàs nulla esset illa differentia, quam ponit Trident. inter cæremonias Sacramentales, & substantias Sacramentorum: quòd illæ salvâ Sacramentorum substantiâ ab Ecclesia mutari possint, non item istæ; quia si non minùs substantiæ, quàm cæremoniæ Sacramentorum immediatè sunt ab Ecclesia institutæ; tum sicuti propterea cæremoniæ, ita etiam substantiæ ab Ecclesia mutari poterunt. Tertiò, quòd si hæc potestas fuisset data Ecclesiæ, tum maximè Ecclesiæ primitivæ & Apostolis Christi; sed istis non fuit communicata; siquidem se ipsos vocant tantùm Ministros & dispensatores Sacramentorum 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum DEI.* Quartò, quia illius est instituere Sacra-

Sacramenta, quæ sunt potissima fundamenta Ecclesiæ, cujus est esse caput & authorem ipsius Ecclesiæ; sed is est solus Christus. ergo.

3. Certum est secundò ex *S.* D. q. 64. a. 1. secundùm potestatem authoritatis & principaliter Christum non nisi quà DEUM instituisse Sacramenta: quia ille principaliter & authoritativè potest Sacramenta instituere, qui gratiam tanquam effectum & rem significatam Sacramenti sua virtute principali continet, & potest eandem virtutem in alios derivare; sed hoc convenit soli DEO. ergo.

Confirmatur. Solus ille principaliter educit gratiam ex animæ potentia obedientiali, qui illabitur animæ, & cujus virtuali contactui illa potentia obedientialis subjicitur: sed hæc subjicitur soli DEO; & ille solus illabitur in spiritualem substantiam, ut aliunde suppono. ergo. Hinc

4. Certum est tertiò. Potestatem ex authoritate instituendi Sacramenta, non esse alicui creaturæ communicabilem; quia est ipsa virtus omnipotentiæ Divinæ, quæ nulli creaturæ potest competere. Restat ergo duplex quæstio, an Christus etiam quà homo immediatè instituerit Sacramenta saltem secundùm potestatem ministerialem excellentiæ, & an illa puræ creaturæ sit comunicabilis.

§. II.

Satisfit propositæ quæstioni.

5. CONCLUSIO I. *Christus etiam quà homo secundùm potestatem excellentiæ immediate instituit Sacramenta.* S. D. a. 3.

Ratio est primò; quia ejusdem est instituere Sacramenta, cujus est esse caput Ecclesiæ, eamque fundare & ordinare secundùm ordinem gratiæ: sed Christus etiam quà homo est caput Ecclesiæ; eamque fundat & disponit secundùm ordinem gratiæ ergo. Unde de ipso quà homine dicitur Jo. 1. *hic est, qui baptizat* & 1. Cor. 3. Apostoli vocantur ipsius *Ministri.*

Secundò. Tunc Christus quà homo instituit Sacramenta, quando ad illa instituenda habuit potestatem excellentiæ seu ministerii principalis; sed illam habuit: ergo. Maj. prob. ille habet potestatem instituendi Sacramenta seu dandi rebus sensibilibus vim infallibiliter significativam & causativam gratiæ, qui in sua virtute aliquo modo continet effectum gratiæ; sed qui habet potestatem excellentiæ, continet effectum Sacramentalem gratiæ in sua virtute. ergo. Minor etiam probatur nam primò Christus ut homo est causa meritoria omnis gratiæ, quæ per Sacramenta confertur, secundò concurrit ad eandem gratiam etiam effectivè per modum instrumenti conjuncti, *quod habet* (inquit S. D.) *principalitatem quandam & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt Ministri Ecclesiæ.* Ipsa quoque Sacramenta sanctificantur, in nomine, seu invocatione Nominis Christi. Ac tandem Christus effectum Sacramentorum potuit conferre sine exteriori Sacramento; veluti cùm Magdalenæ & paralytico remisit peccata, dicens *remittuntur tibi peccata tua.* ergo Christo omnia conveniunt requisita ad potestatem excellentiæ.

6. CONCLUSIO II. *Non tantùm potestas ministerialis, sed etiam excellentiæ ad instituenda Sacramenta est absolutè communicabilis alicui creaturæ.* Ita cum S. D. a. 4. Gonet aliique Thomistæ contra Card. d. Lugo. Et ratio S. Doctoris est: quia in nulla conditione ad potestatem excellentiæ requisita est assignabilis ratio & implicantia, cur illa puræ creaturæ communicari non posset: nam si qua foret, esset vel maximè virtus gratiæ Sacramentalis condignè meritoria; sed hæc non est, siquidem (ut supp. ex Tr. d. mer.) tanta plenitudo gratiæ est homini puro communicabilis, ut etiam de condigno alteri primam gratiam mereri possit. Neque dicas, hanc meritoriam condignitatem Christo competere vi unionis hypostaticæ, quæ in nulla pura creatura reperitur: nam licèt virtus condignè meritoria gratiæ Sacramentalis quatenùs infinita & connaturaliter debita, sic Christo conveniat ratione unionis hypostaticæ, ideóque sub tali ac tanta perfectione puræ creaturæ communicari non possit, est tamen puræ creaturæ communicabilis, quatenùs ex gratuito DEI favore & finito modo procedens.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objic. primò quorundam SS. PP. authoritates; 7.
uti D. August. l. 3. d. doctr. Christ. c. 9. Cypr. Serm. d. lot. ped. ubi videntur asserere, aliqua Sacramenta à Christo, aliqua fuisse ab Apostolis tradita.

Resp. ad mentem D. Th. hîc q. 64. a. 2. ad 1. ea quæ in Sacramentis dicuntur ab Apostolis tradita, nisi potiùs sint de ritibus & cæremoniis accidentalibus, quàm de substantia Sacramentorum intelligenda, deberi accipi de traditione promulgativa tantùm non institutiva; imò cùm antiqui DD. Catholici quandoque videntur dicere, quædam Sacramenta esse ex institutione Apostolica, promulgationem ab iis intelligi pie interpretatur idem S. D. loco cit.

Objic. secundò. Institutio Sacramenti formaliter 8.
consistit in voluntate gratiam sensibiliter conferendi suscipienti Sacramentum: sed solus DEUS potest habere hanc voluntatem: ergo solus DEUS potest instituere Sacramentum.

Resp. vel neg. vel dist. min. solus DEUS potest habere voluntatem conferendi gratiam per potestatem authoritativam conc. ministerialem vel excellentiæ. neg. min. & similiter dist. consequenti nego consequentiam.

Objic. tertiò. Si puræ creaturæ posset comuni- 9.
cari potestas instituendi Sacramenta, posset DEUS à voluntate creata determinari ad productionem effectûs; sed hoc videtur absurdum & repugnans libertati omnipotentiæ Divinæ. Sequela probatur. Tunc DEUS determinatur ad productionem effectûs creati, quando determinatur ad productionem gratiæ; sed si voluntati creatæ competat facultas Sacramenta instituendi, DEUS à voluntate creata determinatur, ut ad positionem talium signorum conferat gratiam. ergo.

Resp. absurdum est DEUM à voluntate creata determinari, &c. determinatione non fundatâ in suo libero decreto conc. fundatâ neg. hæc ipsa porrò determinatio voluntatis creatæ fundatur in libero decreto DEI.

Objic. quartò. Instituere aliquid est rem primò 10.
statuere, sed soli DEO convenit primò statuere Sacramenta, quia ipsi soli convenit primum de Sacramento decretum, ergo.

Respon-

Respondeo primò. Hoc argumento nimium probari, quia sequeretur, neque ullam legem humanitùs posse institui, quippe quæ necessariò præsupponit decretum DEI. Resp. secundò per missâ maj. dist. min. Soli DEO convenit primò statuere Sacramenta, authoritativè conc. ministerialiter, nego.

11. Objic. quintò. Justificatio impii secundùm doctrinam D. Th. est majus opus, quàm mundi creatio, ergo sicut ista non potest communicari creaturæ, ita nec illa.

Respondeo est majus opus ex parte effectûs producti (eò quòd gratia sanctificans suâ dignitate transcendat totum ordinem naturæ) conc. ex parte modi producendi ex nihilo, sic nego.

§. III.

Corollaria.

12. Inferes ex dictis primò. Christum ut hominem ad productionem tum characteris, tum gratiæ Sacramentalis concurrere per potestatem excellentiæ. Ita S. D. a. 3. & significatur in illo D. Joannis. *hic est qui baptizat.* Ratio est, quòd Christus etiam de facto sit causa principalis meritoria, & efficiens instrumentaria omnis illius effectûs Sacramentalis, sed hoc ipsi convenit secundùm potestatem excellentiæ. ergo.

Inferes secundò. Etiam Ministrum Sacramenti consistentis in usu præter DEUM & Christum effectivè quamvis mediatè concurrere ad productionem gratiæ. Prima pars insinuatur in Concil. Constantiensi Sess. ult. definiente, quòd Sacerdos verè absolvat à peccatis, quæ absolutio non fit nisi per infusionem gratiæ. Ratio est primò: quia causa efficiens alicujus actionis etiam est causa efficiens effectûs qui per illam actionem efficienter ponitur: sed gratia virtute Sacramenti efficienter ponitur: ergo etiam Minister, qui est causa efficiens actionis, in qua Sacramentum consistit, est causa illius effectûs. Secundò, quia aliqua Sacramenta conficiuntur virtute characteris, qui in sententia D. Th. est virtus activa physica. 13

Secundæ partis ratio est: quia Minister non aliter est causa gratiæ, nisi efficiendo actionem, quæ est immediatè à DEO elevata ut sit instrumentum gratiæ; sed hoc est mediatè concurrere. ergo. 14

Dixi: Ministrum Sacramenti *consistentis in usu:* quia Minister Eucharistiam porrigens, quia se habet merè per modum applicationis & conditionis *sine quâ non*, non se habet effectivè ad gratiam ab illo Sacramento productam.

ARTICULUS II.

Quis sit & esse possit Minister Sacramenti.

SUMMARIA.

1. *Solus homo de lege ordinaria est Minister Sacramenti ex institutione Christi.*
2. *Ratio congruentiæ.*
3. *De lege extraordinaria potest Angelo committi administratio Sacramentorum.*
4. *Ubi sufficerent verba non vitaliter prolata.*
5. *Vi præsentis institutionis etiam comprehensor resuscitatus foret Minister Sacramenti.*
6. *Sed extraordinarius tantùm.*
7. *Discrimen inter Angelos & comprehensores.*
8. *Post extremum diem judicii impotentia consecrandi erit ob defectum significationis Sacramentalis.*
9. *Comprehensor non desinit esse presbyter, & habet orationem fidei non subjectivè, sed objectivè.*
10. *Discrimen inter receptionem & administrationem Sacramenti respectu comprehensoris.*
11. *Discrimen inter potestatem jurisdictionis, & Ordinis.*
12. *Animæ separatæ de lege ordinaria non sunt Ministri Sacramenti.*
13. *Sacramentum ab Angelo bono collatum foret ratihabendum.*
14. *Sacerdos resuscitatus absque superaddito potest conficere Sacramentum.*
15. *Episcopus damnatus alios damnatos ordinare non posset.*
16. *Variis Sacramentis, varii debentur Ministri.*

§. I.

Designatur Minister ordinarius, & extraordinarius.

CONCLUSIO I. *De lege ordinaria solus homo non Angelus est Minister Sacramenti validè conficiendi.* 1.

Ratio est: quia ille est Minister Sacramenti de lege ordinaria absque speciali dispensatione, qui est talis ex institutione Christi: sed solus homo est talis. ergo. Minor probatur primò ex S. Scr. Ubi Christus instituens Sacramenta eorúmque Ministros, solos homines allocutus est, ut Matt. ult. *docete baptizantes eos, &c.* Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem, &c.* Jo. 20. *quorum remiseritis peccata, &c.* Minister quoque Confirmationis & Ordinis est Pontifex, de quo Apostolus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad DEUM.* Et de Extrema unctione Jacobus Apostolus, jubet *induci presbyteros Ecclesiæ, &c.*

Probatur secundò ratione congruentiæ. Nam primò non decebat aliquem Ministrum secundariũ esse præstantioris naturæ, quàm Ministrum primarium & immediatum institutorum Sacramentorum: sed Angeli sunt præstantioris naturæ, quàm Christus ut homo, qui est institutor & primarius Minister Sacramentorum ratione suæ humanitatis, in qua est inferioris naturæ quàm Angeli & *paulò minoratus ab Angelis.* ergo. Secundò Ministri Sacramenti debent conformari Christo, quatenùs ex sua passio- 2.

passione derivanti virtutem Sacramentorum; sed solus homo ipsi quà tali conformatur. ergo. Tertiò. Visibilibus Sacramentis convenit Minister visibilis, at talis non est Angelus, sed homo. ergo.

3. Dixi tamen *de lege ordinaria*, quia de lege extraordinaria à DEO vel Christo non tantùm posse Angelo committi administrationem Sacramentorum (cùm enim ipsius potestas non tantùm authoritativa, sed etiam excellentiæ non sit alligata, quin effectum Sacramenti possit absque Sacramento conferre; ita neque ita est adstricta Ministro, ut non per alium possit Ministrum eligere) sed de facto subinde commissam fuisse, refertur in historiis Ecclesiasticis: nam de B. Agnete de Monte Politano testatur bulla Canonizationis & de S. Catharina Senensi D. Antoninus 3. p. Chron. tit. 23. c. 27. §. 4. ipsis S. Eucharistiam ab Angelis fuisse porrectam. Nicephorus l. 1. hist. Eccles. narrat, D. Amphilochium consecrationem Episcopalem ab Angelis accepisse, eamque à cæteris Episcopis ratam habitam fuisse.

4. Dices. Sacramenta nostra essentialiter constant rebus ac verbis; atqui Angelus non potest formare verba, ut habet S. Th. 1. p. q. 51. a. 3. ad 4. ergo nec potest conficere Sacramentum. Resp. Sacramenta essentialiter constant verbis, quatenus ista sunt sonus articulatus significativus gratiæ sanctificantis conc. quatenùs sunt vitaliter prolata (hoc quippe videtur se habere per accidens) sic nego. sed Angelus non potest formare verba sub priori ratione conc. sub posteriori, nego.

5. CONCLUSIO II. *Vi præsentis institutionis non tantùm homo viator, sed etiam comprehensor in reassumpto corpore posset esse Minister Sacramenti, quamvis tunc (2) non esset ordinarius, sed extraordinarius.* Ita Sotus, Gonet, aliique contra Ysambertum, Lugonem & alios.

Ratio est: Ille est competens Minister validi Sacramenti vi præsentis institutionis Christi, qui habet omnia secundùm præsentem institutionem requisita ad validam administrationem Sacramenti; sed homo comprehensor illa habet: nam in reassumpto corpore est verus homo, habet characterem, potest adhibere debitam materiam & formam, formare debitam intentionem: at præterea nil requiritur.

6. Secunda pars patet: quia ordinarius Minister ille censetur, cui juxta ordinarium convictum & conversationem cum hominibus convenit munus administrandi Sacramenta: sed comprehensor extra viæ statum constitutus non habet ordinariam conversationem cum hominibus. ergo non est Minister ordinarius.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. OBjicies primò. Sicuti Christus instituens Sacramenta sermonem non ad Angelos, sed homines; ita pariter non ad comprehensores, sed ad viatores direxit: ergo sicuti ex primo inferimus, Angelos non esse Ministros Sacramentorum de lege ordinaria, ita etiam inferendum est ex secundo comprehensores non esse Ministros vi præsentis institutionis & legis ordinariæ.

Respondeo negando consequentiam: quia non est fundamentum asserendi, quòd Christus Sacramenta instituens restrinxerit intentionem ad solos viatores, uti contrà est fundamentum asserendi, quòd restrinxerit intentionem ad solos homines, nam homo comprehensor à viatore, neque naturâ, neque charactere, neque facultate sensibiles operationes eliciendi distinguitur, sed solùm accidentali statu: econtrà homo ab Angelo in istis omnibus substantialiter discriminatur.

Objic. secundò. Post extremum judicii diem Sacerdotes quantumvis charactere præditi non ampliùs poterunt consecrare Eucharistiam defectu potestatis sibi commissæ; ergo hæc potestas tantùm est tradita pro statu præsentis vitæ. 8.

Respondeo. Impotentiam consecrandi post extremum judicii diem non fore in Sacerdotibus ex defectu potestatis, quippe quæ ab ipso charactere non distinguitur, sed ex defectu significationis Sacramentalis; siquidem verba consecratoria habent significationem ad statum novi Testamenti alligatam, uti colligitur evidenter ex consecratione Calicis: *hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei*, ubi significatur significatio Sacramentalis esse alligata ad statum novi testamenti in fide fundati.

Objic. tertiò. Ad extremam unctionem requiritur presbyter Ecclesiæ, & oratio fidei, atqui solus viator potest esse Ecclesiæ presbyter & fundere orationem fidei, ergo. 9.

Respondeo. Ad Sacramentum Extremæ unctionis sufficere presbyterum Ecclesiæ triumphantis, quippe quæ sub uno capite Christo sufficienter connectitur cum Ecclesia militante. Nec requiri orationem fidei formaliter & subjectivè, sed objectivè talem, qualis esset oratio à comprehensore prolata, siquidem idem est objectum *quod* beatificæ visionis in patria, quod est objectum fidei in via. Aliàs hæreticus presbyter non posset validè conferre extremam unctionem, siquidem orationem fidei formaliter & subjectivè talem formare non potest.

Objic. quartò. Secundùm præsentem institutionem Christi receptio Sacramenti tantùm habet locum in viatoribus & Ecclesia militante: ergo similiter administratio ipsorum non pertinebit ad comprehensores & Ecclesiam triumphantem sed ad militantem. 10

Respondeo negando consequentiam: quia cùm Sacramenta ex sua essentia sint signa practicè significativa gratiæ in subjecto vel de novo producendæ vel augendæ, ideo illud subjectum est tantummodo Sacramenti capax, quod est capax primæ vel secundæ gratiæ recipiendæ, quod non est nisi homo viator. At verò ad Sacramenti administrationem sufficiunt conditiones in probatione conclusionis enumeratæ, quas etiam comprehensor habere potest.

Neque dicas. Potestas jurisdictionis exspirat cum statu viatoris, unde si D. Petrus resurgeret, non esset actu S. Pontifex: ergo etiam potestas administrandi simul exspirat. Nam Resp. Potestatem jurisdictionis conferri ad tempus vitæ ideóque exspirare per mortem; at potestas Sacramenta conficiendi confertur cum charactere, qui est indelebilis. 11

§. III. *Corol.*

§. III.

Corollaria.

12 INferes ex dictis primò. Animas separatas de lege ordinaria non posse conficere vel administrare Sacramenta; quia non sunt homines simpliciter, & licèt charactere sint prædita, ratione cujus habent majorem capacitatem & propinquitatem quàm Angeli, tamen juxta hunc statum separationis non sunt idonea principia operationum sensibilium, qualibus tamen secundùm præsentem institutionem à Christo commissa fuit administratio Sacramentorum.

13 Inferes secundò. Si quod Sacramentale Ministerium de facto ab Angelis bonis perficeretur, illud ratum fore habendum, ut habet S. Doctor a. 7. in c. quia cùm illi sint nuncii veritatis, præsumeretur hoc fieri voluntate & dispensatione Divinâ. Ita econtrà si dæmones aliquod Sacramentale Ministerium exhiberent, non fore ratum habendum, ob oppositam rationem, eò quòd sint spiritus mendacii, neque sit præsumendum, quòd ipsi, qui non sunt membra Ecclesiæ vel militantis vel triumphantis, à DEO ad tale ministerium assumantur.

Inferes tertiò. Si quis Sacerdos defunctus miraculosè revocetur ad vitam, absque aliquo superaddito posse conficere Sacramenta, in quibus non indiget jurisdictione specialiter collatâ, quæ uti dictum, per mortem exspirat. 14

Inferes quartò. Episcopum cum corpore & anima damnatum non posse aliis hominibus itidem damnatis conferre Sacramentum Ordinis, non ex defectu intrinsecæ potestatis characteri identificatæ: sed partim defectu subjecti in tali statu constituti, in quo significatio Sacramentalis verificari non potest: partim defectu Divini concursûs, quem DEUS hujusmodi damnato Episcopo subtraheret, quemadmodum & dæmoni subtrahit, quantumvis habenti innatam potestatem ad plurima operanda. 15

Inferes quintò. Non promiscuè quoslibet homines pro quibuslibet Sacramentis esse competentes ministros, sed eos, qui juxta institutionem Christi potestatem ad illa ministranda accipiunt, quales autem sint pro singulis Sacramentis, ex sequentibus sigillatim patebit.

ARTICULUS III.

Utrùm in Ministro requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia?

SUMMARIA.

1. *Intentio Ministri potest habere triplex objectum.*
2. *Exponitur status controversiæ.*
3. *Diversa responsa & opiniones DD.*
4. *Requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.*
5. *Rationes S. D.*
6. *Quomodo Sacramentum se habeat per modum medicamenti, vel causa naturalis.*
7. *Verba non nisi dependenter ab intentione Ministri sunt forma Sacramenti.*
8. *Sacramenta sunt signa instituta ad significandum practicè & dependenter a voluntate Ministri.*
9. *Non est eadem ratio de probitate & intentione Ministri.*
10. *Major intentio requiritur ad conferendum, quàm recipiendum Sacramentum.*
11. *Objectio duplicis exempli ex Hist. Eccles.*
12. *D. Athanasij puerili baptismus fuit ex joco concomitanter & extrinsece tantùm.*
13. *D. Genesius fuit seriò non mimicè baptizatus.*
14. *Protestatio Episcopi non volentis ordinare excommunicatum non excludit intentionem conficiendi Sacramentum.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. In administratione Sacramentorum intentionem in triplex objectum posse tendere. Primum est actio exterior secundùm se spectata, v. g. in baptismo ablutio exterior, & prolatio formæ: ego te baptizo, &c. Secundũ est effectus Sacramenti, e. g. in baptismo, gratia & character. Tertium est, facere quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia; quod postremum intendi potest vel explicitè, ut si quis habeat hanc expressam voluntatem formaliter vel virtualiter conjunctam cum actu baptizandi, vel implicitè, & confusè, ut si tantummodò cogitet facere, quod faciunt Christiani & fideles, vel quod fidelis ab ipso seriò petit, vel quod ex officio pastoris facere tenetur, &c.

Notandum est secundò. De secundo modo intentionis nullam esse controversiam, cùm apud omnes etiam hæreticos sit in confesso, Sacramenta validè posita in subjecto non habente impedimentum non subesse intentioni Ministri, sed ad modum causæ naturalis infallibiliter conferre suum effectum sive Minister velit, sive nolit illum conferre. Unde nullo modo est necessarium, ut Minister conferens Sacramentum intendat producere gratiam. 2.

Controversia est, utrùm præter primum modum intentionis, etiam jungendus sit tertius modus faciendi, quod Christus instituit, aut quod facit vera Ecclesia constat enim, quòd non tantùm sint ab invicem separabiles (nam habitudo ad Christum instituentem, per quam materia & forma Sacramentorum constituitur in esse Sacramentali, accidit actioni & formæ verborum, quæ de se est indifferens ut sit naturalis vel Sacramentalis) sed etiã quòd Christus potuisset ita instituere Sacramenta, ut ad illorum valorem vel nullam in conferente intentionem, aut deliberationem, vel secundò ut solùm intentionem ponendi actum externum, vel tertiò, ut simul requireret intentionem ponendi actum Sacramenti formaliter, & ut Sacramentalem, cum aliqua nimirum habitudine actûs ad suam institutionem. Ubi.

3. Notandum tertiò. Quorundam hæreticorum opinionem esse, nullam in Ministro requiri intentionem, sed Sacramentum perfici, dummodo res & verba Sacramenti à Ministro proferantur, etiamsi jocosè, fictè & irrisoriè ponantur. Secundò. Alii hæretici, ut Calvinus in suo antidoto ad can. 11. Conc. Trid. & Davæus ad c. 17. controversf. Bellar. relati ab Ysamberto, tametsi non negent primum modum intentionis faciendi scilicet actum externum naturalem, negant tamen necessariam esse intentionem faciendi formaliter actum Sacramentalem, vel faciendi quod facit Ecclesia, & ajunt, illum actum externum per hoc sufficienter determinari ad esse Sacramentale, quòd vel exerceatur ex mandato Christi, & secundùm regulam ab eo datam, titúque legitimo, vel quòd fiat in cætu Ecclesiæ, &c. Tertiò ex Catholicis Ambrof. Catharin. in opusc. d. int. Ministri, Pasqualigus disp. 72. sc. 4. Alf. Salmeron. l. 1. Commentar. in Ep. D. Pauli. 3. p. disp. 2. quos citat & novissimè sequitur Contensonus in appendic. dist. 2. c. 2. tenent intentionem faciendi quod facit Ecclesia esse inseparabilem à seria administratione ritus externi & prolatione verborum: adeoque dummodò Minister non jocosè & mimicè (ut in lusu & theatro) sed seriò velit ponere, & ponat materiam & formam Sacramenti; hoc ipso validè conficere Sacramentum, quantumvis sciens volens ex malitia non velit, vel positivè nolit conficere Sacramentum, sicque habeat intentionem privatam contrariam intentioni Ecclesiæ, & intùs in animo Sacramenta derideat, detestetur, & quicquam potiùs velit, quàm conficere Sacramentum. Quarta est sententia communis Theologorum, tam intra, quàm extra Scholam D. Th. affirmantium, ad Sacramenti validam confectionem insuper necessariam esse internam saltem implicitam & confusam intentionem Ministri faciendi Sacramentum, quæ sit separabilis à voluntate conferendi ritum externum, unde si intùs habeat efficacem voluntatem non faciendi Sacramentum, illud hoc ipso fore nullum & irritum. Unde sit.

§. II.

Concluditur affirmativè.

4. CONCLUSIO. *Ut validè conficiatur Sacramentum, requiritur in Ministro intentio (saltem confusa vel implicita) faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit*; Est de fide ex Conc. Florent. in Decr. Un. dicente, *Sacramenta tribus perfici materiâ & formâ & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* ex Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 11. definiente: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

5. Ratio est primò ex S. Doctore. Quod est indifferens ut sit vel non sit signum Sacramentale, debet per aliquid determinari ut sit signum Sacramentale: sed tam materia, quàm forma Sacramenti de se est indifferens, ut sit vel non sit signum Sacramentale; ergo debet per aliquid determinari, ut sit signum Sacramentale, sed non per aliud determinatur, quàm per intentionem. ergo. Minor quoad primum membrum est certa, quia ablutio v. g. in baptismo est ex se indifferens, ut significet externam, vel internam ablutionem. Quoad secundum membrum probatur: quia etiam formæ Sacramentorum sunt indifferentes, ut vel recitativè, vel consecratoriè proferantur; item aliqua modo sunt indifferentes, ut significent effectum internum, vel externum. Sicuti patet in hac forma: ego te baptizo, hoc est abluo, neque enim abluere de se significat internæ munditiæ productionem.

Ratio est secundò. Christus instituit Sacramenta, ut modo humano & proportionato homini ut homo est, à Ministro applicarentur; sed non applicantur modo humano absque intentione Ministri: seclusâ quippe intentione agendi, actus non est verè humanus & voluntarius. ergo. Maj. inde constat. quòd Christus voluit, ut Ministri essent instrumenta animata gratiæ, non autem sunt animata, nisi per motum animæ, qui in proposito est intentio, concurrant.

§ III.

Solvuntur objectiones.

OBjic. primò. Medicamentum, uti & causæ naturales, vim suam exerit, tametsi medicus, & causa applicans nullam habeat intentionem, sanitatis, vel medicamenti debitè applicandi; sed Sacramentum se habet ad instar medicamenti & causæ naturalis. ergo nulla in Ministro requiritur intentio. 6.

Respond. Dist min. Sacramentum se habet ad instar medicamenti vel causæ naturalis, quoad productionem sui effectûs, si semel existit, conc. quoad ipsius existentiæ valorem, nego: ergo nulla in Ministro requiritur intentio producendi effectum characteris vel gratiæ conc. administrandi Sacramentum, nego consequentiam.

Sed inquis: Non requiritur intentio producendi characterem, vel gratiam; ergo nec requiritur intentio ponendi Sacramentum. Resp. neg. consequentiam. quia suppositâ semel essentiâ & existentiâ Sacramenti, ejus effectus non dependet ex intentione Ministri; essentia verò Sacramenti quoad sui existentiam juxta Christi institutionem pendet ex intentione Ministri. Imò verò cùm effectus characteris vel gratiæ contineatur in virtute Sacramenti tanquam causæ, hoc ipso quòd quis efficaciter intendat facere Sacramentum, habet implicitam voluntatem etiam producendi characterem & gratiam; sed qui non habet intentionem conficiendi formaliter Sacramentum, nullam habet neque explicitam neque implicitam intentionem ipsius.

Objic. secundò. Compositum perficitur, quandocunque forma applicatur debitæ materiæ; sed in Sacramento, quod est quoddam compositum, forma applicatur materiæ debitæ, quantumvis non adsit intentio applicantis: ergo etiam absque intentione ipsius perficitur Sacramentum. 7.

Resp. neg. min. ejusque suppositum, nam verba Sacramentalia non nisi dependenter ab intentione Ministri habent rationem formæ.

Objic.

8. Objic. tertiò. Hoc ipso, quòd aliquod signum sit institutum ad determinatam significationem, habet vim significandi, si exteriùs proferatur, vel exhibeatur, qualiscunq; sit proferentis intentio, sed Sacramenta sunt signa divinitùs instituta ad gratiam practicè significandam; ergo practicè significant gratiam, suntque proinde valida, qualiscunque sit illa proferentis & exhibentis intentio. Maj. prob. quia vox *homo* significat *hominem*, hædera appensa significat *vinum vendibile*, sive proferens vel appendens habeat intentionem significandi, sive non.

Resp. dist. maj. si sit institutum ad determinatam significationem speculativam & independenter à voluntate alterius, conc. si sit institutum ad determinatam significationem practicam & dependenter à voluntate alterius, nego.

9. Objic. quartò. Si requireretur intentio Ministri, rarò essemus securi de valida receptione Sacramenti, siquidem intentio cùm sit actus internus, nobis non facilè innotescit. Confirmatur. Probitas Ministri non requiritur ex institutione Christi, quia nimis esset incerta validitas Sacramenti; ergo neque intentio.

Resp. neg. seq. quia sufficiens moralis certitudo de validitate Sacramenti habetur ex debita materiæ & formæ applicatione, in qua ab Ecclesia (quæ de internis non judicat) supponitur saltem exercitè adesse intentio Ministri: quæ cùm, ut dicetur, non debeat esse necessariò expressa vel explicita & in actu signato, sed sufficiat etiam implicita & in actu exercito, nisi ex speciali malitia Ministri retineatur, rarissimè abesse solet. Ex quo patet ad Confirm. quia probitas Ministri sæpissimè abest & potest abesse, neque potest quispiam esse certus de statu gratiæ: econtra intentio rarissimè abest, & de hac Minister se ipsum certificare potest.

10. Objic. quintò. Potest amens & dormiens validè baptizari: ergo & baptizare. Imò D. August. tr. 5. in Jo. relatus *in c. dedit* 46. 1. *q.* 1. affirmare videtur, baptismum ab ebrio datum esse validum.

Resp. neg. consequentiam, quia ad recipiendum baptismum sufficit intentio habitualis, ut suprà dictum; ad ministrandum verò requiritur actualis, vel virtualis. Ad Conf. Resp. D. Augustinum loqui potiùs de ebrioso, quàm ebrio, & ita habere veram lectionem notat Sylvius hîc.

11. Objic. sextò. Ex historia Ecclesiastica duo exempla. Primum est, quòd Alexander Patriarcha Alexandrinus validum declaraverit baptismum, quo S. Athanasius puer in maris littore lusitans alios collusitantes pueros catechumenos baptizaverat. Simile refert Nicephorus l. 3. hist. c. ult. de puero Judæo per ludum ab aliis pueris baptizato, quem baptismum Ecclesia Constantinopolitana ceu validum probavit.

Alterum est S. Genesii mimi, qui coram Diocletiano Christianorum sacris illudens à socio histrionemore Christianorum baptismum petiit: eòque accepto, & Angelicâ monitione de virtute illius aquæ instructus, repentè mutatus fidémque publicè professus martyrio coronatus est. Ex quibus infertur, Sacramentum ex lusu & joco collatum esse validum; sed hoc est absque intentione faciendi Sacramentum; ergo absque hac intentione fit Sacramentum validum.

Respondeo ad I. In illo casu jocum seu lusum fuisse finem extrinsecum, & concomitantem, non intrinsecum & totalem baptizantis. Finis extrinsecus seu impulsivus est, quem licèt operans concomitanter intendat, vult nihilominùs verè facere baptismum, quem facit Ecclesia. Intrinsecus est, quem solum & unicè intendit operans, ideòque non petit facere vel conferre baptismum, sed tantùm ostendere, exhibere, simulare ejus effectionem. 12.

Ad II. Prætermissis variorum responsionibus Resp. Mimum, qui in scena Sacerdotis baptizantis personam egerat, quamvis irrisoriè Genesium baptizaret, habuisse nihilominùs intentionem faciendi, quod Christiani faciebant, quæ intentio ex parte ipsius sufficiebat ad validitatem baptismi: ipsum verò Genesium Divino instinctu & Angeli monitione repentè mutatum non fictè & irrisoriè S. baptisma à mimo petiisse. Cujus responsionis ratio est, supposito quòd DEUS decreverit, irrisionem sacrorum Christianorum miraculosè confundere, & Genesium ad S. baptisma devotè recipiendum disponere, est vero simillimum, quòd etiam voluntatem mimi ministrantis baptismum ita disposuerit, ut saltem confusam intentionem haberet, faciendi, quod faciunt Christiani, & quod Genesius peteret. Atqui DEUS ita decrevit, & actu confudit illam Theatralem irrisionem per conversionem Genesii, ita ut cùm à mimo gerente personam Sacerdotis interrogaretur: *quid ad nos misisti filiole?* is animo sincero responderet, *quia gratiam Christi consequi cupio, per quam renatus liberer a ruina iniquitatum mearum*. Hæc quippe interna dispositio Genesii affirmatur clarè à Martyrologio Romano 25. Augusti dicente: *S. Genesii Martyris, qui primùm sub gentilitate mimus, cùm in Theatro spectante Diocletiano Imperatore Mysteriis Christianorum illuderet, à DEO inspiratus, repentè conversus ad fidem, & baptizatus est*. Nec certè minùs promptum erat DEO volenti S. Baptismatis virtutem monstrare voluntatem mimi dantis baptismum ad intentionem faciendi quod Christiani agunt inflectere, quàm voluntatem petentis derepentè ad justificationem disponere. 13.

Objic. septimò. Episcopus priusquam conferat Ordines, priùs solet protestari, se nolle ordinare excommunicatum, vel non habentem facultatem à suo Prælato: & nihilominùs si adsit talis persona, validè ordinatur, siquidem postea cognito defectu suspenditur à SS. Ordinibus: ergo valor Sacramenti stat sine intentione illud faciendi. 14.

Respondeo: Si fiat illa protestatio, quam tamen in pluribus Pontificalibus antiquis & modernis non reperiri testatur de Lugo d. 8. sect. 7. illam non significare, negationem intentionis dandi Sacramentum, casu quo adsit aliquis indignus, sed tantùm significare displicentiam Episcopi, & inefficacem voluntatem conferendi Sacramentum indignis, si quos adesse sciret, quæ non excludit absolutam intentionem, quam requirit administratio hujus Sacramenti.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An ad valorem Sacramenti requiratur intentio faciendi Sacramentum formaliter; seu tanquam rem sacram, & non tantùm ut ritum externum.

SUMMARIA.

1. *Affirmativa probatur ratione S. D.*
2. *Aliàs valeret Sacramentum mimicè collatum.*
3. *Neque seriò confertur Sacramentum sine intentione faciendi ritum sacrum.*
4. *Probatur authoritate Conciliorum.*
5. *Sine intentione faciendi rem sacram Minister non agit ut Minister, dispensator & instrumentum animatum Christi.*
6. *Neque actio Sacramenti, ut talis, esset voluntaria.*
7. *Inductione plurium Sacramentorum ostenditur necessitas hujus intentionis.*
8. *Locus D. Augustini in oppositum adductus expenditur, & explicatur.*
9. *Genuinus D. Th. sensus exponitur, & ab Adversariorum detorsione vindicatur.*
10. *Quid de DD. authoritate sentiendum?*
11. *Non sequitur, baptismum ab infideli, vel hæretico collatum, fore nullum.*
12. *Minister Sacramenti non est tantùm Minister ad exequendum, sed ad peragendum Sacramentum nomine Christi.*
13. *Absurda objecta depelluntur.*
14. *Notatur singularis opinio Contensonis circà contractûs matrimonialis valorem.*
15. *Actio Sacramentalis solùm habet vim practicè significativam gratiæ dependenter ab intentione Ministri.*
16. *In dubio de recta intentione Ministri, Sacramentum est reiterandum.*
17. *Defectus intentionis in Ministro non suppletur à DEO.*

§. I.

Resolvitur affirmativè.

STatus hujus controversiæ constat ex prænotato tertio Articuli præcedentis. Ad cujus resolutionem fit

1. CONCLUSIO affirmativa. Et probatur primò ratione superioris partis ex S. Doct. adductâ. Tunc sola intentio faciendi ritum externum non est sufficiens, quando per illam ritus ille externus non determinatur ad esse Sacramentale & practicè significativum gratiæ; sed non determinatur. ergo. Maj. constat, quia ideo absolutè requiritur intentio, ut res & verba Sacramenti de se indifferentia ad significandum, vel non significandum effectum spiritualem per intentionem Ministri ad hanc significationem determinentur. ergo si intentio solummodò faciendi ritum externum hanc indifferentiam non tollit, non est sufficiens. Minor etiam probatur: Ille ritus externus constans ex rebus & verbis æquè potest esse naturalis, ac Sacramentalis, ergo intentio faciendi ritum externum, quæ est ab ipso inseparabilis, quotiescunque etiam secundùm esse naturale advertenter & modo humano adhibetur, non facit, quòd potiùs sit Sacramentalis, quàm non Sacramentalis.

Confirm. Si ista intentio faciendi ritum externum abstrahendo ab esse Sacramentali sufficeret, non esset ratio, cur non etiam mimicus baptismus ex lusu & joco fictè collatus ad Sacramenti valorem sufficeret: nam etiam mimus intendit agere, quod agit, atqui agit ritum externum, depromit verba consueta, &c. ergo. 2.

Respondent: Esse necessarium ut seriò velit formam materiæ conjungere, atque ita ritum externum perficere. Sed contrà. vel per illud *seriò* intelligis, quòd adhibens materiam & formam baptismi sciens volens velit facere quod Ecclesia per istos ritus facit, vel quod sciens volens tantùm velit repræsentare id quod facit per hos ritus Ecclesia? Non primum, quia sic non tantùm haberet intentionem faciendi illum ritum merè externum, sed etiam faciendi illum ut sacer est: neque enim aliter illum facit Ecclesia. Non secundum: quia hæc repræsentatio ritûs sacri etiam est finis intrinsecus ludentis mimi: qui ipsam sciens volens cum omni industria intendit: unde non video, quid in simulando Sacramento inter se distent mimus in scena exhibens ritum externum Sacramenti, & Minister pravus eundem sine intentione faciendi Sacramentum, vel etiam cum contraria intentione exhibens in templo, nisi quòd ille fingat Sacramentum in ordine ad homines delectandos, iste ad decipiendos; ille ut bonus mimus, iste ut malus politicus; ille comicè, iste sacrilegè: uterque tamen fingit, quid enim est magis fingere, quàm simulare & repræsentare te facere, quod facere non velis? 3.

Probant secundò aliqui authoritate Concili. Concilia decernunt necessariam esse intentionem faciendi, quod facere intendit Ecclesia, sed Ecclesia non intendit facere ritum illum ut merè externum, sed ut sacrum; ergo etiam in Ministro necessaria est intentio faciendi illum ritum ut sacrum. Sed Authores contrariæ sententiæ meritò negant majorem: neque enim Concilia requirunt intentionem faciendi, quod intendit facere, sed quod facit Ecclesia. Imò aliàs etiam esset necessaria intentio producendi characterem vel gratiam; siquidem hos effectus per Sacramenta producere intendit Ecclesia. Unde aliter eâdem authoritate probatur conclusio. Illam intentionem faciendi quod facit Ecclesia debet habere Minister Sacramenti, qualem requirunt Concilia; sed ista requirunt intentionem faciendi non tantùm quod Ecclesia facit materialiter ponendo actionem externam, sed etiam formaliter, nempe ponendo illam ut sacra & Sacramentalis est. ergo. Minor probatur. Illam intentionem requirunt Concilia, quam negant hæretici, qui impugnantur, sed isti non negant intentionem faciendi actionem externam, utpote ab illa actione humano modo factâ inseparabilem, sed faciendi illam ut sacra est: ergo. 4.

Con-

Confirm. primò. Concilia intelligunt illam intentionem quæ est Ecclesiæ propria, sed facere solum ritum externum materialiter, non est Ecclesiæ proprium, cùm & dæmones hoc possint facere. ergo.

Confirm. secundò. Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. dicit, pœnitentem non debere sibi persuadere, quod sit verè coram DEO absolutus, *si Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit:* sed Sacerdos non habens intentionem verba absolutionis Sacramentaliter proferendi non habet animum verè absolvendi: ergo sine tali intentione validè non recipitur Sacramentum pœnitentiæ. Cùm ergo Concil. in particulari Sacramento requirat intentionem faciendi actionem ut Sacramentalem; illam quoque necessariò in universali definitione intelligere debuit.

5. Probatur tertiò. Ut Sacramenta validè conficiantur, requiritur, ut à Ministris conficiantur juxta potestatem iisdem à Christo traditam; sed absque intentione faciendi Sacramentum, Ministri non operantur juxta potestatem à Christo traditam; ergo absque hâc intentione non conficiunt validum Sacramentum. Minor probatur universaliter. Potestas à Christo tradita est ministerialis, instrumentaria & dispensatoria; sed nulla ex his exercetur absque intentione faciendi Sacramentum, seu quod Christus instituit: ergo. Minor quoad primum & secundum membrum probatur: Nemo agit ut Minister & dispensator sui principalis, nisi agat in nomine & persona ipsius: sic enim dispensator alicujus substantiæ constitutus non validè dispensaret, neque dominium substantiæ in alium transferret, nisi dispensaret substantiam nomine & in persona sui principalis: nec aliquis ageret ut Minister, si constitutus ad emendum equum, illum sibi comparare intenderet; sed non agit in nomine & persona ipsius, nisi velit hoc modo agere, ut patet in exemplis adductis, & inde constat, quòd illa potestas subsit libero arbitrio operantis, ut possit velle vel nolle ipsius exercitium. ergo. Eadem min. quoad secundam partem prob. Minister ex potestate sibi divinitùs commissâ est instrumentum animatum DEI; sed non esset tale absque intentione agendi, quod DEUS instituit. ergo. Minor probatur. Sicut ad rationem instrumenti inanimati pertinet agere in virtute causæ principalis, & cum subordinatione ad ipsam absque motu liberi arbitrii, ita ad rationem instrumenti animati pertinet agere in virtute causæ principalis & cum subordinatione ad illam ex motu liberi arbitrii, qui est intentio; sed Minister non operatur in virtute causæ principalis & cum subordinatione ad illam ex intentione, nisi intendat, & velit facere Sacramentum formaliter, nam illa actio & verba Sacramenti, cùm ex se & materialiter spectata sint aliquid naturale, possunt à Ministro proprio nomine & principaliter exerceri: ergo ut Minister operetur tanquam instrumentum animatum, necessaria est intentio faciendi Sacramentum formaliter.

6. Confirmatur. Actio Sacramenti, ut sit valida, debet esse voluntaria & modo humano exercita, sed non est talis absque intentionis faciendi rem sacram ut sacra est, & multò minùs si Minister habeat intentionem positivè contrariam, nempe nullo modo faciendi Sacramentum. ergo. Minor probatur: secundùm illam rationem actio non est voluntaria, secundùm quam voluntas nullo modo in ipsam influit, sed quando Minister nullam vel contrariam habet intentionem faciendi rem sacram, ut sacra est, & practicè significativa gratiæ, voluntas nullo modo influit in illam, secundùm quod est sacra, & practicè significativa gratiæ; ergo etiam illa actio in esse Sacramentalis & practicè significativæ non est voluntaria & humana, adeoque nec fit validum Sacramentum.

Probatur quartò. Quorundam Sacramentorum actus, forma & materia ex institutione Christi & ad sui verificationem requirunt internam intentionem Ministri; ergo sine hâc validè non ponuntur. Antecedens probatur primò. Nihil rectè dicitur fieri in commemorationem, vel memoriam alicujus, nisi per intentionem referatur ad ipsum, sed consecrationem Eucharisticam ita Christus instituit, ut fieret in commemorationem sui: *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis:* ergo ex institutione Christi consecratio Eucharistiæ requirit intentionem internam relativam ad Christum instituentem. Secundò. Sacramentum pœnitentiæ perficitur per formam absolutionis tanquam per sententiam judicialem, in qua exercetur potestas remittendi peccata: sed hæc necessariò includit intentionem remittendi peccata: neque enim judex ex officio agit & profert sententiam absque intentione agendi suum officium; neque potestas judiciaria Sacerdotis, quæ est indifferens ad ligandum & solvendum, ad retinendum & remittendum, potiùs determinatur ad remittenda, quàm retinenda peccata, nisi per intentionem remittendi. Tertiò. Sacramentum matrimonii consistit in mutuo contractu, qui essentialiter requirit internum consensum & voluntatem contrahendi, unde nullum est matrimonium quantumvis contrahentes extrinsecùs simulent consensum, & velint signa extrinseca mutui consensûs ponere, si internè dissentiant. 7.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primò difficilem locum D. August. l. 7. de baptismo c. 53. ubi inter alias varias quæstiones etiam hanc movet: utrùm magis valeat baptismus intra Ecclesiam simulatè datus & acceptus, vel extra Ecclesiam acceptus à mimo derepente ad fidem converso? & inclinat in hanc sententiam, quòd uterque baptismus valeat, addens quòd secundùm Ecclesiæ consuetudinem baptismus inter fideles etiam simulatè datus non soleret repeti, sed excommunicatione vel pœnitentiâ expiari. & quòd hoc sit conforme majorum statutis, quòd illi baptismum habeant, qui illum fallaciter in Ecclesia verâ vel existimatâ receperunt. Insuper absolutè dicit, se non dubitare eos habere baptismum, qui ubicunque & à quibuscunque illum 8.

illum verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliquâ fide accepissent, &c. ergo juxta D. Augustini mentem baptismus simulatè, & consequenter sine intentione Sacramentum ut sic conferendi vel recipiendi datus, vel collatus, vel solummodò per verba Evangelica, hoc est, exteriorem verborum formam consecratus, validè subsistit.

Respondent Suarez, Ysambertus, Dicastillo, aliique, D. Augustinum in hac quæstione dubitanter fuisse locutum, & alicujus generalis vel Nationalis Concilii declarationem desideràsse. Sed contra est, quòd tametsi S. P. loc. cit. ostendat, se dubitare circa duas quæstiones: primò, an baptismus in mimo repentinâ pietate commoto æquè vel magis valeat, quàm si sit in Ecclesia fallaciter datus & acceptus: item an valeat baptismus totus ludicrè, mimicè, & joculariter peractus, ideóque de hoc definitivam sententiam alicujus Concilii Nationalis vel Generalis exspectet; tamen de hâc quæstione, an baptismus in Ecclesia simulatè datus vel acceptus valeat, nequaquam dubitat, sed sentit expressè illum valere, uti constat ex ipsiusmet verbis expressis. Nam primò, post motam quæstionem, an ad frustrandum Sacramentum valeant *illi fallaces à quibus agitur, & in quibus agitur*, subjicit; *& tamen si postea* (hoc est post baptismum simulatè susceptum) *pro datur* (illa simulatio baptismum dantium vel accipientium) *nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Quasi diceret, si simulatio valeret ad frustrandum & irritandum Sacramentum, tunc deberet repeti; sed secundùm Ecclesiæ consuetudinem à nullo repetitur. ergo. Secundò dicit: *præteritis majorum statutis non dubito, etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, &c.* Tertiò. ut primùm retulimus, dicit se nequaquam dubitare, illos habere baptismum, qui illum verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione accepissent, &c.

Itaque meliùs videtur Responderi debere cum Joanne Wigers, hic a. 8. n. 5. S. P. Augustinum non loqui de simulatione & fictione excludente intentionem, sed excludente fidem, cùm nempe aliquis se simulans fidelem, cùm non sit, dat vel accipit baptismum: tota quippe disputatio S. Patris illo loco agitur contra Donatistas, qui volebant baptismum ab infidelibus collatum vel acceptum esse invalidum, ideóque iterandum. Unde Adversariis probandum relinquimus, quòd eo loco intelligatur simulatio, quâ quis sine intentione faciendi Sacramentum formaliter tantùm vult ponere externam actionem Sacramenti. Certè si fictio & simulatio, prout à S. August. accipitur, significaret carentiam internæ intentionis, deberet alicujus Concilii authoritate definitum ostendi, quòd baptismus absque internâ intentione susceptus valeret, cùm S. Pater dicat, hoc esse *conforme præteritis majorum statutis*, sed hujus ne vestigium possunt exhibere Adversarii. ergo. Alter quoque locus, ubi dicitur, valere baptismum verbis Evangelicis consecratum, nihil nobis officit: nam ubi deest intentio faciendi Sacramentum formaliter, ibi nec verba sunt Evangelica, nec consecrativa, sed purè materialiter & naturaliter sonantia, qui proinde locus potiùs facit in rem nostram.

Objiciunt secundò authoritatem D. Th. hîc a. 8. ad 2. dicentis. *Et ideo alii melius dicunt, quòd Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister: in verbis autem, quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri vel recipientis Sacramentum.* Hæc verba, inquit Consensonus, videri sole clariora ad probandum, quòd S. Doctor censuerit, solâ appositione formæ, in quâ exprimitur Ecclesiæ intentio absque alia interna intentione perfici Sacramentum. Dicastillo quoque totus in eo est, ut promptiùs admittat S. Doctorem potiùs sibi ipsi in eod. art. contradicere, quàm quòd illo loco intentionis internæ requirat necessitatem. Similia habet S. Doctor in 4. d. 6. q. 1. a. 2. q. 1. ad 2. sed Respond. quamvis illius responsionis verba, secundùm litteræ corticem spectata, videantur præter intentionem Ecclesiæ in ipsa forma expressam, nullam aliam requirere, mentem tamen D. Th. esse omninò contrariam, ideóque illa verba longè aliter, quàm Adversarii exponunt, posse & debere exponi. Itaque cum Cajet. Soto, & communi non tantùm Thomistarum, sed etiam RR. dico, S. Doctorem respondisse ibidem ad objectionem, quâ inferebatur, quòd si intentio interna requireretur, homo nunquam foret certus, sed semper anxius, an Sacramentum suscepisset: sicut ergo objectio procedit de certitudine Sacramenti validè suscepti; ita & responsio S. Doctoris proportionatè ad objectionem est intelligenda de perfectione Sacramenti non secundùm rem & quo ad se, sed quoad nos & quoad certitudinem moralem; quam eo ipso habet suscipiens, quòd per formam debitè prolatam exprimatur intentio Ecclesiæ. Unde etiam si forma & materia Sacramenti sint debitè applicatæ, in foro externo valor Sacramenti præsumitur. Hinc verò nullo modo excluditur propria interna Ministri intentio, sed potiùs supponitur, neque enim potest exprimi intentio Ecclesiæ, nisi Minister Sacramenta peragat, ut Minister & nomine Ecclesiæ; atqui hoc fit per ipsius Ministri intentionem saltem confusam. Quòd verò Mens S. Doctoris sit, requiri etiam intentionem internam faciendi formaliter Sacramentum, constat sufficienter ex arg. *sed contra.* Corp. Art. & solut. ad 1. Nam in arg. *sed contra* dicit, quòd *quæ fiunt præter intentionem sunt casualia: quod non est dicendum de operatione Sacramentorum.* Atqui si nulla requiritur interna intentio terminata ad esse Sacramenti, ut Sacramentum est, tunc esse Sacramenti est planè præter intentionem Ministri: ergo est casuale. Ex quo benè ulteriùs infert Suarez, etiam non fore inconveniens, ut fieret Sacramentum, quantumvis actio & ritus externus fieret præter intentionē naturalem, & humanam elicientis: v. g. si infans mulieri casu in aquas excideret, illaque subitò proferret formam baptismi. Sequelam probat: quia necessitas intentionis tota desumitur & pendet ab esse

Sacra-

Sacramenti; ergo si ipsum esse Sacramenti casu & præter intentionem operantis fieri non est absurdum; pariter non est absurdum, si cætera fiant præter intentionem. In C. verò articuli dicit, quòd *cùm ea quæ in Sacramento baptismi aguntur, habeant se ad multa, debeant per intentionem abluentis determinari ad Sacramentalem effectum.* Vel ergo ibi loquitur S. Th. de determinatione ad effectum in se ipso & formaliter, vel ut in causa & virtualiter existentem: non in se ipso, ut est communis Theologorum, nec alibi reperitur in D. Doctore: ergo ut est in causa. Sed effectus gratiæ vel characteris in causa est ipsum Sacramentum quà tale; neque enim res & verba baptismi naturaliter spectata sunt causa characteris & gratiæ; ergo juxta S. Doct. debent actiones Sacramenti per intentionem abluentis determinari ad hoc ut sint formaliter Sacramentum, quod utique non fit per intentionem solius actionis materialiter & naturaliter spectatæ.

Tandem in responsione ad 1. ex eo quòd Minister sit instrumentum animatum DEI, infert; ideo requiritur ejus intentio, quâ se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia. Sed per hoc, quòd agat & velit agere ritum externum præcisè, non se subjicit principali agenti & Ecclesiæ, siquidem hoc totum potest suo marte mimus in theatro agere. ergo.

10 Objicit tertiò. Contenson authoritatem, ut inquit, gravissimorum & doctissimorum Theologorum (nostram, inquit, doceri à pluribus Theologis Recentioribus) imprimis Theologorum Sorbonicorum, qui mordicùs hanc suam sententiam tenent. Secundò Magistri sententiarum in 4. d. 27. litt. C. dicentis: si contrahentes consensum verbis explicent, quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt, dicentes: *Accipio te in virum, & ego te in uxorem, matrimonium facit.* ergo infert, ad Sacramentum sufficit intentio seria faciendi ritum externum à Christo & Ecclesia præfinitum. Tertiò Catharini & Salmeronis, è quibus iste l. 1. comment. super ep. D. Pauli 3. p. disp. 2. dicit; publicam Ecclesiæ intentionem baptizandi esse inseparabilem ab ipsis verbis, si integrè, ut debent, proferantur: quibus accedunt Pasqualigus, Arnaldus, Paludanus. Quartò. Angeli de Clavasio, Sylvestri, Viguerii, Esthi, & Scribonii, quos vide apud eundem.

Respond. Paucis authoribus sollicitè conquisitis, è quibus tamen aliqui immeritò pro contraria sententia allegantur, opponi ex parte nostra communem Theologorum non tantùm RR. ut dicit Contenson, sed etiam antiquorum, quos citat Suarez. nempe D. Bonav. Richardi, Scoti, Gabrielis, Durandi, Soti, Victoriæ, Alex. Alensis. Hugonis à S. Victore, &c. quod ad 1. attinet, è Sorbonicis nullum allegat Contensonus, Ylambertus certè celeberrimus Sorbonæ Doctor non tantùm nostram tenet sententiam, sed Adversariorum opinionem ne quidem ab hæreticorum sententia distinguit. ut videre est d. 6. a. 1. 2. 3. Ad secundum Resp. Illam allatam è Magistro sententiam communiter falsam haberi saltem quoad forum conscientiæ & valorem Sacramenti: unde ex illa nihil infertur. Ad tertium conc. illos authores esse contrariæ opinionis, sed quid isti inter tantos? præsertim cum Arnaldus Jansenianæ factionis suspectus habeatur. Ad quartum Resp. Illos omnes authores immeritò citari, nam Sylvester præcisè refert verba D. Thomæ, priùs jam explicata. reliqui loquuntur vel de expressa intentione, vel de præsumptione in foro externo, quod nihil ad rem.

Objic. quartò ex ratione. Si requireretur occulta Ministri intentio faciendi Sacramentum, ut Sacramentum est, nullus esset baptismus ab hæretico, ethnico, Judæo, atheo, mago collatus, quantumvis adhiberet debitam materiam & formam: consequens repugnat definitioni Ecclesiæ contra Donatistas. ergo & antecedens. Sequela probatur. Ille non potest habere occultam intentionem faciendi Sacramentum formaliter ut Sacramentum est, qui rationem Sacramenti non cognoscit, non credit, sed potiùs irridet, & detestatur; sed hæreticus, ethnicus, Judæus, atheus, magus, &c. non credunt, sed irrident & detestantur nostra mysteria. ergo non possunt habere illam intentionem. Minor est certa. Major probatur. Intentio est actus efficax voluntatis essentialiter præsupponens ductum intellectûs: ergo est impossibile ut voluntas tanquam potentia cæca efficaciter intendat Sacramentum, quà tale, quin ipsi ratio Sacramenti repræsentetur ut possibilis per intellectum. 11.

Respond. negando vel dist. seq. maj. si requireretur expressa Ministri intentio tunc talis baptismus saltem frequenter esset invalidus, conc. si implicita & confusa, nego seq Maj. similiter ad probationem. Ille non potest habere occultam intentionem faciendi Sacramentum quà tale, qui rationem Sacramenti nec in se explicitè & expressè, nec in aliquo alio & confusè cognoscit, conc. qui tantùm non cognoscit explicitè & expressè, nego. Itaque modus intentionis sequitur modum cognitionis, & si explicitè cognoscitur & creditur religiositas cæremoniæ Sacramentalis, etiam potest intendi explicitè, sin verò in aliquo alio & æquivalenti confusè & implicitè cognoscitur, tunc etiam intenditur confusè & implicitè. Hoc autem fit, quando Minister Sacramenti cognoscens talem cæremoniam religiosam apud Christianos, intendit facere, quod vel quomodo Christiani faciunt; tunc enim jam confusè intendit ipsam sanctitatem cæremoniæ, quamvis aliâ contrariâ intentione ipsam Christianorum fidem, adeòque & sanctitatem Sacramentorum irrideat & detestetur, de quo deinceps, ubi de concursu contrariarum intentionum dicemus: atqui talem confusam intentionem facillimè potest habere paganus, hæreticus, &c. e. g. Sacerdos apostata quamvis non ampliùs credat præsentiam Christi in Eucharistia, potest tamen intendere eo modo proferre verba consecrationis, quo modo fit in Ecclesia DEI: paganus à catechumeno rogatus, ut sibi more Christianorum baptismum applicet, potest etiam intendere morem Christianorum, in quo implicitè continetur ipsa religiositas Sacramenti.

12 Objic. quintò. Cùm Christus Sacramenta humano modo in Ecclesia tanquam hierarchica Republica peragenda instituerit, eo modo voluit peragi ministeria Sacramentorum, quo modo in Republica humana benè ordinata ministeria validè peraguntur: atqui in Republica validè peraguntur ministeria contractûs, processûs, functiones juridicæ, si non ludicrè & joculariter, sed seriò fiant cum formulis præscriptis, quidquid ministri vel contrahentes interiùs privatâ voluntate & intentione secum cogitent: ergo similiter Christus instituit & voluit validè peragi Sacramenta.

Confirmatur. Minister Sacramenti est velut instrumentum & procurator Christi, sed instrumentum & procurator validè operatur effectum, si operetur, quæ sunt sui muneris & mandati, licèt invitus peragat, & internè potiùs quodcunque aliud velit, quemadmodum patet in Amano, qui reverà Regis Assueri mandatum extrinsecè executus Mardocheum honore affecit, quantumvis internè omni potiùs contumeliâ ipsum afficere intenderet.

Respond. dist. maj. Christus voluit peragi ministeria Sacramentorum ad eum modum, quo modo in Republica benè ordinata peraguntur illa ministeria, in quibus Minister habet potestatem peragendi negotium nomine sui, conc. in quibus Minister tantùm debet exequi, vel referre voluntatem domini per modum nuncii, aut interpretis, nego. Cujus ratio patet ex ratione nostræ conclusionis: sed validè peraguntur ejusmodi ministeria posteriori modo conc. priori, nego min. & consequentiam. Hinc patet solutio ad Confirmationem. Nam Minister est instrumentum animatum, quod (ut inquit cit. S. D.) se ipsum movendo debet subjici causæ principali, & est procurator, qui ex potestate sibi commissa liberè operetur.

Instantia de Amano non est ad rem, sed ipsos Adversarios oppugnat: nam utique Amanus dum Mardôcheum honoraret, volebat exequi mandatum Regis, quod totum consistebat in illa extrinseca cæremonia & exhibitione honoris. Itaque etiam Minister Sacramenti in ejus administratione debet saltem implicitè velle exequi institutionem Christi; atqui institutio Christi est, ut illa actio externa sit signum sacrum practicè significativum & causativum gratiæ, non ut sit præcisè aliquid apparens & extrinsecum: ergo saltem implicitè debet habere intentionem ponendi cæremoniam sacram.

13 Objic. sextò. Si absque occulta intentione, quam defendimus, Sacramenta forent invalida, tunc sæpissimè deberet reiterari baptismus, quotiescunque foret suspicio vel probabilitas de retentione occultæ intentionis; sed hoc est contra communem Ecclesiæ consuetudinem, de qua tamen D. August. l. cit. dicit: *Id solùm securâ voce asserere tutum est, quod in gubernatione Domini DEI nostri & Salvatoris JESU Christi, universalis Ecclesiæ consuetudine roboratum est.* Præterea sequerentur infinita incommoda: posito enim quòd Sacerdos malitiosâ retentione suæ intentionis puerum baptizet; ille postea ordinetur, Sacramenta ministret, imò evadat in Episcopum & alios ordinet, quot sequentur invalida Sacramenta, quanta totius Ecclesiæ turbatio: unde Salmeron dicit, quòd per hanc nostram doctrinam redderetur nobis Ecclesia invisibilis, imaginaria & mathematica, & misera Christiani populi conditio, cùm nunquam possemus esse certi de baptismo, absolutione, ordinatione, ritè susceptis, plurima quoque matrimonia redderentur dubia, cùm sæpè alterutra vel utraque pars contrahentium contrahat ex imperio parentum, quibus reluctari non audet, poterit etiam juvenis, qui cum puella, quam non amat, fictè contraxit, eandem deserere, & aliud matrimonium inire. Et tamen certum est, nullum hucusque matrimonium defectu internæ intentionis fuisse dissolutum.

Respondeo ad primum absurdum negando sequelam. neque enim potest aut debet præsumi defectus intentionis assertæ, quamdiu constat Ministrum Sacramenti ritè omnia fuisse executum, quæ ad ministerium pertinent; cùm hoc ipso quòd quis velit agere ut Minister Ecclesiæ, habeat sufficientem intentionem. Si quo tamen casu constaret, aut esset rationabilis ratio dubitandi, an Minister habuisset intentionem baptizandi (sicuti refertur de celebri mago Lugdunensi in Galliis Godefredo nomine, quòd infantes in nomine dæmonis baptizaverit, non quòd in ipsa forma hanc sacrilegam intentionem exprimeret, sed quia sub nominibus Patris & Filii & Spiritûs S. certa diabolorum nomina subintellexit) tunc procul dubio baptismus esset iterandus, nec dubito ita fuisse quandoque practicatum, quicquid de Galliis Contensonus affirmet.

Ad secundum quoque negatur sequela: siquidem ejusmodi casus est rarissimus, nec facilè divinitùs permittitur. Unde falsum quoque est, Ecclesiam exinde reddi invisibilem & imaginariam, quòd Sacramenta visibilia ex aliqua invisibili conditione pendeant, cùm illa intentio per ipsum Sacramenti exercitium regulariter fiat sensibilis & notoria; sicuti non sequitur, quòd Sacramentum pœnitentiæ sit invisibile, quantumvis dependeat ab interno dolore, non tantùm ut conditione, sed etiam ut parte essentiali. Neque tertium absurdum de matrimoniis sequitur, quia tamdiù præsumitur pro valore matrimonii, quamdiù defectus consensûs interni probari non potest: non potest autem probari, quando consensus verbis sufficienter exprimitur. Nec metus reverentialis parentum quicquam obstat, cùm si non sit metus gravis, nec sit impedimentum dirimens, neque tollat rationem voluntarii. Posito etiam, quòd juvenis fictè consensum expressisset, non ideo posset aliam ducere, quia tenetur internum consensum verbis extrinsecis conformare, & matrimonium, quod defectu interni consensûs nullum fuit, novo consensu firmum efficere.

Cæterùm mirari subit, quomodo Contensonus tam Satyricus & severus probabilitatis impugnator potuerit in mentem inducere, valere matrimonium interno contrahentium consensu destitutum, cùm sanè hæc opinio nec ab authoritate 14

(stant

(stant enim ex opposito communiter tam Theologi, quàm Canonistæ) nec à ratione ullam habeat speciem probabilitatis. Certè verba externa in contrahentibus matrimonium non aliter sunt materia & forma Sacramenti istius, nisi quatenùs continent ipsum consensum internum, suntque ipse consensus sensibiliter manifestatus; atqui cùm quis fictè & mendaciter dicit, se accipere alterum in conjugem, verba non continent consensum, qui nullus est, nec sunt consensus manifestatus, sed falsa & deceptoria simulatio hujus consensûs. quo pacto ergo potest constituere Sacramentum! Hæc causa est, quòd in matrimonio cum tali defectu celebrato, debeat ex post facto defectus ille suppleri per novum consensum saltem aliquo signo & affectu sensibili manifestatum.

15. Objic. septimò. Actio habens vim significativam & causativam gratiæ ex institutione Christi est verissimum Sacramentum. Sed actiones Sacramentales quâcunque intentione positæ habent vim significativam & causativam gratiæ ex institutione Christi: ergo quâcunque intentione positæ sunt vera & valida Sacramenta. Min. prob. tur: eò quòd Eucharistia ex vi consecrationis sit significativa & causativa gratiæ, ideo quâcunque intentione dispensetur, est significativa & causativa gratiæ: ergo pariter quia actio Sacramentalis ex vi institutionis Christi est significativa & productiva gratiæ, erit talis quâcunque fiat intentione, nam sicuti consecratio, ita & institutio Christi est independens ab intentione Ministri. Confirmatur. Minister non facit ipsam significationem, quæ habetur ex institutione Christi, ergo tantùm actum externum; ergo etiam sufficit intentio faciendi actum externum.

Respond. neg. min. nam actiones Sacramentales ex institutione Christi habent vim significandi gratiam dependenter ab intentione & libera effectione Ministri, ad quem illa institutio immediatè dirigitur. Ex quo patet responsio ad probationem; nam Eucharistia quod est Sacramentum in facto esse, vi consecrationis est practicè significativa gratiæ independenter ab intentione dispensationis: nam consecratio non ad dispensantem, sed ad ipsam Eucharistiam immediatè dirigitur; aliàs sequeretur contra Adversarios, quòd sicuti Eucharistia quocunque modo obtingat suscipienti, & etiamsi per accidens & absque seria intentione dantis obveniat, est validum Sacramentum, & habet practicam gratiæ significationem, sic etiam alia Sacramenta etiamsi casu non seriò & absque ulla intentione perficerentur, essent valida. Hinc patet ad Confirm. Nam etsi Minister non faciat significationem, ponit tamen conditionem ad significandum requisitam.

§. III.

Corollaria.

16. COlliges ex dictis primò. Si sit moraliter probabile dubium de recta intentione Ministri faciendi Sacramentum formaliter (ne dum si certò constet de defectu hujus intentionis) Sacramentum baptismi vel Ordinis esse sub conditione repetendum. Est contra Contensonum, qui non tantùm negat Sacramentum esse repetendum, sed audet dicere nostram sententiam non solùm non esse tutam, sed etiam peccandi periculo obnoxiam.

Ratio est primò. Tunc Sacramentum est saltem sub dubio reiterandum, quando est periculum, ne ex ipsius nullitate grave damnum proximo eveniat: sed quando est dubium de nullitate Sacramenti baptismi, vel ordinis, est periculum probabile, ne Sacramentum sit nullum, & exinde gravissima damna proximo oriantur. ergo. Min. sequitur ex dictis: quia Sacramentum destitutum internâ intentione est nullum: ergo si est dubium de intentione, etiam est dubium de nullitate. Quòd verò ex nullitate talis baptismi vel ordinis sequantur gravissima damna proximi, constat ex dictis, estque lippis & tonsoribus notum.

Ratio est secundò. In materia Sacramentorum & ubi agitur de reali & inevitabili damno proximi, certâ lege charitatis vel etiam justitiæ adstringimur, sequi non tantùm partem probabiliorem, sed tutiorem, uti declaratum est ab Innocentio XI. in prop. I atqui in dubio intentionis tutius est, saltem sub conditione reiterare Sacramentum baptismi & ordinis, quàm relinquere hominem in dubio validæ baptizationis & ordinationis, si enim sub conditione iteretur Sacramentum, nulla ipsi fit injuria & irreverentia, cùm supponatur adesse gravis & urgens necessitas proximi ad illud conditionatè applicandum; si verò non iteretur, proximus exponitur gravissimo periculo, ne vel sine Sacramento necessario necessitate medii decedat, vel alia Sacramenta invalidè suscipiat aut conficiat. ergo in dubio debet reiterari Sacramentum saltem sub conditione.

Respondet citatus Contenson; suam sententiam non solùm esse tutam, sed unicam certam, unicam veram, nostram verò non esse tutam occlamans. Ita nempe dicendum erat rigido probabilitatis Censori, ne suis ipse fundamentis & laqueis, quos in dissert. de Conscientia struxerat, caperetur. Sed quo fundamento suam unicam certam potest dicere, quam Suarez & plures gravissimi Authores falsam, aliqui temerariam censent, quam Sorbonista Ylambertus ne quidem ab hæreticorum doctrina distinguit? Certè ex ipsiusmet principiis illa sententia non potest esse certa, quæ ex opposito habet graves authoritates & pondus rationum non facilè solubilium: sed hæc Adversariorum sententia habet oppositam ex nostra parte non tantùm authoritatem gravissimorum & plurimorum Doctorum; sed etiam Conciliorum, si non omninò manifestam, tamen valdè probabilem, nec non rationes maximi ponderis: ipsa quoque Ritualia Episcoporum monent Parochos & Ministros Sacramentorum ad excitandam intentionem, quam docemus: quâ fronte igitur dici potest, quòd nostra sententia non sit tuta, altera verò sit certa & tuta, quæ ne quidem certæ probabilitatis & etiam extra materiam Sacramentorum ad tranquillandam conscientiam sufficientis, notas habet! Ex quo vides, quantopere arcum remittant rigorosi Probabilioristæ, quando ad alias materias tractandas perveniunt, quem in tractatu de conscientia tam arctè intendunt.

17. Colliges secundò. Defectum intentionis Ministri non suppleri à DEO, ut existimabant nonnulli antiqui, quia nullum est fundamentum hoc asserendi, & econtrà constat, baptismum ita esse de necessitate medii, ut infantes absque baptismo fluminis, vel sanguinis non possint introire in regnum DEI, prout habet S. D. hîc q. 68. a. 1. & infra q. 73. a. 3. in c. dicens: rem Sacramenti non posse percipi sine perceptione Sacramenti.

ARTICULUS V.

Qualis debeat esse Ministri intentio.

SUMMARIA.

1. *Varia divisiones intentionis.*
2. *Ad valorem Sacramenti in Ministro non sufficit intentio tantùm habitualis.*
3. *Sed requiritur saltem virtualis.*
4. *Objectiuncula quædam diluuntur.*
5. *Intentio non debet necessariò esse expressa.*
6. *Neque reflexa.*
7. *Ad validam ministrationem Sacramenti (extra Sacramentum matrimonii) requiritur intentio formaliter, vel æquivalenter absoluta.*
8. *Hinc valet Sacramentum datum sub conditione, quæ de facto subsistit.*
9. *Conditio de futuro extra Sacramentum matrimonii impedit valorem ipsius.*
10. *Sicut & conditio impossibilis.*
11. *Et conditio dependens à valore ipsius Sacramenti.*
12. *Non obest valori Sacramenti, si conditio apposita humanitùs nequeat deprehendi.*
13. *Intentio debet fieri in materiam & subjectum determinatum.*
14. *Qualis debeat esse determinatio?*
15. *Intentio non est pars intrinseca Sacramenti.*
16. *Respondetur ad fundamentum Adversariorum.*
17. *Quibus modis intentiones possint sibi esse contraria.*
18. *Quid dicendum, si intentiones contrariæ sint æqualiter efficaces? vel successiva?*
19. *Quid si sint inæqualiter efficaces, & simultanea?*

§. I.

An sufficiat habitualis intentio Ministri?

1. NOtandum. Intentionem variè dividi. Unde primò alia est intentio directa, quâ aliquid in se ipso immediatè intenditur; alia indirecta, quàm subinde etiam vocant interpretativam, quâ quid intenditur in sua causa, quam quis liberè ponit, prævidens talem effectum exinde secuturum: ut si quis se inebriet, prævidens, se in ebrietate rixas habiturum. Secundò, Alia est actualis, sive formalis, hoc est ipse actus intentionis in se formaliter existens: quæ rursùs dividitur in actualem reflexam, seu in actu signato, cùm quis ipsam intentionem cognitam vult elicere; & in actu exercito, cùm quis sciens volens Sacramentum conficit: Alia virtualis, hoc est actus præteritus intentionis non quidem ampliùs in se ipso formaliter, in aliqua tamen virtute & impressione à se relicta præsens & in effectum influens: solet enim ex efficaci intentione alicujus operis tum intellectus & phantasia, tum exterior potentia executiva in membris corporeis residens recipere quandam impressionem, vi cujus movetur homo ad opus peragendum quod primò intenderat, quamvis illud actualiter non ampliùs intendat. e. g. qui in dominicæ passionis honorem intendit facere disciplinam, & ex hac intentione se operi accingit, quamvis postea de hoc nihil cogitet, dicitur tamen habere intentionem virtualem hujus operis, quia illud procedit ex impressione per primam intentionem relictâ; unde etiam tale opus fit ipsi meritorium. Tandem alia est intentio habitualis, hoc est intentio præcisè non retractata, qualem v. g. habet, qui pridie habens intentionem Petro applicandi fructum crastini sacrificii, sequenti die celebrat, nihil ampliùs de hac applicatione cogitans: quæ intentio per hoc distinguitur à priori, quod per nullam virtutem & effectum à se relictum influat in opus. Tertiò. Alia est intentio absoluta, & pura, nulli nimirum conditioni alligata; alia conditionata, habens annexam conditionem; v. g. volo te ducere in conjugem, si hanc & hanc dotem dabis, &c. Porrò conditiones aliquæ sunt de præsenti, ut si es debitè dispositus, te absolvo, aliquæ de præterito, ut si pater tuus consensit, te duco, aliquæ de futuro, ut si pater consentiet, si impetrabis dispensationem. His positis sit

CONCLUSIO. *Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio merè habitualis & interpretativa* 2.
(II.) nec tamen est necessaria formalis & actualis, licèt sit summè laudabilis (III.) sed sufficit etiam intentio virtualis Colligitur ex S. D. q. 64. a. 8. ad 3.

Ratio primæ partis est: Actio Sacramentalis juxta institutionem Christi debet esse actio in se humana & deliberata: ita quippe colligitur è praxi Ecclesiæ & reverentia Sacramenti, quæ exigit, ut Minister ita operetur Sacramentum, ut possit esse certus de determinata materia; sed actio conjuncta cum intentione habituali aut ex interpretativa voluntate procedens non est in se humana & deliberata, quia nullus actus voluntatis in illam influere supponitur, ergò non potest esse actio sacramentalis. Unde si quis sciens se solitum in ebrietate verba baptismi vel consecrationis pronunciare, in hunc finem se inebriaret, & panem consecrationi idoneum apponeret, non ideo conficeret Sacramentum, quia illa pronunciatio non est in se humana & deliberata, sed tantùm in sua causa.

Ratio secundæ & tertiæ partis est: Illam intentionem Christus requisivit in Ministro, quæ modo communi operandi hominum est accommodata, non nimiùm difficilis & in morali potestate Ministri constituta; atqui non est in morali facultate hominis, & valdè difficile, ut habeat semper formalem & actualem intentionem, habere autem inten- 3.

ten-

tentionem virtualem est accommodatum morali & communi hominum agendi modo, eáque censetur sufficiens ad operationem in se humanam & deliberatam: ergo ad valorem Sacramenti non est necessaria intentio actualis & formalis, sed sufficit etiam virtualis: quamvis, ut in conclusione dictum, sit laudabile, eóque propter reverentiam Sacramenti Minister adniti debeat, ut habeat intentionem formalem & actualem, prout exhortantur & monent Ritualia.

4. Objic. primò textum S. Doctoris, hîc a. 8. ad 3. dicentis; *intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti.* Secundò. Voluntas habitualis sufficit ad applicandum fructum sacrificii; ergo etiam ad confectionem Sacramenti. Tertiò. Ut aliqua actio sit imputabilis, sufficit esse voluntariam in causa, unde multi probabiliter docent, quòd, qui sciens se in ebrietate blasphemare, se inebriat, etiam tunc peccet, cùm in ebrietate blasphemat. ergo etiam ad validam confectionem Sacramenti sufficit voluntarium in causa.

Respondeo ad I. ly *habituale* illo loco esse accipiendum pro virtuali, uti patet ex aliis locis S. D. in quibus requirit intentionem virtualem. Imò Thomistæ communiter respondent, hunc locum esse librariorum negligentiâ vitiatum, qui pro voce *virtualis* abbreviatâ, legerunt & perperam descripserunt *habitualis.* Ad secundum. Disparitas est, quòd applicatio fructûs sacrificii, sit quædam conditionata donatio, in qua applicans dicit: Cedo vel dono tibi fructum sacrificii, si illud cras obtulero. Atqui res donata transit in dominium donatarii impletâ conditione, quamvis donationis actus non ampliùs formaliter in se existat. At verò confectio Sacramenti debet esse actio in se libera & humana, qualis esse non potest vi intentionis merè habitualis. Ad tertium, permisso antecedente, disparitas est: quòd institutio Christi, quam ex communi sensu & praxi Ecclesiæ colligimus, ita determinaverit, ut actio Sacramenti, in quâ homo operatur in persona ipsius Christi, substaret libero arbitrio, & fieret in tali statu, in quo homo posset formare prudens judicium de aptitudine, certitudine, applicatione materiæ, quod non reperitur in peccatis, quæ etiam imputantur, & sunt interpretativè voluntaria, cùm quis ad ea vitanda non adhibuerit diligentiam, quam poterat & debebat adhibere.

5. Colliges ex dictis: intentionem prædictam actualem, seu virtualem non necessariò debere esse expressam & explicitam, ut nimirum quis in sua intentione explicet & expresè feratur in hoc objectum, quod est facere Sacramentum quà tale, sed sufficere implicitam, ita nimirum, ut vel actualiter vel virtualiter intendat facere aliquid æquivalenter, in quo fusè continetur ipsa ratio Sacramenti, veluti si velit facere, quod Christus instituit, quod Ecclesia facit, quod sibi ex officio incumbit, si baptizans velit facere hominem Christianum, &c. Constat ex dictis, neque enim Concilia requirunt majorem intentionem, quàm faciendi, quod facit Ecclesia.

6. Colliges secundò. Optimam esse intentionem actualem, non tamen necessariò reflexam, quâ dicas v. g. ego habeo intentionem vel volo habere intentionem, &c. sed in actu exercito, quâ tibi præsens & attentus ad exercitium ipsius Sacramenti, illud reverenter & devotè obeas.

Colliges tertiò. Intentionem virtualem faciendi Sacramentum saltem implicitè haberi à Ministro Sacramenti, qui ad illud vocatus sacras vestes induit, &c. dummodò contrariam intentionem non habeat; hoc ipso enim in actu exercito vult agere ut Minister, &, quod sibi ex officio competit, sed hoc est facere Sacramentum. ergo. Ita communiter DD.

§. II.

Debeátne intentio Ministri esse absoluta & determinata?

Quæres secundò. An ad Sacramentum validè conficiendum requiratur intentio absoluta? 7.

Respondeo: ad validam confectionem Sacramenti requiritur intentio absoluta, vel talis conditionata, quæ statim transeat in absolutam, ideóque æquivalet absolutæ. Ita DD. communiter.

Ratio est: quòd cùm Sacramenta sint signa practica & operativa, etiam intentio illa conficiendi debet esse efficaciter operativa: sed talis est solùm intentio formaliter vel æquivalenter absoluta: nam voluntas conditionata conditione non existente nil ponit in esse.

Hinc sequitur primò. Si Sacramentum conferatur sub conditione de præterito vel præsenti, quæ de facto subsistit, valere Sacramentum: 8. ut v. g. *si non es baptizatus, ego te baptizo. Si debitè es dispositus, ego te absolvo*: istæ enim conditiones si subsistant, non impediunt, neque suspendunt efficaciam Sacramenti. Advertendum tamen pro praxi, hujusmodi conditiones non nisi ex rationabili causa & dubio esse apponendas; ut fit in baptismo, si Parochus prudenter dubitat, an ab obstetrice fuerit integrè collatus; si Sacerdos prudenter dubitat, num puer habeat sufficientem rationis usum & dolorem de peccatis, tunc enim rectè apponitur talis conditio, quæ tamen in Sacramento pœnitentiæ non ore, sed mente debet exprimi, ne pœnitens turbetur.

Sequitur secundò. Conditionem de futuro obesse valori Sacramenti, excepto matrimonio, 9. quod quia sequitur naturam contractûs, ideò in probabili sententiâ tunc fit Sacramentum, quando conditione impletâ ipse contractus purificatur & consolidatur. Ratio est: quòd sit contra naturam Sacramenti in suo usu efficaciter operativi, ut suspendat suum effectum producendum, pro quo tempore non existit; sed suspenderet suum effectum ratione appositæ conconditionis producendum, pro quo tempore non ampliùs existit. ergo.

Dices: Valet baptismus sub tali forma conditionali: *baptizo te, si cras sol oriatur*: ergo valet baptismus datus sub conditione de futuro. Resp.

Resp. valet baptismus, si baptizans intendat suspendere baptismi effectum & valorem quousque sol oriatur, nego. si juxta usitatiorem loquendi modum, tantùm velit significare, se tam certò conferre baptismum, quàm Sol cras sit oriturus, conc. tunc enim intentio est æquivalenter absoluta.

10. Sequitur tertiò. Sacramentum collatū sub conditione impossibili esse nullum, quia intentio tali conditione affecta nunquam potest transire in absolutam, nec proinde esse efficaciter operativa. Excepto Sacramento matrimonii, in quo per c. fin. *de conditionibus appositis* Talis conditio præsumitur joco tantùm apposita, & ideò habetur pro nulla, quamdiu non constat, quòd talis conditio seriò fuerit apposita, vel ab ignaro hujus impossibilitatis & legis illam à contractu rejicientis.

11. Sequitur quartò. Conditionem dependentem ab ipsius formæ valididate tollere valorem Sacramenti, ut si dicas: *Baptizo te, si DEVS scit, hunc baptismum tibi profuturum ad salutem:* cùm enim hujus conditionis purificatio dependeat ab ipso valore baptismi, ideóque detetur in eodem genere causæ mutua prioritas, quia valor Sacramenti penderet à purificatione conditionis, & illa ipsa penderet à valore baptismi; cùm aliàs DEUS baptismum profuturum videre non possit.

12. Sequitur quintò. Non officere valori Sacramenti, si conditio de præterito vel de præsenti humano modo deprehendi non possit. e. g. si quis dicat: *ego te baptizo, si es prædestinatus, &c.* Tunc enim licèt Minister graviter peccet, quia tamen, si conditio præsens de facto subsistat, intentio conditionata transit in absolutam, nihil est, quod remoretur valorem baptismi, sicuti non impeditur valor baptismi collati sub conditione de præterito, *si antea non es baptizatus*, quantumvis in ejus notitiam humanitùs deveniri nequeat.

13. Quæres tertiò. An intentio Ministri debeat ferri in materiam & subjectum determinatum?

Respondeo affirmativè quoad utramque partem, & patet primò ex formis Sacramentorum, quæ significant materiam & subjectum determinatum; *hoc est, ego te, &c.* Patet secundò, quia Sacramenta sunt determinatè significativa & causativa sui effectûs; sed talia esse non possunt, nisi in determinata materia & forma, & quatenus applicata determinato subjecto, veluti constat in aliis signis & causis naturalibus. ergo necesse est, ut Minister ex eâ potestate, quâ conficitur Sacramentum, etiam determinet materiam & formam Sacramenti seu signi sensibilis causativi gratiæ.

14. Porrò hæc determinatio potest esse duplex: modo latiori, & strictiori. Modo latiori, cùm intentio Ministri fertur in materiam, vel subjectum, quatenus sibi hîc & nunc legitimè præsens est. v. g. Sacerdos vult consecrare omnem materiam consecrabilem, sibi hic & nunc legitimè præsentem, sive sit una, sive plures; vult absolvere pœnitentem sibi debitè præsentem, sive sit Petrus sive Paulus; vult baptizare infantem sive sit masculus, sive fœmina. Modo strictiori fit, cùm intentio Ministri fertur in materiam, vel subjectum quà tale in individuo, v. g. Sacerdos vult consecrare hanc solam hostiam, quam manibus tenet, vult tantùm absolvere Petrum, tantùm baptizari masculum, &c. Prior determinatio intentionis ad materiam extra matrimonium est sufficiens ad valorem Sacramenti, & à Ministro adhibenda; unde licita & valida erit consecratio plurium hostiarum præsentium super corporale, modò habeas intentionem omnem materiam debitè præsentem consecrandi, tametsi non advertas illas adesse, validus erit baptismus, si baptizes femellam, existimans esse masculum, si absolvas Petrum existimans esse Paulum; neque debet Minister suam intentionem arctiùs restringere propter periculum errandi in valida collatione Sacramenti, si cùm vellet determinatè Paulum absolvere, subesset Petrus, &c. In matrimonio verò requiritur strictior illa intentionis determinatio, ibi enim ex naturâ contractûs in quo contrahentes sibi mutuò Jus tradunt in suum corpus, ita alligatur intentio ad hanc individuam personam, & ut si contingat error in persona, censeatur esse error substantialis invalidans contractum & Sacramentum matrimonii.

Hinc colliges: Nullam fore consecrationem, si inter plures hostias ante se constitutas Sacerdos unam indeterminatè, vel in unâ integrâ hostia vellet medietatem ipsius indesignatè & indeterminatè consecrare. Nullum quoque fore baptismum, si baptizans supra plures aquam effundens unum alterúmve ex iis indeterminatè vellet baptizare.

Quæres quartò. An intentio Ministri sit pars intrinseca Sacramenti. Ad hanc quæstionem exigui momenti à quibusdam RR. multis agitatam Resp. negativè. Cujus ratio est primò, quia compositi Sacramentalis nulla est pars intrinseca præter materiam & formam (intentio nec est unio, nec esse potest, cùm nullam à materia & forma distinctam admittamus) intentio neutrum est, sed superadditur utrique, veluti in terminis habet Florent. in Decr. un. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Secundò. Quia, ut patet, eodem modo Concil. loquitur de Ministro, sicuti de intentione, sed ille non est pars intrinseca, sed causa extrinseca efficiens Sacramenti; ergo etiam intentio non est pars intrinseca, sed conditio extrinseca pertinens ad causam efficientem. Tertiò. Quia sine fundamento dicitur, quòd intentio sit à Christo elevata ad esse significativum & causativum gratiæ; atqui nulla est pars intrinseca Sacramenti constitutiva, quæ non sit elevata ad hoc esse. ergo. Quartò. Quia nullum est fundamentum Adversariorum è Regulis partium petitum, quòd non positâ intentione Ministri non ponatur Sacramentum. Hinc enim sequeretur etiam ipsum Ministrum & peccata in Sacramento pœnitentiæ esse partes intrinsecas ipsius, quia non posito Ministro nec peccatis personali-

Item

Item creaturæ possibiles essent partes intrinsecè constitutivæ omnipotentiæ Divinæ, quia hæc implicante possibilitate creaturarum esse non potest.

16. Unde illud fundamentum, *quo non posito res non ponitur, est intrinsecè constitutivum ipsius* vel negatur vel distinguitur: quo non posito tanquam ratione à priori, vel intrinsecè componente (RR. modò vocant per locum intrinsecum) res non ponitur, conc. tanquam conditione essentialiter requisitâ (seu per locum extrinsecum) sic nego sed non positâ intentione non ponitur Sacramentum, tanquam per locum extrinsecum & per modum conditionis essentialiter requisitæ ex parte causæ efficientis conc. tanquam per locum intrinsecum, &c. nego.

17. Quæres quintò. Quomodo vel quando in concursu duarum contrariarum intentionum possit fieri validum Sacramentum?

Loquimur de contrarietate intentionum consistente cum debita applicatione materiæ & formæ Sacramentalis, nam si mutatio vel error exterior circa istas contingat, quid sit sentiendum, patet ex iis, quæ supra diximus. Hæc porrò contrarietas fit, cùm Minister Sacramenti vel simul, vel successivè habet 2. intentiones, quarum una videtur alteram destruere, ex. gr. vult consecrare Eucharistiam, sed non offerre sacrificium, cùm tamen unum ab altero sit inseparabile: vult verè baptizare, & conferre Sacramentum à Christo institutum, sed non quod confert Ecclesia Romana: vult verè contrahere matrimonium, sed non facere Sacramentum, quia erroneè existimat non esse Sacramentum. Illæ intentiones contrariæ vel possunt inter se esse æquales, vel inæquales; ita ut una sit efficacior alterâ: Illa efficacior & appretiativè major illa dicitur, per quam intendens ita versatur circa suum objectum, ut si sciret alteram intentionem esse contrariam, eandem deponeret, e. g. velle baptizare, ut Christus instituit, & nolle baptizare, prout Romana baptizat Ecclesia, sunt intentiones contrariæ; si baptizans ita sit constitutus, ut deponeret hanc posteriorem intentionem, posito, quòd sciret institutionem Christi & baptismum Romanæ Ecclesiæ coincidere in idem, tunc prima intentio erit efficacior & prævalebit posteriori; si verò sit ita constitutus, ut tametsi sciret eundem esse baptismum, quem Christus instituit, & confert Romana Ecclesia, odio tamen Romanæ Ecclesiæ potiùs nollet conferre baptismum, quàm sicut Romana confert Ecclesia, tunc posterior intentio derogaret priori. Cujus ratio est: quia intentio efficax est absoluta per se & simpliciter voluntaria; econtrà intentio inefficax est per accidens, virtualiter conditionata, & involuntaria secundùm quid, quia involvit hanc conditionem, si scirem baptismum Ecclesiæ Romanæ esse à Christo institutum, vellem illum conferre. Atqui voluntarium simpliciter & absolutum prævalet involuntario secundùm quid & conditionato tantùm, uti suppono ex act. hum. ergo. His positis

Resp. primò. Si duæ intentiones contrariæ, quoad efficaciam æquales (quod tamen in praxi vix contingit) simul concurrant, nullum fit Sacramentum; si verò successivè concurrant, posterior derogat priori, ut proinde si posterior sit erronea, nullum fit Sacramentum. Ita Reding, de Lugo, aliique. 18.

Ratio primæ partis est: quia cùm impeditur influxus intentionis efficacis in Sacramentum, nullum fit Sacramentum; sed in hoc casu impeditur influxus intentionis efficacis per oppositam intentionem erroneam æquè efficacem. ergo.

Ratio secundæ partis est: quia cæteris paribus voluntas posterior contraria est implicitè retractatio voluntatis anterioris: Dixi tamen, quòd talis æqualitas efficaciæ vix in praxi contingat: quia nisi intercedat specialis pertinacia hæresis, ordinariè & regulariter voluntas universalior & publica est efficacior & potentior, quàm privata & erronea; qua de causa etiam baptismus hæreticorum servatis servandis præsumitur esse validus, tametsi propter apostasiam ab Ecclesia Romana facillimè accedat erronea intentio non faciendi, quod faciunt Romano-Catholici.

Resp. secundò. Si in intentionibus simultaneè contrariis erronea & destructiva Sacramenti sit efficacior, nullum fit Sacramenrum; secùs, si sit minùs efficax. 19.

Patet ex dictis. Quando enim abest intentio efficax faciendi Sacramentum, non fit Sacramentum, uti econtra fit, quando adest, & cætera requisita ponuntur; atqui si erronea intentio, v. g. non baptizandi ut Ecclesia Romana, non ponendi Corpus Christi in Eucharistia, est efficacior, quàm intentio rectè, ut Christus instituit, baptizandi, rectè Sacramentum Eucharistiæ constituendi, abest intentio efficax faciendi Sacramentum: siquidem recta intentio destruitur per erroneam intentionem, quâ quis implicitè non vult facere Sacramentum. ergo. Econtra si intentio erronea est minùs efficax, hoc ipso remanet influxus rectæ intentionis & fit Sacramentum.

ARTICULUS VI.

Quando requiratur status gratiæ ad Sacramentum licitè conficiendum, vel ministrandum?

SUMMARIA.

1. *Alius minister solennitatis, alius necessitatis.*
2. *Minister solennitatis peccat mortaliter in statu peccati mortalis Sacramentum ministrans.*
3. *Rationes assertionis.*
4. *Minister necessitatis probabiliter non peccat mortaliter, Sacramentum baptismi ministrans cum conscientia peccati mortalis.*
5. *Fundamento opposita sententia respondetur.*
6. *Etiam Sacerdos in necessitate cum peccato mortali baptizans non committit sacrilegium.*
7. *Conjuges in peccato mortali contrahentes peccant non ut ministrantes, sed ut recipientes Sacramentum.*
8. *Parochus assistens matrimonio in statu peccati non peccat.*
9. *Extra baptismum Sacerdos est Minister solennitatis.*

10. 11. *Audiendo confessionem, & imponendo pœnitentiam in statu peccati, Sacerdos probabiliter non peccat.*
12. *Exercitia SS. Ordinum extra confectionem Sacramenti probabiliter non requirunt statū gratiæ.*
13. *Opposita tamen sententia est probabilior.*
14. *Nunquam licet petere Sacramentum à Ministro invalidè ministraturo.*
15. *Neque extra casum necessitatis ab excommunicatis non toleratis, degradatis, &c.*
16. *Ab excommunicato tolerato licet petere aut recipere Sacramentum urgente notabili necessitate, vel utilitate.*
17. *Non extra casum necessitatis, vel notabilis utilitatis.*
18. *Licet etiam in simili casu petere & accipere Sacramenta à ministraturo in peccato mortali.*
19. *Solvuntur quædam objectiones.*

§. I.

Quid dicendum de Ministro solennitatis?

1. JAm superiùs ex D. August. contra Donatistas indicavimus, morum probitatem in Ministro non requiri ad validam Sacramenti confectionem & administrationem, prout definivit etiam S. Synodus Tridentina Sess. 7. Can. 12. estque in Ecclesia Catholica perpetuo usu & traditione observatum. Igitur hoc loco quærimus, quomodo ejusdem Ministri probitas ad licitam Sacramentorum administrationem requiratur. Ubi

Notandum. Duplicem dari Ministrum Sacramentorum, unum solennitatis, & alterum necessitatis. Minister solennitatis ille dicitur, qui ex certo officio & speciali consecratione ad Sacramenta ministranda deputatur, qualis est Sacerdos consecrans, Episcopus ordinans, &c. Minister necessitatis est, qui in casu necessitatis Sacramentum administrat absque speciali consecratione & deputatione ad tale ministerium, uti cùm in casu necessitatis Laicus infantem baptizat. Itaque sit,

2. CONCLUSIO. *Minister solennitatis conficiendo aliquod Sacramentum in statu & cum conscientia peccati mortalis peccat gravi peccato sacrilegii.* Ita communis Theologorum cum D. Th. hîc q. 64. a. 6.

Probatur primò authoritate SS. PP. D. Dionysii relati à S. Doctore in arg. sed contra & D. August. l. 2. contra Epist. Parmenian. c. 10. dicentis: *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Item authoritate SS. Canonum ex *c. quæsitum fin. de temporibus ordin.* ubi Gregorius IX. dicit: quòd *Sacerdotes, vel alii Clerici si non pœnituerint, monendi sint, & sub interminatione Divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.*

3. Probatur secundò ratione. Ille committit grave peccatum sacrilegii, qui committit irreverentiam contra gravem obligationem virtutis religionis, sed qui tanquam Minister ex officio conficit Sacramentum in statu & cum conscientia peccati mortalis, committit irreverentiam contra gravem obligationem religionis, ergo. Minor probatur. eo ipso quòd aliquis sit specialiter deputatus in ministerium Christi, ut ipsius nomine & tanquam instrumentum animatum ipsius concurrat ad rei tam sanctæ (qualis est Sacramentum) confectionem, & animarum sanctificationem, ex natura rei per virtutem religionis obligatur, ut se conformet in sanctitate suo agenti principali Christo Domino: si enim Sacerdotibus antiqui testamenti dictum Ex. 19. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* & Levit. 19. *Estote sancti, quemadmodum ego sanctus sum.* Quantò majorem & majori jure Christus à Sacerdotibus novi testamenti requirit sanctitatem, tanquam suis instrumentis animatis? sed hæc obligatio non potest esse levis, nam præceptum ex radice gravi & in re gravi graviter obligat, sed hoc est præceptum negativum ex radice gravi, nempe ex consecratione, per quam Sacerdos accipit participationem Sacerdotii ipsius Christi & in re gravi, qualis est conficere Sacramentum, quod est res sacrosancta tam comparatione instituentis, & virtutem spiritualem gratiæ causativam imprimentis Christi, quàm etiam comparatione gratiæ producendæ, & filiationis adoptivæ. Unde est illud D. Dionysii axioma, *Omnium divinorum divinissimum esse cooperari in salutem animarum.* ergo hoc præceptum graviter obligat.

Confirmatur primò. Magna esset irreverentia contra Principem, si ad solenniter tractandum grave negotium ipsius assumeretur Persona rebellis & ipsi invisa: ergo hoc multò magis, si peccator ex officio nomine Christi ministret Sacramenta. Confirmatur secundò. Nemo negat, quin Persona privata, ut Minister necessitatis ministrando Sacramentum scienter in statu peccati saltem committat venialem irreverentiam: ergo cùm longè sit major obligatio in ministro solennitatis, is committit peccatum mortale.

CONCLUSIO II. *Probabile est, Ministrum necessitatis, non peccare mortaliter, si scienter in statu peccati ministrat baptismum.* 4.

Conclusio potest in duplici sensu intelligi, primò ut tanta sit necessitas, quæ non permittat spatium, ut minister se satis recolligat ad eliciendam contritionem, quo casu utique præponenda est necessitas infantis baptizandi reverentiæ Sacramenti. Vel quòd sit quidem sufficiens spatium ad eliciendam contritionem, non tamen ad solenniter baptizandum, & de hoc variant Authores, utrinque probabiliter. Graviter peccare sive Sacerdotem, sive Laicum, quando agit ministrum necessitatis sine conatu ad procurandum statum gratiæ, docent multi graves Auth. Vasq. Basil. Pon. Navarr. Ledesma, Card. de Lugo. & ratio desumitur ex præced. conclusione, quia quantumvis non ex officio, sed ex necessitate ministretur Sacramentum, tamen videtur esse res & titulus gravis, subordinari Christo ut principali agenti ipsumque Sacramentum sanctificanti per modum dispensatoris ministri, & instrumenti animati in ordine ad sanctificationem animarum: atqui præcepta negativa in re gravi graviter obligant: ergo etiam minister necessitatis graviter obligatur in sanctitate sese conformare Christo ut Ministro principali.

Non

Non peccare mortaliter videtur dicere S. Doctor. art. cit. ad 3. dicens: *In articulo tamen necessitatis* (Sacerdos) *non peccaret baptizando, in casu, quo etiam laicus posset baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitati patientis.* Cum S. Doctore communiter sentiunt Thomistæ & Suar. d. 16. 1. 4. Sylvester, Tamburinus, Sangallenses q. 4. dub. 3. Ratio à S. Doctore insinuata est, quòd tametsi Ministerii & Sacramenti sanctitas sit gravis titulus, tamen potiùs in illo subjecto videtur esse gravis, cui per se ex speciali consecratione & gratia hoc ministerium competit, quàm in illo, in quo se habet tantùm ex accidenti, & quasi permissivè ad succurrendum proximi necessitati. Sed in ministro necessitatis se tantùm habet permissivè, & ex accidenti. ergo. Unde licèt iste quoque exerceat Ministerium Sacramenti, tamen exercet solùm extraordinariâ quâdam permissione, & generali, non speciali ratione, & titulo ordinario. Nec proinde grave onus & obligatio Ministro necessitatis videtur imposita; præsertim cùm Canones & PP. tantùm loquantur de ministris consecratis, neque ratio sit tam clara, ut ad alios quoque extendi debeat.

5. Ad fundamentum oppositæ sententiæ & disparitatem reddendam, Respondeo: ministrare Sacramentum est res & titulus gravis in ordine ad animæ sanctitatem procurandam in ministro, cui per se specialiter convenit, hoc ministrare, conc. cui per accidens quodammodo & propter necessitatem proximi, nego. tunc enim magis attenditur necessitas recipientis, quàm dignitas Sacramenti, ut proinde adæquatus titulus hujus obligationis non sit sola sanctitas ministerii, quatenus per se impositi. Ex cujus sententiæ probabilis suppositione cum S. Doctore.

§. II.

Corollaria.

6. COlliges primò. Sacerdotem in necessitate baptizantem cum peccato mortali non committere sacrilegium: quia tunc baptismum non confert tanquam ex officio, ut Minister solennitatis, potestas quoque Sacerdotalis se habet per accidens.

7. Colliges secundò. Conjuges in statu peccati mortalis matrimonium contrahentes peccare mortaliter quatenus hoc Sacramentum indignè recipiunt, probabiliter tamen non graviter peccare, quatenus illud sibi mutuò ministrant, cùm ad hoc ministerium nulla speciali consecratione deputentur.

8. Colliges tertiò. Parochum in statu peccati mortalis assistentem matrimonio non exinde contrahere lethalem culpam, quia non conficit Sacramentum, sed assistit tanquam testis publicus.

9. Colliges quartò. Sacerdotem in solo Sacramento baptismi conferendo posse se gerere instar laici, & ut Ministrum necessitatis: in reliquis quippe Sacramentis, quæ à laico conferri nequeunt, semper se gerit ut specialiter consecratum, eáque non sunt tantæ necessitatis, quemadmodum baptismus. Unde etiam S. Doctor l. 1. cit. subjungit: *secus est autem in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus.*

Colliges quintò. Sacerdotem in statu peccati mortalis audientem confessionem probabiliter non peccare mortaliter, dummodò habeat propositum ante absolutionem eliciendi actum contritionis. Ita contra Gonet tradunt Henriq. de Lugo, Reding, aliique. Ratio est, quòd in audienda confessione Sacerdos non se habeat activè, sed passivè & audire confessionem non sit ipsum ministerium Sacramenti: sed aliquid prævié requisitum, ut possit à peccatis absolvere. Unde 10.

Colliges sextò. Probabiliter etiam non peccare graviter Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis Sacramentalem pœnitentiam injungit; quia Ministerium Sacramenti propriè est actio causativa gratiæ, qualis non est illa pœnitentiæ impositio. 11.

Colliges septimò. Probabiliter non peccari mortaliter, cùm in statu peccati mortalis exercentur actus & ministeria sacrorum Ordinum diversa ab administratione, seu confectione Sacramentorum, ut est in Sacerdote vel Diacono ministrare & distribuere S. Eucharistiam, eâdem populum benedicere, illam tangere, &c. item in Diacono & Subdiacono assistere celebranti, cantare Evangelium, Epistolam, &c. in Episcopo (de inferioribus non Sacris Ordinibus minus est dubium) consecrare S. Chrisma, & S. Oleum, Ecclesias, calices, campanas, altaria, SS. vasa, Abbates benedicere, &c. in Parocho publicè deferre S. Eucharistiam, &c. Ita Sylvius, Vasquez, Ledesma, Nugnus, Sera, aliique, quos citat & sequitur Diana p. 2. tr. 14. Ratio est: quod quamvis isti actus exerceantur ex speciali consecratione, tamen non sunt actus productivi sanctitatis internæ, & confectivi alicujus Sacramenti. Nam hi actus vel non sunt propriè Sacramentales, eò quòd nec immediatè, nec mediatè influant in gratiam sanctificantem, nec proinde sint actiones dispensativæ meritorum Christi, vel tantùm sunt applicationes Sacramentorum: ut est distributio Eucharistiæ. Sed tales actus, quibus mediantibus non fit influxus in gratiam sanctificantem, non videtur ex naturâ rei exigere statum gratiæ, sed solummodò ex quâdam decentiâ & congruitate; ergo non est gravis obligatio sub mortali, sed tantummodò levis sub veniali, propter aliquam saltem irreverentiam. Hæc sententia habetur pro probabili & moraliter tuta, & de Clericis in suis Minoribus Ordinibus ministrantibus, quippe qui non habent tam specialem consecrationem, ut non etiam à laicis suppleri possint, est extra controversiam, ac passim admittitur. 12.

Opposita tamen sententia, quæ Ministros ex officio actum sui Ordinis in peccato mortali exercentes sacrilegii damnat, ab extrinsecâ potissimùm authoritate est probabilior. Nam docetur expressè à D. Th. in 4. d. 24. q. 1. a. 3. q. 3. dicente: 13.

dicente: *Quicunque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quia indigne illud faciat, unde patet, quòd mortaliter peccet.* Et ibid. ad 4. *Quandocunque exhibet se in aliquo actu, ut ministrum Ecclesia, mortaliter peccat; unde quando tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter, &c.* Colligitur etiam ex cit. *c. fin. d. temp. ordinat.* Ubi tam de Clericis quàm Sacerdotibus (minorum Ordinum propter levitatem materiæ & remotum tantummodo concursum ad Ministrum S. Eucharistiæ meritò excipiuntur) dicit, si non pœnituerint, esse monendos, & sub interminatione Divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent, quæ verba utique non possunt intelligi de peccato veniali, in quo non est periculum damnationis, sed de mortali. Explicant tamen hunc Canonem contrariæ sententiæ Authores, quòd, quo tempore ferebatur, Ministri Celebrantis soliciti fuerint communionem accipere, unde meritò sub gravi damnationis interminatione arcebantur à ministerio altaris.

Accedit historia è spec. Exempl. dist.9 ex. 110. quòd, cùm in quadam festivitate coram Carolo M. Diaconus Evangelium caneret, qui præcedenti nocte mulierculæ impudicis amplexibus se fædâsset, aranea desuper è laquearibus oratorii descendens, caput ejus tertiâ vice pungendo miserum sine morâ extingueret. Ratio ex ante dictis est: quòd actus proprius alicujus Ordinis præsertim propè versantis circa S. Eucharistiam, vel confectionem Sacramenti, ut est delatio, tactus, distributio S. Eucharistiæ, ministerium Diaconi & Subdiaconi, consecratio S. Crismatis, S. Olei est res gravis; sed est obligatio Religionis cum statu gratiæ ejusmodi operationes exercendi, ergo est obligatio in re gravi; sed obligatio in re gravi est gravis. ergo.

§. III.

Quandonam liceat petere, vel accipere Sacramentum ab eo qui scitur, vel probabiliter creditur illud in peccato mortali ministraturus?

TRibus modis possunt Ministri malè & cum peccato administrare aliquod Sacramentum. Primò quia defectu jurisdictionis aut similis causæ nequeunt illud validè administrare. Secundò, quia graviter prohibentur per aliquam censuram, ut quia est nominatim excommunicatus, degradatus, &c. Tertiò, quia solùm in statu mortalis peccati illud administrant. De quibus sit

14. CONCLUSIO I. *Nunquam licet petere vel accipere Sacramentum, ab eo, qui scitur illud defectu Jurisdictionis aut alterius similis causa validè conferre non posse:* hoc enim esset alium positivè inducere & cooperari ad sacrilegium, ut per se clarum est.

15. CONCLUSIO II. *A nominatim excommunicatis non toleratis, ut hæreticis notoriis, percussoribus Clericorum, degradatis, extra casum extremæ necessitatis non licet petere, aut recipere Sacramentum.* Est communis DD. Et ratio est: quòd Ecclesia graviter prohibet cum istis habere communicationem, præcipuè in rebus sacris. In extremâ verò necessitate, uti in articulo vel proximo periculo mortis, v. g. tempore pestis, cùm deest copia alterius Sacerdotis licet primò petere & accipere baptismum per *c. si quem fortè* 24. *q.* 1. Secundò Sacramentum pœnitentiæ per Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. Tertiò extremam unctionem, quando pœnitentiæ Sacramentum dari non potest, ut probabiliter dicit Coninc, & probabiliter S. Communionem, cùm non apparet aliud medium, quo moribundus de attrito possit fieri contritus. Uti cum eodem Coninc & Avala docent. Sangallenses. q. 4. dub. 4.

CONCLUSIO III. *A Ministro excommunicato tolerato licet petere aut recipere Sacramentum, quando petentem urget notabilis necessitas vel utilitas, præsertim si ille sit petentis Parochus.* 16.

Ratio est: quòd si quicquam obstaret licitæ petitioni Sacramenti, esset vel præceptum Ecclesiæ de vitando tali excommunicato, vel lex charitatis de non scandalizando & præbendo alteri causam peccandi. Sed neutrum obstat: non præceptum Ecclesiæ, quia post Bullam Martini V. in Conc. Constantiensi relatam à Soto in 4. dist. 22. q. 1. non tenemur vitare ejusmodi excommunicatos. Non secundum: quia juxta communem DD. non obstante præcepto charitatis licitum mihi est, ob aliquam meam notabilem necessitatem, vel utilitatem ab aliô petere, quod ille absque peccato præstare potest, quantumvis sciam illum malè & cum peccato præstiturum, e. g. licet in pacto ineundo exigere juramentum à pagano, quantumvis ipse sit juraturus per falsos deos, &c. tunc enim non est scandalum datum & activum, sed acceptum & passivum: nec ex malitiâ provenire censetur à petente, qui utitur suo jure, sed ex malitiâ & pravâ dispositione illius, à quo petitur; atqui in nostro casu Minister potest Sacramentum conferre sine peccato, cùm enim concedatur fidelibus facultas ab iis Sacramenta petendi; ideo indirectè etiam ab Ecclesia istis excommunicatis conceditur facultas Sacramenta conferendi, & aliàs possunt de peccatis suis conteri & habere propositum datâ occasione absolutionem pecendi à censurâ. ergo.

Dixi tamen primò. *Si sit aliqua notabilis necessitas vel utilitas*; hæc enim cessante, vel si æquè Sacramentum obtineri possit ab alio non excommunicato, ex lege charitatis ad præcavendum periculum gravis peccati in proximo teneremur abstinere à petendo Sacramento. Sicuti neque ejusmodi excommunicatus toleratus potest absque peccato semetipsum ingerere administrationi Sacramenti, & illud dare non petenti, vel petenti quidem, sed in præsentiâ & copiâ alterius Ministri nullâ censurâ innodati: hoc enim casu tenetur petentem ad alterum Ministrum remittere. 17.

Dixi secundò. *Præsertim si ille sit Parochus*; majus quippe jus habent fideles ad petendum Sacramentum à proprio Parocho, quàm non Parocho.

CONCLUSIO. IV. *In casu notabilis necessitatis, vel utilitatis licet petere & accipere Sacramenta ab eo, qui certò vel probabiliter existimatur illa in peccato mortali ministraturus.* Ratio est eadem, quæ suprà, quia nullo nec naturali præcepto charitatis, nec positivo Ecclesiæ petens à suo jure prosequendo impeditur. 18.

Dices

19. Dices primò. Alium exponere periculo graviter peccandi non licèt; sed in hoc casu Minister à petente Sacramentum exponitur periculo graviter peccandi. ergo. Secundò. Nullo casu licet petere sanitatem ab homine mago, de quo probabiliter scitur, quòd non nisi per incantationes sit sanitatem procuraturus, quia hoc esset cooperari peccato ipsius: ergo neque licet petere Sacramentum à malo Ministro sacrilegè ministraturo: nam & hoc videtur esse cooperatio ad peccatum ipsius.

Respondeo neg. min. nam petens solummodò prosequitur suum jus in propriâ utilitate quærendâ, quam non tenetur intermittere propter intervenientem alterius malitiam. Ad secundum negatur consequentia & paritas: quia petens à mago sanitatem, petit saltem implicitè rem intrinsecè malam, nempe magicam curationem, sicque implicitè consentit in pactum dæmonis: atqui petens Sacramentum à malo Ministro petit rem vi ipsius operis intrinsecè sanctam, cui tantùm extrinsecè accedit malitia ex opere operantis.

Cæterùm, an vel quando possit à Ministro Sacramentum conferri indigno, patebit ex iis, quæ de dispensatione S. Eucharistiæ infrà ex instituto dicemus. Quæ hoc loco ab aliquibus disputantur de subjecto baptismi, tradidimus in sup. disp. q. 2. a. 2. ubi de dispositione necessaria ad validam & licitam receptionem Sacramenti.



TRACTATUS XVI.

DE

SACRAMENTIS BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

PROLOQUIUM.



A Baptismali fonte fontes Salvatoris incipiunt. Omnium Sacramentorum Scaturigo Baptismus est, qui de aperto Salvatoris latere, unde viva gratiæ cælestis fluenta dimanant, prosiliit. Hujus tibi doctrinam in præsenti Tractatu propino, Lector benevole, haustam ex Virginei, & Angelici Aquinatis aqua Virgine. Aquæ olium junxi, ablutioni unctionem, Baptismo Confirmationem: nam sunt Sacramenta ordine & fine proxima. Baptismo in militiam Christianam conscribimur, Confirmatione armamur; ille initiat, ista perficit; ille jungit Christo: ista ungit, & confortat ad pugnam pro Christo: ille cælestem consignat hæreditatem, hæc invitat ad aureolas, & coronas. Gusta hos pretiosos fontes aquæ & olei: subsequens Tractatus affundet Opimum Vini *germinantis Virgines.* Vive & Vale.

DISPUTATIO XXIV.

DE

Existentia & Essentia Baptismi.

Ad q. 66.

PRImum, quod considerandum occurrit, est existentia baptismi; deinde causæ intrinsecæ materia & forma, demum baptismi divisio. Unde quærimus I. An & quo tempore baptismus sit institutus? II. Quæ ipsius materia? III. Quæ forma? IV. Quæ divisio, & quid Martyrium?

ARTICULUS I.

Quid sit baptismus, & quando à Christo institutus?

SUMMARIA.

1. *Definitio baptismi.*
2. *Baptismus institutus ante passionem.*
3. *Cùm Christus a Joanne fuit baptizatus in Jordane.*
4. *Exponitur textus S. D. in contrarium adductus.*
5. *Spiritus S. ante Resurrectionem Christi fuit datus tantùm invisibiliter.*
6. *Non obstat quòd efficacia baptismi sit ex virtute passionis.*
7. *Et quòd baptismus fuerit activè à Joanne collatus.*
8. *Non est idem instituere Sacramentum, ejúsque usum præcipere.*

§. I.

Definitio baptismi & tempus institutionis.

1. BAptismus definiri potest physicè, metaphysicè, & utroque modo. Physicè videtur definiisse per materiam & formam Mag. in 4. d. 3. *Exterior corporis ablutio facta sub præscriptâ verborum formâ.* Quæ tamen definitio propter omissam mentionem Sacramentalis significationis est imperfecta. Metaphysica est, quâ dicitur *Sacramentum novæ legis* (quod est genus) *ad regenerationem spiritualem* (quæ est differentia) institutum. Tam physica, quàm metaphysica definitio est, quam optimè tradit Catechismus Rom. 2. p. c. 2. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, ubi præter genus & differentiam in primis vocibus *Sacramentum regenerationis* expressam, in ly *per aquam* significatur explicitè materia remota, & implicitè materia proxima, quæ est ablutio, per ly *in verbo vitæ* ponitur forma baptismi.

2. Baptismum esse Sacramentum novæ legis à Christo institutum, non tantùm Catholicis, sed etiam nostrorum temporum Sectariis est indubitatum, quamvis isti circa materiam & formam subinde in erroneas opiniones declinent. Controversia tamen est, quo tempore Christus hoc Sacramentum instituerit? Tertull. & Rupertus apud Castrop. p. 2. de Sac. bapt. n. 1. Albertus & Melchior Canus censuerunt fuisse institutum post Passionem & Resurrectionem, cùm Christus Apostolis dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S.* Oppositam docet S. Th. q. 66. a. 2. ad cujus mentem sit

CONCLUSIO. *Sacramentum baptismi à Christo fuit institutum ante passionem, quo tempore fuit à Joanne baptizatus in Jordane.*

Primam partem, quæ est multorum SS. PP. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Naz. apud Vasquez d. 140. c. 6. præter S. D. tenent prædictus Vasq. Suar. & communis tam intra, quàm extra Scholam S. D. Probatur primò ex c. 3. Joannis ubi dicitur: *Venit JESUS & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*; ergo Christus per suos Discipulos uti ex contextu colligitur, baptizabat ante suam passionem; sed non baptizabat baptismo Joannis, ut omnes concedunt: ergo proprio baptismo, de quo ipse Joannes asseruit: *ille vos baptizabit in Spiritu S.*

Secundò, Cùm baptismus sit janua cæterorum Sacramentorum, sine quo Apostoli non fuissent capaces recipiendi alia Sacramenta, priùs ipse erat instituendus, quàm alia Sacramenta instituerentur, & ab Apostolis reciperentur; atqui Sacramenta Eucharistiæ & Sacerdotii ante passionem sunt instituta & collata Apostolis, siquidem Apostoli per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, fuerunt Sacerdotes ordinati, teste Trid. Sess. 22. can. 2. ergo etiam baptismus ante passionem fuit institutus.

Secunda pars, quæ est contra Scotum in 4. d. 3. q. 4. n. 2. plurésque RR. probatur: Tunc instituitur Sacramentum, quando determinatur materia & forma, & assumitur in signum causativum gratiæ; sed cùm Christus in aquâ Jordanis fuit à Joanne baptizatus, fuit determinata materia & forma baptismi, tanquam signi causativi gratiæ, materia quidem, quia tunc aqua secundùm communem SS. PP. recepit vim regenerativam; unde D. Augustinus Serm. 3. in Dom. infra oct. Epiph. dicit: *ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et D. Ambros. L. 2. in Luc. c. ult. *baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent.* Forma verò in explicitâ & distinctâ SS. Trinitatis invocatione potissimùm consistens fuit determinata, quando illius mysterii anteà in veteri testamento absconditi fuit facta declaratio sensibilis; nam Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus S. in specie columbæ apparuit. Effectus quoque baptismi eodem tempore fuit manifestatus per apertionem cæli. 3.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò contra primam partem authoritatem D. Th. hâc 3. p. q. 73. a. 5. ad 4. dicentis: *Sacramentum Eucharistiæ quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione, & ideo debuit prius institui.* Sed Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum in ultimâ cænâ immediatè ante passionem Christi, quo tempore baptismum non fuisse institutum certum est; ergo juxta doctrinam D. Th. baptismus uti post Eucharistiam, ita etiam post passionem Christi fuit institutus. 4.

Neque refert, quòd baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum, iisque quoad receptionem præsupponatur: nam etiam Sacramentũ Confirma-

firmationis præsupponitur Sacramento Ordinis, & nihilominus Apostoli fuerunt priùs consecrati Sacerdotes, quàm fuerint per acceptionem Spiritûs S. in Festo Pentecostes confirmati.

Respondeo: mentem S. D. satis constare hîc ex corp. art. Unde cùm dicit ad 4. Sacramentum Eucharistiæ debuisse priùs institui, quàm Sacramentum baptismi, Tò *institui* sumit promulgativè & præceptivè, ut sensus sit priùs præceptum Eucharistiæ conficiendæ & sumendæ fuisse promulgatum, quàm præceptum conferendi baptismi; non verò accipit Tò *institui* designativè & determinativè, quasi priùs determinaverit & designaverit materiam & formam Eucharistiæ, quàm baptismi; hoc quippe repugnat Evangelico textui in probatione concl. adducto, ipsiúsque D. Th. doctrinæ, quam non tantùm hâc q. 66. a. 2. sed etiam loco in contrarium adducto tradidit, hæc verba subjungens: *vel potest dici, quòd baptismus jam erat aliqualiter* (nimirum designativè & determinativè) *institutus in ipso Christi baptismo. Unde etiam aliqui ipso Christo baptizato erant baptizati, ut legitur Jo. 3.* Ad instantiam de Confirmatione Respondeo. Non esse tantam dependentiam S. Ordinis à Confirmatione, quàm à baptismo, quia iste solus est janua aliorum Sacramentorum, per quam fideles ingrediuntur in Ecclesiam DEI, fiuntque capaces ad omnem effectum & receptionem aliorum Sacramentorum. Confirmatio quoque cùm significet plenitudinem gratiæ & Spiritûs S. congruè differenda erat post Ascensionem Christi.

5. Objicies secundò. Si baptismus fuisset institutus ante passionem & resurrectionem Christi, tunc etiam Spiritus S. fuisset datus ante resurrectionem Christi; sed non fuit datus, siquidem Jo. 7. dicitur: *nondum erat Spiritus datus, quia DEUS nondum erat glorificatus.* Seq. patet. quia Spiritus S. datur cùm gratia infunditur, sed per baptismum gratia infunditur: ergo.

Respondeo: Spiritus S. fuisset datus ante resurrectionem missione & formâ invisibili, quæ fit per productionem gratiæ sanctificantis, concedo formâ & missione visibili ac solenni, quæ facta est in die Pentecostes per apparitionem ignearum linguarum, de qua loquitur Evangelista, sic nego.

6. Objicies tertiò. Baptismus fuit institutus in Symbolum mortis & sepulturæ Christi, prout significat Apostolus Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus, in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus, &c.* habet etiam efficaciam operandi ex virtute passionis Christi, qua de causâ dicit S. Aug. tr. 15. in Jo. illum fluxisse de latere Christi: ergo non debebat institui ante passionem Christi.

Respondeo negando consequentiam (cujus falsitas patet ex institutione Eucharistiæ institutæ ante passionem, quantumvis foret Symbolum significativum cruenti sacrificii in Cruce) tum quia poterat operari ex virtute passionis Christi, ut prævisæ & acceptatæ in Decreto DEI; tum quia poterat operari ex virtute ejusdem passionis ut inchoatæ & consummandæ in Cruce; omnia quippe totius vitæ Christi merita erant quædam inchoatio passionis, in qua debebant consummari.

Objicies quartò. Contra II. partem Conclusionis: Baptismus quem Christus in Jordane recepit, erat baptismus Joannis, non Christi; neque forma baptismi fuit prolata, priusquam post resurrectionem Christus ad Discipulos diceret: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matt. ult. ergo primùm post resurrectionem baptismus fuit institutus. 7.

Respondeo: Fuit baptismus Joannis non Christi, prout activè à Joanne procedebat, concedo, prout passivè receptus à Christo, sic nego. Sic enim Christus suæ voluntatis efficaciâ aquis moraliter impressit virtutem emundativam à peccatis, quoties ipsius nomine & ministerio applicaretur cum invocatione SS. Trinitatis, cujus mysterium tunc temporis etiam fuit repræsentativè explicatum: licèt etiam forma baptismi loco cit. Matth. primùm post resurrectionem expressa referatur, exinde tamen solùm probatur præceptum baptismi fuisse promulgatum, cùm eo ipso, quòd Apostoli ex injuncto sibi ministerio ante Christi passionem baptizarent, necesse fuerit ipsos tenere formam baptismo essentialem.

Objicies quintò. Instituere Sacramentum formaliter est actus legislativus, continens præscriptivam & præceptivam intimationem materiæ & formæ usurpandæ: sed in baptismo Jordanis Christus non præscripsit, & intimavit materiam ac formam baptismi: ergo tunc nondum instituit Sacramentum baptismi. 8.

Resp. neg. maj. tametsi enim instituere Sacramenta sit actus habentis potestatem legislativam, non tamen formaliter est præceptum & legislatio, sed determinatio materiæ & formæ, ejusque elevatio ad practicam significationem gratiæ, quæ facta est Christo in Jordane baptizato: Ratio verò præcepti vel efficacis intimationis pro ultimato complemento adjungitur.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia baptismi?

SUMMARIA.

1. *Materia remota baptismi est aqua elementaris fluida.*
2. *Varietas qualitatum non destruit valorē materiæ.*
3. *Neque levis permixtio cum aliis corporibus.*
4. *Non est materia baptismi, quæ in usu communi hominum non servat denominationem aquæ.*
5. *Aqua distillata, aut ex sale resoluta est materia dubia.*
6. *Quando nix, vel glacies resoluta sit materia baptismi?*
7. *Extra casum necessitatis non licet uti aliâ aquâ ad baptizandum, quàm benedictâ sacri fontis.*
8. *In casu necessitatis adhibenda est materia dubia sub conditione.*
9. *Materia proxima baptismi est ablutio.*

11. Ablu-

10. *Ablutio variis modis validè fieri potest.*
11. *Debet esse tantæ quantitatis, ut possit habere successivum fluxum & contactum corporis.*
12. *Requiritur contactus physicus,*
13. *Et in tali parte corporis, ex qua homo denominatur ablutus.*
14. *Violenta projectio in aquas non impedit valorem baptismi.*
15. *Aqua lateris Christi fuit vera aqua elementaris.*
16. *Exponitur, quo sensu dicatur Christus baptizare in Spiritu S. & igni.*
17. *Respondetur ad historiam de Judæo arenâ baptizato.*
18. *Christus non fuit baptizatus per immersionem.*

§. I.

Determinatio materiæ remotæ.

1. BAptismus, uti & alia Sacramenta in usu consistentia, aliam habet materiam remotam, seu circa quam, hoc est, rem sensibilem, quâ utimur in administratione Sacramenti; & aliam proximam, h. e. ipsúmmet usum & applicationem rei sensibilis. Nunc de materia remota sit.

CONCLUSIO I. *Materia remota baptismi est sola vera aqua elementaris actualiter fluida.* Est de fide definita in Conç. Lateran. *c. firmiter d. Summ. Trin.* & in Florent. in Decr. Un. & in Trid. Sess. 7. Can. 2. d. baptismo; *si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, &c. anathema sit.* Clarè deducitur ex variis scripturis præsertim Jo. 7. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in regnum DEI.* ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Eph. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Idem habetur in Actis Apost. c. 8. v. 36. & c. 10. v. 47. Ratio præter varias congruentias ex aquæ virtute emundativa petitas, & à S. D. a. 3. allatas, est institutio Christi, quæ nobis per S. Scripturam & definitiones Conciliorum innotescit. Dixi: *actualiter fluida*, quia si sit concreta, ut glacies, non est ad usum abluendi idonea, nec proinde materia remota: quia hæc est materia remota, in qua & circa quam exercetur materia proxima, sed materia proxima baptismi, quæ est ablutio, non potest exerceri in aqua concreta non fluida. ergo.

2. Inferes ex dictis primò. Valori baptismi non officere varietatem & permixtionem qualitatum, dummodò sit vera aqua elementaris hoc est, corpus simplex non mixtum: unde sive aqua sit putealis, sive pluvialis, sive fluviatalis, sive roris, sive ex pruina, nive, grandine resoluta; & sive mineralis ex thermis educta; sive calida, sive frigida, sive salsa, sive dulcis, sive turbida, sive clara, sive sulfurei, sive alterius odoris, erit materia valida, dummodò constet talem aquam haberi pro vera aqua elementari, nec alienis corporibus, sed tantùm qualitatibus permixtam, Ita communis Doctorum.

3. Inferes secundò. Validè conferri Sacramentum in aquâ aliis corporibus non nisi leviter permixtâ, ita ut aqua elementaris notabiliter prædominetur: unde validus esset baptismus & in casu necessitatis aliâ aquâ deficiente adhibendus in jusculo carnis leviter decocto, in lixivio cineribus leviter imbibito. Dixi, *non nisi leviter permixta*; aliàs enim invalidus foret baptismus, si, ut inquit S. D. ad 2. esset facta *tanta resolutio corporum lixatorum, quòd liquor plus habeat de aliena substantia, quàm de aqua*, quòd ex spissitudine perspici potest.

Inferes tertiò. Invalidè confici baptismum in liquoribus, qui substantialiter non sunt aqua, vel tametsi aliquid habeant de aquæ substantia, tamen vel aliis liquoribus sunt ita permixti, vel ita alterati, ut in usu & existimatione hominum aquæ denominationem non retineant. Itaque invalidus erit baptismus in vino, lacte, sanguine, oleo, musto, luto collatus, quia tametsi aliqua pars aquæ admisceretur, tamen ista sunt corpora mixta substantialiter ab aquæ elemento distincta; lutum quoque simpliciter plus habet de terra quam aqua. Similiter erit invalidus baptismus collatus in succo ex herbis, radicibus, frugibúsve expresso, cùm iste non sit aqua propriè, sed subtilior substantia in fibris rei contusæ contenta. 4.

Inferes quartò. Aquam virtute ignis ex herbis eliquatam ut est aqua rosacea, aut ex sale resolutam, esse materiam dubiam baptismi, quia saltem secundùm quosdam Auth. probabile est, illam aquam artificialiter eductam ab elementari specie non distingui, quòd de aqua ex sale resoluta faciliùs credendum, quàm de aqua per ignem producta, eò quòd ipse sal plerumque ex aquis salsis conficiatur, ideóque ex sua natura sit facilè in aquam rursus resolubilis; aquæ verò alchimicæ virtute ignis per artem producuntur; non est autem credibile, quòd ignis habeat virtutem aquæ productivam, ille etiam liquor distillatus servat qualitates, adeóque & substantiam corporis mixti, è quo resolvitur. ut habet S. D. a. 4. ad 5. 5.

Inferes quintò cum Theologis S. Galli. Si nix, grando, glacies in ipsa sui applicatione resolvantur, aliquando esse aptam materiam baptismi, aliquando non. Apta est, si dum adhuc sunt in manibus & applicatione baptizantis resolvuntur; tunc enim in iis potest exerceri ablutio, & verificari forma baptismi: *ego te baptizo.* Si verò resolutio primùm fiat in corpore baptizati, erit materia invalida; quia tunc in iis non fit ablutio à baptizante, nec verificatur forma baptismi. 6.

Inferes sextò. Extra casum necessitatis licitam baptismi materiam esse solùm aquam sacri fontis ritè benedicti. Quia hæc est præscripta in ritualibus, & de communi consuetudine Ecclesiæ. Unde sine gravi causa illam prætermittere, multò probabiliùs videtur esse grave peccatum. Non tamen videtur esse gravis irreverentia, si eadem aqua calefiat, ne tenellus infans offendatur, prout tradit Tamburin. 7.

Inferes septimò. Adhibere materiam dubiam extra casum necessitatis, semper esse grave peccatum tam contra reverentiam Sacramenti, quàm charitatis proximi. In casu verò necessitatis eodem præcepto charitatis obligari Ministrum ad applicandam materiam dubiam, cùm certam habere 8.

bere nequit. quo tamen casu, debebit baptismum conferre sub conditione, *si materia sit sufficiens*; & si baptizatus diutiùs supervivat, debet reiterari baptismus sub conditione: *si antè non es baptizatus ego te baptizo*, postquam materiæ certæ copiam habuerit.

§. II.

Materia proxima baptismi.

9. CONCLUSIO. *Materia proxima baptismi est ablutio.* Est de fide & communis omnium.

Ratio est primò. Quòd hæc est materia proxima, quæ per formam proximè determinatur: atqui per formam, *ego te baptizo*, proximè determinatur ablutio ad practicam significationem gratiæ; ergo ipsa est materia. Secundò, quia sine hac actione forma non verificaretur. Tertiò, quia Sacramentorum in usu existentium materia proxima est actio transiens, quæ versatur circa materiam remotam: sed in baptismo nulla alia adest actio, quæ versatur circa aquam, quàm ablutio: ergo. Sed cùm ablutio variis modis fieri possit.

10. Quæres primò. Qualis & quanta debeat esse ablutio?

Respondeo primò. Sive ablutio fiat per immersionem, sive per affusionem aquæ, sive per aspersionem, validè conficitur Sacramentum. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ pro temporum varietate modò istum, modò alium baptizandi modum observavit. Cùm enim primitùs per immersionem, eamque trinam catechumeni baptizarentur, posteà tamen, uti & nostris temporibus usitatur, imersio in affusionem aquæ fuit mutata. Est etiam verisimile primis temporibus Apostolos per aquæ aspersionem baptizâsse. Ut tamen baptismus licitè conferatur, observanda est Ecclesiæ consuetudo, nisi necessitas & extremum periculum aliud suadeant.

11. Respondeo secundò. Ad certitudinem baptismi, requiritur major quàm unius guttæ quantitas: hujus enim aspersio potiùs habet rationem irrorationis, quàm ablutionis, cùm ablutio requirat successivum aquæ contactum ad corpus, quæ successio in tam modica quantitate non salvatur, unde tam tenuiter baptizatus esset sub conditione rebaptizandus. Ita communis.

12. Respondeo tertiò. Necesse est ad valorem baptismi, fieri contactum physicum inter aquam & corpus baptizati, ita ut non sufficiat vestes tantùm ipsius aquâ tingi: quia sine contactu ad corpus homo non censetur verè lotus; atqui baptismi ablutio debet esse talis, ut homo per illam censeatur verè lotus. Habetur etiam à D. Augustino in iis verbis: *quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

13. Respondeo quartò. Ad certitudinem baptismi requiritur, ut saltem talis pars corporis abluatur, ratione cujus homo solet dici verè ablutus v. g. collum, humeri, pectus, & præsertim caput, quod in praxi semper est abluendum. Ita *Soto*, Layman, Suar. aliique. Ratio est institutio Christi, qui voluit ut hoc Sacramentum esset hominis ablutio interna, significata per hominis ablutionem externam, unde hæc significatio non videtur verificari, quamdiu ablutio non est tanta, ut per illam homo verè ablutus denominari possit: qualis non est, si quis in minima corporis parte v. g. extremo digito aquâ tingatur, quia tamen saltem aliqualiter probabile est, baptismum etiam in minima parte collatum valere, ideo in casu extremæ necessitatis, quo infans aliam partem ex utero non protenderet, posset, imò deberet infans in quâcunque parte etiam minima, imò in capillis vel secundinis sub conditione baptizari, quando meliori modo non potest, suo dein tempore si supervivat & periculum evaserit, rebaptizandus sub conditione.

Quæres secundò. Utrum validè baptizaretur infans, si cum intentione baptizandi violenter in flumen vel puteum projiceretur additâ formâ: *Ego te baptizo?* 14

Certum est, ejusmodi baptizandi modum esse illicitum, quantumvis constaret infantem aliàs sine baptismo moriturum: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, directa autem occisio infantis est intrinsecè mala: ergo. Quod attinet ad valorem, communior & probabilis sententia est, valere talem baptismum, eò quòd nihil essentiale desit, esto enim quòd talis immersio sit occisiva & conjuncta cum submersione, ipsa tamen submersio non impedit, quin infans verè aquis immergatur: immersionem verò non minùs quàm affusionem ad veram ablutionem sufficere, modò dixi. Nihilominùs etiam altera opposita sententia negativa, quam tenet Scotus, Paludan. Henriq. & magis probant Sangall. probabilis est, quòd talis projectio non sufficeret ad valorem baptismi; eò quòd ista projectio quantumvis physicè ablutio dici possit, moraliter tamen non sit ablutio, cùm secundùm communem hominum sensum sit occisio & submersio. Saltem si ejusmodi infans necem evaderet, deberet sub conditione rebaptizari, propter utriusque sententiæ probabilitatem.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. Per aquam, quæ fluxit è latere Christi crucifixi, expressum fuit Sacramentum & materia baptismi, juxta communem interpretationem SS. PP. præsertim D. August. tr. 120. in Jo. sed ista non fuit aqua elementaris; sed quidam humor phlegmaticus: ergo neque Sacramentum seu materia baptismi requirit aquam elementarem. 15

Respondeo I. Non esse necessarium, ut Symbolum, seu figura univocè conveniat cum re figurata, unde tametsi aqua lateris Christi non fuisset vera elementaris aqua; non rectè tamen infertur etiam aquam baptismi figurati non debere esse elementarem.

Respondeo II. Illam aquam fuisse verè elementarem, utpotè miraculosam, uti definit Innoc. *c. in quâdam. de celebrat. Missar.* cum Evangelista in propria significatione nomen *aquæ & sanguinis* accipiat, atque ita expresè docet S. Th. hâc q. 66. a. 4. ad 3.

Objicies secundò. S. Joannes Bapt. Matth. 3. loquens de baptismo Christi indicat ignem fore materiam ipsius: ita enim suum baptismum à baptismo Christi distinguit: *ego quidem baptizo vos in aqua* 16

aqua in pœnitentiam; *ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni.* Unde fuerunt quidam hæretici, qui loco baptismi signum crucis ferro candente fronti inurerent.

Respondeo S. Joannem per Tò *in Spiritu S.* non excludere materiam aquæ, sed indicare solùm præstantiam quam baptismus Christi habet supra baptismum Joannis, quòd suscipientibus conferat gratiam Spiritûs S. per Tò *igni* verò denotari supplicium gehennæ, quo demergendi sunt, qui in peccato mortali moriuntur: loquitur quippe Joannes de duplici adventu Christi & ut Redemptoris, & ut Judicis. Ut Redemptor baptizat aquâ & Spiritu S. ut Judex demergit peccatores in ignem æternum; unde immediatè subdidit: *cujus ventilabrum in manu sua*; *& permundabit aream suam*, *& congregabit triticum suum in horreum*, *paleas autem comburet igni inextinguibili*: quæ de ultimo die judicii sunt dicta. Ita exponunt Hilar. Hier. Damasc. apud Ysamb. d. 3. a. 3.

17. Objicies tertiò. Nicephorus l. 3. c. 37. refert, Judæum quemdam in necessitate constitutum deficiente aquâ arenâ fuisse baptizatum, & ex morbo, quo laborabat, restitutum: ergo saltem in casu necessitatis alia baptismi materia, quàm aqua adhiberi poterit.

Respondeo. Quidquid sit de veritate historiæ, quam Baronius ad an. C. 181. in dubium vocat, hunc baptizandi ritum non fuisse ratum habitum à Dionysio Episcopo, siquidem ipsius jussu Judæus iste post recuperatam sanitatem verè baptizatus fuit, quod signum est, ipsum antecedenter tantummodò votum baptismi habuisse.

Objicies quartò. Baptismi ablutio eo modo 18. debet fieri, quo Christus à Joanne fuit baptizatus; eo quippe baptismo designavit Christus materiam non tantùm remotam, sed & proximam baptismi; atqui Christus fuit baptizatus per immersionem, non per aspersionem: dicit enim textus Evangelicus, Christum ascendisse ex aqua: ergo non per aspersionem, sed per immersionem baptismus ministrari debet.

Respondeo primò negando majorem, sicut non sequitur, si Christus consecravit in vino albo, quòd non possit consecratio fieri in vino rubro; eo quippe baptismo Christus pro materia proxima determinavit ablutionem per aquam secundùm rationem genericam, non secundùm modum specificum abluendi. Respondeo secundò negando minorem, cùm enim Christus ipsemet in aquam descenderit, si per illum solùm descensum & immersionem fuisset baptizatus, sequeretur quòd à seipso non à Joanne fuisset baptizatus; unde præter illum descensum fuit etiam à S. Joanne aquâ perfusus, veluti cùm eunuchus à Philippo Diacono fuit baptizatus, referente S. Luca *descenderunt uterque in aquam*, *Philippus & eunuchus*, *& baptizavit eum*,

ARTICULUS III.

De forma baptismi.

SUMMARIA.

1. *Forma latina baptismi.*
2. *Actûs baptizandi expressio est essentialis.*
3. *Et saltem implicita, vel indirecta significatio Ministri.*
4. *Item expressio subjecti baptizandi.*
5. *Unitatis quoque ac Trininatis Divinæ.*
6. *Baptismus collatus:* in nominibus Patris, &c. *est nullus.*
7. *Voces*: Ego, in, amen *sunt accidentales.*
8. Baptizo in virtute Patris, &c. *est forma dubia.*
9. *Objectiones ab authoritate petita solvuntur.*

§. I.

Exponitur forma baptismi.

1. CONCLUSIO. *Consueta baptismi forma non tantùm valida, sed & licita in Ecclesia Latina consistit in istis verbis: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.* Ita habetur in *c. 1. de baptismo.* Conc. Florent. in Decreto Eugen. Trid. Sess. 7. de baptismo can. 4. estque maximè conformis verbis Christi Matth. ult. & juxta communem sensum & praxin Ecclesiæ Apostolis à Christo tradita & ad nos derivata. Cujus occasione

2. Quæres. Quænam in hac forma sint essentialia?

Respondeo primò. Essentialem esse expressionem actûs baptizandi per verbum *baptizo*, aut aliud æquivalens. Est communis DD. cum S. D. a. 5. ad 2. & habetur in Flor. cit. dicente: *Si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Ratio est. Quia materia baptismi de se indifferens ad refrigerationem vel emundationem debet per formam determinari ad significandam emundationem, sed nisi ablutio exprimatur, ipsa actio non determinatur: ergo.

Respondeo secundò. Ad essentiam formæ 3. pertinet aliqua saltem indirecta & implicita expressio personæ baptizantis. Est communior DD. quam tenent Sotus, Serra, Coninc, Ysambertus, Oberascher &c. quamvis oppositum (non tam re quàm modo loquendi) probabiliter cum aliis doceat P. Perschacher de baptismo q. 1. a. 3.

Ratio est primò institutio Christi, qui voluit, ut formæ Sacramentorum essent orationes practicæ, quæ significarent id, quod hîc & nunc agitur per ministrum; sed non significatur practicè quod hîc & nunc agitur per ministrum, nisi aliquatenùs exprimatur persona ipsius ergo. Dico *aliquatenùs*: quia non est de essentia explicita personæ significatio per pronomen *Ego* vel indicativum *baptizo* usitatum in Ecclesia latina, ut tradit Coninc & DD. communiter, siqui-

siquidem hæc forma Græcorum: *baptizetur servus Christi in nomine Patris & Filij, &c.* valida est, & inter Græcos licita ac præcepta, ut habetur in citato Florent.

Dices: Græci utuntur hâc forma: *baptizetur servus Christi*, ne videantur sibi attribuere baptismum: adeóque potiùs intelligunt, baptizetur servus Christi à Christo, vel DEO; ergo neque implicitè significant personam Ministri. Respondeo cum Laym. & cit. Oberascher, sensum esse, *baptizet te Christus* per me exercentem hanc sensibilem actionem in nomine &c. debet enim Tò *in nomine* referri ad actionem Ministri, ne ineptè dicatur: *baptizet te DEVS in nomine & authoritate DEI.*

4. Respondeo tertiò. Esse huic formæ essentiale, ut exprimatur persona baptizati, vel per pronomen *te*, prout fit in forma Latinorū, *Ego te baptizo*, vel sub nomine generali, prout fit in forma Græcorum, *baptizetur servus Christi.* Est communis DD. ratio est: quòd actio baptismi debet per formam significari & determinari quatenùs hîc & nunc exercita; sed non ita significatur, sine expressione subjecti; unitas quippe individualis ablutionis desumitur ex unitate & individuatione personæ baptizandæ. Unde si quis plures simul aspergendo baptismum conferret, deberet etiam pluraliter exprimere: *Ego vos baptizo, &c.*

5. Respondeo quartò. Expressio unitatis ac Trinitatis Divinæ est de valore hujus formæ. Est communis cum S. D. hîc q. 66. a 6. & constat primò ex Matt. ult. *baptizantès eos in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S.* ubi Christus hoc Sacramentum præcipiens per ly *in nomine* unitatem, & per voces *Patris & Filii & Spiritûs S.* expressit Personarum Trinitatem. Secundò ex *c. si revera 4. dist. 4. de consecrat.* ubi S. Pont. Pelagius præscribit, ut *qui tantummodò in nomine Domini erant baptizati, baptizentur in nomine Trinitatis.* Ratio à priori est institutio Christi cit. c. ult. Matt. indicata, communi SS. PP. consensu & perpetua Ecclesiæ praxi agnita. Ratio congruentiæ est, quòd in illo Sacramento conveniens est exprimi mysterium SS. Trinitatis, per quod intratur in unitatem fidei & Ecclesiæ, cujus potissimum mysterium est & fundamentum fides SS. Trinitatis, sed per baptismum intratur in Ecclesiam DEI, & unitatem fidei: ergo.

6. Colliges ex dictis primò. Non valere baptismum collatum *in nominibus Patris & Filii & Spiritûs S.* quia tunc non exprimitur Unitas Divinarum Personarum. Nec secundò si dicatur *in nomine* totius Trinitatis, quia rursus distinctio Personarum secundùm Christi institutionem non exprimitur. Nec tertiò si dicatur *in nomine Genitoris Geniti & Procedentis ab utroque*, tametsi sententia opposita sit speculativè probabilis, quia tametsi exprimatur distinctio Personarum secundùm origines, non tamen secundùm proprietates personales, quas exprimi Christus instituit, & quæ ad fidelium captum sunt magis accommodatæ. Nec quartò, si dicatur: *in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ*, quia nec istæ voces exprimunt Divinas personas secundùm proprietates personales constitutas. Nec quintò. Si in nostra vernacula pronomen *Ego* omittatur, dicendo: Tauff dich: quia hæc vox omisso pronomine magis significat imperativum, quàm indicativum.

Colliges secundò. In forma baptismi hæc & æquivalentia verba esse essentialia: *baptizo te, nomine Patris, Filii, Spiritûs Sancti.* Reliqua minora pronomen *Ego*, præpositionem *in*, conjunctionem *Et*, ly *Amen.* esse accidentalia. 7.

Colliges tertiò. Hanc formam esse dubiam: *Ego te baptizo in virtute Patris, & Filii, &c.* quia dubium est, utrum hæc nomina *in virtute, authoritate, majestate*, sint synonyma cum Tò *in nomine.* Quomodo porrò mutatione & transpositione vocum forma invalida, aut illicita fieri possit, videantur quæ de Sacramentis in gen. dixi. & de hoc fusè noster Clar. P. Josephus Drescher de baptismo cap. 3. 8.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies I. In actibus Apostolorum c. 8. de Samaritanis dicitur: *In nomine JESV Christi baptizabantur viri ac mulieres*, & paulò post: *sed baptizati tantùm erant in nomine Domini JESV.* Et de Ephesiis c. 19. *his auditis baptizati sunt in nomine Domini JESV.* Et S. Petrus c. 2. ad Judæos: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESV Christi, &c.* ex quibus videtur deduci, quòd Apostoli solùm Christi nomen in forma baptismi expresserint: sed idem est Apostolorum & noster baptismus: ergo etiam ad nostrum baptismum sufficit expressio nominis Christi. II. In eundem sensum opponitur authoritas S. Ambrosii L. 1. de Spiritu S. c. 3. & Athanasii L. 1. de Trin. quasi dicant, sufficere in Sacramento baptismi expressionem nominis Christi: dicit enim Ambrosius: *plenum esse fidei Sacramentum, si unam tantùm personā in sermone comprehendas.* & Athanas. *licèt Filii nomen tantummodò dicatur, habet tamen & Patrem, & Spiritum S. secum pronunciatum.* III. Nicolaus Papa I. Bulgaris quærentibus, an baptismus multis collatus à quodam Judæo valeret? ita respondet: *Hi profectò, si in nomine S. Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe idémque est, ut S. exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuò baptizandos.* 9.

Respondeo ad I. primò juxta mentem D. Th. hîc ad 4. quam sequitur Catechism. Rom. Cap. de baptismo, ex speciali Christi revelatione ac dispensatione ab Apostolis in primitiva Ecclesia baptismum fuisse collatum in solius Christi nomine, ut illud tantò notius & clarius evaderet, quā ratione postea cessante, etiam cessâsse dispensationem. Respondent secundò alii cum Soto, fideles eatenùs esse baptizatos in nomine Christi, quatenùs sunt baptizati in fide Christi, vel professione fidei in Christum, vel authoritate Christi, & Sacramento instituto per ipsum. Respondent tertiò alii probabiliter cum Cano L. 6. de loc. Theol. c. 8. Apostolos baptizâsse in nomine Christi, non quasi reliquas duas Personas nominare omitterent, sed quòd cum voce Tò *Filii* adjungerent voces *JESV Christi*, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii JESV Christi, & Spiritûs S.* sicuti ex eo, quòd 1. Cor. 12. dicitur: *Omnes esse baptizatos in Spiritu S.* non

non excluduntur reliquæ duæ Personæ, quæ etiam est interpretatio S. Cypriani in ep. ad Julianum dicentis: *Apostolos consuevisse hâc formâ baptizare: Ego te baptizo in nomine Patris, & JESV Christi Filii ejus, & Spiritûs S.*

Ad II. Resp. primò. S. Ambros. loqui de tempore primitivæ Ecclesiæ, prout interpretatur Angel. Doct. Secundò, Resp. cum Ylamberto, Ambrosium illo loco non loqui de Sacramento baptismi, sed Tò *Sacramentum* accipere sub latiori sensu, pro mysterio fidei: unde ibidem requirit fidem internam, quam tamen in Ministro baptismi non requiri fide certum est. Neque Athanasius in illis verbis, *licèt Filii nomen tantummodò dicatur*; loquitur de dictione Sacramentali, seu forma baptismi, sed de dictione historica Actuum Apostolorum, cujus proinde sensus est: licèt in Actibus Apostolorũ, quando Apostoli baptizâsse dicuntur, tantùm fiat mentio de nomine Christi, tamen sentiendum est, Apostolos unà cum nomine Christi simul Patrẽ, & Spiritum sanctum pronuntiâsse. Sententia utriusq; S. Patris ex propriis ipsorum verbis abundè constat, siquidem Ambros. in L. de initiandis c. 4. sic loquitur: *sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii & Spiritûs S. remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualiter gratiæ munus haurire.* Et D. Athan. lo. cit. paulò ante fin. *Gentes non baptizentur in invocatione & nominatione unius tantùm personæ, sed trium.* Plura ejusdem S. Patris testimonia refert Ylambertus d. 4. a. 9.

Ad III. Resp. cum communi. In illo cap. illud solùm Nicolaum Pontif. ex Cathedra respondisse, de quo erat interrogatus; erat autem à Bulgaris interrogatus, an valeret baptismus à Judæo collatus, de quo ignorabant, an fuisset ad fidem conversus? Ad quod respondet affirmativè: Alterum verò addidisse ceu Doctorem privatum, sub opinione, quòd hæc fuerit mens D. Ambrosii, quâ ratione falli potuit.

ARTICULUS IV.

De ritibus accidentalibus, & initerabilitate baptismi.

SUMMARIA.

1. *Quid sint ritus Sacramentorum?*
2. *Sunt convenientes.*
3. *Sunt triplicis generis.*
4. *Illos omittere, vel mutare sine gravi causa est ex genere suo peccatum mortale.*
5. *Sunt supplendi.*
6. *In iteratione baptismi irriti, vel dubii non sunt necessariò supplendi.*
7. *Iteratio baptismi moraliter certi, grave peccatum; ejúsque pœna.*
8. *Baptismus ab hæreticis collatus per se loquendo non est iterandus.*
9. *Neque per se loquendo infantes ab obstetricibus baptizati sunt baptizandi.*
10. *Infantes expositi tametsi schedulam habeant appositam, sunt ordinariè sub conditione baptizandi.*
11. *Puncta quædam observanda in reiteratione baptismi.*

§. I.

An, & quinam ritus in administratione baptismi sint observandi?

1. Ritus nomine intelliguntur cæremoniæ quædam accidentales, quæ præter ritum substantialem consistentem in debita applicatione materiæ & formæ ab Ecclesia in Sacramentorum administratione adhibendi præscribuntur, & in Ritualibus continentur. De quibus

2. Quæres primò. Sintne convenientes isti ritus, quos in administrando Sacramento baptismi Ecclesia adhibere consuevit, ita ut pro libitu omitti aut mutari nequeant?

Resp. affirmativè cum S. D. q. 66. a. 10. & q. 71. & Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 13. definiente *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Ratio est: Isti ritus sunt convenientes & observandi, in quorum præscriptione S. Ecclesia regitur à Spiritu S. quique sunt antiquissimi, è traditione Apostolorum accepti ad excitandam fidem & devotionem ordinati, ad reprimendas dæmonum infestationes efficaces, ad conciliandam S. Baptismi solennitatem & splendorem ejúsque effectus significandos idonei: sed ita se habent ritus, quos in Sacramento baptismi præscribit Ecclesia: ergo sunt convenientes. Minorem quamvis perfrictâ fronte negent hæretici, qui universaliter nostras cæremonias in anilium nugarum & superstitionum censu computant, antiquissimo tamen usu in Ecclesia DEI observatas fuisse per omnes ritus singillatim ostendit Bellarm. L. 1. de Bapt. c. 24. Cottonus L. 3. Ecclesiæ Militantis à c. 29. & Castropal. tr. 19. de Bapt. d. un. p. 12.

Quæres secundò. Quinam sint isti ritus? 3.

Resp. Esse in triplici differentia: nam aliqui antecedunt, alii comitantur, alii consequuntur receptionem baptismi. Antecedunt remotè benedictio & sanctificatio fontis, h. e. aquæ baptismalis, de qua D. Paulinus Episcopus Nolanus ep. 12. ad Sev.

Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem,
Cœlestique sacras fonte maritat aquas.

Et D. Cypr. l. 1. ep. 10. *Oportet ergo mundari & sanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Item benedictio S. Olei, de qua pariter S. Basil. L. de Spir. S. c. 27. *Consecramus*, inquit, *aquam baptismatis, & Oleum unctionis.* Proximè antecedunt, abrenunciatio Sathanæ, & professio fidei, sive per se in adultis; sive per patrinum in parvulis: impressio signi Crucis in fronte & pectore, exorcismus cum insufflatione, cujus finem explicat Cyrillus Hierosol. Catech. 2. *Vt insufflationes Sacramentorum & nominis DEI invocatio tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmones & in fugam convertit, sic & exorcizatum Oleum.* Salis in os impositio, linitio per salivam cinere mixtam, impositio manuum cum benedictione Sacerdotali, unctio per sacrum Oleum in pectore & scapulis, &c. Comitantur baptismũ adhibitio aquæ in Vigilia Paschæ aut Pentec. benedictæ, & assistentia Patrinorũ. Sequuntur unctio Chrismatis facta in vertice baptizati, porrectio vestis candidæ, ac cerei ardentis, &c.

Quæres

4. Quæres tertiò. Quantum sit peccatum istos ritus in baptismo solenni omittere, aut immutare?

Respond. Esse de genere suo peccatum mortale contra virtutem Religionis nisi materiæ parvitas excuset, prout cum communi DD. dixi de Sacr. in gen. Dico, *in baptismo solenni*, si enim urgente necessitate baptismus solùm privatim confertur, licitè omittuntur, vel potiùs differuntur. De quo

5. Quæres quartò. An cæremoniæ propter urgentem necessitatem aut gravem causam intermissæ ex post facto sint supplendæ?

Resp. affirmativè cum S. D. q. 71. a. 3. ad 3. & colligitur ex *c. 1. de Sacr. non iterandis*, & tam, in Rituali Rom. præscribitur, quàm communi praxi comprobatur. Ubi tamen advertit Layman lo. cit. in adultis, qui fuêre ab hæreticis baptizati, non solere ejusmodi cæremonias suppleri, ne exinde detur rudi populo ansa suspicandi, baptismum ab hæreticis collatum pro invalido haberi.

Dices: Pleræque cæremoniæ adhibentur ad expulsionem diaboli; sed iste per ipsam baptismi substantiam & Sacramentum jam expulsus supponitur: ergo post baptismum frustrà adhibentur. Resp. adhiberi non tantùm ad diabolum simpliciter, sed etiam firmiter & perseveranter expellendum, ne facilè regressum habeat. Unde licèt per ipsum baptismi Sacramentum jam sit simpliciter depulsus, accedentibus tamen cæremoniis & precibus S. Ecclesiæ tantò firmiùs à baptizato excluditur, & prohibetur accessu.

6. Quæres quintò. Sintne etiam supplendæ vel repetendæ cæremoniæ, quando baptismus propter certã, vel dubiã baptismi prioris nullitaté iteratur?

In utramque partem Doctores disputant. Videtur probabiliùs non esse repetendas, partim quia non habent necessariam connexionem cum Sacramento, & censentur manere in acceptatione Divina, partim, quia neque benedictiones in convalidatione matrimonii antecedenter irriti repetuntur.

§. II.
Initerabilitas baptismi.

7. Certum est de fide, Sacramentum baptismi validè collatum reiterari non posse. Constat I. ex Apostoli 1. Eph. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* II. Ex definitione Conciliorum; Lateran. *in c. firmiter de sum. Trin.* Florentini in Decreto Eugenii, ubi statuitur tria Sacramenta characterem imprimentia *in eadem persona non reiterari.* Tridentini, Sess. 1. can. 9. de Sacr. in gen. & de baptismo can. 11. definientis: *Si quis dixerit, vere & ritè collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.* III. Authoritate PP. è quibus Leo relatus *c. cùm itaque dist. 4. de consecrat. scimus, inexplicabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrinà, quæ unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate Sacramentum.* IV. Duplici ratione congruentiæ adducta à S. D. a. 9. primò, quia baptismus specialiter gerit figuram mortis & resurrectionis Christi: ergo sicut Christus semel mortuus *jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*, ita neque baptismus iterari potest aut debet. Secundò quia baptismus est principaliter institutus ad delendum peccatum originale: ergo sicuti hoc semel deletum non ampliùs redit, ita baptismus semel validè collatus reiterari non potest. V. Ratio ulterior & fundamentum est ex dictis de Sacr. in gen. Tunc baptismus validè non potest recipi, quando non potest ampliùs practicè significare impressionem characteris, ad quam tamen significandam est à Christo institutus; sed supposità semel validâ receptione baptismus non ampliùs potest practicè significare impressionem characteris, quippe jam antea impressi, & suâpte naturâ indelebilis: ergo non ampliùs validè recipi, adeóque reiterari non potest.

Unde inferes esse gravissimum sacrilegium contra virtutem religionis iteratò suscipere, vel conferre Sacramentum baptismi, quando morali certitudine constat, priorem baptismum validè fuisse collatum, ut liquet ex prææallegato textu D. Leonis. Et quidem jure Civili pro tali crimine statuitur pœna capitis *L. 2. C. ne S. baptisma iteretur.* Et de jure Canonico irregularitas *c. qui in qualibet ætate caus. 1. q. 7. c. ex literarum de Apostatis.* Dixi, *si morali certitudine constet, &c.* Nam quoties occurrit rationabile dubium sive negativum, sive positivum, an baptismus fuerit validè collatus, toties sub conditione, *si non es baptizatus*, vel clarè & expressè, vel tacitè prolatâ, baptismus iterari debet, ut habetur *c. 2. de baptismo*, & suadet necessitas Sacramenti juxta dicta de Sacr. in comm. Ex quo

Colliges primò. Baptismum ab hæreticis collatum per se loquendo non esse repetendum, dummodò constet debitam materiam & formam ab ipsis fuisse adhibitam, prout in nostris partibus, ubi hæretici Catholicis sunt permixti, à potiori contingit: hunc quippe validum esse constat ex definitione Ecclesiæ in Conc. Nicæno, & Trid. Sess. 7. can. 4. Dixi: *per se loquendo*; nam si adsit gravis ratio dubitandi de valore baptismi ob defectum materiæ vel formæ, vel ut in baptismo Calvinistarum, qui nobiliores infantes odorato liquore aut vino baptizant, poterit baptismus, imò debebit sub conditione reiterari. 8.

Colliges secundò. Similiter per se loquendo, non esse rebaptizandos infantes, quos obstetrices instante mortis periculo baptizârunt; dummodò post debitum Parochi examen non sit ratio suspicandi, commissum ab obstetrice defectum in substantialibus, sive ex nimia festinatione & perturbatione, sive ex inscitia, sive ex malitia, ut si fortè sit suspecta de hæresi, malis artibus &c. quo casu baptismus erit sub conditione repetendus. 9.

Colliges tertiò. Infantes expositos absque appensa schedula collati baptismi indice, sub conditione baptizandos esse. Imò tametsi schedam habeant ab incerto authore appensam, quâ detur baptismi accepti contestatio, absque circumstantia ministri, loci, temporis, &c. sub conditione rebaptizandos esse verosimilius videtur, & esse præscriptum in variis diœcesibus testatur Diana p. 9. tr. 6. resol. 35. Et fundamentum est primò, quod ejusmodi schedula non sit firmum & certum testimonium, cùm tamen in *c. placuit. d. 14. de consecr.* & in Rituali Pauli V. §. de baptismo parvul. dicatur, parvulos absque scrupulo esse sub conditione rebaptizandos, nisi firmi & certissimi testes habeantur de collato baptismo & de illo constet. Secundò. 10.

dò. Tametsi foret certitudo moralis de collato baptismo, manet tamen summa incertitudo, an ille legitimè sit administratus, cùm ad baptismum ejusmodi infantum plerumque adhibeantur obstetrices parum instructæ & magis sollicitæ de celando partu, quàm ritè baptizando. Atque ita statutum esse in Synodo Mediolan. sub S. Carolo Borromæo refert Rosmer citatus apud Clariss. P. Petschacher de baptismo q. 1. a. 4.

11. Quæres. Quid sit observandum in reiteratione baptismi?

Respondeo. Cum præcitato P. Petschacher I. A rebaptizando eliciendam esse contritionem, vel attritionem, si sit conscius peccati mortalis personalis: quia juxta legem ordinariam adulto non dimittitur peccatum nisi retractatum II. Peccata post dubium baptismum commissa esse subjicienda clavibus, & absolutionem desuper recipiendam, sub conditione, ut si fortè baptismus fuit validus, satisfiat præcepto Confessionis Sacramentalis. III. Posse omitti ritus & cæremonias baptismi solennis, ac privatim recipi, &c.

ARTICULUS V.

De divisione baptismi, præsertim de Martyrio.

SUMMARIA.

1. *Baptismus dividitur in baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis.*
2. *Quæ divisio est analogica.*
3. 4. *Martyrium confert remissionem omnis culpæ & pœnæ ex opere operato.*
5. *Causa requisita ad Martyrium.*
6. *Non requiritur mors actu secuta.*
7. *Bonus latro impropriè Martyr dicitur.*
8. *Qui in pestiferorum obsequio moriuntur, non sunt propriè Martyres.*
9. *Infantes etiam in utero materno sunt capaces Martyrii.*
10. *Sufficit ad Martyrium interpretativa acceptatio & non repugnantia.*
11. *Attritio cum fide & spe, per se est sufficiens dispositio ad Martyrium.*
12. *Conscius peccati post baptismum commissi tenetur vel priùs confiteri, vel elicere contritionem.*
13. *Objectiones solvuntur.*
14. *Martyrium non est Sacramentum.*
15. *Semper confert vel primam, vel secundam gratiam.*
16. *Effectus Martyrii confertur, dum mors est in fieri.*
17. *Martyrium locum habuit etiam ante Christum.*

§. I.

Triplicis baptismi analogia exponitur.

COmmuniter dividitur baptismus in baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. h. e. baptismum aquæ, pœnitentiæ, & Martyrii. Unde quæritur, an baptismus hoc modo rectè, vel univocè dividatur? De quo sit

1. CONCLUSIO. *Baptismus ita rectè, sed analogicè dividitur.* S. D. q. 66. a. 11. & 12.

Ratio primæ partis est, primò. quia hæc divisio habet fundamentum in SS. litteris, ubi passio & pœnitentia appellantur baptismi nomine. Nam Marci 18. Christus dicit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo, quo ego baptizor baptizari?* Marci 1. & Luc. 3. *prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Secundò: quia pœnitentia h. e. heroicus & ferventissimus actus contritionis aut charitatis, nec non Martyrium pro Christo susceptum conferunt aliquando eosdem effectus quos confert Sacramentum baptismi, dum per illa non tantùm culpa tam originalis quàm actualis, sed etiam omnis pœna remittitur. Unde D. Aug. L. 4. contra Donat. c. 22. *Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporis succurri non potest.* Cæterùm ipsa dilectio & contritio dicitur baptismus flaminis, quia est inspirata à Spiritu S. qui dicitur flamen.

Secundæ partis ratio est. Quia vox *baptismi* per se est imposita ad significandum Sacramentum regenerationis, contritio verò & martyrium hoc nomen solùm participant propter quandam analogiam & convenientiam in effectu, dum sicuti baptismus ex institutione Christi remittit omnia peccata tam originale, quàm actualia; ita etiam contritio ex opere operantis, & martyrium ex opere operato vi Divinæ promissionis eadē peccata dimittit. 2.

§. II.

Martyrii efficacia, & requisitum essentiale.

QUæres primò. An Martyrium conferat remissionem omnis culpæ & pœnæ ex opere operato? 3.

Resp. affirmativè cum S. Doct. hîc q. 66. a. 11. & q. 68. a. 2. & communi DD. quia communi PP. interpretatione & fidelium sensu hæc prærogativa morti pro Christo obitæ annexa cognoscitur ex promissione Christi Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Pater meo.* & ibidem v. 39. *qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Unde D. Aug. L. 13. de civ. c. 7. *quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte sacro baptismatis.* Et D. Cypr. M. Ep. 73. *nunquid potest vis baptismi esse major, aut potior, quàm confessio & passio? quàm ut quis coram hominibus Christum confiteatur & suo sanguine baptizetur?*

Quæ vis remissiva non tantùm est culpæ, sed etiam pœnæ juxta illud celebre D. Augustini *relatum in c. cùm Matthæo. de celebr. Miss. Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare.* Quod etiam sit ex opere operato, constat primò, quia juxta statim dicenda per Martyrium parvuli justificantur operis meti- 4.

meritorii incapaces. Secundò, quia gratia quæ confertur à DEO ex promissione Christi, alicui operi positivo annexa, confertur ex opere operato; sed remissio omnis culpæ & pœnæ confertur martyri ex promissione Christi annexa morti propter se toleratæ: ergo confertur ex opere operato. Porrò ratio congruentiæ, cur DEUS Martyrium elevârit ad hanc prærogativam est, quòd per illud homo perfectissimè assimilatur Christo non tantùm secundùm repræsentatam, sed etiam realem imitationem operis præstantissimi ac difficillimi, nimirum mortis pro nobis susceptæ: quod erat summum opus charitatis juxta illud, *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam det pro amicis suis.*

5. Quæres secundò. Quænam causa requiratur sustinendæ mortis, ut valorem & effectum martyrii mors inflicta consequatur: nam juxta celebre effatum D. Aug. concion. 2. in Ps. 34. *Martyrem non pœna, sed causa facit: pœna enim communis est latroni & Martyri, hæretico & Catholico; sed causa dispar.*

Respondeo. Requiritur ut quis mortem patiatur vel propter fidei, vel alterius virtutis supernaturalis, ut religionis, castitatis, Ecclesiasticæ immunitatis, &c. defensionem. Ita cum S. D. 2, 2. q. 104. a. 7. comm. DD. Ratio est: Ille est verè Christi Martyr, qui propter Christum mortem patitur, quia promissio Christi ad illos dirigitur, qui propter ipsum animam perdunt, ipsumque confitentur: sed quisquis in odium Christi, fidei Catholicæ, aut alicujus virtutis Evangelicâ lege præscriptæ & comprehensæ mortem sustinet, eandem patitur propter Christum: quia quodlibet virtutis supernaturalis opus in Christum ceu causam & finem operis refertur: ergo qui ob similem causam mortem patitur, est Martyr Christi: prout etiam comprobat Ecclesiæ praxis, quæ non tantùm SS. Apostolos propter fidem Christi occisos, sed etiam S. Joannem Bapt. propter defensionem Castitatis & testimonium legis Divinæ; S. Thomam Cantuariensem ob defensionem Ecclesiasticæ immunitatis morte multatos veneratur ut Martyres.

Unde ulteriùs sequitur, ad consequendã gratiam Martyrii non esse necessarium, ut subeatur ex actu charitatis & dilectionis DEI super omnia: quia gratia justificationis est promissa mortem propter Christum patientibus: sed mortem propter Christum patitur quis, tametsi non ex motivo, actu, & impulsu charitatis patiatur: ideóque legimus SS. Martyres tormenta fuisse passos, *ut securi pervenirent ad palmam martyrii*, quod pertinet ad virtutem spei.


Dices. Apostolus 1. Cor. 13. dicit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo martyrium absque charitate est inutile ad gratiam comparandam. Respondeo. ly *absque charitate* esse accipiendum repugnanter & contrariè: h. e. si quis inimicitias gerat vel odium contra proximum, contrarium charitati, nihil prodesse martyrium: tunc enim habet pravam dispositionem impeditivam gratiæ.

6. Quæres tertiò. An ad obtinendum martyrii effectum requiratur, quòd mors actu fuerit secuta?

Resp. negativè cùm Suar. d. 29. se. 3. contra Coninc, & Castropal. & dico sufficere, causam illativam mortis in odium fidei, Religionis, &c. ita fuisse positam, ut viâ naturali mors necessariò sequeretur; quantumvis Divino miraculo forsan impediatur: Ita quippe S. Ecclesia D. Joannem Evangelistam colit ut Martyrem, quando fuit in ferventis olei clibano positus, quantumvis ex illo Divinâ ope illæsus evaserit: Ratio est: quòd martyrium perficitur per mortem in fieri, non in facto esse, estque propriè à Christo elevatum ad conferendum effectum baptismi, quia est realis imitatio illius immensæ charitatis, quâ Christus pro nobis posuit animam suam: sed cùm ponitur proxima causa mortis necessitate naturæ secuturæ, jam est mors in fieri, estque realis imitatio mortis Christi, dum martyr ponit pro Christo animam suam sufferendo tormenta mortifera: ergo jam tunc martyrium suum operatur effectum.

Ex his Deduces primò. Bonum latronem 7. non nisi impropriè appellari martyrem, siquidem non in odium Christi, neque propter fidei vel virtutis alicujus defensionem, sed ob prætéritæ vitæ delicta fuit punitus supplicio crucis.

Deduces secundò. Eos, qui propter obse- 8. quium pestiferis ex charitate impensum mortem contrahunt, in rigore non esse martyribus accensendos. Nam I. SS. PP. hoc genus Martyrii non agnoverunt: cùm enim quidam e. de causa pestiferis servire refugerent, ut sese Martyrio reservarent, D. Cyprianus facile potuisset ab ipsorum mentibus conceptam opinionem evellere, si dixisset, ipsum quoque servitium pestiferorum virtutem habere Martyrii; sed ille longè aliter in L. de mortalitate sic loquens: *non est in nostra potestate, sed in dignatione Martyrium, nec possumus nos dicere perdidisse, quod nescimus, an mereamur accipere.* II. Martyrium consistit in tolerantia mortis violenter ab extrinseco illatæ: *Martyrium*, inquit S. D. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1. *consistit in debita sustinentia passionum injustè inflictarum*, idcóque ut loquitur Isidorus L. 7. etymol. c. 11. *Martyres græcè, testes latinè dicuntur; quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & usque ad mortem pro veritate certaverunt:* qua de causa propter insignem adversùs extrinsecam vim & tormenta victoriam Martyrii aureolâ donantur, de qua in Tract. IV. de Actib. hum. dixi: sed qui in obsequio pestiferorum moriuntur, quamvis ex præstantissimæ virtutis motivo, & heroico fortitudinis actu se ipsos morti offerant, illam tamen non violenter à tyranno illatam, sed ex naturalibus causis provenientem, & à maligno aëre haustam patiuntur, imò & antidotis præservantibus adversùs illam se muniunt: unde non est quòd ejusmodi charitatis servitium ad baptismum sanguinis propriè accenseatur: quamvis propter heroici actûs præstantiam & meritum charitatis quoad præmium essentiale parum absit à splendore Martyrii, cùm etiam martyrol. Rom. 28. Febr. mentionem faciens de quibusdam in pestiferorum obsequio extinctis, subjiciat, *quos velut Martyres religiosa fides venerari consuevit.*



§. III. De

§. III.

De subiecto Martyrii, & requisita dispositione ex parte ipsius.

9. QUæres quartò. An & quomodo parvuli per martyrium salventur?

Respondeo primò. Infantes occisi in odium Christi, vel fidei justificantur & liberantur à peccato originali. Ita communis cum S. D. 2. 2. q. 124. a. 1. Nam primò Christi promissio est universalis 8. Marci. *Qui perdiderit animam suam propter me, &c.* Secundò. Ecclesia infantes ab Herode in odium Christi occisos colit, tanquam SS. Martyres, è quibus multi necdum attigerunt octavum nativitatis diem, quo primùm applicabatur circumcisio in remedium peccati originalis, & probabiliter inter occisos ab Herode multi fuerunt ex parentibus gentilibus nati. Neque refert, quòd Christi promissio ad eos dirigatur, qui *ipsum confitentur* Matt. 10. Infantes verò sint incapaces confessionis: ad hoc quippe respondet S. Ecclesia, *non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Adde, quòd altera promissio Christi etiam infantibus conveniat: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Resp. secundò. Probabiliter infantes adhuc in utero materno existentes, & in odium Christi occisi per Martyrium justificantur; cùm enim etiam in utero materno constituti vitam possint propter Christum amittere, non est ratio cur ab universali promissione ipsius eximi debeant. Non ideo sequitur, baptismū in re, vel voto susceptū non fore de necessitate medii ad salutē: hoc enim est intelligendum de via ordinaria, non de extraordinaria, privilegiata, ut est Martyrium.

10. Quæres quintò. Qualis dispositio sit in adulto necessaria ad consequendum effectum Martyrii?

Resp. primò. Sufficit quòd martyr virtualiter & interpretativè acceptet Martyriū, quæ acceptatio in eo consistit, quòd non habeat voluntatē contrariā & repugnantē Martyrio, tametsi nec habeat actualem nec habitualem voluntatem illud recipiendi. Ita Castrop. Reding, Suar. Herinck, aliique. Ratio est, quòd Martyrium sit realis imitatio mortis Christi habens annexam universalē promissionem justificationis, tametsi nulla præcedat voluntas positiva illud recipiendi: nec valet paritas à baptismo, quia per receptionē baptismi baptizatus eligit novum statum & subditur præceptis Ecclesiæ, quod non est conveniens sine propria voluntate; atqui hoc non fit in Martyrio, in quo solummodò reperitur occisio propter Christū. Hinc sequitur: Illos qui in somno propter Christum occiduntur, modò Christianè vixerint, & nullum habeant impedimentum gratiæ, consequi gratiam Martyrii, quantumvis de illo priùs actu non cogitârint.

11. Resp. secundò. Habens conscientiam peccati mortalis ad consequendū effectum Martyrii per se loquendo non necessariò per actum contritionis, sed saltem fidei spei & attritionis disponitur. Ita communis Theol. contra Vasq. Conent. Ratio petitur à paritate baptismi, cui Martyrium à SS. PP. quoad efficaciam comparatur, ut enim D. Aug. supra cit. *quicunque. etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur; tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur S. fonte baptismatis.* Nam constat in illis remediis, in quibus ex Divina promissione vel justificatione remissio peccatorū ex opere operato confertur, ut in baptismo & pœnitentia, sufficere pro necessaria dispositione actus fidei, spei, & attritionis: sed tale remediū non ordinariū sed extraordinariū est etiam Martyrium, non quidem ut ipsum activè seu physicè seu moraliter conferat gratiam: sed ut sit conditio, quâ positâ DEUS confert gratiam justificationis; ergo ad hanc consequendam sufficit habere actum attritionis.

Resp. tertiò. Qui habet copiam peccata personalia post baptismum comissa confitendi ante Martyrium, tenetur illa confiteri, vel in defectu talis occasionis conari ad perfectam contritionem. Ratio primæ partis est, quia omnes fideles præcepto Divino obligantur sua peccata clavibus subjiciendi ante mortem, sicut etiam omnes homines obligantur Divino præcepto baptismum recipiendi; ideo qui instante Martyrio nondum est baptizatus, tenetur illum recipere, si potest, qui post baptismum est lapsus, tenetur Sacramentum pœnitentiæ recipere si possit, neque enim Martyrium absolvit hominem à præceptis juris Divini vel naturalis, si illa possit implere. Ratio secūdæ partis est: quia quamvis sententia in secunda responsione proposita sit probabilis, quia tamen non est moraliter certa, estque oppositæ quoque sententiæ sua probabilitas, quæ actum contritionis requirit, siquidem pœnitentiæ Sacramentum omnibus vel in re vel in voto (quod non est nisi perfecta contritio vel dilectio DEI super omnia) necessarium; ideo tenetur fidelis in illo casu pro assecuranda animæ salute partem tutiorem eligere, & conari ad perfectam contritionem. 12.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. Martyrium est essentialiter opus virtutis; ut habet S. D. 2. 2. q. 124. a. 1. sed in infantibus vel nullam positivam voluntatem habentibus pro Christo moriendi, non est opus virtutis. 13.

Secundò. Conc. Trid. Sess. 6. de just. c. 4. dicit, *translationem à peccato ad gratiam sine lavacro regenerationis in re, vel in voto non fieri*: atqui infantes, & qui cum sola attritione subirent Martyrium, non haberent baptismum nec in re, nec in voto: ergo.

Tertiò. Apostolus 1. Cor. 13. dicit: *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo martyrium sine actu dilectionis in adulto nullius frugis est.

Quartò. S. Th. hîc a. 12. ad 2. habet: *Dicendum quòd effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si fit sine charitate*: ex quo patet, quòd baptismus sanguinis includat baptismum flaminis: adeóque martyrium requirit actum perfectæ dilectionis vel contritionis, in quo consistit baptismus flaminis.

Resp. ad primum. Martyrium debet esse opus virtutis vel subiectivè vel objectivè, conc. tantùm subjectivè, nego: sed in infantibus, &c. non est opus virtutis subjectivè, conc. objectivè, nego minorem, & consequentiam.

Ad

Ad secundum respondeo: Tridentinum loqui de ordinario medio nostræ salutis, non excludente remedium extraordinarium martyrii, semper ab Ecclesia & SS. PP. agnitum. Unde utrumque exprimens D. Aug. ep. 108. ita loquitur: *Qui enim generaliter dixit: Nisi quis renatus fuerit; aliâ sententiâ istos (infantes) fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Ad tertium respondeo: Τὸ *non habuero* esse intelligendum contrariè, non negativè; h. e. si proximum odio habeam, vel dissensiones & schisma foveam; loquitur enim Apostolus ad Corinthios, qui mutuis contentionibus scindebantur.

Ad quartum: Juxta S. D. effusionem & baptismum sanguinis nunquam esse sine charitate in adultis vel antecedenter, vel consequenter: quia vel adultus martyrium subit ex imperio charitatis, ut plerumque contingit, aut per martyrium accipit charitatem unà cum gratia sanctificante infusam: proindeque charitas cum Baptismo flaminis in martyrio virtute continetur & includitur.

§. V.

Corollaria.

14. INferes ex dictis primò: Martyrium non esse Sacramentum: primò, quia secundùm fidem non sunt plura Sacramenta, quàm septem; sed martyrium est extra numerum 7. Sacramentorum novæ legis: ergo non est Sacramentum. Secundò, quia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam tam physicè, quàm moraliter activè ex opere operato: sed martyrium non activè, sed solùm passivè confert gratiam ex opere operato; in quantum Christus meruit, ut ad positionem martyrii DEUS producat in anima Martyris gratiam remissivam omnis peccati tam quod culpam, quàm quoad pœnam. Tertiò, quia omne Sacramentum etiam antiquæ legis est signum practicum à DEO institutum ad gratiam significandam utentibus illo: sed martyrium ad hoc non est à DEO institutum; cujus ministri sunt ministri diaboli: unde S. D. hâc q. a. 11. ad 2. de baptismo flaminis & sanguinis ait: *Conveniunt cum baptismo aquæ, non quidem quantùm ad rationem signi, sed quantùm ad effectum Baptismatis, & ideo non sunt Sacramenta.*

Inferes secundò. Martyrium semper ex opere operato significare vel primam, vel secundam gratiam: quia vel recipitur ab homine justo, vel peccatore: si à peccatore habente necessaria requisita, facit ex attrito contritum, adeòque adinstar Baptismi confert primam gratiam; si ab homine justo, tunc uti patet ex paritate cum Baptismo & Sacramentis mortuorum, producet secundam gratiam: neque enim promissio gratiæ à Christo facta solùm peccatores, imò vel maximè justos respicit, quorum conditio omnibus modis melior est, quàm conditio injustorum: cùm *pretiosa sit mors Sanctorum ejus*, qui suâ morte mortem Christi excellentiùs adumbrant & imitantur. 15.

Inferes tertiò. Gratiam & effectum martyrii conferri in illo instanti, in quo ex illata violentia mors naturaliter sequi debet, non nisi per miraculum impedibilis, sive, in quo ponitur causa proxima mortis. Ita Coninck aliique. Ratio est: Martyrii gratia datur mortem pro Christo subeuntibus; vel ergo mortem in fieri, vel in facto esse subeuntibus. Non in facto esse, quia post hanc vitam non est locus justificationi & infusioni gratiæ: ergo in fieri: sed in eo instanti verificatur mors in fieri, in quo ponitur proxima causa mortis, & homo ex illata violentia non potest naturaliter in vita servari: ergo in eo instanti recipit gratiam martyrii. Inquis: Quid si receptâ jam gratiâ adhuc peccaret, esséne ideo martyr? Respondeo: Quamvis hoc absolutè sit possibile, tamen secundùm communem Ecclesiæ & fidelium sensum videri tales ita divinitus protegendos, ut deinceps ab accepta martyrii gratia non ampliùs deficiant. 16.

Inferes quartò: Etiam ante Christum, & in antiquo testamento fuisse Martyres: quia ibi fuit vera fides; unde nihil ad martyrii coronam iis defuit, qui pro fide mortem passi fuerunt; prout de Machabæis affirmant S. August. serm. 109. de diversis, & S. Basil. in Ps. 115. Abelem quoque primum Martyrem fuisse tradunt S. Cyprian. ep. 56. & lib. de orat. & S. Zeno serm. de pat. quem ideo à Caino occisum fuisse asserit Thargum Jerosolymitanum, quòd Caino divinam providentiam neganti obstiterit. 17.

DISPUTATIO XXV.

DE

Ministro, & Patrinis Baptismi.

EXplicatâ quidditate Baptismi, ad ejus Ministrum progredimur, qui duplex est, alius minister solennitatis, nempe ad hoc munus in facie Ecclesiæ obeundum specialiter ordinatus, ac deputatus; alius minister necessitatis, qui urgente periculo vitæ, & amittendæ salutis ob Baptismi omissionem, prætermissis sacris & accidentalibus cæremoniis, Baptismi substantiam ministrat. De utroque sit

5. Dices: In *c. quos à paganis dist. 4. de consecr.* jubentur à paganis baptizati denuò baptizari: ergo baptismus à pagano collatus agnoscitur pro insufficiente: quò etiam inclinant dicta quorundam PP. relata à Bellarmino *l. 1. c. 7.*

Respondeo: Illo loco supponi baptismum à paganis collatum defecisse in essentialibus. Si quando PP. in oppositam sententiam sese pronos ostendunt, id factum, priusquam Ecclesia suam mentem in Conciliis & SS. Canonibus explicavit, ubi cuique in utramque partem sentire licuit.

§. II.

De Ministro solennitatis.

6. CONCLUSIO III. *Minister solennitatis ordinarius & ex officio in baptismo est omnis & solus Sacerdos: quamvis ex commissione Episcopi vel Sacerdotis etiam Diaconus solenniter baptizare possit.* S. D. q. 67. a. 1. Est communis & certa. Et prior pars habetur decisa in Decreto Florentini de Sacram. ubi dicitur: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Et in *c. constat. de consecr. dist. 4. Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis* (intellige ex officio & jure ordinario) *explere est licitum.*

Ratio congruentiæ est: Illius est ex officio introducere in Ecclesiam DEI, & unire corpori Christi mystico, qui habet potestatem in corpus Christi mysticum: sed hanc habet Sacerdos solus, Diaconus verò consecratur in ministrum Sacerdotis, unde in *c. perlectis, dist. 25.* dicitur: *Ad Diaconum pertinet assistere & ministrare Sacerdotibus, quæ aguntur in Sacramentis; baptismo scilicet & chrismate, calice & patena.*

Nihilominùs, ut asserit altera pars conclusionis, in hoc differt Diaconus à Clerico inferiori, quòd saltem ex delegatione vel commissione Sacerdotis possit in extrema necessitate, vel etiam urgente gravi & rationabili causa solenniter baptizare, ut si parochus ob infirmitatem, vel excommunicationem, vel baptizandorum multitudinem &c. non posset per se conferre baptismum, nec alius adesset Sacerdos, qui vellet, aut posset baptizare, quod tamen minoribus Clericis non licet, prout dicit Suar. disp. 23. sc. 2. Et ratio est: quòd in ordinatione ab Episcopo specialis potestas baptizandi committitur Diacono expressa his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Sed non convenit ordinaria cum solennitate, ut ostensum est; ergo saltem convenit delegata & ex commissione.

7. CONCLUSIO IV. *Jus proximum & completum ad licite baptizandum ex officio tantùm competit Sacerdoti proprio, vel alteri ex ejus commissione.* Ita DD. communiter. & habetur in *c. interdicimus. 16. q. 1.*

Ratio est: Admittere in DEI Ecclesiam, & intra ovile Christi est actus competens Pastori, & Sacerdoti proprio, qualis est respectu totius Ecclesiæ Sum. Pont., respectu Diœcesis Episcopus, & Parochus respectu suæ parochiæ; sed per ministerium baptismi admittitur homo intra Ecclesiam & ovile Christi: ergo est actus competens proprio Sacerdoti. Major liquet: quia admittere intra communitatem cœtumque fidelium est actus jurisdictionis, quæ proximè non habetur ex charactere S. Ordinis, sed ex concessione Ecclesiæ subditos assignantis, prout constabit ex dicendis de potestate absolvendi in Sacramento pœnitentiæ.

Dices: Hinc nimium probari, nempe quòd 8. ne quidem validè daretur baptismus à Sacerdote non proprio, quemadmodum nec validè absolvitur pœnitens à Sacerdote non proprio. Respondeo negando sequelam, & paritatem: quia baptismus non est essentialiter actus judicii, sicut absolutio pœnitentis, unde neque jurisdictio essentiali necessitate in baptismi ministro exigitur, sicut exigitur in ministro pœnitentiæ: est tamen actus jurisdictionis congruenter, & ex decentia, ex qua Ecclesia sufficiens habuit fundamentum, hoc officium restringendi ad Pastorem & Sacerdotem proprium, uti & aliorum Sacramentorum administrationem vel assistentiam.

§. III.

Quædam aliæ quæstiones circa ministerium baptismi expediuntur.

QUæres primò: Possitne aliquis baptizari à se ipso?

9. Respondeo negativè cum S. D. q. 66. a. 5. ad 4. estque definitum in *c. debitum. de baptismo.* Deducitur tam ex præcepto Christi Matth. ult. *Baptizantes eos,* &c. quam ex ipsa baptismi forma: *Ego Te baptizo*: quorum utroque loco distinctio inter baptizantem & baptizatum clare indicatur, qualis etiam ad spiritualem cognationem, quæ inter ipsos intercedit, præsupponitur.

Quæres secundò: An unus possit uno actu 10. plures baptizare, plures nimirum aquâ aspergendo, simulque pronunciando formam baptismi in plurali: *Ego vos baptizo?*

Respondeo: Potest unus plures simul validè, & in gravi necessitate, v. g. pestis, instantis prælii &c. etiam licitè baptizare: quia tunc fiunt moraliter plures baptismi, uti cùm plures simul absolvuntur, sunt plures moraliter absolutiones, & plura Sacramenta pœnitentiæ: extra casum necessitatis tamen ita baptizare, foret grave sacrilegium, propter gravem immutationem ritûs Ecclesiastici, ut habent DD. communiter cum S. D. hîc q. 67. a. 2. & constat ex ipso Rituali Romano, de hac forma: *Ego vos baptizo*, ita statuente: *Quam tamen formam in iis solùm, & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur* (*alias nunquam*) *licet adhibere.*

Quæres tertiò: An unus à multis possit baptizari?

11. Nota. Hoc dupliciter posse contingere. Primò, ut singuli concurrentes integrè & totaliter baptizent, formam integrè pronunciando: *Ego Te* &c. & formando intentionem

baptizandi independenter ab altero. Secundò, ut concurrant per modum causarum partialium, v. g. si unus affundat aquam, & alius pronunciet formam; vel si restringant & limitent intentionem conferendi baptismum tantùm partialiter & dependenter ab altero: sive hoc faciant solùm mentaliter, sive etiam exprimant in forma baptismi dicendo: *Nos Te baptizamus*, &c. Hoc posito

12. Respondeo primò: Si plures absque mutua dependentia in solidum concurrant ad conferendum baptismum, & quilibet dicat: *Ego te baptizo*, validè perficitur baptismus, ut habet S. D. q. 67. a. 6. Constat ex paritate Eucharistiæ, quam plures Sacerdotes unà cum Episcopo in sua ordinatione consecrant; unde, quod ibi locum habet, etiam in baptismo procedit. Et ratio est: quod, quandocunque cum sufficienti intentione debita materia & forma applicatur subjecto capaci, validè conficitur Sacramentum: sed ita fit in casu præsenti: ergo.

13. Respondeo secundò: Quotiescunque plures baptizant per modum causarum partialium, nullum conficitur Sacramentum. Non primo modo, cùm unus affundit aquam, alius pronunciat formam: quia tunc falsificatur forma: quia pronuncians, *Te baptizo*, non baptizat. Non secundo modo: quia ille adversatur institutioni Christi, per quam quilibet Minister est causa sacramenti totalis & in solidum: juxta hunc verò modum tantùm foret causa partiales.

Colliges ex dictis primò. Si alterutet ministrorum ex simul baptizantibus prius absolvat baptismum, illum solùm conficere sacramentum, altero nihil amplius operante: quia, cùm sacramenta non suspendant suum effectum, per illum priorem baptismum character in subjecto capaci jam productus supponitur, atqui hoc ipso est incapax ad baptismum denuò recipiendum. 14

Colliges secundò. In eo casu fore plura baptismata materialiter, non formaliter; materialiter, quia reverà forent ablutiones & prolationes formæ physicè distinctæ; non formaliter & moraliter, quia haberent unam eandemque practicam significationem unius characteris & gratiæ in eodem subjecto. 15

Colliges tertiò. In eo casu unum eundemque effectum characteris & gratiæ parvalim dependere ab una causa & virtute principali, nempe DEO; & à pluribus instrumentis totalibus, nempe ministris & sacramentis materialibus: quod minimè est absurdum; cùm effectus à causa instrumentali non per se dependeat, sicut dependet à causa principali, omniaque agentia instrumentalia uniantur in una virtute & actione divini agentis principalis: unde nulla est paritas deducta à pluribus causis principalibus totalibus ad instrumentales, quia ab illis per se dependet effectus & actio, ab instrumentalibus verò causis non per se, sed per accidens dependet. Ita Magnif. P. Petschacher q. 2. de baptismo a. 3. 16

ARTICULUS II.
De Patrinis Baptismi.

SUMMARIA.

1. *Quid sit patrinus.*
2. *Jure Ecclesiastico ad solennem baptismum adhibendus est patrinus.*
3. *Quinam prohibeantur esse patrini?*
4. *Catholicus licitè potest fieri patrinus in baptismo ab hæretico collato.*
5. *Non debent esse plures, quàm duo diversi sexus.*
6. *Officium patrini.*
7. *Triplex cognatio impediens matrimonium.*
8. *Inter quas personas oriatur cognatio spiritualis?*
9. *Requisita ad contrahendam cognationem spiritualem.*
10. *Cùm per procuratorem baptizatus suscipitur, non procurator, sed principalis contrahit cognationem spiritualem.*
11. *In suppletione cæremoniarum non datur verus patrinus.*
12. *Ad contrahendam cognationem spiritualem non requiritur illius contrahendæ intentio.*

§. I.
An ad Baptismum requirantur Patrini?

1. PAtrinus est, qui baptizatum de sacro fonte suscipit, & recipit in suam curam & spiritualem instructionem. Ipsius proinde officium & gravis obligatio est, baptizatum suo tempore informare in fide. Cujus tamen obligationis executione immunis erit, si baptizatus in loco fidelium Catholicorum, à suis parentibus sufficienter instruendum esse, præsumi possit.

CONCLUSIO. *Est de necessitate præcepti, ut in baptismo solenni adhibeatur Patrinus.* S. Th. q. 67. a. 7. 2

Constat ex antiquissima & perpetua consuetudine Ecclesiæ indicata à D. Dionysio, c. 2. de Hier. Eccles. c. 7. dicente: *Id placuit nostris ducibus* (Apostolis) *ut traderent puerum quidam docto in divinis pædagogo, & sub eo ut sanctæ susceptori.* Similia habet Tertull. lib. de bapt. c. 3. August. ep. 23. & lib. 1. de pecc. mer. c. 34. & habetur tum in jure communi toto tit. *de cognat. spirit.* tum in Tridentino sess. 24. de reform. c. 2. Ratio congruentiæ ex S. D. hic a. 7. est: quod generatio spiritualis baptismi habeat analogiam ad generationem carnalem; unde sicuti in illa carnali neogenitus indiget nutrice & pædagogo; ita in hac spirituali indiget aliquo subeunte officium pædagogi & baptizatum instruentis in fide.

Dixi:

Dixi: *in Baptismo solemni*; in quo patrinum omittere, probabilius est peccatum mortale, cum sit transgressio præcepti Ecclesiæ [illegible] in materia [illegible]. In privato vero & non solemni baptismo, nullam esse patrini adhibendi obligationem, ubi & aliæ cæremoniæ prætermitti possunt, docent communiter DD. apud Theol. Salisb. de bapt. tr. 3. Et ulterior ratio est, quod in casu necessitatis, quo solet baptismus privatim conferri, non possint à parentibus eligi [illegible] patrini, [illegible] ipsis hanc obligationem [illegible] non præsumitur. Patrinum quoque adhibere est cæremonia ad solemnem baptismum instituta, uti satis colligitur ex [illegible], parocho præcipiente [illegible], antequam ad baptizandum [illegible] ad quos spectat, quem, vel quos eligerint in patrinum &c.

3 Quæres: Quales debeant esse Patrini?

Respondeo I. A munere Patrini prohibentur [illegible] baptizandum [illegible] quippe [illegible] *in vari-* [illegible] II. Hæretici, idque [illegible] in Catholicis [illegible] Patrini, [illegible] & [illegible] professionis. [illegible] patrinus haberi nequit? [illegible] vel [illegible] Catholici [illegible] hæretici [illegible] Layman l. 5. tr. 2. c. 9. n. 7. [illegible] patrinos hæreticos contra[illegible] cum legibus Ecclesiasticis [illegible] exemplum. III. Prohibentur [illegible] incapaces, [illegible] aut [illegible] agere possunt. IV. Ignorantes, qui nec prima fidei principia, aut dominicam orationem capiunt; nam quo pacto alios instituant, ipsimet omnium rudes? V. Publice excommunicati, & notorie infames, cum & interdictum sit, cum excommunicatis [illegible] communicare, præsertim in sacris, & [illegible] plus promittant destructionem [illegible] ad patrini munus [illegible]. VI. Parentes respectu propriæ prolis extra casum necessitatis: qui, nisi per ignorantiam excusentur, prolem ita suscipientes [illegible] peccabunt mortaliter, quippe Ecclesiasticæ legis [illegible] gravi transgressores; [illegible] cognationem spiritualem contrahet [illegible], qua impeditur a sua conjuge exigere debitum conjugale, quamvis illud conjugi [illegible] & petenti reddere teneatur. VII. Jure communi patrini esse prohibentur Abbates & Religiosi, per *c. Monachi. de consecr. dist. 4.* sed [illegible] contraria consuetudine [illegible] derogatum esse videtur.

4 Respondeo secundo: Licet Navarrus & Azor [illegible] non liceat Catholico esse patrinum baptismi à Ministro hæretico [illegible] hæretico ministrati, ne scilicet videatur assentiri hæretico ministerio, tamen Castropal. & Layman cit. probabiliter sentiunt, si Catholicus ex talis muneris recusatione sibi suismet timeret grave damnum, aut haberet rationabilem causam, absque periculo aliquo scandali, licere Catholico agere patrinum baptismi hæretici: quia primò talis Catholicus nec activè nec passivè concurrit ad indebitam baptismi ministrationem, imò impedit ne interveniat Patrinus hæreticus cum voluntate talem infantem in hæresi instruendi. Secundò: quia officium Patrini est velle baptizatum suscipere in suam curam, eumque si oportet, in vita Christiana instruere, quod totum est honestum & licitum. Atque ita practicari tam in Gallia quam in Germania, ubi Catholici & hæretici sunt invicem permixti, testatur cit. Layman lib. 5. tr. 2. c. 9.

Respondeo tertiò. Jure novo Tridentino [illegible] unus, vel ad summum duo vir & fœmina debent adhiberi in Patrinos, uti statutum est sess. 24. de Ref. Matrim. c. 2. Jure autem veteri [illegible], vel [illegible] permittebantur, ex *c. quamvis, de cogn. spir. in 6.* quid si vero plures patrini designentur, atque à parocho vel ob ignorantiam vel negligentiam recipiantur? Respondent: Probabiliter omnes fieri patrinos, adeoque spiritualem cognationem contrahere, juxta idem *c. quamvis.* Posteriori ratio congruentiæ, cum Trid. non [illegible] patrinos [illegible] spiritualis [illegible] excludi, [illegible] Sanch. lib. 7. de matrim. d. 57. n. 4. tradit Clariss. Oberalder. tr. 2. c. 3. §. 1. 5.

§. II.

De officio & spirituali cognatione Patrini.

Quæres primò: Quænam sint officia Patrini? 6.

Respondeo: Officium Patrini est I. baptizandum offerre Sacerdoti; qui & [illegible] D. Justinus q. 56. ad Orthodoxos [illegible] *offerentem.* II. Respondere pro baptizando, quando is respondere per se nequit, ideoque à Tertull. lib. de bapt. c. 18. *Sponsor* nominatur, & a D. August. ser. 215. de temp. fidejussor. III. Tenere [illegible] baptizandum, & levare de fonte, potissimum si baptismus fiat per immersionem. IV. Suscipere de manu baptizantis, unde & susceptor vocatur. V. Ejus curam gerere in Christiana instructione, ex qua Patrinus, quasi alter Pater dictus. Cujus tamen obligatio non urget, nisi in defectu alterius [illegible]. Hujus quippe instructionis cura & onus [illegible] incumbit parentibus & parochis, quàm patrino baptizati. Ita observat Doctor Angel. p. 67. a. 8. de patrinis dicens: *Possunt excusari, ubi nutriuntur inter Catholicos, præsumendo, quod à suis parentibus diligenter instruantur.* Si tamen quocunque modo [illegible] contrarium, tenentur secundum [illegible] saluti spirituali filiorum curam impendere.

Quæres secundò: An & quando tum a Patrino, tum ab aliis personis in baptismo contrahatur cognatio spiritualis? 7.

7. Quæres secundò: An, & quando tum à Patrino, tum ab aliis personis in baptismo contrahatur cognatio spiritualis?

Notandum. Triplicem universim dari cognationem, quæ sit impedimentum matrimonii: nempe carnalem, legalem, & spiritualem. Carnalis est, propinquitas ex carnali propagatione contracta, de qua dicetur in tract. de matrimonio. Legalis est, quæ ex adoptione, vel arrogatione consurgit, de qua ibidem. Spiritualis est hujus loci, & dicitur propinquitas personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, vel Confirmationis, aut propter susceptionem Baptizati, vel Confirmati: non enim sunt plura, quàm duo hæc Sacramenta, è quibus oritur cognatio spiritualis: videlicet Baptismus, & Confirmatio: cujus congruam rationem assignat Angelicus Doctor in 4. ad Annibald. dist. 24. q. un. a. 2. in c. his verbis: *Cognatio ex generatione causatur, & ideo cum spiritualis generatio per duo Sacramenta causetur*, scilicet per Confirmationem & Baptismum, hæc duo spiritualem cognationem causant: nam Baptismus est quasi generatio vel nativitas in utero: Confirmatio verò quædam nativitas ex utero, in quantum aliquis jam roboratus exponitur ad publicè confitendum nomen Christi. Hæc S. Th.

8. Respondeo: Secundùm novum jus Tridentini spiritualis cognatio ex Sacramento Baptismi oritur inter istas personas: primò, inter baptizantem & baptizatum. Secundò, inter baptizantem, & utrumque parentem baptizantis. Quartò, inter patrinum & baptizatum. Quintò, inter patrinum & utrumque parentem ipsius baptizati. Ita Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 2.

Ratio congruentiæ, in qua ista Ecclesiæ constitutio fundatur, est prædicta Baptismi ceu spiritualis regenerationis analogia cum generatione carnali: unde sicut ex carnali generatione contrahitur cognatio carnalis, quæ sit impedimentum dirimens matrimonii, ob reverentiam consanguineis debitam: ita conveniens fuit, ut secundùm ordinationem Ecclesiæ ex generatione spirituali contraheretur cognatio spiritualis, quæ foret impedimentum dirimens matrimonii propter debitam reverentiam concurrentibus ad hanc generationem spiritualem; nam & baptizans respectu baptizati habet se instar patris, & susceptor, seu patrinus instar matris, baptizatum nomine Ecclesiæ in suum gremium recipientis: quâ de causa cognatio spiritualis, quæ intercedit inter baptizantem, sicut etiam inter patrinum & baptizatum (par ratio de ministro & patrino Confirmationis) vocatur paternitas; quæ verò inter baptizantem seu patrinum cum parentibus baptizati, compaternitas dicitur. Alias species cognationis spiritualis, quæ jure antiquo vigebant, Tridentinum sustulit loc. cit. ne nimia multiplicatio impedimentorum pareret confusionem.

Quæres tertiò: Quænam sint requisita ad hoc, ut patrinus in baptismo contrahat cognationem spiritualem? 9

Respondeo: Requiri realem tentionem, & susceptionem baptizati, cum aliqua saltem virtuali vel implicita intentione fungendi munere patrini. Ratio primi est, quia jura, quæ statuunt spiritualem cognationem cap. *Veniens*, & *c. fin. de cogn. spir.* Trid. loc. cit. c. 2. utuntur his terminis: *tenet, suscipit, levat, tangit.* Ratio secundi est: quia per officium patrini quis subit obligationem quasi sponsoris & fidejussoris pro baptizato, quæ non nisi volenti imponitur. Unde qui juvandi tantùm causâ teneret baptizandum, non contraheret spiritualem cognationem. Præterea juxta probabiliorem multorum doctrinam apud Sanch. & Tambur. quam etiam sequitur Magnif. P. Petschacher loc. cit. requiritur designatio patrini, ita ut nemine in patrinum designato, nemo etiam ex tenentibus infantem contrahat cognationem spiritualem: quamvis oppositam quoque sententiam Sanch. probabilem dicat.

Quæres quartò: Quis contrahat cognationem spiritualem, quando quis vice alterius & nomine procuratorio levat infantem de sacro fonte? 10

Respondeo primò: Procuratorem non contrahere cognationem spiritualem, ut tradit Sanch. de matr. lib. 7. d. 59. n. 12. Barbosa, Pontius, & alii. quia non ipse, sed principalis ipsius est designatus in patrinum, nec ipse habet intentionem suo nomine hoc munus peragendi, sed in principalem, cujus vices gerit, totum onus & obligationem patrini transferendi.

Respondeo secundò: Probabiliùs Principalis, qui per procuratorem levat baptizandum, contrahit cognationem spiritualem. Ita AA. citati, quod etiam tum à S. Congreg. tum à Rota decisum refert Reding. q. 8. a. 2. Ratio est primò: quia quilibet potest facere medio procuratore, quod potest facere per seipsum, nisi prohibeatur, *l. 1. §. rursus. ff. de procurat.* & *c. potest quis. de R. J. in 6.* At nullibi prohibitum est obire munus patrini mediante procuratore, imò usus communissimus mediante procuratore obeundi hoc munus stat in contrarium: ergo potest quis per procuratorem esse patrinus. Unde cùm jura citata personalem actionem & immediatum contactum videntur exprimere, loquuntur de illo contactu facto vel per se, vel per alium. Secundò: Si principalis non contraheret cognationem spiritualem, quando per procuratorem suscepit baptizatum, tunc solennis baptismus careret patrino: consequens est contra intentionem & legem Ecclesiæ: ergo principalis levans per procuratorem contrahit cognationem spiritualem. Sequela probatur: quia idem est esse patrinum, & contrahere tum obligationem instruendi baptizatum, tum cognationem spiritualem: ergo, si ista non contrahit, etiam non fit Patrinus. Cum ergo Ecclesia con-

concedat infantem suscipi per procuratorem, etiam agnoscit per procuratorem contrahi cognationem spiritualem.

11. Colliges primò. Cùm supplentur cæremoniæ in baptismo privato omissæ, patrinum illius solennitatis non esse verè patrinum, neque contrahere cognationem spiritualem, quia non suscipit in baptismo, qui jam præcessit: quod meritò à Tamburino §. 3. n. 5. etiam ad baptismum conditionatum extenditur.

Colliges secundò. Si modò Patrinus baptizandum suscipiat cum intentione exercendi munus Patrini, eo ipso contrahere cognationem spiritualem, tametsi nullam habeat intentionem illam contrahendi, aut fortè contrariam & positivam intentionem non contrahendi: (modò ista non sit efficacior & appretiativè major, quàm intentio subeundi munus patrini) quia cognatio spiritualis, sicut & obligatio instruendi baptizatum muneri patrini ex institutione Ecclesiæ est essentialiter annexa. 12.

DISPUTATIO XXVI.

DE
Necessitate, & subjecto Baptismi.

SUppono aliam esse necessitatem medii, aliam præcepti. Necessarium priori modo est, sine quo etiam invincibiliter ignorato salutem non possumus consequi: Necessarium posteriori modo est, quod sine peccato voluntariè omitti non potest, sive sine quo peccatum vitare non possumus. In hoc excusat ignorantia invincibilis, non in illo. Hoc posito sit

ARTICULUS I.

An, & quomodo Baptismus sit necessarius ad salutem?

SUMMARIA.

1. *Varii errores hæreticorum de Baptismo infantum.*
2. *Doctrina fidei.*
3. *Baptismus in re est infantibus necessarius necessitate medii.*
4. *Parvuli sunt baptizandi, quamprimùm commodè fieri potest.*
5. *An, & quando baptizanda sint monstra?*
6. *Filii hæreticorum possunt baptizari invitis parentibus.*
7. *Filii infidelium non subjectorum licitè baptizari non possunt invitis parentibus.*
8. *Neque infidelium tantùm civiliter subjectorum.*
9. *Licet, invitis parentibus infidelibus, qui sunt mancipia, baptizare filios à parentibus separatos.*
10. *Etsi alteruter parentum fuerit conversus ad fidem.*
11. *Infantes infidelium jam baptizati sunt à parentibus separandi.*
12. *Et separati sunt baptizandi, si non sit metus, quòd ad suos parentes sint redituri.*
13. *Filii infidelium, petentes baptizari, repelli non possunt.*
14. *In mortis periculo constit uti etiam invitis parentibus sunt baptizandi.*

§. I.

Necessitas Baptismi in parvulis.

1. SUpponitur contra Pelagianos existentia peccati originalis probata in Tract. VII. de peccato originali; quo negato tota Redemptionis nostræ œconomia, & necessitas Sacramentorum convellitur. Nostri temporis Novatores in varios de Baptismo, infantum præcipuè, errores abeunt. Baptismum esse necessarium fidelium infantibus ad salutem medium negat Calvinus, & Anabaptistæ; iidem negant, infantes esse Baptismi capaces, præsertim si sunt ex infidelibus procreati: infantes fidelium actuali fide præditos esse, Lutherus; plures, in fide parentum sanctificari; alii aliter delirant.

Veritas fidei dicit primò: Pueros fidelium non esse sanctos ab utero materno, ex Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* ubi de iis loquitur, qui erant ex Judæis fidelibus nati. Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* 1. Cor. 5. *Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* &c. Secundò. Infantes esse Baptismi capaces: nam Act. 16. v. 13. & 33. 1. Cor. 11. v. 16. ab Apostolis integras familias baptizatas legimus, à quibus parvulos semper abfuisse nemo somniaverit. Nec potest Baptismus in lege gratiæ esse minoris efficaciæ, quàm circumcisio in lege Moysis, quæ parvulos justificavit: neque Christus aliam æquè parvulis, ac adultis aperuit januam, quàm quâ intrarent in Ecclesiam & cœlum, quando dixit Jo. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* &c. Tertiò etiam infidelium filios esse capaces Baptismi: aliàs DEUS non seriò *vellet omnes homines salvos fieri*, nec 2.

nec Christus *pro omnibus* esset *mortuus*, si qui excluderentur à janua ad regni DEI introitum necessaria: hoc autem est contra Apostolum 1. Tim. 2. & Rom. 5.

Quæstio superest, utrùm Baptismus in re susceptus sit parvulis necessitate medii ad salutem necessarius. Ubi Cajet. à Gonetto relatus censuit, deficiente opportunitate parvulos baptizandi, votum Baptismi à parentibus, aliisve conceptum, atque exteriori signo expressum, ipsis prodesse ad salutem: quæ tamen opinio passim judicatur temeraria & errori proxima.

3. CONCLUSIO prima. *Baptismus in re parvulis, & rationis usu carentibus extra casum Martyrii est ad salutem necessarius necessitate medii.* S. D. q. 68. a. 8.

Est definitum à Florentino in Decr. un. & Trid. sess. 5. in Decr. de pecc. orig. & sess. 7. can. 5. can. 5. de bapt. & sess. 6. c. 4. *c. majores. de baptismo.* Cujus fundamentum desumitur ex illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intr. ire in regnum DEI*: quæ verba juxta SS. PP. interpretationem indicant talem necessitatem Baptismi, ut sine illo nemo possit introire in regnum DEI; adeòque necessitatem medii. Ita exponit Ambros. l. 2. de Abr. c. ult. *utique nullum excepit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* D. August. de orig. an. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Eadem habet ep. 47. ad Valentin. & l. 1. de peccat. mer. c. 18. Si petas discrimen: cur in veteri testamento præter circumcisionem masculi habuerint aliud remedium peccati originalis; & præter baptismum non habeant in lege gratiæ? Respondeo: quia præcepto divino circumcisio differenda erat usque ad octavum diem; unde providendum erat de alio remedio ante diem octavum vitâ periclitantibus: Baptismus verò in nova lege conferri potest, quàm primùm infans est in lucem editus.

4. CONCLUSIO secunda. *Parvuli sunt, quàm primùm commodè fieri potest, baptizandi, tametsi usum rationis non habeant.* S. D. q. 68. a. 9, estque definitum in Concil. Milevit. 2. can. 2. dicente: *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit.* Item in Trid. sess. 7. de Bapt. can. 13. illis dicente anathema, qui dixerit, præstare omitti parvulorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizare in sola fide Ecclesiæ. Ratio congruentiæ est primò, quòd, cùm Baptismus Ecclesiæ sit similis generationi carnali, sicut infans in utero existens non per se ipsum accipit nutrimentum, sed sustentatur ex nutrimento matris, ita pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ censentur constituti, ideoque per illius actum salutem suscipiunt. Secundò, (ut inquit D. Th. loc. cit.) *ut à pueritia nutriti in his, quæ sunt Christiana vita, firmiùs in ea perseverent secundùm illud Proverb. 22. Adolescens juxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Tertiò. Non est conveniens, ut parvuli modò sint deterioris conditionis, quàm in lege veteri: sed ibi quantocyus liberabantur à peccato originali sive per circumcisionem, sive per remedium legis naturæ: ergo oportet etiam in nova lege quantocyus ipsos per Baptismum liberari.

Quæres: An, & quando baptizanda sint monstra? 5.

Respondeo primò: Si monstrum ab humana figura in partibus minùs principalibus deficiat, v. g. manu, pede, brachio &c. est absolutè baptizandum; si verò in parte principali, ita ut sit dubium, utrùm habeat animam rationalem, uti si nascatur capite canino, baptizandum est sub conditione, *si es homo*, exigente necessitate Sacramenti, & aliquali saltem probabilitate animæ rationalis. Si verò majori ex parte in bestiam degeneret, ut si nec caput, nec pectus, nec aliquam actionem humanam præseferat, non est baptizandum, cùm non sit probabilitas animæ rationalis.

Respondeo secundò: Si constet de monstro, quòd sit homo, dubium verò sit, an sit unus, vel plures homines, eò quòd sub duplici capite sit unum pectus &c. debet in uno capite absolutè, in altero baptizari conditionatè, sub conditione, *si indiges*, vel *si es capax* &c. Item si sub uno capite sint duo pectora, priùs absolutè unum pectus, deinde alterum erit baptizandum sub conditione. Ita Laym. l. 5. tr. 2. c. 6. aliique.

§. II.

An, & quando liceat invitis parentibus baptizare filios infidelium?

CErtum est, filios hæreticorum necdum ritè bapizatos posse etiam ipsis invitis per se loquendo validè & licitè baptizari: sicuti enim ipsi sunt sub Ecclesiæ potestate, ita ut ad fidem, & præcepta servanda compelli possint, ita & ipsorum liberi eatenus sunt subjecti potestati Ecclesiæ, ut possit illos ad recipiendum baptismum exigere. Itaque nomine infidelium illi in præsenti intelliguntur, qui per baptismum non sunt unquam Ecclesiæ aggregati. Iique vel sunt alicui Principi Christiano subjecti, idque vel civiliter & politicè, vel tantùm serviliter: vel non sunt subjecti. De quibus 6.

Respondeo primò: Filios parentum infidelium nulli Christiano Principi vel Domino subjectorum non licet his invitis baptizare. S. D. hîc q. 68. a. 10. & communis Theologorum. Aut enim baptizarentur quatenus sub cura parentum constituti, aut quatenus ab iisdem avulsi? Si primum, gravis fit irreverentia Sacramento, siquidem in ejusmodi parvulis est moraliter certum periculum perversionis & apostasiæ à fide. Si secundum, gravis fit injuria parentibus, quibus jure naturæ competit pote- 7.

potestas in suos liberos, quamdiu rationis & proprii arbitrii usu non potiuntur.

8. Respondeo secundò: Non licet filios parentum infidelium, civiliter subjectorum, qui tamen non sunt mancipia, parentibus invitis baptizare. Ratio jam insinuata est; quia civilis subjectio non adimit parentibus jus strictum & potestatem in liberos sibi jure naturæ competentem: cùmque potestas & authoritas publica non se extendat ad supernaturalia præcepta, sicuti ipsimet parentes ad fidem & Baptismum recipiendum à Christianis Principibus cogi non possunt, ita nec cogi possunt ipsorum liberi. Unde neque Ecclesia liberos Judæorum Romæ degentium, adeòque Papæ civiliter subjectorum, à parentibus solet abstrahere & baptizare.

Dices: Jure naturæ cuivis licet tueri innocentem, qui injuriam patitur; sed parvuli à parentibus à Baptismo injustè impediti patiuntur injuriam: ergo. Respondeo: Si patiantur injuriam in rebus jure naturæ debitis, concedo; si in supernaturalibus, nego.

9. Respondeo tertiò: Filios mancipiorum infidelium licet iisdem invitis baptizare, dummodo à parentibus infidelibus separentur: quia quo jure parentibus infidelibus in servitutem redactis est adempta libertas naturalis, eodem quoque potestas patria est subdita voluntati domini: ergo potest dominus abs illorum injuria liberos ab iis separare; quo casu nullum erit periculum perversionis: eritque obligatio ex charitate & pietate, ejusmodi infantibus de suæ salutis remedio providendi.

Dices: Dominus Christianus respectu sui mancipii non habet jus spirituale: sed potestas ipsius filium baptizandi est quoddam jus spirituale: ergo hoc domino Christiano non competit. Major probatur: quia cùm ratio dominii sit potestas corporalis, non potest tribuere jus spirituale.

Respondeo negando majorem, ejusque probationem distinguo: ratio dominii non potest tribuere jus spirituale directè, & non supposita separatione, concedo; indirectè eaque suppositâ, nego: tunc enim non tantùm est jus, sed etiam obligatio conferendi, vel procurandi Baptismi.

§. III.

Corollaria.

Colliges ex dictis primò. Si alteruter ex parentibus fuerit conversus ad fidem, illo solo consentiente filium vel filiam posse baptizari, ut habetur in *c. Judæi. 28. q. 1.* licèt enim quoad speciales effectus juris patria potestas sit penès solum patrem, tamen quoad jus naturale in nutriendis, retinendis, educandis filiis, maximè in iis, quæ ad salutem pertinent, æqua est utrusque potestas: quo tamen casu proles à consortio alterius parentis reluctantis separari debet, uti tradunt Conink, Gonet, aliique. 10.

Colliges secundò. Infantes infidelium, sive per fas sive nefas semel baptizatos, esse à suis parentibus infidelibus separandos; quia per Baptismum cœperunt esse subjecti Ecclesiæ, & membra ipsius. Ita Castropal. punct. 6. n. 8. 11.

Colliges tertiò. Eadem ratione infantes infidelium semel à cura parentum abstractos sive justè, sive injustè, si nulla sit spes moralis, quòd ad suos parentes redire possint, posse ac debere baptizari, ut docet Suarez, Coninck, Gonet aliique communiter, quia tunc cessat persuasionis periculum, nec patriæ potestatis obstat efficacia. 12.

Colliges quartò. Filios infidelium, si post acquisitum usum rationis petant baptizari, etiam invitis parentibus esse baptizandos. S. D. a. 10. cum communi: nam in his, quæ sunt juris naturalis & divini, filii incipiunt esse sui juris. 13.

Colliges quintò. Filios infidelium in mortis articulo aut periculo constitutos etiam invitis parentibus esse baptizandos; quia tunc non est perversionis periculum, neque jus parentum in filios jam morti proximos in tam grave ipsorum præjudicium se videtur extendere, ut docet Suarez, Castropal. punct. 6. n. 14. & alii. 14.

ARTICULUS II.

De necessitate Baptismi in adultis & requisita dispositione.

SUMMARIA.

1. *Baptismus in re, vel in voto est adultis necessarius necessitate medii ad salutem.*
2. *Quid sit Baptismus in voto?*
3. *Adultus etiam obligatur necessitate præcepti ad Baptismum.*
4. *Quomodo intelligenda disjunctio*, in re, vel in voto.
5. *Adultus obligatur petere susceptionem Baptismi, quàm primùm potest moraliter suscipere.*
6. *Neq; excusantur catechumeni ab hâc obligatione.*
7. *B. V. & Apostoli fuerunt baptizati.*
8. *SS. Patres catechumenis negantes justificationem quomodo sint intelligendi.*
9. *Parentes graviter obligantur, suis infantibus maturè providere de Baptismo.*
10. *Quid agendum cum amentibus?*
11. *Quo tempore cœperit Baptismi necessitas?*
12. *Ad validam susceptionem Baptismi in adulto non requiritur fides, sed intentio.*
13. *Ad consequendum effectum Baptismi in adulto sufficit attritio.*
14. *Si quis haberet solum originale, non teneretur esse attritus, aut contritus.*
15. *Quantam notitiam in mysteriis fidei debeat habere baptizandus?*

§. I.

Necessitas in re, vel in voto.

1. CONCLUSIO prima. *Baptismus in re, vel in voto est omnibus adultis necessarius necessitate medii ad salutem.* S. D. loc. cit.

Est de fide ex generali regula Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. & definitione tum Florentini, tum Tridentini relata praeced. art. §. 1. n. 3. Porrò, quòd etiam Baptismus in voto aliquando sufficiat ad consequendam salutem, constat primò ex doctrina Trid. sess. 6. c. 4. ubi agens de translatione hominis à statu peccati ad statum gratiae, dicit: *Quae quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Secundò *c. debitum. de Baptismo. & c. Apostolicam. de Presbytero non baptizato.* Tertiò ex PP. nam S. Ambros. in orat. de obitu Valentiniani censet, ipsum, licèt sine Baptismo mortuum, nihilominus salvatum esse per votum Baptismi. August. l. 4. de Bapt. c. 22. dicit, non tantùm martyrium, sed etiam fidem & cordis conversionem ad DEUM supplere vices Baptismi, quando re ipsa non potest percipi. Quartò: Ex communi sensu & doctrina totius Ecclesiae, quae praeter Baptismum fluminis, & sanguinis, etiam agnoscit Baptismum flaminis, qui nihil est aliud, quàm Votum Baptismi.

2. Votum, inquam, sed quale? non quod sit purum putum propositum recipiendi Baptismum, sed ardens charitate, adeòque vel explicitè, vel implicitè inclusum in perfecta contritione, aut efficaci dilectione DEI super omnia: huic quippe tanquam ultimae physico-morali dispositioni ad infusionem gratiae sanctificantis infallibiliter annexus est justificationis effectus, unde Prov. 8. dicitur: *Ego diligentes me diligo.* Jo. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, &c. prout ex instituto dicemus in sequenti Tractatu de poenit. Explicitè votum Baptismi erit inclusum, si negatâ Baptismi realiter suscipiendi copiâ, adultus praeter contritionem, vel dilectionem DEI signatè cogitans de Baptismo eliciat propositum eundem datâ opportunitate recipiendi. Implicitè erit inclusum, si nihil de eo cogitans toto tamen affectu convertatur in DEUM, cupiens illi per omnia, & in omnibus placere; in qua universali voluntate totam legem implendi continetur etiam voluntas implendi Divinum praeceptum Baptismi recipiendi.

3. CONCLUSIO secunda. *Adultus obligatur necessitate praecepti Divini ad Baptismum recipiendum.*

Ratio est primò: Omne medium necessarium ad salutem, cùm subest potestati liberi arbitrii, est etiam de necessitate praecepti divini, quâ tenemur ad nostram salutem, vitamque aeternam contendere: sed ex dictis Baptismus juxta institutionem divinam est medium necessarium ad salutem: ergo est necessarius adultis necessitate praecepti. Ratio est secundò: Est de necessitate praecepti divini, ut homo aggregetur ad coetum fidelium, fiatque vivum Ecclesiae verae membrum, extra quam non est salus: sed hoc non fit sine Baptismo re ipsa suscepto: ergo realis Baptismi susceptio est de necessitate praecepti.

Dices: Baptismus est medium necessarium vel in re, vel in voto: si ergo habeam Baptismum in voto, non ampliùs est necessarius in re. Contra est, quòd non esset ampliùs Baptismus necessarius in voto, si esset in mea libertate positum, illud vel re ipsa suscipere, vel solo ejus desiderio esse contentum, nam & per ipsum Baptismi votum adultus justificatur dependenter à Baptismo realiter suscipiendo. unde ad vitandam disjunctionis aequivocationem distinguo antecedens. Est medium necessarium in re, vel in voto, ut haec disjunctio significet, esse in hominis arbitrio positum, hoc vel illud medium amplecti, nego; ut sensus sit, in casu per accidens oborto, quo negatur opportunitas Baptismi realiter suscipiendi, ad justificationem sufficere perfectam contritionem, quatenus est virtuale saltem propositum Baptismi reipsa suscipiendi, concedo. 4.

§. II.

Corollaria.

INferes ex dictis primò. Adultum obligari sub gravi peccato, quàm primùm moraliter potest commodè & dignè suscipere, petere receptionem Baptismi. Ratio est: quia urgetur supernaturali praecepto dilectionis erga seipsum, providere sibi de mediis necessariis ad salutem deque evitando periculo tam damnationis aeternae, quàm multorum lapsuum: sed realis perceptio Baptismi, & per illam aggregatio in Ecclesiam DEI est tale medium necessarium, sine quo homo est in periculo salutis aeternae, obnoxius laqueis diaboli & mille periculis peccandi: ergo. 5.

Inferes secundò. Etiam Catechumenos quantumvis sibi videantur per sinceram DEI dilectionem ejusdem divinae gratiae & amicitiae participes, obligari tamen ad Baptismum oblatâ opportunitate percipiendum: quia etiam Catechumenus obligatur aggregari in Ecclesiam DEI, in quam non nisi per Baptismi characterem intrat, priùs solummodo haerens in vestibulo ipsius Unde 6.

Inferes tertiò. Beatissimam Virg. quantumvis ab omni tam personali, quàm originali maculâ immunem, multò magis Apostolos, quamvis per circumcisionem ab originali mundatos, & caeteroquin justos & sanctos, nihilominus indiguisse susceptione Baptismi, ut nempe per illum intrarent in Ecclesiam Christi, & per ejus characterem fierent capaces caeterorum SS. Sacramentorum. Ad quem proinde recipiendum post passionem Christi fuissent obligati, nisi eundem ab ipsius Christi divina manu jam ante passionem accepissent, ut est communis DD. sententia. 7.

Infe-

8. Inferes quartò. Si quando SS. PP. loquuntur, catechumenos *quamvis in bonis operibus defunctos vitam aeternam non habere sine martyrio*, ut D. Aug. L. de Eccles. dogmat. c. 74. *Sanctificationem catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valere ad intrandum regnum coelorum.* L. 2. de peccat. mer. c. 26. adhuc *sarcinam iniquitatis portare.* tr. 4. in Jo. intelligendos esse vel de catechumenis fiduciâ bonorum operum negligentibus debito tempore baptismum suscipere: vel de illis, qui nondum perfecta contritione, vel dilectione DEI fuerunt ad justificationem dispositi.

9. Inferes quintò. Parentes, aliósve, qui curam gerunt infantum, obligari sub peccato mortali, ad providendum, ut ii, quàm primùm congruè fieri potest, baptizentur. Cujus ratio est: quòd, cùm ipsimet sibi de medio tam necessario providere non possint, obligatio charitatis & juris divini parentes, aliósve eorum curam habentes obstringit, ut parvulis de tam necessario suæ salutis remedio maturè caveant; præsertim cùm tenerrima illa ætas morborum mortisque periculis facillimè infestetur.

10. Inferes sextò. Amentes à nativitate, qui non habent lucida intervalla, baptizandos esse in fide Ecclesiæ, siquidem comparantur infantibus, dummodo non sint nati ex parentibus infidelibus; hoc quippe casu observanda sunt, quæ de Baptismo ejusmodi parvulorum antè diximus. Si verò habeant lucida intervalla; aut aliquando monstrârunt voluntatem recipiendi Baptismum, aut non? Si non; baptizandi non sunt defectu intentionis. Si monstrârunt; baptizandi sunt, quando spes est, esse bene dispositos. Secus; baptisma in aliud tempus differendum. Quid si verò post usum rationis inciderint in amentiam, in quâ nulla habent lucida intervalla? Distinguendum est: Aut ostenderunt aliquod desiderium probabile Baptismi, aut non? Si non: nequeunt baptizari. Si ostenderunt, & est spes probabilis, esse dispositos, sunt baptizandi. In dubio, an habuerint voluntatem recipiendi Baptismi, erunt sub conditione baptizandi. Ita exigit partim necessitas salutis, partim reverentia Sacramenti. Ita D. Th. q. 68. a. 12. & Clariss. Oberascher tr. 2. c. 2. §. 4.

11. Quæres: A quo tempore inceperit Baptismi necessitas?

Variæ sunt AA. opiniones, dum aliqui ante Resurrectionem, alii in ipso Resurrectionis instanti; alii, cùm Christus ad Apostolos diceret: *Docete omnes gentes, baptizantes,* &c. alii in die Pentecostes Baptismi necessitatem incepisse existimant.

Respondeo: Probabiliter Baptismum cœpisse esse (1) necessarium necessitate medii, ab instanti mortis, vel Resurrectionis Christi; necessitatem verò præcepti cœpisse tunc quidem (2) radicaliter, (3) formaliter verò & in actu signato in die Pentecostes; in actu etiam exercito post sufficientem intimationem sub congruis signis credibilitatis. Ita ferè Reding. cit. q. 8. a. 1. Ratio primi est: quia tunc Baptismus cœpit esse necessarius necessitate medii, quando lex antiqua fuit evacuata, & lex Evangelica quoad substantiam fundata: sed hoc fuit factum in morte & resurrectione Christi. Ratio secundi est: quia lex obligativam vim non habet formaliter ante sui publicationem & promulgationem: sed lex Evangelica fuit præcipuè mundo promulgata in die Pentecostes. Ratio tertii est: quòd ut obligatio præcepti in actu secundo afficiat ipsum subjectum, oportet ut illud sit ipsi passivè debite intimatum, remotâ invincibili ignorantiâ, quod tunc demum factum est, quando per prædicationem, miracula Apostolorum &c. adsunt sufficientia motiva credibilitatis.

§. III.

Quæ dispositio sit adulto necessaria ad Baptismi validam & licitam receptionem?

Certum est primò. Ad validam susceptionem Baptismi requiri in adulto positivam intentionem eundem recipiendi, ita tamen ut etiam habitualis sufficiat, prout tam de ista, quàm aliis Sacramentis dixi in præced. tract. de Sacr. in genere. 12.

Certum est secundò. Ad valorem Baptismi non requiri fidem, aliámve dispositionem suscipientis, ut colligitur ex *c. majores. de Baptismo.* & *c. de Judæis. dist. 45.* & ostendit Ecclesiæ praxis, quemlibet adultum voluntariè baptizatum non ampliùs permittentis rebaptizari, quantumvis constet, illum quo tempore fuit baptizatus, fuisse infidelem, Judæum &c. Cæterùm, si fides non requiritur, multò minùs aliæ dispositiones & operationes supernaturales, quæ fidem essentialiter præsupponunt: ideoque validæ susceptioni Baptismi non obest mala intentio suscipientis ex aliquo motivo temporali inordinato concepta.

Potissima quæstio est: utrùm adultus ad consequendum effectum seu gratiam Baptismi, teneatur esse dispositus per contritionem charitate perfectam, si non sit inquinatus tantummodò peccato originali, sed etiam personali, (quæ in sententia S. D. hominem adultum comitantur) vel an sufficiat esse dispositum per attritionem.

CONCLUSIO. *Ut adultus peccato non solùm originali, sed etiam personali inquinatus Baptismi consequatur effectum, non tenetur elicere contritionem; sed sufficit, si verè supernaturaliter attritus Sacramentum accipiat.* Ita S. D. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. quæst. 11. Suarez, Serra, aliique contra Contensonum, & quosdam rigidiores Theologos requirentes contritionem. 13.

 Ratio

Ratio est: Sacramenta, quæ ex sua institutione intrinsecè ordinantur ad conferendam primam gratiam justificationis, ideoque dicuntur Sacramenta mortuorum, non prærequirunt aliam dispositionem, quàm attritionem supernaturalem, per quam homo absolutâ & efficaci voluntate detestetur sua peccata cum firmo proposito non peccandi de cætero; nam sine tali saltem voluntatis motu nullum peccatum secundùm ordinariam DEI legem remitti suppono ex Tract. de pœnit: sed Baptismus est vi suæ institutionis Sacramentum mortuorum, quod per se ordinatur ad tribuendam primam gratiam justificationis, siquidem est & dicitur Sacramentum regenerationis: ergo non requirit aliam dispositionem, quàm attritionem veram supernaturalem: si enim per se requireret contritionem, potiùs esset Sacramentum vivorum, quia prærequireret in subjecto suscipiente statum gratiæ, neque unquam faceret ex attrito contritum, de quo plura in Tract. de pœnit.

Dixi: Attritionem *veram, supernaturalem* &c. unde excluditur partim attritio solùm existimata, quæ à parte rei non est talis, partim attritio seu dolor conceptus ex motivo solùm naturali: nam effectus realis Sacramenti requirit dispositionem realem & existentem, effectus quoque supernaturalis dispositionem supernaturalem: neque enim in naturæ gremio latent semina supernaturalis gratiæ, prout contra Pelagianos dictum in Tract. de gratia.

14. Quæres ulteriùs primò: Quid si adultus haberet solum peccatum originale, absque personali, teneretúrne in illo casu elicere attritionem, ad consequendum effectum Baptismi?

Respondeo: In doctrina D. Th. casum esse impossibilem, ubi homo veniens ad usum rationis aut justificatur & mundatur ab originali per efficacem conversionem in DEUM, aut peccat mortaliter non se convertendo in DEUM. Dato tamen non concesso hoc casu, dicendum foret, non requiri attritionem, quippe quæ non est nisi de proprio peccato præterito; quale nullum hîc supponitur; sed sufficere alium supernaturalem actum v. g. spei, nempe propositum Christianè vivendi ad consequendam vitam æternam, vel evitanda gehennæ supplicia: unde adultus habens intentionem recipiendi Baptismum ex ejusmodi motivo esset sufficienter dispositus ad consequendam remissionem peccati originalis: nam esset supernaturaliter dispositus, non per dilectionem, quia hæc non requiritur; non per attritionem, quia hæc supponit personale peccatum: ergo per alium quemcunque voluntatis motum supernaturalem in DEUM.

Quæres secundò: Quantam cognitionem mysteriorum fidei adultus habere teneatur, ut extra casum necessitatis possit licitè baptizari? 15. nam adultum absque debita instructione in fide, & moribus baptizari, tam ex parte baptizantis, quàm baptizati, peccatum est: quia nemo prudenter amplectitur Religionem, cujus mysteria & obligationes ignorat; unde & Christus Apostolos ad baptizandum mittens, *Docentes*, inquit, *servare omnia, quæcunque mandavi vobis*: ideoque ex antiquissimo Ecclesiæ usu Catechismus Baptismo præmittitur.

Respondeo: Ut adultus licitè baptizetur, sufficit, quòd eam habeat cognitionem articulorum fidei, qualem tenetur habere quilibet Christianus: neque enim major potest esse obligatio baptizandi, quàm baptizati; unde scire & intelligere debet articulos saltem plerosque in Apostolico Symbolo contentos, & quòd per Sacramentum Baptismi sit obtenturus divinam gratiam & amicitiam, ad quam se disponere debeat per contritionem, vel attritionem. Item ut sciat præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Ita cum Tamburino Magnif. P. Perschacher q. 5. a. 1.

DISPUTATIO XXVII.

De effectu Baptismi.

Ad q. 69.

Quod hoc loco potissimùm venit in controversiam, est, quomodo Baptismus remoto obice & fictione præstet effectum? sive quæ dispositio requiratur ad Baptismi reviviscentiam? ipsius quippe Baptismi effectus facilè tum ex dictis deducuntur, tum ex Ecclesiæ definitionibus constant, de quibus proinde paucis differendum.

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus Baptismi.

SUMMARIA.

1. *Effectus Baptismi sunt, Remissio omnium peccatorum mortalium,*
2. *Item venialium.*
3. *Et omnis pœna tam æterna, quàm temporalis.*
4. *Character indelebilis, &*

5. Jus

5. *Jus ad specialia auxilia pro servandis praeceptis.*

6. *Non autem ablatio pœnalitatum hujus vitæ.*

1. CONCLUSIO prima. *Baptismus confert remissionem tam o[illegible]alis, quàm personalium peccatorum, (2) et[illegible]enialium, quorum baptizatus nullam habet complacentiam; (3) imò etiam omnis pœna tam æterna, quàm temporalis.* Ita communis DD. cum S. D. q. 69.

Prima pars est definita à Trid. sess. 6. c. 7. dicente: *In justificatione, quæ fit per baptismum cum remissione peccatorum accipere hominem per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Et se ss. 5. de peccat. orig. c. 5. *in renatis per baptismum nihil odisse DEUM, cùm nihil damnationis sit iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Et constat ex institutione baptismi à Christo ordinati ac instituti in finem spiritualis regenerationis, quæ esse non potest sine remissione omnium lethalium peccatorum.

2. Secundam partem tradit idem Trid. l. cit. dicens: Baptizatos *veterem hominem exuentes DEO dilectos esse effectos, ita ut nihil eos prorsus ab ingressu cœli remoretur.* Sed peccata venialia remorantur ab ingressu cæli: ergo & hæc debent per baptismum remitti. Ex quo etiam patet

3. Tertia pars conclusionis: quia si remaneret aliqua pœna etiam temporalis, adesset impedimentum remorans ab ingressu cœli: sed juxta Tridentinum nullum est post baptismum. Ergo etiam omnis pœna temporalis remittitur; unde neque Ecclesia baptizatis ullam satisfactionem imponit, & ideo proprius effectus baptismi juxta S. D. a. 7. est *apertio regni cœlestis*, h. e. ablatio omnium impedimentorum ab ingressu cœli prohibentium.

CONCLUSIO secunda. *Baptismus imprimit characterem indelebilem per quem signatur in domesticum DEI & Christi.* Ita Trid. sess. 2. can. 9. & constat ex dictis de sacr. in gen. & hîc disp. 24. a. 4. de initerabilitate baptismi. 4.

CONCLUSIO tertia. *Baptismus confert jus ad auxilia specialia, quibus homo adjuvatur ad servanda Christi & Ecclesiæ præcepta.* S. D. hîc. q. 69. a. 5. Ratio est: quia, ut dictum de sacr. in gen. quodlibet Sacramentum novæ legis confert jus ad auxilia pro suo fine (in quem est institutum) consequendo necessaria: sed finis Baptismi est hominem facere subjectum Christi & Ecclesiæ præceptis: ergo eidem confert jus ad illa præcepta servanda. 5.

CONCLUSIO quarta. *Baptismus non aufert omnes pœnalitates hujus vitæ.* S. Th. ibid. Constat experientiâ. Et congruentia S. D. est primò: quia Christus Caput nostrum passus est istas miserias: at homo per baptismum fit membrum Christi: ergo etiam decet, ut ipse non sit ab iis exemptus. Secundò, ut nobis exhibeatur tanto maior occasio victoriæ & coronæ. Tertiò, ne homines magis aspirarent ad baptismum propter istius vitæ, quàm alterius miserias evitandas. 6.

ARTICULUS II.

Quæ dispositio requiratur, ut Baptismus conferat gratiam recedente fictione?

SUMMARIA.

1. *Fictio quibus modis conjungi possit cum baptismo.*
2. *Ad removendam fictionem inculpabilem baptismi sufficit attritio.*
3. *Ad culpabilem removendam requiritur vel contritio vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ.*
4. *Non sequitur, originale peccatum remitti per Sacramentum pœnitentiæ.*

1. A Baptismo conferri gratiam recedente fictione, & quidem in minima quantitate, diximus de Sacr. in gen. Restat inquirere, quænam dispositio requiratur, ut fictio removeatur, & Sacramentum gratiam producat, ubi distinguendum est inter fictionem culpabilem, & inculpabilem: Inculpabilitas seu materialis fictio est, cùm defectus debitæ dispositionis invincibiliter ignoratur, sive sit ignorantia juris, sive facti. Culpabilis & formalis fictio est, quando quis sciens, vel culpabiliter ignorans indignè suscipit Sacramentum; quod dupliciter fieri potest, vel ut sciens omittat debitam dispositionem, vel ut cum ipsa susceptione conjungat peccatum mortale, v. g. intentionem furandi. Quibus positis sit

CONCLUSIO. *Ad removendam fictionem inculpabilem Baptismi per se loquendo sufficit sola attritio; ad removendam verò fictionem culpabilem necessaria est vel perfecta contritio, vel attritio cum Sacramento.* Ita Gonet, Petschacher, aliique Thomistæ. 2.

Ratio primæ partis est: Illa dispositio per se loquendo sufficit ad removendum obicem post Baptismum, quæ fuisset sufficiens dispositio in Baptismo: sed in Baptismo sufficiens dispositio est attritio, seu retractatio peccatorum antecedentium fundata in fide & motivo supernaturali: ergo. Dixi, *per se loquendo*: quia si contingat taliter baptizatum cum fictione inculpabili post Baptismum committere aliqua peccata mortalia, tunc ad tollendam fictionem per accidens necessarium erit Sacramentum Pœnitentiæ: cùm enim unum peccatum non possit remitti sine altero, idcirco nec peccata Baptismum antecedentia remitti possunt, quin remittantur peccata Baptismum consequentia: hæc autem non remittuntur, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, aut perfectam contritionem: ergo etiam ad remissionem peccatorum Baptismum antecedentium, adeòque ad remitten-

tem inungit, est verissimum Sacramentum novæ legis. Est de fide, definitum à Flor. in Decreto un. Et Trid. sess. 7. de Sacr. in gen. can. 1. & de Conf. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum, &c. anathema sit.*

Probatur: Ritus externus ad Spiritûs S. gratiam significandam & conferendam stabiliter institutus, & in Ecclesia usurpatus, est verum Sacramentum: sed ita se habet Confirmatio: ergo. Min. prob. ex Act. 8. v. 17. ubi fit mentio de impositione manuum ab Apostolis factâ, per quam conferebatur Spiritus S. *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum S.* Et v. 18. *Videns Simon Magus, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus S., obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi,* &c. Quòd verò hæc manuum impositio fuerit à Christo instituta, & in signum practicum gratiæ perpetuo ritu in Ecclesia usurpandum stabilita, constat inprimis ex eo, quòd cit. c. 8. v. 20. Petrus potestatem hoc modo impetrandi Spiritum S. vocat *donum DEI.* Deinde ex unanimi authoritate & traditione SS. PP. è quibus Clemens Romanus Discipulus S. Petri ep. 4. dicit: *Per Episcopi consignationem nos septiformem Spiritûs S. gratiam accipere.* Et l. 3. Constit. c. 16. *Episcopus baptizatos Chrismate ungat.* Idem habet Urbanus I. in Ep. 1. c. 7. Dionysius Discipulus D. Pauli l. Eccles. Hierarch. c. 2. ita loquitur: *Baptizatum indutum albâ veste ad Pontificem ducunt: ille divino ac Deifico prorsus unguento virum signat,* &c. Et D. August. l. 2. contra Petilian. c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Plura SS. PP. antiquissimorum, ut Dionysii, Cyrilli, Cypriani, Ambrosii, item Origenis & Tertulliani testimonia vide apud Ysambertum d. 1. a. 1. &. 2.

2\. CONCLUSIO II. *Hoc Sacramentum immediatè fuit à Christo institutum, inchoativè in ultima Cœna; consummativè verò post Resurrectionem.* Ita Conink, Bonacina, aliique.

Ratio 1. partis est: Quia omnia Sacramenta novæ legis sunt immediatè à Christo instituta, ut ostensum est de Sacramentis in gen. & de Confirmatione specialiter docent SS. PP. citati. Ratio 2. partis probatur ex verbis Fabiani Papæ Ep. 2. c. 1. relatis *in c. litteris vestris. de consecr. dist. 3. In illa die, postquam Dominus JESUS cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, (sicut à SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt) chrisma conficere docuit.* Ex quibus sic arguitur: Tunc Sacramentum instituitur, quando designatur materia & forma Sacramenti usu stabili recipienda: sed juxta prædicta Christus in ultima Cœna designavit chrisma tanquam materiam Confirmationis, docuitque Apostolos chrisma conficere, ac consequenter finem quoque & usum illius edocuit: ergo tunc instituit Sacramentum Confirmationis saltem inchoativè, & quoad designationem materiæ & formæ. Ideo Ecclesia singulis annis feriâ quartâ Hebdomadæ sacræ, in illius institutionis memoriam solet novum chrisma conficere veteri combusto.

Secunda verò pars etiam probatur: Quia tunc completè instituitur Sacramentum, quando etiam traditur potestas ad conferendum aliquod Sacramentum: atqui illa potestas primùm fuit Apostolis tradita post Resurrectionem, quando nimirum Christus Joan. 20. Apostolos creavit Episcopos illis verbis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos,* &c. Cæterùm hujus Sacramenti usus incepit primùm à tempore Pentecostes, quia per Confirmationem significatur, & confertur robur ac plenitudo Spiritûs S., quæ fuit data in die Pentecostes.

CONCLUSIO III. *Confirmatio rectè definitur, Sacramentum novæ legis, quo homo baptizatus per chrismatis unctionem in fronte factam, ab Episcopo sub certa verborum forma fidei robur consequitur.* Ita colligitur ex citata q. 72. S. Doct. Bonitas datæ definitionis exinde constat, quod in illa sufficienter exprimantur tum partes Metaphysicæ; genus quippe est, *Sacramentum novæ legis*: differentia verò *fidei robur per unctionem consequi*; tum etiam partes physicæ, & causæ extrinsecæ: materia quidem tam proxima, quàm remota per *Chrismatis unctionem*, causa subjectiva per ly *homo baptizatus*: causa formalis per ly *sub certa verborum forma*; causa efficiens per ly *ab Episcopo*; causa finalis *fidei robur.* quæ singula in decursu singillatim patebunt. 3.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjiciunt primò. Confirmatio non est immediatè à Christo instituta: ergo non est Sacramentum novæ legis. Antec. prob. 1. quia Magister sentent. Hugo Victorinus aliique affirmant fuisse institutam à Concilio Meldensi. Secundò: quia nullus extat Scripturæ locus, qui illius institutionem contineat. 4.

Respondeo neg. ant. ad ejus 1. probationem Respond. ex epist. Fabiani Papæ, plurimisque SS. PP., Concilium Meldense primùm tempore Caroli Magni celebratum antecedentibus, constare illius sententiæ falsitatem. Ad secundam Resp. 1. fundamentum haberi ex cit. c. Act. 8. quod tametsi non esset adeò clarum, sufficeret tamen perpetua & continuata traditio. Unde huic ipsi objectioni occurrens D. Hier. in Dial. contra Lucif. ait: *An nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus S.? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpant.*

Objiciunt secundò. Cùm hoc Sacramentum in Scriptura appelletur impositio manuum, eo maximè tempore debuit institui, quo primò legimus manus fuisse impositas: atqui hoc legimus factum à Christo ante passionem, cùm Matth. 19. pueris manus imposuit. Præterea S. D. hîc 5.

a. 1.

a. 1. ad 1. dicit: *In ultima Cœna Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo.*

Respond. ad 1. Illam manuum impositionem non fuisse consecrativam, sed benedictivam, cùm ex illis pueris multi non fuerint baptizati, nec proinde capaces Confirmationis. unde quadruplex chirotonia seu manuum impositio distinguitur. *Curativa*, de qua Marci ult. *Super agros manus imponent, & bene habebunt.* *Reconciliativa* in Sacramento Pœnitentiæ. *Ordinativa* in sacra Ordinatione, de qua 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ad 2. resp. sensum esse, quòd Christus in ultima Cœna hoc Sacramentum instituerit non exhibendo, sed promittendo, quoad potestatem efficiendi, & administrandi, non autem quoad institutionem, & designationem essentialium.

6. Objiciunt tertiò. Si Confirmatio esset verum Sacramentum, haberet determinatam materiam, & formam: sed non habet: ergo. Min. prob. quia in Actis Apostolorum dicitur, quòd Apostoli contulerint Spiritum S. per impositionem manuum, absque mentione alicujus formæ prolatæ, vel unctionis adhibitæ. Cùm igitur ex illo loco probetur Confirmatio, constat, neque determinatam verborum formam, neque hanc, quâ modò utimur, unctionem esse ad confirmandum necessariam.

Respondeo neg. min. Et quamvis in Actis Apostolorum non fiat mentio determinatæ formæ, vel unctionis; non ideo tamen negatur vel excluditur, cùm claram unctionis mentionem faciat Apostolus 2. ad Corinth. 1. v. 21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Et S. Joan. ep. 1. c. 2. v. 27. *Unctio, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* quod de Unctione Confirmationis exponunt Cyrillus catech. 3. mystag. Et August. tr. 3. in ep. Joan.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia & forma Confirmationis?

SUMMARIA.

1. *Materia remota Confirmationis est chrisma.*
2. *De cujus essentia est admixtio balsami.*
3. *Exponitur responsum Innocentii III.*
4. *Est de essentia chrismatis indispensabiliter, ut sit ab Episcopo benedictum.*
5. *Quamvis per dispensationem Summi Pontificis possit a simplici Sacerdote ministrari.*
6. *Determinatur materia proxima Confirmationis.*
7. *Est essentiale, ut unctio fiat in fronte, & formâ crucis.*
8. *Item, ut fiat immediatè.*
9. *Ut fiat in novo chrismate, & per pollicem, est de necessitate præcepti.*
10. *Quænam quantitas ad unctionem Confirmationis requiratur.*
11. *Forma essentialis Confirmationis.*
12. *Ipsius ritus accidentales.*
13. *Requisita patrini.*

§. I.

Materia remota.

1. Quæres primò: Quæ sit materia remota Confirmationis?

Respondeo: Materia remota essentialis Confirmationis est chrisma sive oleum olivarum balsamo mixtum, & ab Episcopo benedictum. Ita definitum in Decreto Florentini, & in Trid. sess. 7. de sacr. Confirm. can. 2.

Dices: Apostoli dabant fidelibus Sacramentum Confirmationis solâ manuum impositione sine chrismate, ut habetur Act. 8. ipsi quoque acceperunt Spiritum S. in die Pentecostes sine chrismate: ergo hoc non est materia necessaria necessitate Sacramenti. Resp. Rem hujus Sacramenti à Christo fuisse traditam Apostolis in die Pentecostes viâ extraordinariâ & extra Sacramentum; ipsos verò Apostolos in Confirmatione adhibuisse unctionem chrismatis, quæ proinde dicebatur manuum impositio, satis constat ex dictis SS. PP. Apostolorum temporibus proximorum, è quibus D. Dionysius hierarch. Eccles. c. 4. *Etiam*, inquit, *quædam perficienda operatio, quam duces nostri* (hoc est Apostoli) *chrismatis hostiam nominant.* Innocentius quoque III. *in c. un. de Sacr. unct.* dicit: *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur.* Si quando tamen Apostoli darent Spiritum S. solâ manûs impositione absque chrismatis unctione, id contigisse ex speciali DEI revelatione, ac dispensatione, atque à Christo per potestatem Excellentiæ Apostolis permissum fuisse, dicit S. D. hîc a. 2. ad 1. & a. 4. ad 1. Ejus verba sunt: *Per ministerium Apostolorum quandoq; dabatur effectus hujus Sacramenti scilicet plenitudo Spiritûs S. quibusdam visibilibus signis miraculosè à DEO effectis, qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre, & tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti; quandoq; autem tanquam ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant, & tunc sicut materiâ ita & formâ ex mandato Christi utebantur. Hæc S. D.*

Quæres secundò: An admixtio balsami sit de necessitate Sacramenti; ita ut in solo oleo non sit valida Confirmatio? 2.

Respondeo affirmativè cum communi. Nam primò utriusque & olei & balsami distinctam mentionem & significationem ponit Florentinum loc. cit. exponens materiam Confirmationis. Neque dicas, quòd Florentinum in eodem loco materiam calicis dicat esse vinum aquâ mixtum, cùm tamen aquæ admixtio non sit de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm: ergo idem videtur dicendum de admixtione balsami. Nam resp. Florentinum non dicere simpliciter, quòd materia calicis sit vinum aquâ mixtum, *sed vinum cui aqua misceri debeat*, ex quibus verbis satis apparet sola necessitas præcepti: loquens autem de materia Confirmationis dicit, esse chrisma confectum ex oleo & balsamo. Hanc

Hanc ipsam quoque necessitatem probat secundò universalis & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, & authoritates PP. quæ arguunt Apostolicam traditionem juxta regulam à D. Aug. traditam l. 4. de Baptismo c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum, rectissimè creditur.* Probat tertiò hæc ratio: quòd nomine chrismatis non intelligatur purum oleum, sed oleum mixtum balsamo; adeòque per puri olei inunctionem non verificetur forma Confirmationis: *Confirmo te chrismate salutis,* &c.

3. Objicies primò. Innocentius III. in *c. 1. de Sacr. non iterand.* interrogatus, an Confirmatio per errorem sine chrismate solô oleô collata, foret iteranda? Respondet, *nihil iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*: ergo censet validam fuisse Confirmationem cum solo oleo.

Resp. neg. conseq. quia hoc ipso, quòd summus Pontifex defectum præcepit cautè supplendum, vult etiam locô prioris unctionis per oleum, ad hiberi unctionem chrismatis: cautè tamen, ne videatur cum aliorum scandalo iterari Sacramentum Confirmationis, quod suâ naturâ est irreiterabile.

Objicies secundò. Balsamum verum & proprium est valde rarum & comparatu difficile, nec omnes partes olei modici balsami affusione miscentur: non ergo videtur esse de necessitate Sacramenti.

Resp. Verum balsamum sive Palæstinum, sive Indicum, omni tempore sufficienter repertum fuisse, nec esse necessarium, ut omnes partes olei balsamo misceantur, cùm ipsius odor (ex quo potissima habetur significatio Sacramenti) facilè ad omnes olei partes possit pervadere.

4. Quæres tertiò. An sit de necessitate Sacramenti, ut chrisma sit ab Episcopo benedictum?

Respondeo affirmativè cum S. D. hîc a. 3. Et eadem est ratio, quæ superiùs, nimirum declaratio Concilii Florentini, cui accedit perpetuus usus Ecclesiæ, traditio, & authoritas PP. Ex quo colliges, ne quidem ex Summi Pontificis dispensatione aut commissione fieri posse, ut chrisma ab aliquo speciali Sacerdore benedictum sit valida materia Confirmationis. Ratio est, quòd Summus Pontifex non potest mutare materias Sacramentorum; sed materia Confirmationis à Christo instituta est chrisma ab Episcopo benedictum. Ratio quoque à posteriori est, quòd nunquam à Summo Pontifice ita fuerit dispensatum; quod signum est, talem potestatem eidem à Christo non fuisse concessam: velut etiam habetur in Concilio Wormat. cap. 2. *Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat.* Et *c. presbyter. 26. q. 6. Presbyter chrisma nunquam conficiat.*

5. Dices: Potest Summus Pontifex dispensare, ut simplex Sacerdos ministret Sacramentum Confirmationis: ergo etiam potest dispensare, ut conficiat chrisma.

Respondeo neg. conseq: quia cùm non ubique possint haberi Episcopi, necessitas videtur evincere, ut Summo Pontifici concessa sit à Christo potestas, hujus Sacramenti ministerium aliquando simplici Sacerdoti conferendi, quo casu character Episcopalis, etsi non adæquatè, inadæquatè tamen ratione chrismatis benedicti influit in Sacramentum Confirmationis; non est autem necessitas, ut chrismatis benedicendi potestas simplici Sacerdoti concedatur; siquidem illud facilè de loco ad locum transportari potest, & si Sacerdos simplex etiam chrismatis benedicendi haberet potestatem, jam character Episcopalis ne quidem inadæquatè influeret in Sacramentum Confirmationis, quod est contra institutionem Christi, quæ voluit ritum Confirmationis esse proprium Ordinis Episcopalis.

§. II.

Materia proxima Confirmationis.

Quæres quartò: Quæ sit materia proxima Confirmationis? 6.

Respondeo: Est unctio chrismatis in fronte confirmati facta per manum Episcopi in forma crucis. Ratio est, quòd materia proxima Sacramenti in usu consistentis est actio, quæ versatur circa materiam remotam Sacramenti, & proximè significatur ac determinatur per formam: sed talis actio in Confirmatione est chrismatio, seu prædicta unctio chrismatis, ut patet ex Florentini decreto & verbis Pontificalis Romani præscribentibus: *Episcopus per pollicem chrismate intinctum signo crucis signet confirmandum*: ergo.

Quæres quintò. Quænam ex istis prædictis circumstantiis ad unctionem chrismatis concurrentibus sint essentiales, & de essentia Sacramenti, & quænam sint tantùm de necessitate præcepti? 7.

Resp. primò: De necessitate Sacramenti est, ut unctio fiat in fronte recipientis in forma crucis, & immediatè per manum ministri. S. D. a. 9. cum communi Catholicorum.

Prima & secunda pars continetur in Decreto Florentini dicentis: *Ideoq; in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundùm Apostolum, propter quod signo crucis signatur.* Ex quibus talis deducitur ratio: Illa pertinent essentialiter ad materiam Confirmationis, quæ per se ex institutione Christi pertinent ad practicè significandam gratiam hujus Sacramenti; sed juxta Florentinum non tantùm pertinet ad significandam gratiam hujus Sacramenti, quòd fiat unctio in forma crucis, quæ etiam exprimitur per ipsam formam Confirmationis, verùm etiam ut fiat in fronte confirmandi, gratia quippe hujus Sacramenti est, fortiter, palàm absque timore & verecundia confirmandi fidem & crucem Christi.

Tertiæ partis ratio est, quòd hoc Sacramentum in Scriptura & PP. appellatur *manuum impositio*, & juxta Innocentium III. *in cit. c. un. de sacra Unct. per frontis chrismationem manûs impositio designatur*: atqui si inunctio fieret mediante aliquo instrumento, & non immediatè per manum ministri, non posset dici manûs impositio: ergo probabilius est, esse de necessitate hujus Sacramenti, ut fiat per immediatum contactum manûs Episcopalis. 8.

9. Respondeo secundò: De necessitare præcepti tantùm est, ut unctio fiat per pollicem manûs dextræ, & in chrismate novo, quod illo primùm anno fuit consecratum: cùm enim ita sit præscriptum in Romano Pontificali, & epistola Fabiani Papæ, constat de præcepto; cùm autem nulla huic cæremoniæ insit specialis significatio, nec earundem fiat mentio apud SS. PP. & Concilia, nullum est fundamentum adstruendi necessitatem Sacramenti.

10. Quæres quintò: In quanam quantitate fieri debeat chrismatis inunctio?

Respondeo: In tali quantitate, quæ sufficiat, ut Episcopi digito frons confirmandi in figura crucis possit inungi. Ita Suar. Bonacina, Layman, Palao d. un. p. 3. cum communi.

§. III.

Forma Confirmationis.

11. Quæres sextò: Quænam sit essentialis forma Confirmationis?

Respondeo: Valida & usitata forma est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen.* Habetur in cit. Florentino & Pontificali Romano, ac constat ex totius Ecclesiæ praxi. Cæterùm in hac forma præter expressionem personæ confirmantis & confirmandi, quæ conditio in aliorum quoque Sacramentorum formis est substantialis, tres sunt de formæ valore & essentia. Primò expressio SS. Trinitatis. Secundò, expressio signaculi Crucis. Tertiò, expressio unctionis per chrisma. Cujus ratio est: quòd per Confirmationem fideles designentur in milites Christi, & robur accipiant ad fidem & gratiam, quam in Baptismo acceperunt, retinendam, & absque timore ac verecundiâ confitendam: ergo in forma Confirmationis debet inprimis exprimi præcipuum fidei mysterium, nimirum Sanctissimæ Trinitatis, per verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* deinde signum nostræ Redemptionis, sub quo militare & pugnare debemus, per verba: *Signo te signo Crucis.* ac tertiò robur Spiritûs S. quod vi Sacramenti confertur, significatum per verba: *Confirmo te chrismate salutis.* unde forma substantialis mutaretur, si pro *confirmo* diceretur *ungo.*

Quæres septimò: Quænam sit forma accidentalis, seu ritus & cæremoniæ de præcepto adhibendæ in Sacramento Confirmationis. 12.

Respondeo: Esse primò solennem ritum benedicendi chrismatis ab Episcopis singulis annis feria quinta Cœnæ Domini. Secundò, obligationem frontis confirmati telâ seu vittâ lineâ, post frontis ablutionem comburendâ, aut in profluentem abjiciendâ. Tertiò levem alapam, quæ ab Episcopo infligitur tum in memoriam hujus Sacramenti, tum ad significandum, quòd confirmatus paratus esse debeat ad injurias pro Christo constanter ferendas.

Præcipuus verò ritus, & sub mortali peccato observandus, est quartò, ut adhibeatur Patrinus, qui confirmandum teneat, & Episcopo præsentet, indeque cognationem spiritualem contrahat cum confirmato. Is porrò debet esse unus, non plures *ex c. non plures. de consecr. dist. 4. & c. ult. de cognat. spir. in 6.* Secundò debet esse distinctus à patrino Baptismi, nisi aliud necessitas suadeat. *per c in Catechismo. de consecr. dist. 4.* Tertiò debet esse confirmatus, ita ut si non confirmatus confirmatum teneat, non tantùm graviter peccet, sed etiam invalidè agat, nullamque cognationem spiritualem contrahat, juxta communiorem sententiam, fundatam *in c. in Baptismate. de consecr. dist. 4.* dicente: *In Baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Quartò, licèt de jure communi Monachus aut Monialis non deberet esse patrinus sæcularium personarum, sed tantùm religiosarum, tamen Diana cum pluribus à se citatis affirmat, hodie nullam vigere prohibitionem arcentem à munere patrini. 13.

ARTICULUS III.

De subjecto, & effectu Confirmationis?

SUMMARIA.

1. *Validè recipiunt Confirmationem omnes baptizati non confirmati.*
2. *Non est conferenda infantibus.*
3. *Bene perpetuò amentibus.*
4. *Ad licitam receptionem prærequiritur status gratiæ.*
5. *Per se non est obligatio illud recipiendi.*
6. *Effectus Confirmationis.*

1. Quæres primò: Quinam sint capaces validæ & licitæ Confirmationis?

Respondeo primò: Validè recipiunt hoc Sacramentum omnes baptizati nondum confirmati. Ita colligitur tum ex Act. 2. ubi omnes baptizati accipiebant Spiritum sanctum. tum ex *c. 1. de consecr. dist. 5.* ubi Papa Urbanus ait: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum S. accipere debent post Baptismum, ut plene Christiani inveniantur;* unde ab hoc Sacramento nec infantes, nec amentes excluduntur. Dicitur autem primò *baptizati*, quia Baptismus est janua ad reliqua Sacramenta, sicque necessariò præsuppositus. Dicitur secundò, *nondum confirmatus*, quia cùm hoc Sacramentum sit initerabile, non nisi semel validè recipitur.

Respondeo secundò: Etsi antiquitùs infantes confirmarentur ante acquisitum rationis usum, hodierna tamen Ecclesiæ consuetudo habet, ut hoc Sacramentum post annos discretionis ipsis conferatur; quia in primitiva Ecclesia non tam facilis erat occasio hoc Sacramentum conferendi, & post adeptum usum rationis statim poterat gravis urgere Tyrannorum persecutio. Nunc verò pro majori Sacramenti honore, & utilitate recipientis est, si se ille propriis actibus ad majorem gratiæ fructum exinde percipiendum disponat. Observat 2.

tamen

tamen Suar. d. 35. se. 2. §. *utraque*, non fore admodum culpabile, si Episcopus confirmaret infantem ex sola benevolentia, & sine periculo reiterationis: Granado tr. 2. d. 2. n. 4. & 10. nullum in ejusmodi Confirmatione agnoscit peccatum; eò quòd nullum sit præceptum infantes ab hoc Sacramento prohibens, neque consuetudo contraria sit obligatoria.

3. Respondeo tertiò: Amentes ad tempus sunt differendi, quousque recuperârint usum rationis; in his quippe eadem est ratio, quæ de infantibus; si verò sint perpetuò amentes, Suar. Coninck, Castropal. p. 4. 7. n. 8. aliique affirmant, confirmandos esse, ne fructu hujus Sacramenti perpetuò priventur. Nec refert, quòd auxilii divini ad fidem palàm profitendam sint incapaces; hæc quippe incapacitas est tantùm per accidens.

4. Respondeo quartò: Ad licitam hujus Sacramenti receptionem in adultis requiritur status gratiæ; quia ut dictum de Sacr. in genere, ut licitè recipiantur Sacramenta vivorum, per se requiritur status gratiæ: sed Confirmatio est Sacramentum vivorum: ergo. Unde conscius peccati mortalis tenetur ad hoc Sacramentum, vel per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ se disponere; aliàs illud cum fictione & obice reciperet sine effectu gratiæ. Quod verò *in c. ut jejuni. de consecr. dist. 5.* cavetur, ut suscepturi hoc Sacramentum sint jejuni, ac prævià confessione dispositi, non esse præcepti, sed consilii docent communiter DD. apud Castrop. p. 6. n. 1.

5. Quæres secundò: An, vel qualis sit obligatio recipiendi Sacramentum Confirmationis?

Respondeo: Per se nulla est obligatio illud recipiendi. Ita S. D. à. 8. ad 4. & in 4. d. 7. q. 1. a. 1. qu. 2. in c. dicens: Sacramentum Confirmationis *non esse Sacramentum necessitatis, sed utilitatis*, cum comm. DD. Aut enim esset obligatio præcepti divini, aut Ecclesiastici: sed neutrum potest ostendi; imò si quod esset tale præceptum, Ecclesia cogeret fideles ad illius susceptionem, & ad id maximè teneremur in periculo mortis: sed hoc non est, juxta communem sensum & usum Ecclesiæ: ergo. Nec refert primò, quòd Confirmationis effectus dicatur facere hominem perfectè Christianum; hoc enim intelligendum est de perfectione non quoad substantiam, quæ etiam per Baptismum obtinetur, sed quoad abundantiam & plenitudinem Spiritûs. Nec refert secundò, quòd Melchiades Papa in *c. Spiritus S.* dicat, victuris esse necessaria Confirmationis auxilia, id enim intelligi debet de necessitate secundùm quid, non simpliciter tali. Dixi, *per se nullam esse obligationem.* Nam primò ratione formalis vel virtualis contemptûs potest esse peccatum mortale, ut si quis ideo illam omittat, quia reputat esse cæremoniam puerilem, suâ personâ indignam. Secundò, ratione scandali potest esse grave peccatum, cùm quis de fide suspectus absque causa rationabili hujus Sacramenti susceptionem intermittit. Tertiò: Si quis sibi firmiter persuadeat, sibi instare grave periculum amittendi fidem, nisi se Sacramento Confirmationis præmuniat. Quartò: qui primam tonsuram, Ordinesque susciperet non præmisso Sacramento Confirmationis, graviter peccaret in quorundam sententia, eò quòd transgrederetur præceptum Tridentini sess. 23. c. 4. de Reform. præcipientis: *Primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, &c. Castropalaus tamen existimat fore tantùm peccatum veniale propter parvitatem materiæ. Quintò: si quis ex torpore & animi segnitie Confirmationem intermittat, erit peccatum veniale.

Quæres tertiò: Quinam sint effectus Confirmationis? 6.

Respondeo: Præter gratiæ sanctificantis augmentum, quod est ipsi commune cum aliis Sacramentis vivorum, confert jus ad auxilia specialia, quibus confirmatus Christi fidem firmiter propugnet, & palàm sinè metu & pudore profiteatur; in hunc quippe finem Christus hoc Sacramentum instituit: ac tandem imprimit characterem, ratione cujus est irreiterabile, prout dictum de Sacra. in gen. & habetur definitum in Trident. sess. 7. can. 9. de Sacr. in gen.

ARTICULUS IV.

De Ministro Confirmationis.

SUMMARIA.

1. *Ordinarius Minister Confirmationis est Episcopus.*
2. *Hinc validè confirmat Episcopus excommunicatus, vel hæreticus.*
3. *Invalidè Episcopus nondum consecratus.*
4. *Quæ sit obligatio Episcopi ad hoc Sacramentum licitè ministrandum.*
5. *Extraordinarius Minister potest esse simplex Sacerdos;*
6. *Qui ante commissionem Summi Pontif. tantùm habet incompletam potestatem confirmandi.*
7. *Sum. Pont. committendo presbyteris potestatem confirmandi non mutat Ministrum Sacramenti.*
8. *Confirmatio semper est actus Ordinis, sive Episcopalis, sive Sacerdotalis.*
9. *Simplex Sacerdos potestatem confirmandi absque Summi Pontif. concessione non potest præscribere.*
10. *Ut Papa simplici Sacerdoti conferat validam potestatem confirmandi, non est necesse, ut sit consecratus.*

TRACTATUS XVII.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO ET SACRIFICIO

PROLOQIUM

Ad Lectorem.

AD exponendum SS. Euchariſtiæ auguſtiſſimum Sacramentum accingimur; non ſanè tam ſublimis myſterii enucleandi fiduciâ, quippe cujus altitudo etiam Angelici intellectûs ſubtilitatem ſuperat, magisque profundâ fidei ſubjectione, quàm argutâ diſputatione cognoſcitur, ſuâque præſtantiâ etiam aureas eloquentiæ venas exhaurit: ſubmiſſiſſimo Theologici calami debito, cujus labor nullius, quàm hujus Diviniſſimi Sacramenti & Sacrificii contemplationi rectiùs impenditur, & pro gratioſiſſima beneficiorum ac *mirabilium* Divinorum *memoriâ*, in gratæ memoriæ anathéma appenditur. Sanè hoc *Sacramentum Sacramentorum*, & *myſterium myſteriorum*, ut Dionyſius vocat; hoc *Sacramentum pietatis*, *ſignum veritatis*, *vinculum charitatis*, ut appellat Auguſt. tract. 26. in Ioan. ideo Euchariſtiæ nomenclaturam accepit, ut per illam, in illa, quin & pro illa perennes DEO gratias ageremus: *Optima*, inquit Chryſoſt. hom. 25. in c. 8. Matth. *beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea & tremenda ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni ſynaxi celebramus, Euchariſtica nuncupamus; ſunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum Divinæ erga nos providentiæ oſtendunt, nosque faciunt debitas ſemper gratias exſolvere.* Hanc Tibi, Lector benevole, Diviniſſimam menſam, quam æterna ſapientia inſtruxit, dum *panem vitæ* appoſuit, & *vinum germinans virgines* infudit, Theologicis contemplationibus deguſtandam offero. Tu fruere, & pro tantâ gratiarum Divinarum anacephalæoſi in gratam Sanctiſſimi Sacramenti venerationem & laudem accendere.

gratiæ spiritualiter reficientis per modum cibi: ergo in ultima Cœna hoc Sacramentum ceu ab aliis Sacramentis distinctum instituit.

Rationem congruentiæ, cur hoc Sacramentum in ultima Cœna sit institutum, S. D. q. 73. a. 5. adducit primò ex Eusebio Emisseno homil. 4. de Pasch. *Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat, ut die Cœna Sacramentum Corporis & Sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Secundò ex D. Aug. Epist. 116. c. 6. *Quò vehementiùs commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoria discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.*

ARTICULUS II.

Propugnatur realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia.

SUMMARIA.

1. *Veritas Catholica.*
2. *Hereses opposita referuntur.*
3. *Testimonia ex novo Testamento.*
4. *Argumentum ex Scripturis deductum.*
5. *Responsio hereticorum*
6. *Impugnatur.*
7. *Instantia Adversariorum depelluntur.*
8. *Fundamentum ex ratione testamenti, & fœderis.*
9. *Item ex verbis adjunctis Christi*: Quod pro vobis tradetur, &c.
10. *Ex verbis D. Pauli.*
11. *Ex promissione Christi.*
12. *Ex figuris & prophetiis Vet. Testamenti.*
13. *Ex consensu primitiva & antiqua Ecclesia.*
14. *Testimonia ex primo, secundo, & tertio saculo.*
15. *Ex quarto & quinto sacu'o.*
16. *Hareses opposita condemnata per 11. Concilia.*
17. *Argumenta ad hominem.*
18. *Confessio propria Calvini, Lutheri, &c.*
19. *Quo sensu Corpus Christi in Eucharistia dicatur panis?*
20. *Cur petra, agnus, vitis de Christo metaphoricè dicantur, non autem cibus?*
21. *Potest corpus existere sine proprietatibus secundariis.*
22. *Exponitur locus Apostoli dicentis, antiquos PP. nobiscum* eandem escam spiritualem manducâsse.
23. *Exponitur locus ex D. Augustino objectus.*

§. I.

Hæreses circa veritatem Catholicam, de reali præsentia Corporis Christi.

1. Veritas Catholica in Concil. Florent. & postea in Trid. sess. 13. c. 1. declarata, docet, in sancto Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, totum Christum D. verè, realiter, ac substantialiter sub specie panis & vini contineri; adeò ut nihil de substantia panis & vini remaneat, sed sola supersint accidentia.

Opposita Catholicæ veritati est hæresis Calvinistarum, Lutheranorum, & Ubiquistarum: quorum primi docent, Christum non esse in Sacramento verè, & realiter, sed tantùm figuratè, tanquam in signo & figura, ita ut cùm Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*, sit sensus: *Hoc est signum Corporis mei.* Lutherani admittunt realem præsentiam Corporis Christi, sed tantùm in usu, quando illud sumitur, ita ut simul permaneat substantia panis & vini. Ubiquistarum error est, quòd Corpus Christi eo modo sit in altari, sicut Divinitas est in rebus omnibus per essentiam, & præsentiam, ex erroneo nimirum principio, quòd, sicut Divinitas per immensitatem est ubique, sic etiam humanitas sit ubique. E primis, qui veritatem hujus mysterii negarunt, erant Capharnaitæ, qui, ut habetur Joan. 6. v. 32. & 53. Christo carnem suam in cibum offerente, dicebant dubitantes: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* quibus Gaulterius ipsum Judam Iscariotem ducem erroris accenset. Secundò, ex antiquis hæreticis veritatem hujus realis præsentiæ negârunt, quicunque negârunt veram realem substantiam carnis, corporis, & humanæ naturæ in Christo: quales erant Simon Magus & Menander, de quibus S. Ign. in ep. ad Smirn. *Eucharistias & oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Plures circa Eucharistiam errores tradidêre ex antiquis hæreticis Armeni, Nestoriani, Iconomachi, Valentiniani, prout ex Conciliis & illorum temporum authoribus ostendit Gaulterius in Chronolog. & Cotonus l. 3. c. 44. præcipuè verò sæculo 11. prout recenset Baronius ad annum Christi 1004. & 1035. Berengarius Andegavensis Archidiaconus ducem se præbuit Sacramentariorum, qui, ut refert Petrus Cluniac. tract. de Sacrif. realem præsentiam Corporis Christi in Sacramento altaris negavit, qui etsi anno 1059. sub Nicolao II. abjuraverit, in eandem tamen sæpius relapsus, tandem anno 1079. seriò conversus in Romano Concilio sub Gregorio VII. errorem confessus veniam petiit, & impetravit, postea anno

anno 1088. propè nonagenarius in festo Epiphaniæ seu Apparationis, cum hoc prævio dicto vitam finiit: *Hodie in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus JESUS Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Berengarium refutavit Lanfrancus Archiepiscopus Cantuar. Secuti sunt errantē Albigenses in Gallia, Wiclefistæ in Bohemia, illi ad annum Christi 1208. isti 1370. Novissimè verò Lutherus, & Calvinus eorumque damnata propago, quanquam diversis viis, prout jam insinuavimus.

§. II.

Catholica veritas probatur è S. Scriptura.

3. Authoritates S. Script. pro veritate Corporis & Sanguinis Christi aliæ sunt antiqui, & aliæ novi testamenti. Antiqui testamenti sunt prophetiæ & figuræ de hoc Sacramento. Novi testamenti sunt verba Christi, quibus in S. Evangelio partim promisit, partim instituit Sacramentum Eucharistiæ. Deinde verba Apostoli Pauli, quibus exponit Corinthiis hoc ipsum Samentum. Nunc

Probatur primò ex verbis Christi, quibus hoc Sacramentum instituit: Itaque Matth. c. 26. 27. & 28. dixit Christus in ultima Cœna: *Accipite & comedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marci c. 14. v. 22. 23. & 24. Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Luc. 22. v. 19. & 20. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Eadem habentur apud D. Paulum in ep. 1. ad Corinth c 11. v. 23. & seqq. Ex quibus hoc ducitur argumentum.

4. Quod Christus demonstrativè asseruit à se in manibus suis, & Discipulis exhiberi sub signis sensibilibus panis & vini, illud omnino habuit in manibus suis, & exhibuit suis Discipulis: sed Christus demonstrativè asseruit, hoc quod haberet in manibus sub signis sensibilibus panis & vini esse suum Corpus & Sanguinem, ut patet ex verbis prævallegatis: ergo omnino completâ propositione: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, &c. ex vi verborum & veritatis infallibilis debuit sub illis signis & accidentibus sensibilibus realiter habere & exhibere suis Discipulis Corpus & Sanguinem suum, & consequenter, quando Sacerdotes ex institutione Christi idem faciunt, quod Christus, etiam faciunt ex vi verborum verè & realiter sub signis sensibilibus panis & vini existere realiter Corpus & Sanguinem Christi.

Confirmatur. Omnis formalis propositio affirmativa, præsertim substantialis & demonstrativa, significat realem & substantialem identitatem inter prædicatum & subjectum: sed hæc propositio: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, est affirmativa substantialis, & individualiter demonstrativa: ergo significat identitatem inter prædicatum & subjectum: atqui hæc est identitas realis inter Corpus & Sanguinem Christi, & inter individualem substantiam existentem sub signis accidentalibus seu visibilibus panis & vini: ergo eandem significat. Subsumo: atqui hæc identitas excludit substantiam panis: siquidem implicat identificari substantiam panis cum substantia Corporis Christi: ergo non alia substantia à Christo demonstratur & affirmatur exister sub signis visibilibus panis & vini, quàm substantia Corporis & Sanguinis Christi.

Respondet Calvinus, Beza, eorumque sequaces, esse figuratam & metonymicam propositionem, quâ nimirum res significatur pro signo, sicque per τὸ *Corpus* τὸ *Sanguis* tantùm intelligi signum & figuram Corporis & Sanginis Christi, quod est panis & vini substantia: veluti cùm Christus dixit: *Ego sum vitis vera*, tantùm significavit, se esse vitem tropicè & similitudinariè. Zvvinglius l. de vera & falsa relig. c de Euch. scribit: tropum consistere in verbo *est*, quod accipi debeat pro *significat*, quam explicationem, inquit, se per somnium didicisse ab apparente sibi spiritu, qui an ater, vel albus fuerit, non meminerit, eumque monuisse, ut in defensionem suæ opinionis arriperet sensum illum Exod. c. 12. *est enim phase, id est transitus Domini*, ubi pariter τὸ *est* accipitur pro *significat*. Plures nugatorias hæreticorum expositiones vide apud Bellarm. l. 1. de Sacr. Euch. c. 8. 5.

Contra hanc elusionem veritas Catholica probatur secundò. Communis & receptissima Regula explicandæ Script. est ex S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 1. ut non recedatur à proprietate verborum, nisi cogamur ab alia Scriptura, vel articulo fidei, vel communi explicatione Ecclesiæ: atqui nullum est, quod nos cogat divertere à proprietate verborum. Major constat, quia si relictô propriô sensu ex privato instinctu liceat fabricari expositionem, incidemus in errores innumeros; quis enim nescit, Sabellianos evertisse mysterium SS. Trinitatis, quia voces, quibus in Sacra Scriptura significatur distinctio personarum, traxerunt ad figuratam significationem. Arius Filii, & Macedonius Spiritûs S. Divinitatem & consubstantialitatem negantes, verba, quibus significatur consubstantialitas, traxerunt ad significandam participativam tantùm similitudinem. Sic pariter Nestoriani pro unione hypostatica intelligebant unionem affectivam &c. Unde D. Aug. cit. c. 10. *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quicquid aliud asseruerit Scriptura, figuratum arbitrabuntur.* Min. quoque est certa; nam in eodem 6.

eodem modo recensendi institutionem Eucharistiæ conveniunt tres allegati Evangelistæ, & Paulus Apostolus, & omnes versiones: naturalia verò inconvenientia, quæ sibi Novatores imaginantur, paulò infrà diluemus: somnium quoque & spiritus Zvvinglii, de quo ipse dubitat, fueritne albus, an ater, sunt egregium fundamentum alicui Doctori recedendi à proprio sensu Script. & communi expositione totius Ecclesiæ.

7. Unde etiam nullæ sunt instantiæ Adversariorum: non prima ex Joan. 13. ubi Christus dixit: *Ego sum vitis vera*; nam quòd solitudinariè & per tropum loqueretur, mox ipse explicuit: *Si quis in me non manserit, sicut palmes, &c.* Item secunda ex c. 12. Exod. quòd Agnus paschalis sit *phase, id est transitus Domini*, ubi *est* exponitur pro *significat*: nam primò falsum est, quòd S. textus ullo loco dicat, quòd Agnus Paschalis sit transitus Domini. nam loc. cit. v. 11. ista habentur: *Comedètis* (hoc est agnum) *festinanter: est enim phase, id est transitus Domini.* Cujus textûs sensus genuinus est: *Festinanter comedetis agnum: quia propediem, & jamjam transibit Dominus*; quæ omnia verba sunt propria. Secundò: Etiam agnus apud Hebræos non tropicè, sed propriè dicebatur *phase*, seu *pascha*; unde Matth. 26. Discipuli ad Christum dicebant: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* nec ideo agnus dicebatur pascha, quod significaret transitum; sed quia erat nomen derivatum à transitu Domini: agni quippe occisio erat instituta in memoriam & honorem illius transitûs, quo DEUS primogenita Ægypti percutiens transivit Hebræos. Tertiò, quia tametsi hoc loco τὸ *est* poneretur pro *significat*, non valet consequentia ad verba Christi, ubi longè diversa militat ratio; neque enim in verbis: *hoc est corpus meum*, prædicatur disparatum de disparato, uti cùm dicitur: *Christus est vitis, agnus est transitus.* Quartò, quia verbum *est*, tanquam copula propositionis, est incapax, ut significet tropicè, nec facilè ostendi potest exemplum ullum in Scriptura, ut notat Bellarm. l. c.

8. Probatur tertiò. Eucharistia non tantùm est Sacramentum, sed etiam testamentum, pactum & fœdus: sed in omnibus his solet sensus verborum maximè esse proprius; in Sacramentis, ne salus hominum periclitetur; in testamento, pacto, &c. ne fraudibus & jurgiis sit locus. Et sic constat inductione Sacramentorum novæ & antiquæ legis, item institutione veteris testamenti, de quo Apostolus Hebr. 9. *Lecto*, inquit, *omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti, quem misit ad vos DEUS.* Et constat ex *l. 3. non aliter ff. de legat.* ubi præcipitur, testamenta humana in proprio sensu verborum esse intelligenda: quàm enim foret ridiculum, imò injurium, si cui testamentò relictus fuisset ager, domus, equus, &c. & obtruderetur figura domûs, agri, &c. quantò minùs debet in Christi D. testamento, quo nobis reliquit suum S. Sanguinem, intelligi mera figura ipsius?

Probatur quartò: In hoc Sacramento dat nobis Christus Corpus, quod pro nobis tradidit, 9.
& Sanguinem, qui pro nobis effusus est in passione: sed Christus suum verum Corpus, non figuram Corporis tradidit, nec figuram Sanguinis, sed ipsum Sanguinem effudit: ergo verum suum Corpus & Sanguinem nobis præbet in Sacramento altaris. Major constat ex Evangelico textu Luc. 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Et 1. Corinth. 11. *Quod pro vobis tradetur.* Et Matth. 26. *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur, &c.* Luc. 22. v. 20. *Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Probatur quintò ex epistola D. Pauli c. 10. 10.
v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Rursus c. 11. v. 27. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Et v. 29. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* At qualis esset participatio, & communicatio Corporis & Sanguinis Domini; & quomodo indignè aliquis manducaret Corpus Domini, & in ejus dignitatem peccaret, si planè nec Corpus, nec Sanguis Christi ibidem reperiantur? præsertim cùm Calvinista ab omni peccato illum absolvat, qui imaginem & figuram Christi indignè tractat.

Probatur sextò ex verbis & promissione 11.
Christi. Nam Jo. c. 6. 52. Christus promisit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed tunc Christus non intellexit panem materialem, sed supersubstantialem, ut patet ex v. 49. *Ego sum panis vitæ.* Et v. 50. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Ergo tunc promisit fidelibus suam carnem verbo hypostaticè unitam in cibum & nutrimentum supernaturale tradere: nam & cibus in genere, panis nomine apud Hebræos significatur. Nec possunt proprietates panis, seu cibi ibidem promissi figuræ Corporis Christi convenire, sed ipsimet corpori. Nam primò Dominus dicit, hunc panem antecellere mannæ PP. quæ erat figura sui corporis. v. 29. hunc panem esse se ipsum, v. 58. descendisse de cœlo, v. 51. & 59. dandum esse pro mundi vita. v. 52. efficere, ut Christus in nobis maneat, & nos in Christo. v. 57. dare vitam æternam. quæ omnia non nisi ineptissimè ad tropum & metaphoram detorquentur. Quòd si Christus solùm sui Corporis & Sanguinis figuram denotâsset, circumstantes non habuissent causam dicendi: *Durus est hic sermo*; id enim dicebant, quia ex hypothesi, quòd Christus veram suam carnem vellet in cibum dare, non poterant comprehendere modum, quo illud sine horrore fieri posset, existimantes illam dandam fore instar cadaveris concisi, ut exponit D. Aug.

12 Probatur ſeptimò ex figuris & prophetiis antiqui teſtamenti. Hoc eſt *convivium pinguium, convivium vindemiæ defæcatæ*, prædictum ab Iſaia c. 5. v. 6. Hæc *eſt oblatio munda, quæ in omni loco offertur*, juxta Malach. 1. v. 11. Hoc *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Zach. c. 9. v. 17. *Hic eſt panis optatiſſimus & deſiderabilis*. Dan. c. 10. v. 3. *Eſca, quam in memoriam mirabilium ſuorum dedit DEUS timentibus ſe*. Pſal. 110. Nec eſt, qui dubitet, hoc Sacramentum fuiſſe figuratum per agnum paſchalem, per manna deſerti, per panes propoſitionis, victimas & holocauſta, tabernaculum & Arcam antiqui teſtamenti. Unde ſic arguo: Si Sacramentum Corporis Chriſti tantùm eſſet figura ipſius, tunc figuræ veteris teſtamenti non fuiſſent figura veritatis, ſed figura figuræ: atqui hoc eſt abſurdum, nam antiquum teſtamentum ita ſe habet ad novum, ſicut umbra ad lucem, & figura ad veritatem: ſicut enim ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 10. *omnia in figura contingebant illis;* ſic econtra *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Jo. 1. v. 14. Secundò, figura eſſet ſuo figurato præſtantior, manna quippe miraculoſè datum Hebræis ope Angelorum præſtantiori modo ſignificaret Corpus Chriſti, quàm panis ordinarius piſtoris operâ extractus è furno. Et tertiò, quid magnum, quid mirabile, quid rarum, quid adeò deſiderabile haberetur in hoc Sacramento, ſi nihil contineret, quàm panis ſubſtantiam excitativam fidei in Corpus Chriſti in Cœlo exiſtens, cùm hoc facere poſſit quælibet figura & imago Chriſti longè perfectiùs & cum majori ſimilitudine, quàm panis, quas tamen imagines & figuras Calviniſtæ paſſim rejiciunt. Et hæ ſunt probationes è S. textu.

§. III.

Ex antiquiſſimo ſenſu, doctrina PP. & Conciliorum.

13. Illa eſt vera & Catholica Chriſti doctrina, quam continuò tenuit, & cujus oppoſitum primis quinque ſæculis univerſalis damnavit Eccleſia: ſed realem præſentiam Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ primis quinque ſæculis tenuit univerſalis Eccleſia; oppoſitam opinionem tanquam hæreſim damnavit: ergo doctrina de reali præſentia Chriſti eſt vera & Catholica doctrina Chriſti: Maj. admittunt ferè omnes Adverſarii, niſi velint concedere abſurdiſſimè, quòd nunquam extiterit vera DEI Eccleſia. & vel inde patet, quia vera Eccleſia DEI, ut vocat Apoſtolus, *eſt columna veritatis*, unde, quod illa credit, non poteſt eſſe erroneum.

14. Prius membrum minoris probatur primò ex Actis D. Andreæ, ubi refertur judici ſic reſpondiſſe: *Ego Omnipotenti DEO agnum immaculatum quotidie ſacrifico: qui cùm ſit verè ſacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perſeverat & vivus*, quò pertinent omnes liturgiæ Apoſtolorum inf. referendæ, D. Ignatius in ep. ſup. cit. ad Smirnenſes: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam pro ſua benignitate ſuſcitavit*. Et hæc primo ſæculo. Secundo ſæculo D. Juſtinus in Apolog. 2. ad Anton. Imp. ita ſcripſit: *Non enim ut communem panem, & communem potum hæc ſumimus; ſed illius incarnati JESU & carnem & Sanguinem eſſe edocti ſumus*. Idem ſcribit Pius Papa I. *in can. ſi per negligentiam. de conſecr. diſt. 2.* Et Iren. l. 4. cont. hæreſes c. 34. S. Alex. Papa I. *Can. in Sacramentorum. de conſecr. diſt. 2.* cum pluribus aliis. In tertio ſæculo S. Cyprianus, ſerm. de Cœna D. *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis ſuis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus eſt, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro*. Orig. homil. 7. in l. Num. *Tum in ænigmate erat manna cibus, non autem in ſpecie: caro Verbi DEI eſt verus cibus, ſicut ipſe dicit: Quia caro mea verè eſt cibus, &c.* Eadem habet Tertull. variis locis relatis à Reding diſſert 7. de Euch. n. 46.

In quarto ſæculo primum generale Concilium Nicænum ita loquitur: *Attollentes mentem fide intelligamus, ſitum in illa ſacra Cœna Agnum illum DEI tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem*. S. Athanaſ. apolog. 2. ad Sacerdotes ſic loquitur: *Solum enim veſtrum eſt, propinare Sanguinem Chriſti*. S. Hilar. l. 8. de Trin. *De veritate Carnis & Sanguinis non relictus eſt ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt*. S. Ambroſ. l. 4. de Sacramentis: *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. & alibi ſæpiſſimè. D. Hieron. ep. 150. ad Hedibiam: *Nos autem audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque diſcipulis ſuis, eſſe Corpus Domini Salvatoris*. In quinto ſæculo Concilium generale Epheſinum ſic habet: *Ad myſticas accedimus benedictiones, ac ſanctificamur, participes facti ſanctæ carnis, pretioſique Sanguinis Servatoris noſtri J.C.* D. Jo. Chryſ. homil. 83. in Matth. *O quot modò dicunt, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre: Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis*. & alibi ſæpiſſimè. S. Auguſtinus, prout refertur *in can. nos autem. de conſecrat. diſt. 2.* *Nos autem in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inviſibiles, id eſt Chriſti Carnem & Sanguinem honoramus*. Et hæc PP. primorum quinque ſæculorum, præter alios quàm plurimos relatos à Bellarmino, & Gaulterio.

Minoris alterum membrum, quòd contraria opinio tanquam hæreſis ab Eccleſia damnata fuerit, patet ex damnatione Berengarii primùm ſub Nicolao II. & poſtea ſub Gregorio VII. factâ. Item ex definitionibus undecim Conciliorum generalium, de reali præſentia Chriſti, per quas pariter contrariæ hæreſes vel explicitè, vel implicitè condemnantur, quæ refert Sylveira to. 5. l. 7. c. 7. Ita enim defini- 16

habetur definitum in Concil. Alexandrino approbato per Ephesinum. Secundò, in 7. Syn. act. 6. Tertiò, in Concil. Romano sub Leone IX. Quartò, in Concil. Turon. sub Victore II. Quintò, in Concil. Rhemensi sub Nicolao II. Sextò, in Concil. Romano sub Greg. VII. Septimò, in Concil. Constant. sess. 8. & 15. Octavò, in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. Nonò, in Concil. Viennensi sub Clemente V. Decimò, in Florentino in decret. Eugenii. Undecimò, in Trid. sess. 13.

§. IV.

Ex ratione & argumentis ad hominem.

17. ARguitur primò. Quod illa Christi verba, *Hoc est corpus meum*, non in proprio, sed figurato sensu; & non secundùm realem, sed relativam solùm præsentiam; vel secundùm Lutheranos, tunc solùm de præsentia reali, quando Sacramentum sumitur, sint accipienda, vel continentur in S. Scriptura, vel non? Si non: ergo secundùm principia Advers. vana & fictitia est illius articuli confessio, in qua tamen principaliter à Catholicis distinguuntur. Si continetur, ostendant. Hoc cùm non possint expressè & formaliter; Respondent contineri virtualiter. Contrà. Vel ita continetur, ut immediatè ex litterali sensu alicujus sacri textûs innotescat; vel ut insuper necessarius sit aliquis discursus. Non primum; quia adhuc nemo Adversariorum fuit, qui ostenderet: Nec opus fuisset Zvvinglio, ut in somnio per nocturnum monitorem instrueretur, quomodo suum errorem omni ope & ratione destitutum, claudicanti paritate ex alio dispari textu petitâ firmaret. Non secundum; vel enim rursus ille discursus haberetur ex puro lumine fidei, vel ex alicujus Doctoris, putà Calvini, Zvvinglii alteriùs ve Ministri ratiocinatione? Si primum; ergo utraque præmissa deberet esse formaliter expressa in S. Scriptura, quod hactenus non ostenderunt, nec inposterum ostendent Advers. Si secundum; ergo ipsorum dogma, quod tamen pertinet ad principales articulos Religionis, nititur hominis inventione, & fallibili ratione, juxtà eorundem principia.

Secundò. Quando proprietas dictionis & verborum suadet, positionem S. Scripturæ esse figuratè accipiendam, etiam ab ipsis Adversariis accipitur figuratè: ergo etiam quando eadem proprietas suadet esse accipiendam litteraliter, est accipienda litteraliter: sed in his propositionibus, *Caro mea vere est cibus*. *hoc est corpus meum*, proprietas ista verborum denotat sensum litteralem, uti econtra cùm dicitur: *Christus est petra*. *Ego sum vitis*, denotatur sensus figuratus: ergo etiam verba in litterali sensu sunt intelligenda. Confirmatur, quando S. textus Evangelicus dicit, Christum crucifixum, mortuum, immolatum, nemo audet asserere, hæc esse intelligenda relativè, vel figuratè, quia sit occisus, immolatus in decreto DEI, vel in fide credentium excitata per aliquod signum, quia videlicet litteralem sensum evincit proprietas verborum: Et tamen, cùm dicit Apostolus, Agnum DEI tollentem peccata mundi fuisse oblatum & *occisum ab origine mundi*, ex hac ipsa proprietate verborum & temporis adsignificatione omnes consentiunt, propositionem verificari de mactatione tantùm in Decreto DEI & efficaciâ fidei. Rursus si dicam: Lutherus est homo, quis dubitabit esse locutionem litteralem? si verò affirmem: Lutherus est fax Germaniæ, pestis Ecclesiæ &c. pariter nemini dubium erit, me loqui figuratè. Cùm ergo Christus tam distinctis verbis affirmârit: *Hoc est Corpus meum*, quis audebit illa in sensum improprium detorquere?

Tertiò: Juxta dictum æternæ veritatis, *hoc* quod demonstratur sub accidentibus panis, *est Corpus Christi*; juxta Novatores hoc non est Corpus Christi: ergo Novatores contradicunt æternæ veritati. Neque possunt adversarii ullum locum afferre, ubi Christus dixerit, hoc est figura meæ carnis.

Quartò: Illa fides adversariorum, quâ ajunt, Christum per fidem esse substantialiter præsentem in Eucharistia, vel est vera, vel falsa? si falsa, hoc ipso nulla & abjicienda; si vera, ergo supponit realem præsentiam Christi, cùm alias falsum crederet.

§. V.

Ex confessione ipsorum Adversariorum.

CAlvinus relatus à Cottono l. 3. c. 44. l. 4. instit. c. 17. §. 10. sic habet: *Omnino isthæc piis tenenda regula est, ut quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent, ac sibi persuadeant. Quorsum enim corporis sui symbolum tibi Dominus in manum porrigat, nisi ut de vera ejus participatione te certiorem faciat? quod si verum est, præberi nobis signum visibile ad obsignandam invisibilis rei donationem, accepto corporis symbolo, non minùs etiam corpus ipsum nobis dari certò confidamus.* Lutherus in serm. de Euch. apud Arsdekin p. 1. tr. 3. a. 2. *In Sacramento altaris non est panis & vinum, sed species panis & vini.* Idem in l. de captiv. Babylon. apud Cott. *Credo*, inquit, *firmiter, non modo Corpus Christi esse in Cœna, verùm etiam panem esse Corpus Christi.* Et in Tract. quem Confess. magnam appellat, *Fatendum*, inquit, *omnino est, qui panem hunc edit, & tritis dentibus, edere id ipsum, quod est verum & proprium Christi corpus.* Matthæus Prætorius, Minister Prussus, in libello dicto Tuba pacis, edito anno 1685. p. 74. dicit: *Vix quicquam clariùs & S. Scriptura & SS. PP. loquuntur*, adducitque è suis Diecerum & Zeidlerum, quorum iste in colloq. Controv. sc. 3. dicit: *Panis in Eucharistia fit propriè Corpus Christi; non per unionem, sed per mutationem.* Imò realis præsentia Corporis Christi in Eucharistia verbis expressis habetur in antiqua Augustana Confessione. 18.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò: Ubi est realiter substantia panis, ibi non potest realiter consistere substantia Corporis Christi: sed in Eucharistia realiter adest substantia panis: ergo non potest 19.

realiter esse substantia Corporis Christi. Minor probatur ex Evangelico textu Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et apud Apostolum: *Quicunque manducaverit hunc panem,* &c. Confirmatur. Non minùs affirmatur de Eucharistia, quòd sit panis, quàm quòd sit Corpus Christi: ergo cùm non possit simul esse panis & corpus, debet unum esse realiter, & alterum figuratè: sed non est panis tropicè, & figuratè, tum quia τὸ *panis* in proprietate loquendi significat verum panem, tum quia accidentia panis indicant realem substantiam panis: ergo Corpus Christi, quod nec videtur, neque potest sub accidentibus panis existere, significatur figuratè.

Resp. negando min. Ad probationem respondent aliqui, ideo de Corpore Christi affirmari, quòd sit panis, partim quia ratione accidentium apparet ut panis, partim quia hanc substantiam Corporis Christi contentam sub speciebus panis immediatè antecessit substantia panis, veluti si de uxore Loth conversa in statuam salis diceretur: *hæc statua est uxor Loth;* quia immediatè antea erat talis, & retinebat figuram uxoris. Vel cùm Scriptura dicit Ex. c. 7. quòd virga Aaron devoraverit virgas ariolorum, quia, licet tunc virga fuerit conversa in serpentem, tamen priùs erat virga; quam proprietatem dictionis Dialectici vocant distractionem, uti, cùm dicitur, *Petrus est mortuus,* mors affirmatur de Petro, non qui existit, sed qui antea fuit. quemadmodum & in l. 4. Reg. c. 9. *Haccine est illa Jezabel?* Ex quo inferunt, cùm Corpus Christi nec appareat ut corpus, nec ante consecrationem fuerit corpus, ideo non nisi in sensu reali & de præsenti posse affirmari corpus. Si opponat adversarius, nos confugere ad nugas dialecticas, & sophisticas; & hac ratione etiamdum affirmari posse, quòd senex sit juvenis, quia nempe priùs erat talis. Resp. Has regulas Dialecticas etiam in scholis adversariorum esse receptissimas; ad instantiam dico, ut terminus distractio possit intelligi, oportere, ut vel ex circumstantiis, vel adjecto ejusmodi proprietas cognosci possit, quod non fit in hac propositione, *senex est juvenis,* nisi addas, *hic senex est ille juvenis, quondam juvenis* &c. Verùm relictis hisce subtilitatibus Dialecticicis, expeditiùs

Respondetur: Apertè ex S. textu constare, quòd Christus loquatur de pane supersubstantiali; dixit enim: *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi:* in quo sensu cùm proprietate verborum de Corpore Christi in Eucharistia affirmatur, quòd sit panis; præsertim cùm in S. Scriptura panis nomine cibus & nutrimentum communiter accipiatur: uti constat primò ex verbis Jacobi: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum.* Gen. 29. Et rursus Luc. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sic etiam manna deserti dicitur *panis Angelorum,* eò quòd esset cibus ab Angelis præparatus: quamvis revera non esset panis, sed haberet similitudinem cum semine coriandri. Ex quo jam patet resolutio Confirmationis.

20 Objicies secundò: Christus vocatur *Petra,* 1. Corinth. 10. *Agnus.* Joan. 1. *Vitis.* Joan. 15. &c. quæ omnia accipiuntur in sensu metaphorico: ergo etiam, cùm dicit: *Caro mea est cibus. hoc est Corpus meum,* debet accipi in sensu metaphorico; cùm sensui æquè repugnet, quòd hostia parva sit Caro & Corpus Christi, quàm quòd realiter sit petra, agnus, vitis &c.

Respondetur: Ad elidendas Adversariorum illusiones, Christum Joan. 6. jam addidisse: *Caro mea verè est cibus,* hoc est realiter, non similitudinariè & figurativè. Luc. 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* 1. Cor. 11. *quod pro vobis tradetur.* Matth. 26. & Marci 14. *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* quæ omnia non nisi de reali Corpore & Sanguine Domini directè, & in recto significato verificantur.

21. Objicies tertiò: Impossibile est, ut corpus existat sine proprietatibus corporis, & accidentia habeant proprietatem substantiæ: sed hoc contingeret in Eucharistia, si illic esset verum Corpus Christi: ergo. Minor multipliciter constat: nam primò corporis proprietas est extensio & dimensio: sed hanc non habet Corpus Christi: Secundò palpabilitas; unde Christus ad Discipulos post Resurrectionem: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet.* Tertiò impenetrabilitas: neque enim duo corpora possunt occupare eundem locum. Quartò, circumscriptiva ubicatio, quâ idem corpus nequit replicari in duobus locis. Quintò, divisibilitas in partes, hoc ipso quòd est quantum; sed si Corpus Christi in Eucharistia esset impalpabile, esset penetrabile, quia partes se invicem penetrarent & occuparent idem spatium; replicaretur & existeret simul in cœlo & in altari, & fractâ hostiâ non divideretur Corpus Christi, sed modo indivisibili esset totum in toto, & totum in partibus hostiæ. Demum accidentia contra naturam accidentium per se existerent sine subjecto, adeòque haberent modum existendi substantiæ proprium: & insuper absque subjecto reciperent actionem alterativam in sui corruptione.

Respondetur: Hæc omnia carnali oculo, non verò illuminato intellectui & captivato in obsequium fidei videri impossibilia. Et ad argumentum dico: Non potest corpus existere sine proprietatibus corporis primariis & immediatis, concedo; secundariis & mediatis, nego, has enim esse divinitus dispensabiles patebit ex statim dicendis de penetratione. Primaria igitur corporis proprietas est quantitas seu dimensio distinctiva partium inter se, quâ fit, ut caput non sit manus, manus non sit pes, &c. quam etiam vocamus extensionem in ordine ad se, & ista omnino perseverat in Eucharistia: aliæ verò enumeratæ tantummodo sunt secundariæ.

Unde ad primam probationem patet Responsio: Extensio ad se est primaria proprietas,

con-

concedo; ad locum, nego. ergo illa tolli nequit, concedo; ista, nego consequentiam. Ad secundam Respondetur, illam probationem fundari in vitiosâ conversione, nimirum omne palpabile est corpus (ex quo Christus probavit veritatem sui corporis) ergo omne corpus est palpabile: quæ consequentia est falsa. palpabilitas quoque tantùm est secundaria proprietas quantitatis corporeæ.

Ad tertiam quoque Respondetur, impenetrabilitatem esse solùm secundariam proprietatem, quam à DEO dispensari posse patet primò, quia Christus exivit è sepulchro clauso, Matth. 28. adeòque suo corpore glorioso penetravit lapidem, quo sepulchrum claudebatur, prodivit in lucem clauso Virginis utero, intravit post Resurrectionem januis clausis ad Discipulos, Joan. 20. Et cùm aliquando dixisset, camelum faciliùs intrare per foramen acûs, quàm divitem in regnum cœlorum, mirantibus exinde Discipulis, subjunxit, hæc impossibilia esse apud homines, non autem apud DEUM: sed ut camelus intraret per foramen acûs, sine penetratione fieri non posset: ergo corpora penetrari DEO possibile est.

Ad quartam, multi fatigantur in probanda possibilitate replicationis circumscriptivæ, quæ tamen ad hoc mysterium nihil facit, cùm Christi Corpus ibi non sit circumscriptivè, & aliunde vanum est, inconcussam fidei veritatem fundare super arenam, & sententiam divo Thomæ ejusque toti scholæ improbatam. Respondetur igitur, etsi impossibile sit corpus replicari, seu existere circumscriptivè in duobus locis, quia sequeretur esse à se ipso diversum; non tamen ut sit in uno circumscriptivè & extensè ad locum; in alio vel pluribus incircumscriptivè, & inextensè ad locum, seu, ut vocamus, sacramentaliter: quo modo Christus scilicet existit in cœlo & in altari, ibi circumscriptivè, hic sacramentaliter; ex hoc quippe nulla sequitur contradictio.

Ad quintam Respondetur: Etiam sublatâ divisibilitate proximâ, ex quo fit, ut Corpus Christi existat totum in tota, & totum in partibus hostiæ, quemadmodum tota anima existit in toto corpore, & tota in partibus corporis; & figura seu facies hominis tota conspicitur in toto speculo, & tota in singulis partibus speculi; nihilominus remanere divisibilitatem radicalem, quæ est ipsa extensio partium in ordine ad se.

Ad sextam Respondetur: Nullum esse inconveniens, ut accidentia virtute divinæ actionis in genere causæ efficientis extra subjectum conserventur; tunc enim quidem actu non habebunt subjectum, in quo existant, habebunt tamen intrinsecam inclinationem ad inhærendum subjecto: quæ aptitudinalis & exigitiva inhærentia illa sufficienter distinguit à perseitate existendi substantiis propria. Cæterùm in alteratione accidentium quantitas subit vicem subjecti, vi cujus accidentia fiunt extensa & capacia ad recipiendas qualitates alterativas; cùm ipsa etiam substantia mediante quantitate, ceu subjecto quo, sit receptiva accidentium & alterationum.

Obiicies quartò. Apostolus 1. Corinth. 10. 22.
v. 3. & seqq. dicit, quòd PP. antiqui testamenti nobiscum *eandem escam spiritualem manducaverint*: sed in antiquo testamento locum non habet realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi: ergo neque in novo testamento.

Respondetur primò. Apostolum tantùm instituere comparationem inter ipsos Judæos, non autem nobiscum, seu cum Christianis Novi Testamenti, ut ex contextu liquet; neque enim illud τὸ *nobiscum* in ulla versione additum reperitur, sed ab adversariis proprio cerebro adjicitur.

Respondetur secundò. Tametsi Apostolus etiam nobiscum institueret comparationem, tamen non significaret omnimodam, sed analogicam tantùm identitatem, ita ut eandem escam, quam antiqui PP. per fidem manducarunt in umbra & figura, nos manducemus in veritate, prout loquitur S. Aug. tr. 26. in Joan. imò clarè ostendit Christus ipse institutâ comparatione mannæ antiqui testamenti & panis hujus cœlestis. Joan. 6.

Objiciunt quintò. Christus in Eucharistico 25.
sermone, quem habuit cit. c. 6. Joan. cùm Capharnaitas scandalizatos esse animadvertisset, v. 63. ita conclusit: *Spiritus vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum, spiritus & vita sunt.* In quæ verba S. Aug. sic disserit: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum vobis; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intelligite, vivificabit vos.* Item l. de doctr. Christ. sic loquitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoriam, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

Respondetur: Christum D. ibidem instruxisse suos Discipulos, ut non carnali modo secundùm manducationem puro humano & naturali lumine apprehensam manducationem suæ S. carnis acciperent, prout accipiebant Capharnaitæ, secundùm sup. dicta sed modo spirituali per cognitionem supernaturalem & lumine fidei regulatam, apprehendendo realem præsentiam & manducationem Corporis Christi modo spirituali, localiter inextenso & indivisibili existentis in Eucharistia. Nec alius est, & esse potest sensus D. Augustini, qui realem præsentiam corporis Christi spirituali tamen modo existens, seque communicantis in Eucharistia sæpius agnoscit, partim in textu suprà cit. partim in l. 8. ad Jan. c. 6. dicens: *Placuit Spiritui S., ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani primùm Dominicum corpus intraret,*

quam cæteri cibi. Et. l. 2. advers. leg. & Proph. c. 9. *Mediatorem DEI & hominum Christum JESUM carnem suam manducandam, bibendúmque sanguinem dantem fideli corde & ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere &c.* Unde patet S. Patrem ita in Sacramento Eucharistiæ rationem figuræ & signi agnovisse, ut tamen realem præsentiam Corporis Christi nequaquam excluderet, sed tantum carnalem illam Capharnaitarum apprehensionem, quasi videlicet Christus carnem suam in partes concisam daret ad manducandum. Est ergo hoc Sacramentum figura, est etiam signum, sed non mera figura, cum qua non consisteret veritas verborum Christi neque signum corporis absentis, sed præsentis & contenti sub accidentibus panis.

ARTICULUS III.

Defenditur Catholica veritas transsubstantiationis?

SUMMARIA.

1. *Quid sit transsubstantiatio?*
2. *Convenientia & origo hujus vocis.*
3. *Fundamentum ex verbis Christi, & ratione.*
4. *Ex authoritate SS. PP.*
5. *Testimonium Hebræorum.*
6. *Confessio Adversariorum.*
7. *Objectiones hæreticorum solvuntur, & textus exponuntur.*

§. I.

Explicatio transsubstantiationis.

1\. POst assertam Catholicam veritatem de reali præsentia corporis & sanguinis Domini in Sacramento Eucharistiæ, progredimur ad alteram veritatem priori ita connexam, ut etiam Theodorus Beza fateatur, concessa priori etiam hanc posteriorem necessariò admittendam esse: nempe adstruimus modum, quo corpus & sanguis Christi ponuntur præsentialiter in Eucharistia, quam Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat, estque nil aliud, quam conversio realis & physica totius panis in corpus, & totius vini in sanguinem Christi, facta per efficaciam consecrationis, prout habetur in Trid. sess. 13. c. 4.

2\. Nec est, quod Novatores carpant hanc vocem tanquam S. Scripturæ incognitam; nam & vox *homousios*, seu *consubstantialis*, non habetur in SS. litteris, quod tamen Patres in Concilio Nicæno contra Arianam hæresin non tantùm receperunt, sed etiam Symbolo Catholicæ fidei inseruerunt: & ita pariter postquam realis conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi à Berengario ejusque sequacibus vocari cœpit in dubium, meritò Ecclesia Catholica Evangelicam veritatem adversùs hæreses uno vocabulo *transsubstantiationis* cœpit exprimere, quæ jam prius à Græcis *μεταποίησις*, & *μετάληψις*, *μεταστοιχείωσις* dicebatur.

Cæterùm an ista Conversio sit adductiva, ut volunt Scotistæ, vel productiva, vel constitutiva, vel unitiva, ut loquuntur Thomistæ, vel ut alii reproductiva, nihil attinet ad Catholicæ sententiæ & mysterii veritatem, neque ex nostrorum DD. in hoc puncto dissensione adversariis quicquam seritur, vel meticur, cùm apud omnes nihilominus constet inconcussum dogma, per consecrationem sacerdotis fieri realem conversionem & transmutationem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, ita ut Divina omnipotentia subtracto concursu sustentativo panis immediatè substituat substantiam Corporis Christi.

§. II.

Catholica veritas ex verbis Christi & authoritate SS. PP. stabilitur.

PRobatur primò. Verba Christi efficiunt, 3
quod significant & enuntiant, quando non jam aliunde obtentam veritatem propositionis supponunt: sed Verba Christi significant hoc individuum demonstratum sub visibilibus accidentibus esse suum corpus, neque supponitur illic antea extitisse: ergo etiam efficiunt, ut sit suum corpus. Subsumo: sed si hæc individua substantia sub speciebus panis est corpus Christi non potest esse substantia panis; quia repugnat, unum, idémque individuum significatum per pronomen *hoc* pertinere ad diversas species.

Nec valet, si dicat Lutheranus, Corpus Christi esse cum substantia panis simul concomitanter. Contra enim est primò, quia pronomen demonstrativum *hoc* significat substantiam contentam sub speciebus panis, quod in tali casu non esset corpus Christi, sed substantia panis, vel certè esset sensus, *Hic panis est corpus meum*: ex quia præter naturalem obscuritatem & implicantiam rursus sequeretur, panem fuisse conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine &c. quod est absurdissimum. Secundò, quia tunc fideles non comederent corpus Christi, nec biberent sanguinem Christi, sed solummodo comederent panem & biberent vinum: ipsique Apostoli nil aliud, quàm panem & vinum comedissent & bibissent; non enim aliqua res spiritualiter inexistens vel coëxistens alicui comestibili, idcirco simul comeditur: neque enim, qui panem comedit, etiam DEUM comedit, qui in illo per essentiam præsens existit. Tertiò, optimum semper est argumentum à disparatis: *Hoc est aurum, ergo non est plumbum; est creatura, ergo non est Deus; est homo, ergo non est Angelus*: ergo pariter si verum est quod hoc demonstratum sit panis, falsè dixisset Christus: *Hoc est corpus meum*, vel si verè dixit:

dixit: *Hoc est corpus meum*, rectè infertur: *ergo non est panis.*

4. Probatur secundò authoritate SS. PP. Nam multi SS. PP. ex miraculosis conversionibus in S. Scriptura memoratis adstruunt fidem huic miraculosæ conversioni Eucharisticæ, uti cum Gen. 19. uxor Loth convertitur in statuam salis. Psalm. 113. *DEUS convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontis aquarum.* Exod. c. 7. Virga Moysis vertitur in serpentem, & è serpente rursus in virgam. Joan. 2. Christus aquam mutavit in vinum. Ex quibus ad præsens mysterium argumentatur D. Ambros. l. de initiandis c. 9. *Quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis; & in virgæ naturam revertit: Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam!* Et post intervallum: *De totius mundi operibus legistis: Quia ipse dixit, & facta sunt &c. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere; quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erat?* Et l. 4. de Sacr. c. 45. *Antequam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi, &c. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere.* S. Cyrillus Hierosolym. catech. 4. *Olim*, inquit, *aquam in vinum mutavit, nos vinum in sanguinem mutari non credamus?* & plura similia apud Cotton. l. 3. c. 46.

Tertull. l. 4. c. 6. *Christus acceptum panem & distributum Discipulis Corpus suum illum fecit, (dicens) hoc est corpus meum.* D. Cyprian. serm. de Cœna D. *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.* D. August. serm. 28. de V. D. *Dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Et in c. 10. 1. Corinth. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi.* Theophil. in c. 6. Joan. *Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem.* In c. 14. Matth. utitur vocabulo *transelementationis.* Et in c. 20. dicit: *Ineffabili operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis.* Unde non immeritò infert author lapidis Lydii diabolo esse deteriores homines, qui negant in Sacramento Eucharistiæ Christum potuisse panem in suum corpus convertere, siquidem diabolus agnovit, quòd solo verbo posset lapides in panes convertere, dicens, Matth. 4. *Dic, ut lapides isti panes fiant.*

§. III.

Probatur ex Hebræorum & Adversariorum confessione.

5. PRimò apud Cottonum cit. consid. 19. Ex Hebræis expositoribus Rabbi Cohaxa ad c. 49. Gen. illud, *ligans ad vitem civitatem suam*, sic exponit: Hæc verba ostendunt, *quòd sacrificium, quod fiet ex vino, non solùm transmutabitur in substantiam Sanguinis Messiæ, sed etiam convertetur in substantiam Corporis ejus.* Rabbi Judas in c. 78. Num. *Panis facierum coram me semper; quare*, inquit, *dicatur panis facierum? ratio est, transmutabitur ex substantia panis, cùm sacrificabitur, in substantiam Corporis Messiæ, qui descendit de cœlis, & idem ipse erit sacrificium, &c.* Rabbi Simeon in l. qui inscribitur revelatio secretorum, dicit: *Tunc DEUS misericordia replebitur ex virtute ingenti sanctorum verborum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud sacrificium, quod in unoquoq; altari celebratur, in Corpus Messiæ convertetur.*

Quod verò ad ipsos Novatores pertinet, Lutheri confessio in priori articulo allegata jam constat; qui manifestè infert conversionem panis in corpus. Georgius verò Cassander in art. 12. ad quæstiones sibi à Ferdinando Imp. propositas ita respondet: *Quod ad transsubstantiationem attinet, si cuipiam durior vox, & insolentior esse videatur; saltem hoc intelligat, negari non posse; quin passim in veterum Patrum Commentariis consimiles aliæ voces reperiantur, nimirum conversio, transmutatio, transformatio, & transelementatio.* Calvini verba jam in sup. art. §. 5. adduxi. 6.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò, illud Pauli 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Christi est?* Sed quod non existit, non potest esse participatio Corporis Christi: ergo debet panis existere, dum participatur Corpus Christi. 7.

Respondetur: Apostolum loqui de pane consecrato, adeòque de ipso Corpore Christi; unde sensus verborum est: O Corinthii, quando participatis de pane consecrato, nonne participatis de Corpore Domini?

Objicies secundò textum Ambrosii l. 4. de Sacr. c. 5. dicentis: *Si tanta vis fuit in sermone Christi, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit, ut sint, quæ erant, & in aliud convertantur?* Item textum Theodoreti l. 1. dial. *Christus visibilia signa appellatione corporis & sanguinis honoravit, non transmutans symbolorum naturam, sed naturæ symbolorum adjiciens gratiam.*

Respondetur: In textu D. Ambrosii, cujus mens & sententia de veritate realis transmutationis ex præallegatis textibus abundè constat, sensum esse, quòd operatio Christi in Eucharistia faciat, ut panis sit & remaneat, quoad accidentia, sicut priùs, & simul substantia panis convertatur in substantiam Corporis Christi. Idem est sensus Theodoreti, negantis nimirum transmutationem symbolorum, quoad naturam accidentalem, non autem substantialem, prout ex aliis ejusd[illegible] sufficienter colligitur.

Objicies tertiò. SS. Patres dicunt, Corpus Christi in Eucharistia frangi, manibus tractari, &c. quæ nonnisi ratione panis verificantur.

Respondetur, hæc omnia dici de Corpore Christi ratione specierum & quantitatis remanentis, non ratione substantiæ panis.

Objicies quartò. Non mutavit Christus suam substantiam in substantiam panis, cùm diceret: *Ego sum panis*, &c. ergo neque convertit substantiam panis in suum Corpus, cùm dixit: *Hoc est Corpus meum*.

Respondetur, negando consequentiam. quia cùm de se ipso dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*, affirmavit de se ipso, quod antè jam erat: nempe cibus vitalis supersubstantialis Angelos fruitivè satians; cùm verò dixit: *Hoc est Corpus meum*, affirmavit de hoc individuo contento sub speciebus panis suum Corpus, quod antè non erat.

Objicies quintò. Rectè dicimus: *Hic homo est DEUS, & hic DEUS est homo*, tametsi nulla fiat naturæ humanæ in divinam conversio: ergo licèt nulla fiat conversio panis in Corpus Christi, tamen poterunt de se invicem prædicari.

Respondetur negando consequentiam: nam prior prædicatio verificatur, quia est de persona, quæ eadem reperitur tam in natura humana, quàm divina: atqui, nisi supponatur facta conversio substantiæ panis in Corpus Christi, nihil habes substantiale commune utrique, ratione cujus verificari possit: *Hic panis est Corpus Christi*.

Objicies sextò. Sequeretur, substantiam Corporis & Sanguinis Christi à se invicem separari, si vi istorum verborum: *Hoc est Corpus meum*: converteretur panis in Corpus Christi, & vi illorum: *Hic est Sanguis meus*: vinum converteretur in Sanguinem Christi.

Respondetur negando sequelam: licèt enim formaliter, & quantùm est ex vi & intentione verborum, sub speciebus panis tantùm ponatur corpus unà cum anima quatenus constituente gradum corporis organici, concomitanter tamen etiam ponuntur illa, quæ realiter sunt unita corpori, inter quæ sunt anima, quatenus tribuens esse rationale, Sanguis, Divinitas, &c. ponitur enim verum Christi Corpus de actu existens, hoc autem est unitum Sanguini, animæ, Divinitati, &c

Colliges ex dictis, totum Christum esse æquè sub una, ac utraque specie; & æquè sub parte, quàm sub tota hostia; nam Christus [illegible] omnes partes fracti panis pronuntiavit: [illegible] *est Corpus meum*; neque existit sub [illegible] modo divisibili, sed indivisibili, nec est de facto capax fractionis, aut divisionis.

ARTICULUS IV.

Permanentia, adoratio, delatio Venerabilis Eucharistiæ propugnatur.

SUMMARIA.

1. *Sacramentum Eucharistiæ est permanens, non consistens in sumptione.*
2. *Retorquetur & solvitur objectio hæreticorum.*
3. *Disparitas inter Baptismum & Eucharistiam.*
4. *Eucharistia rectè adoratur,*
5. *Et circumfertur in processionibus.*
6. *Asservatur in Sacrario, & defertur ad ægros.*
7. *Ita practicatum in antiqua Ecclesia.*
8. *Consecrationi Eucharistiæ rectè præmittuntur preces & benedictiones.*

§. I.

Sacramentum Eucharistiæ non est transiens, sed permanens.

1. DICENDUM primò, contra Lutheranos: (nam contra Calvinistas realem Corporis Christi præsentiam latè probavimus:) *Sacramentum Eucharistiæ non est transiens, sed permanens post peractam consecrationem.* In probationem hujus veritatis faciunt argumenta priùs adducta ad probandam realem Christi præsentiam in Eucharistia. Nunc ulteriùs probatur hac ratione: Cùm Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*, vel fecit, ut absolutè esset suum Corpus in Eucharistia, vel tantùm conditionatè, videlicet sub conditione sumptionis? Si primum, habetur intentum; tunc enim jam erat Corpus Christi independenter à sumptione: Non secundum, primò, quia nullus apex Scripturæ ostendi potest, ex quo ista conditio eruatur, cùm tamen adversarii nil, nisi quod scriptum sit, credendum agnoscant. Secundò, quia panem consecratum ideo comedendum Christus porrexit, & Sanguinem bibendum, quia esset suum Corpus & Sanguis: *Accipite & comedite; hoc est Corpus meum*: & expressiùs de Sanguine: *Bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus novi testamenti, &c.* Matth. 26. ergo quod porrigebatur comedendum & bibendum, jam antecedenter debebat esse Corpus & Sanguis; aliàs Christus falsum dixisset. Sanè si Christus in Cana Galilææ dixisset: *Bibite ex hac hydria: hoc enim est vinum*, nemo dubitaret, aquam fuisse conversam in vinum, priusquam biberetur: cur ergo non similiter dicendum, cùm Christus dixit c. 22. Bibite: *hic enim est Sanguis meus*.

Hoc maximè elucet ex verbis D. Marci: *Et biberunt ex eo omnes*, ubi expressè sumptio calicis subsequitur post moram temporis affirmativam Christi propositionem, dicentis: *Hic est Sanguis meus novi testamenti*, Marci 14. Item cùm Lucas & Apostolus sæpè cit. loco ad Corinth. refert verba Christi: *Hic est calix novum testamentum in meo Sanguine*; apertè significatur, Sanguinem priùs esse in calice, quàm sit in ore sumentium illum. Rursus, cùm Apostolus c. 10. v. 16. dicit: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Christi est?* evidenter ostenditur, Corpus Christi jam tunc esse, cùm panis consecratus frangitur, quod utique fit ante sumptionem.

Obji-

2. Objiciunt primò. Inter comedendum primùm Christus dixit: *Hoc est Corpus meum.* nam *accepit panē, & benedixit; ac fregit, deditq́, Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum;* ergo Corpus Christi tantùm fit, quando panis sumitur.

Respondetur primò, retorquendo argumentum. Marci 14. dicitur: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti.* Et ut habent alii Evangelistæ: *Hic est calix Sanguinis mei; Hic est calix novū testamentū in Sanguine meo:* ergo si sequendus sit ordo verborū, tunc primùm factus est Sanguis Christi, quando sumptio & bibitio calicis jam fuit peracta; & tunc fuit calix Sanguinis Christi, quando nil ampliùs fuit in calice. Priùs enim dicitur: *Biberunt ex eo omnes.* Itaque Respondetur secundò, sensum potiùs attendendum esse, quàm ordinem verborum: sed ex textu constat, quòd Christus priùs dixerit: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* quàm Apostoli sumpserint speciem panis & Sanguinis: siquidem per particulam *enim* redditur causa, cur Christus porrexerit calicem, nimirum *accipite & bibite: hoc enim quod bibitis, non est commune vinum, sed est sanguis meus.* Adde, quòd de pane & vino in stomachum transjecto, non possit verificari demonstratio, *hoc est Corpus, hic est Sanguis meus.* Secundò, quòd Corpus Christi successivè, adeòque non simul, sed per partes produceretur, quandoquidem cum sumptione, quæ est successiva, produceretur: hoc autem est absurdissimum.

3. Objiciunt secundò Instantiam à Sacramento Baptismi, & quòd eucharisticæ institutionis finis sit sumptio, adeòque sumptio sit de essentia Sacramenti. Sed ad primum Respondetur, nullam esse paritatem: quia Baptismi substantia consistit non in aqua, sed in ablutione per aquam, quod est aliquid transiens: at Eucharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, quod est aliquid permanens. Ad secundum Respondetur: Malam esse consequentiam, Eucharistiæ finis est sumptio, ergo sit in sumptione, vel sumptio est de essentia ipsius: sicuti non sequitur; vinum crescit & asservatur ad hoc ut bibatur, ergo non est vinum nisi dum bibitur: vel bibitio est de essentia vini.

§. II.

Adoratio, delatio, asservatio SS. Eucharistiæ defenditur.

4. DICENDUM secundò. *Sacramentum Euchristiæ rectè adoratur.* Probatur primò. Ubicunque Christus est per realem sui SS. corporis præsentiam, ibi est adorandus: sed est in Eucharistia per realem sui SS. Corporis præsentiam, ut jam ostensum est: ergo in Eucharistia est adorandus. Probatur secundò authoritate SS. PP. Ambros. l. 3. de Spiritu S. c. 12. in illud Psalmi: *Adorate scabellum pedum ejus, &c.* inquit: *Itaq; per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino adorārunt.* Aug. in Ps. 98. *Nemo illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit.* Chrysost. ho. 3. in ep. ad Ephes. *Adora & manduca.* Theodoret. dial. 2. de Euch. *Intelliguntur autem ea, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, &c.* Unde patet, quàm falsa sit calumnia Vedrosii argentis, S. Hostiæ adorationem esse artolatriam, quam primus sanxerit Honorius Papa III, auxerit Urbanus IV. instituto festo Corporis Christi, cùm ejusdem adorationem tam SS. & antiqui PP., qui pluribus sæculis utrumque Pontificem præcesserunt, agnoverint.

Ex hoc ulteriùs infertur, quàm rectè Eucharistia non tantùm exponatur, sed etiam in publicis processionibus ad majorem cultum & adorationem circumgestetur. Si enim DEUM per publicam & solennissimam circumgestationem Arcæ fœderis in typo & figura adorare licuit in antiquo testamento, ut factum fuisse constat ex Num. c. 10. ex Josue 3. & 6. 2. Reg. 6. & Paralip. 13. & 15. quantò magis fas est, ipsum per publicam circumgestationem Eucharistiæ, in qua verè realiter existit, exhibere adorandum. 5.

DICENDUM tertiò: *Eucharistia rectè asservatur in Sacrario, & defertur ad ægrotos.* 6.

Probatur primò: Nisi S. Eucharistia deferretur ad ægrotos, & in hunc ipsum finem reficiendi ægrotos, asservaretur, tunc ægroti, qui extra tempus competens celebrationi Missarum periclitantur, ac morbo prohibentur interesse sacris mysteriis, defraudarentur præstantissimo medio suæ salutis; & impedirentur implere præceptum Christi dicentis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* neque enim aliud tempus est convenientius ad implendum hoc præceptum, quàm tempus lethalis morbi, quo homo tenetur adhibere media assecurandi suam salutem æternam: sed utrumque est maximum inconveniens: ergo.

Probatur secundò ex usu antiquæ Ecclesiæ, & authoritate PP. ita enim, antequam decerneretur à Concil. Trid. sess. 13. de Euch. c. 6. statutum reperitur à Concil. Nicæno can. 11. & seqq. præsertim 13. in quo dicit: *Exeuntes de corpore non debent juxta veterem & canonicam legem novissimo juvamine* (loquitur de Eucharistia) *privari.* Item à Rhemensi c. 2. Lateranensi c. 26. aliisque. Hunc morem attestatur Dionysius Alexandrinus, qui floruit ad annum Christi 260. in sua epistola ad Fabium Antiochenum, relatâ ab Euseb. Cæsar. l. 6. hist. Eccles. c. 36. Et S. Aug. serm. 215. de temp. ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, &c.* Sacram quoque hostiam ad S. Serapionem & D. Ambrosium in supremo morbo delatam fuisse constat ex historia Ecclesiastica. Imò ejusmodi delationem etiam laicis in necessitate concreditam antiquitus fuisse, testatur Tertullianus l. 2. ad uxorem. Cypr. de lapsis serm. 5. Ambros. in funebri orat. Satyri. Ex quo antiquissimus mos manavit, ut S. Eucharistia ad ægrotos deferenda *viaticum* appellaretur. 7.

DICENDUM quartò: *Consecrationi S. Eucharistiæ rectè adjunguntur & præmittuntur preces ac benedictiones:* ita enim ad exemplum ipsius Christi primitiva observavit Ecclesia: nam Matth. 26. & Marci 14. legitur: *Accepit JESUS panem, & benedixit ac fregit, &c.* Et primâ Corinth. 10. v. 13. dicitur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* 8.

DISPUTATIO XXX.

De tempore institutionis, essentia, & unitate SS. Eucharistiæ.

JActis veritatis Catholicæ fundamentis, ad considerandam Eucharistiæ essentiam progredimur; cui tamen considerationi præmittimus controversiam, quæ cum Græcis intercedit, utrùm Christus Sacramentum Eucharistiæ instituerit Lunâ decimâ tertiâ, vel potiùs decimâ quartâ lunâ --- mensis Nisan, de quo sit

ARTICULUS I.

Quo die celebravit Christus Cœnam eucharisticam?

SUMMARIA.

1. *Menses lunares usitati Judæis.*
2. *Alius dies naturalis, alius civilis.*
3. *Exponitur festum Paschatis, & azymorum.*
4. *Græcorum opinio & fundamenta proponuntur.*
5. *Sententia, Fundamentum Ecclesiæ Latinæ de tempore Cœnæ eucharisticæ.*
6. *Ex qua infertur consecratio in azymo.*
7. *Quæ facta est post lotionem pedũ anteCœnam usualem,*
8. *Præsente Juda.*
9. *Cùm Joannes dicit*: Ante diem festum Paschæ, *intelligit diem naturalem, non civilem.*
10. Pascha *non tantùm agnum paschalem, sed etiam alias victimas significat.*
11. *Parasceve vocatur feria sexta ante Sabbatum.*
12. *In festo azymorum tantùm labor servilis fuit prohibitus.*
13. *Dies Sabbati vocatur* magnus, *eò quòd inciderit in festum azymorum.*
14. *Eadem fuit nox, quâ Israëlitæ comederunt Pascha, & fuerunt egressi ex Ægypto.*

§. I.

Proponitur Sententia Græcorum.

1. NOtandum primò. Apud Judæos menses lunares in usu fuisse, ita ut primam diem mensis à prima luna numerant, quæ Græcis dicitur neomenia. Porrò primus mensis erat Nisan, qui partim nostro Martio, partim Aprili respondebat. Ita DEUS ordinavit Ex 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*

2. Notandum secundò: Apud Judæos in usu fuisse triplex genus dierum, diem scilicet naturalem, legalem, seu civilem & usualem seu artificialem. Naturalis est, qui nocti opponitur, & ab ortu solis usque ad occasum computatur. Civilis, qui & legalis est, quo Hebræi ab unius diei vespera, usque ad vesperam subsequentis diei computabant, juxta ordinem creationis, in quo vespera diem præcessit, Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies unus.* Atque ita præceperat DEUS Levit. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Usualis & vulgaris est, qui à media nocte ad mediam noctem computatur.

3. Notandum tertiò: E præcipuis Hebræorum festis fuisse Pascha, & festivitatem azymorum. Pascha seu festum transitûs, sic dictum, quia fuit institutum in memoriam illius transitûs, quo Angelus transitis Hebræorum familiis percussit primogenita totius Ægypti, celebrandum erat unicâ die, & inchoandum lunâ decimâ quartâ ad vesperam Ex. 12. Levit. 23. Festum azymorum institutum in memoriam liberationis, & egressionis ex Ægypto, in qua præ festinatione Israëlitæ panes fermentare non potuerunt, complectebatur septem dies integros: & incipiebat à vespere lunæ decimæ quartæ, sic ut celebritas paschalis coincideret cum initio festi azymorum, quod decimâ quintâ lunâ celebrabatur. His positis

Græci, ad stabiliendum suum ritum consecrandi Eucharistiam in pane fermentato, docent, 4.
Christum D. Cœnam agni paschalis adeòque & Cœnam eucharisticã non celebrâsse lunâ decimâ quartâ, quâ Judæis fas non erat uti pane fermentato, sed præcedenti die seu lunâ decimâ tertiâ, quo tempore Judæi fermentato pane utebantur; hisque ducuntur fundamentis. I. Joann. c. 13. omnibus à Christo in ultima Cœna gestis præmittitur, *ante diem festum Paschæ*, adeòque Christus in institutione Eucharistiæ videtur diem Paschatis prævenisse. II. Jo. 18. dicitur, Judæos in die passionis Dominicæ non introisse prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*: adeòque paschalis cœna nondum erat apud Judæos celebrata, neque inchoatum festum azymorum. III. Joan. 19. dicitur mortuus in *Parasceve Paschæ*: hæc autem erat præparatio necessariorum, tempore præcedens solennitatem paschalem. IV. In festo azymorum Judæis nefas erat strepitum judicialem, aliaque opera & labores exercere: cùm ergo Christum Judæi ad tribunal & mortem raperent, cùmque mulieres eâdem die unguenta & aromata ad ungendum Christi corpus pararent, sequeretur, nondum fuisse lunam decimam quintam, sed decimam quartam, adeòque Eucharistiam institutam lunâ decimâ tertiâ. V. Dies consecuta mortem Christi vocatur *magna dies Sabbati*, quod meritò intelligitur de prima die azymorum. VI. Imò videntur Judæi celebrâsse Pascha vesperâ antecedente, non vesperâ terminante lunam decimam quartam: nam Iudæi celebrârunt phase nocte præcedente egressionem ex Ægypto: sed fuerunt egressi nocte terminante lunam decimam quartam sub initium lunæ decimæ quintæ: sic enim habetur Exod. 12. & Num. 13. *quòd Judæi profecti sint de Ramesse mense primo, decima quinta die mensis primi*: ergo non illa, sed præcedenti nocte Pascha celebrarunt. Major probatur: Iudæi celebrârunt Pascha eâdem vesperâ, quâ primitus in Ægypto celebrârunt: sed tunc celebrârunt vesperâ distinctâ & præcedente egressionem ex Ægypto: ergo.

Mi-

Minor probatur: quia nocte, quâ Agnum Paschalem comederunt, prohibitum fuit Israëlitis domo exire. Ex. 12. *Nullus vestrûm egrediatur ostium domûs suæ usque manè.* Quo pacto igitur tanta multitudo confluere, sese ad iter comparare, vasa quoque aurea & argentea ab Ægyptiis accipere potuisset?

§. II.

Sententia Ecclesiæ Latinæ.

5. CONCLUSIO. *Christus Cœnam paschalem, & Eucharisticam celebravit vesperâ terminante lunam decimam quartam.* Ita PP. & DD. latini, quibuscum etiam sentit S. Chrysost. hom. 85. in Matth.

Fundamentum habetur ex claro Evangelii & Exodi textu: Christus manducavit Agnum paschalem, & mox instituit S. Eucharistiam primâ die azymorum; quando incipiebat festum azymorum: sed hoc incipiebat in vespera terminante Lunam decimam quartam: ergo in hoc celebravit Cœnam paschalem & eucharisticam. Major probatur: nam Matth. 26. habetur: *Primâ autem die azymorum accesserunt Discipuli ad JESUM, dicentes: Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha?* Statimque subjungitur, Christum *vespere facto discubuisse.* Idem habetur Marci 14. *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt Discipuli, quovis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Et postea: *Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus & manducantibus ait JESUS, &c.* Ex quibus habetur, Christum manducâsse Pascha primâ die azymorum, idque sub vesperam. Atqui non sub vesperam, quâ terminabatur prima dies azymorum, hoc est Luna decima quinta mensis Nisan: ergo sub vesperam, quâ terminabatur Luna decima quarta & inchoabatur festum azymorum. Subsumptum clarè continetur in c. 12. Exodi, ubi sic præcipitur: *Decima die mensis tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, & edent carnes nocte illa, assas igni, & azymos panes, & comedetis festinanter: habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino: septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris, &c.* ubi expressè statuitur, ut Agnus Paschalis comedatur unà cum azymis nocte præcedente lunam decimam quintam.

6. Ex quo contra Græcos evidenter infertur: Christum Eucharistiam in azymo pane consecrâsse: In tali quippe pane Christus consecravit Eucharistiam, qualis tunc temporis apud Judæos habebatur: sed in vespera Paschatis incipiente prima die azymorum non erat fas Judæis habere panem fermentatum, eoque uti: unde & Agnus Paschalis comedebatur cum panibus azymis: ergo Christus consecravit in azymo.

7. Quæres: An Christus Sacramentum Eucharistiæ instituerit ante Cœnam usualem, & præsente etiamnum Juda traditore?

Supponitur: Aliam fuisse Cœnam legalem, nempe Agni Paschalis unà cum lactucis agrestibus; aliam usualem & ordinariam, quæ subjungebatur Cœnæ legali. Itaque Respondeo: Christum tempore intermedio inter legalem, quam ceu figuram Cœnæ eucharisticæ præmiserat, & inter usualem post lotionem pedum præsente Juda hoc Sacramentum Eucharistiæ instituisse. Cujus ratio est primò, quia juxta illius temporis & regionis consuetudinem pedes non lavabantur hospitibus ante cœnam legalem, sed ante usualem, cui consuetudini Christum se conformâsse verisimile est. Secundò: quia per illam pedum ablutionem significabatur præparatio & dispositio præmittenda S. Eucharistiæ sumptioni, præsertim per Sacramentum Pœnitentiæ, ut interpretatur D. Cyprianus serm. de lot. pedum.

Quod autem hoc fuerit factum præsente Juda, 8. constat primò, quia Matthæus & Marcus dicunt, Christum *discubuisse unà cum duodecim: illisq; cœnantibus accepisse panem, &c.* Secundò, quia Lucas c. 22. recenset, quòd Christus sub ipsa dispensatione Sacramenti dixerit: *Verumtamen ecce manus traditoris mecum est in mensa.* Tertiò, quia Christus peractâ institutione Eucharistiæ Apostolos ordinavit Sacerdotes, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: atqui Judas fuit Sacerdos juxta illud Act. 1. *Et Episcopatum ejus accipiat alter*: adeòque illi ordinationi interesse debuit.

§. III.

Solvuntur fundamenta Græcorum.

AD primam authoritatem adductam in contrarium Respondeo ex Catechismo Romano 9. cap. de Eucharistia; & D. Th. in 4. d. 11. q. 2. a. 2. quæst. 3. ad 1. cùm dicit Apostolus, *ante diem festum Paschæ*, loqui non de die legali (ideo notanter dixit *ante diem, non ante festum Pascha*) sed de naturali, prout à nocte distinguitur, & incipit à matutino diluculo, ut docent Tolet. Maldon. Jansen.

Ad secundum locum Respondeo: *Tò ut manducarent Pacha*, non significare esum agni paschalis, sed panem azymorum, vel victimarum, 10. quæ per septem dies paschales offerebantur, quæ & ipsæ *phase* seu *Pascha* dicebantur Deut. 16. *Immolabisq; phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, &c.*

Ad tertium Respondeo; Per *Parasceven* intelligi feriam sextam, quæ immediatè antecedit Sabbathum, in qua cibi & necessaria præparabantur 11. in diem Sabbati; ita quippe habetur Marci 15. *Erat parasceve, quod est ante Sabbatum.* Et Joan. 19. Judæi ergo, *quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato.*

Ad quartum Respondeo: Judæis in hisce festis diebus non omnem laborem, sicut in Sabbato, 12. sed tantùm servilem fuisse prohibitum, qualis non erat strepitus judicialis, & præparatio aromatum & unguenti.

Ad quintum Respondeo: Diem Sabbati non ideo appellari *magnam*, quòd esset prima dies 13. azymorum, sed quia inciderat infra festum azymorum, uti exponit S. D. loc. cit.

Ad sextum nego majorem, & dico, eandem fuisse noctem paschatis, & egressionis, nempe 14. primam azymorum, uti manifestè constat ex cap. 12. Exodi. Neque obstat primò præceptum non

non egrediendi usque manè: illud enim limitatum fuisse ad illud duntaxat tempus, quo strages Ægyptiorum peragebatur, fit clarum ex ipso textu, cùm post mediam noctem (quod tempus jam ad *manè* sequentis diei pertinebat) fuerint à Pharaone & Ægyptiis discedere coacti. Neque obstat secundò, petitio vasorum aureorum & argenteorum, quam eâdem nocte contigisse memoratur præcitato cap. v. 35. & 36. Neque tertiò, magna multitudo egredientium: illa quippe egressio inchoativè tantùm & tumultuariè contigit sub matutinum initium diei decimæ quintæ; postea verò populo sensim confluente, & in unum locum congregato, iter ordinatè prosecuti sunt versùs mare rubrum.

ARTICULUS II.

Quid sit, & in quo consistat essentia Eucharistiæ?

SUMMARIA.

1. *Ab intrinseca constitutione Eucharistiæ removetur panis, vinum, transsubstantiatio & sumptio.*
2. *Sacramentum intrinsecè constituitur per species,*
3. *Substantiam Corporis & Sanguinis Christi,*
4. *Et per formam consecrationis.*
5. *Impugnationes specierum,*
6. *Item Corporis & Sanguinis Christi depelluntur.*
7. *Verba consecrationis formaliter sumpta non respiciunt Corpus Christi tanquam effectum.*
8. *Quidnam in hoc Sacramento importetur in recto, vel obliquo?*
9. *Definitio Sacramenti Eucharistiæ.*

§. I.

Assignantur partes essentiales Eucharistiæ.

1. PLura sunt, quæ circa Sacramentum Eucharistiæ considerari, & in quæstionem deduci possunt. 1. Panis, & vinum tanquam materia remota. 2. Verba consecrationis. 3. Actio conversiva, seu transsubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. 4. Species Sacramentales consecratæ. 5. Corpus & Sanguis Christi sub iis realiter contentus. 6. Eucharistiæ sumptio. Ex his tanquam certum suppono, neque substantiam panis & vini, neque transsubstantiationem, neque sumptionem intrinsecè constituere essentiam Eucharistiæ. Non panis & vini substantiam, quia hæc non est à Christo elevata ad significandam practicè gratiam nutritivam, neque componit Eucharistiam in ratione signi sensibilis causativi gratiæ nutritivæ, siquidem per consecrationem destruitur, & convertitur in substantiam Corporis & Sanguinis Christi. Non etiam transsubstantiationem: quia nullus effectus intrinsecè componitur per causam sibi extrinsecam: sed actio transsubstantiativa est extrinseca Eucharistiæ, idque in genere causæ efficientis: ergo per illam Eucharistia intrinsecè non constituitur. Non per sumptionem; quia, ut in præcedenti Disp. contra hæreticos dictum, Sacramentum Eucharistiæ non est transiens, sed permanens, quod ex vi verborum consecrationis ponitur antecedenter ad sumptionem, & permanet, tametsi nulla sequatur sumptio: ergo non potest Eucharistiæ Sacramentum in sumptione consistere. Superest quæstio de tribus reliquis.

2. CONCLUSIO. *Sacramentum Eucharistiæ essentialiter & intrinsecè consistit simul in speciebus Sacramentalibus, Corpore & Sanguine Christi, & in verbis consecrationis, moraliter & virtualiter permanentibus.* Ita communis Thomistarum, & nostrorum Salisburgensium.

Ratio universaliter est. Id omne pertinet ad intrinsecam constitutionem Sacramenti, quod est à Christo elevatum ad significationem gratiæ cibativæ seu nutritivæ per modum cibi: sed hæc omnia ita sunt elevata: ergo. Minor probatur quoad primam partem; nam illud est elevatum ad significationem practicam gratiæ cibativæ, sine quo Eucharistia non esset signum sensibile gratiæ cibativæ, seu nutritivæ per modum cibi: sed absque speciebus Eucharisticis Eucharistia non esset signum sensibile talis gratiæ: ergo. Minor constat: quia Corpus & Sanguis Christi, quamvis ut sunt instrumentum conjunctum divinitati, sint & possint esse causa instrumentalis gratiæ; quòd tamen sint significativa & causativa per modum cibi & modo sensibili, non habent, nisi quatenus existunt sub istis signis sensibilibus specierum panis & vini.

Eadem minor quoad secundam partem probatur: Sine illo Eucharistia non est signum sensibile gratiæ cibativæ, sine quo non habet rationem cibi spiritualiter animam reficientis, & ex quo habet principaliter rationem cibi spiritualis: sed sine Corpore & Sanguine Christi non habet, imò ex illis principaliter habet hanc rationem: ergo. Minor constat inprimis ex verbis Christi. Jo. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est. Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus; qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet,* &c. Secundò ex S. D. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. quæst. 1. ad 2. dicente: *Ex speciebus & Corpore Christi fit unum Sacramentum.* Et: *In hoc Sacramento species non sunt causa Corporis Christi, neque alicujus effectus in anima spiritualis, nisi mediante Corpore Christi.* Tertiò hac ratione; quia si species absque Corpore Christi constituerent intrinsecè hoc Sacramentum, etiam sine illo haberent vim intrinsecam adæquatè significativam cibi spiritualis animæ: sed sine illo non habent; quia, ut ex adductis textibus liquet, virtus nutritiva immediatè tribuitur Corpori & Sanguini Christi. 3.

Quoad tertiam partem eadem minor principalis patet ex dictis de Sacramentis in genere. Tunc nimirum verba consecrationis sunt elevata ad si- 4.

ad significandam practicè gratiam nutritivam, quando species non nisi in virtute verborum, quatenus iisdem saltem moraliter & virtualiter substant, significant gratiam nutritivam: sed non aliâ ratione illam significant; quia ex sola verborum determinatione habent, ut & præsentiam Corporis Christi, & gratiam nutritivam significent.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. Objicies contra primi membri probationem: In eo consistit essentialis ratio Eucharistiæ, quod constituit spiritualem refectionem animæ, & ad eandem significandam elevatur; sed hanc constituit solum Corpus & Sanguis Christi, & ad illam significandam elevatur: nam de suo solo Corpore & Sanguine Christus dixit Jo. 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Confirmatur: In hoc Sacramento solum Corpus & Sanguis Christi adoratur cultu latriæ, & SS. Patres passim illud appellant Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: ergo in solo Corpore & Sanguine Christi essentialiter consistit hoc Sacramentum.

Respondeo negando minorem, quoad τὸ *solum*; non enim Corpus & Sanguis Christi constituunt signum sensibile gratiæ refectivæ per modum cibi & potus, nisi ad hoc per formam & species panis & vini determinentur ac modificentur. Ad Confirmationem quoque nego consequentiam: nam sufficit, aliquam partem Eucharistiæ, ut sunt species, adorari cultu latriæ respectivo: Sancti quoque PP. à parte nobiliori sic denominant Sacramentum Eucharistiæ, absque exclusione alterius partis: à potiori quippe fit denominatio.

6. Objicies contra secundi membri probationem: I. Effectus non est intrinsecus suæ causæ: sed Corpus Christi est effectus Sacramenti Eucharistici, quia est res practicè significata per species & verba consecrationis: ergo. II. Id non pertinet ad intrinsecam constitutionem Sacramenti, quod illam supponit: sed Corpus Christi illam supponit: ergo. Minor probatur: Res Sacramenti supponit Sacramentum: sed Corpus Christi in Eucharistia est res Sacramenti, quia est res & Sacramentum simul: ergo illud supponit. Confirmatur: quia Character est res & Sacramentum simul, ideo non constituit intrinsecè Sacramentum: ergo etiam, quia Corpus Christi est res & Sacramentum simul, illud intrinsecè non constituit. III. Sacramentum est instrumentum separatum DEI ad producendam gratiam, Corpus Christi est instrumentum conjunctum: ergo non intrinsecè constituit Sacramentum. IV. Sacramentum est signum sensibile: Corpus Christi in Eucharistia non est sensibile: ergo non est ipsum Sacramentum.

7. Respondeo ad 1. negando minorem: nam Corpus Christi in Eucharistia est tantùm effectus consecrationis ut actio est, consecratio verò activè sumpta non est ipsum Sacramentum aut pars Sacramenti; porrò, si verba consecrationis sumas formaliter, sunt quidem pars Sacramenti formalis, ut sic autem non respiciunt Corpus Christi tanquam effectum, sed potiùs tanquam materiale subjectum à se determinabile. Ad 2. nego minorem, & majorem probationis: quia potest etiam res Sacramenti esse pars constitutiva Sacramenti, veluti patet in contritione, quæ tametsi sit res & Sacramentum simul in Sacramento pœnitentiæ, est nihilominus intrinsecè constitutiva illius. Unde ad Confirmationem nego causalem antecedentis: non enim ideo Character non est constitutivus Sacramenti, quia est res & Sacramentum simul, sed quia est res & Sacramentum simul, sed quia est effectus totius Sacrmenti ipsius adæquatam significationem præsupponens. At Eucharistia non habet adæquatam significationem cibi nutritivi sine corpore Christi; neque corpus Christi est effectus totius Eucharistiæ.

Ad III. Distinguo primum membrum antecedentis: Sacramenta sunt instrumenta separata vel secundùm adæquatam; vel inadæquatam rationem, concedo; semper secundùm adæquatam, nego. Etsi enim alia Sacramenta etiam adæquatè spectata sint instrumenta separata divinitatis: quia tamen Sacramento Eucharistiæ hoc est speciale, quòd contineat ipsum authorem vitæ; ideo etiam est ipsi speciale, ut non nisi secundùm inadæquatam rationem sit instrumentum separatum.

Ad IV. Distinguo majorem: Est signum sensibile, vel ratione sui; vel ratione alterius Sacramenti secum conjuncti, concedo; tantùm ratione sui, nego. Sed corpus Christi in Eucharistia non est sensibile ratione sui, concedo; ratione specierum, nego minorem & consequentiam. Patet ex instantia contritionis, quæ tametsi secundùm se non sit sensiblilis, quia tamen per confessionem fit sensibilis, est intrinseca pars Sacramenti pœnitentiæ.

Colliges primò. Si Sacramentum Eucharistiæ consideretur ceu compositum metaphysicum, 8. tunc non solùm Corpus Christi, sed etiam species & verba consecrationis importari in recto, significationem verò sacramentalem in obliquo; quia subjectum importatur in recto, forma in obliquo: atqui omnia præmemorata sunt subjectum significationis in Sacramento Eucharistiæ metaphysicè spectato: ergo. Si verò Eucharistia spectetur ad modum compositi physici, tunc corpus & sanguis Christi importantur in recto, species verò in obliquo: quia sub hac consideratione corpus Christi est quasi subjectum accidentium, eò quòd succedat substantiæ panis in munere substandi accidentibus; id autem, quod se habet per modum suppositi vel subjecti in aliquo toto, importatnr in recto. Qui modus loquendi frequens est apud SS. PP. veluti apud D. Ambros. l. de iis, qui initiantur c. 9. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.*

Si tandem Eucharistiam accipias pro eo quod dicitur Sacramentum tantùm, sic species importantur in recto: neque enim corpus & sanguis Christi est Sacramentum tantùm. Et hâc ratione facilè conciliabis contrarias Authorum opiniones de modo loquendi dissentientes.

Colliges secundò. Eucharistiam sic rectè definiri: *Est Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spirtualem animarum refectionem institutum*: hâc quippe definitione præter causam finalem omnia constitutiva essentialia debitè continentur.

ARTICULUS III.

De unitate Eucharistiæ.

SUMMARIA.

1. *Sacramentum Eucharistiæ in duplici specie est unum specie atomâ.*
2. *Fundamentum à ratione.*
3. *Species panis & calicis non habent completè distinctas significationes.*
4. *Quomodo Laici communicantes sub una specie accipiant totum Sacramentum.*
5. *Quomodo Sacramentum Eucharistiæ numericè sit unum, vel multiplex?*
6. *Instantia de assumptione plurium humanitatum depellitur.*

§. I.

Unitas specifica.

1\. CONCLUSIO. *Sacramentum Eucharistiæ seu Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini est unum totale, seu unius speciei infimæ Sacramentum.* Ita cum S. D. hîc q. 73. a. 2. communiter DD.

2\. Probatur primò authoritate Catechismi Romani c. 4. de Sacr. Euch. n. 10. ita loquentis: *Licèt duo sint elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantùm esse, Ecclesiæ authoritate docti confitemur &c.*

Probatur secundò ratione. Unitas specifica Sacramentorum desumitur ex unitate finis, ad quem sunt instituta: sed unus est finis Sacramenti Eucharistiæ sub utraque specie à Christo instituente intentus: ergo. Minor probatur: Finis hujus Sacramenti adæquatus est spiritualis animæ refectio, seu spirituale convivium; atqui sicuti ad corporale convivium completè & adæquatè constituendum præter cibum etiam potus requiritur, ita etiam ad spirituale convivium totaliter & completè constituendum non tantùm requiritur Corpus Christi sub speciebus panis per modum cibi, sed etiam Sanguis Christi sub speciebus vini per modum potûs: ergo Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie ordinatur ad unum finem adæquatum.

Probatur tertiò. Si Eucharistia non esset unum specie atomâ Sacramentum, tunc essent plura novæ legis Sacramenta, quàm septem: consequens est contra Concilia & doctrinam Ecclesiæ: ergo. Neque dicas, sufficere, quòd sint septem Sacramenta sive genericè sive specificè; Contra enim est, quòd unitas generica non est simpliciter talis, sicut unitas specifica; genus quippe tantùm est unum in potentia non in actu completè, sicuti species: sed quodlibet Sacramentum novæ legis, præsertim verò Eucharistiæ, est propriè unum, siquidem à D. Aug. tr. 26. in Joan. vocatur *Sacramentum & signum unitatis* I. ad Cor. 10. dicitur *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes de uno pane, & de uno calice participamus.* Et ideo Catechismus Romanus, *Non plura*, inquit, *sed unum tantùm Sacramentum Ecclesiæ authoritate docti confitemur.*

3\. Dices: Signa diversificantur juxta diversitatem significationis: sed alia est significatio calicis, quàm hostiæ: ergo sunt signa ac proinde Sacramenta specie distincta. Minor probatur: quia hostia significat per modum cibi, calix verò per modum potûs, juxta illud: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Item gratia significata per Eucharistiam sub speciebus panis exigit auxilia pro conservanda charitate, & vita spirituali: eadem significata per Eucharistiam existentem sub speciebus vini exigit auxilia extinguentia vel mitigantia ardorem concupiscentiæ: ergo sunt diversæ calicis & hostiæ significationes.

Respondetur. Signa diversificantur juxta diversitatem significationis & rei significatæ, completè & ultimatè, concedo; incompletè & relatè ad ulteriorem finem, sic nego. Sed alia est significatio calicis &c. incomplete & relatè ad ultimatum finem perfecti adæquati convivii spiritualis concedo; completè & ultimatè, nego minorem & consequentiam. Eadem est responsio ad Confirmationem: nam sicuti ad convivalem refectionem & nutritionem utrumque requiritur & ordinatur, cibus nimirum, qui roboret, & potus qui humectet, atque contra vim caloris naturalis naturam refrigeret; ita ad spiritualem istam refectionem ac totalem nutritionem utraque gratia tanquam medium ad finem ordinatur; nimirum gratia exigitiva auxiliorum conservantium & roborantium in charitate per Corpus Christi sub speciebus panis significata & causata: & gratia refrigerativa concupiscentiæ significata & causata per sanguinem Christi sub speciebus vini, qui propterea dicitur *vinum germinans virgines.* Sed

Inquis: Hac ratione laici tantùm communicantes sub una specie non acciperent totum Sacramentum, quia non acciperent totam gratiam Sacramenti conservativam charitatis & refrigerativam concupiscentiæ: consequens est contra definitionem Tridentini: ergo. Respondetur præscindendo ab illa quæstione, an communicans in duplici specie acquirat majorem gratiam, quàm in una, de qua infrà: Laicos accipere in communione sub una specie utramque gratiam, non quidem ex vi directæ significationis, seu ex modo significandi, sed tamen ex vi indirectæ significationis, & rei contentæ ac significatæ, eò quòd directè significetur Corpus Christi verum & totum, ac proinde indirectè 4.

rectè & concomitanter etiam Sanguis, qui confert gratiam refrigerativam concupiscentiæ; quamvis illa gratia refrigerativa per sumptionẽ unius speciei panis explicitè non significetur: unde D. Bonaventura Eucharistiam sub una solùm specie vocat *perfectum Sacramentum quoad efficaciam, non quoad signantiam*. Disp. 11. a. 2. q. 2.

Adhuc dicis: Ecclesia sæpius utitur numero plurali in Collecta dicens: *Sanctificent nos hæc Sacramenta, quæ sumpsimus.* Respondetur: Dici multa, vel materialiter modo statim exponendo, vel distinctione inadæquata & partiali signorum, non formali completa & adæquata; unde aliàs in numero singulari frequentiùs effertur.

§. II.

Unitas numerica.

5. CONCLUSIO. *Sacramentum Eucharistiæ sub multiplicatis speciebus est partim unum, partim multiplex numero.*

Explicatur & probatur: nàm vel Sacramentum Eucharistiæ accipitur pro suo contento primario, & quatenus in recto dicit Corpus Christi, & tunc certum est, quòd, sicut unum numero Corpus Christi est sub omnibus hostiis & speciebus inter se discontinuis & divisis, ita sit idem numero Sacramentum Eucharistiæ, si Sacramentum Eucharistiæ accipias pro illo, quod est Sacramentum, & prout species eucharisticas importat in recto, tunc in rigore physico tot sunt numero distincta Sacramenta, quot divisæ & discontinuæ hostiæ; quia quælibet particula discontinuata & divisa ab altera seorsim habet virtutem adæquatè significativam & causativam gratiæ, ipsa quoque accidentia physicè multiplicationem numericam recipiunt ex multiplicatione subjecti; constat autem in diversis & divisis hostiarum particulis physicè & numericè multiplicari quantitatem, quæ accidentibus eucharisticis per modum subjecti substat, & tum unitatem, tum multiplicitatem numericam tribuit. Si denique unitatem numericam Sacramenti accipias moraliter ex unitate numerica finis, sic tot numero erunt Sacramenta Eucharistiæ, quot sunt distinctæ refectiones spirituales, ad quas hostiæ ordinantur. Ideo factâ intra Missam specierum eucharisticarum divisione unum tamen moraliter Sacramentum reputatur, quia omnes particulæ divisæ ad unicam unius Sacerdotis specialem refectionem ordinantur. Et hâc ratione diversas conciliabis sententias.

Dices: Si una divina persona assumeret plures humanitates, esset unus homo; & si unus homo, in diversis locis replicatus haberet plures albedines, esset tamen idem numero album: ergo etiam, quia sub diversis speciebus est unum numero Corpus Christi, est pariter unum numero Sacramentum Eucharistiæ, non obstante multiplicitate specierum. 6.

Respondeo negando paritatem, quia multiplicatio concreti substantialis requirit etiam multiplicationem suppositi, ut alibi dictum, albedines quoque juxta naturam accidentium individuantur à subjecto: atqui neque suppositum, neque subjectum multiplicatur in posita instantia. Species verò eucharisticæ, quia nec subsistunt per subsistentiam Corporis Christi neque eidem veluti subjecto inhærent, aliunde accipiunt unitatem numericam, physicam nempe ab unitate quantitatis, quæ est illarum quasi subjectum, moralem autem ex unitate finis, hoc est sumptionis vel refectionis.

DISPUTATIO XXXI.

De materia & forma Eucharistiæ.

EX hactenus disputatis liquet, materiam proximam Eucharistiæ tam in ratione Sacramenti, quàm Sacrificii esse Corpus & Sanguinem Christi: hæc enim est hostia, quæ in Missæ Sacrificio offertur, hæc spiritualis animarum refectio, quâ nutrimur in vitam æternam. Igitur supersunt quæstiones de materia remota, deque forma validè vel licitè adhibenda resolvendæ.

ARTICULUS I.

De materia remota Eucharistiæ.

SUMMARIA.

1. *Materia remota Eucharistiæ sunt panis & vinum.*
2. *Panis debet esse triticeus,*
3. *Ex farina triticea & aqua naturali coagmentatus,*
4. *Et probabiliter ex granis, quæ nasci possunt ex semine tritici, non autem ex spelta.*
5. *Removetur panis ex aliis granis vel leguminibus confectus:*
6. *Item factus ex amylo;*
7. *Et si materia admixta prævaleat tritico,*
8. *Si species panis censeatur destructa.*
9. *Panis azymus in Ecclesia Latina est de necessitate præcepti: in Græca fermentatus.*
10. *Ad supplendam integritatem Sacrificii in defectu fermentati panis Græcus tenetur uti azymo.*
11. *In transitu alterius Ecclesiæ licet uti utrolibet pane.*

12. *Panis*

12. *Panis azymus est materia convenientior, quàm fermentatus.*
13. *Requiritur ad consecrationem calicis vinum de vite.*
14. *Unde non sufficit liquor ex aliis frugibus expressus.*
15. *Neque vinum adustum, neque agresta, vel acetum.*
16. *Bene tamen vinum congelatum.*
17. *Instantia objecta dissolvuntur.*
18. *Vinum physicè, vel moraliter corruptum non est valida materia calicis.*
19. *Mustum recèns expressum est materia valida, non autem licita.*
20. *Nihil interest sitne vinum rubrum, vel album?*
21. *Valida & licita fieret consecratio in vino miraculosè producto.*
22. *Mixtio aquæ cum vino est tantùm de præcepto Ecclesiastico:*
23. *Quamvis Christus vino mixto usus fuerit.*
24. *Aqua debet esse modicissima.*
25. *Nunquam licet sine spe talis mixtionis inchoare Sacrificium.*

§. I.

Assignatur materia remota in Sacramento Corporis & Sanguinis Christi.

1. CONCLUSIO prima. *Materia valida consecrationis eucharisticæ exprimentis Corpus Christi est panis, & exprimentis consecrationem Sanguinis est vinum.*

Est de fide, definitum in Concil. Lateran. *c. firmiter de sum. Trin.* Florentino in Decreto Fid. Trident. sess. 13. c. 1. ex S. scrip. ita deducitur: Illa est materia remota Eucharistiæ, quâ Christus in hujus Sacramenti institutione usus est, quamque usurpandam Apostolis à se in Sacerdotes ordinatis tradidit: sed usus est pane, & vino de vite, uti constat ex Matth. 26. Lucæ 22. Marci 14. 1. Corint. 11. ergo.

Congruentia autem S. D. hìc q. 74. a. 1 allata est primò, quod hoc Sacramentum significet unionem charitatis cum Christo capite & membris inter se: sed ad hanc repræsentandam maximè inserviunt panis, qui est unus ex multis granis, & vinum quod est unum ex multis uvis: ergo: Secundò, hujus Sacramenti finis & potissimus effectus est spiritualiter nutrire, confortare, lætificare: sed panis nutrit, confortat, *vinum* etiam *lætificat cor hominis.*

2. CONCLUSIO secunda. *Ut materia panis sit valida materia consecrationis, debet esse triticeus.*

Ita habetur definitum in cit. decreto Florentini his verbis: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Ratio S. D. est: Ad Sacramentum Eucharistiæ à Christo assumptus & determinatus est talis panis, qui communiùs in humano usu pro pane habetur, & ad victum humanum inservit: at inter panes homines communiùs utuntur pane triticeo; alii verò panes videntur quodammodo substituti in defectum istius. ergo.

3. Hinc Inferes primò: Panem consecrationi idoneum debere esse ex farina triticea, & aqua naturali coagmentatum, atque igni tostum, ut habet S. D. a. 7. ad 3. ac proinde massam ex melle, lacte, butyro, aqua rosacea, oleo similive liquore prædominante confectam, quantumvis constet ex forma triticea, non esse materiam consecrationi idoneam; non enim tunc est panis usualis, sed placenta, prout neque massa farinacea cruda, utpote non habens rationem panis, sed polentæ, priusquam sit igni cocta & in panem redacta, est materia Eucharistiæ.

Inferes secundò. Validam materiam consecrationis probabiliter esse panem, ex ejusmodi granis confectum, quæ sunt nata, aut possunt nasci ex semine tritici, ut habet S. D. cit. q. 74. a. 3. quia, cùm generans generet sibi simile secundùm speciem, idcirco, si ex semine tritici aliqua grana generentur, quæ videntur esse alterius speciei, tamen signum est, quòd illa differentia tantùm sit accidentalis, non substantialis specifica; & ideo S. D. loc. cit. putat, siliginem esse posse sufficientem materiam consecrationis, quia ex tritico in malis terris seminato siligo nascitur. Quamvis verò Laym. Gobat, aliique sint hujus opinionis, quòd etiam far, ador, seu spelta sufficiant, ut ex illo conficiatur panis consecrationi idoneus; eò quòd exinde, præsertim in nostris partibus, conficiatur panis communiter usitatus, & triticeo simillimus; tamen S. D. l. cit. est contrariæ opinionis, eò quòd ex ejusmodi frumento, *quod nullo modo potest generari ex semine tritici, non possit confici panis, qui sit debita materia hujus Sacramenti*: far autem sive spelta non generatur ex semine tritici; & licèt sit tritico simillimum, tamen, inquit idem S. D., similitudo figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatem, quàm identitatem speciei. 4

Inferes tertiò: Panem confectum ex hordeo, avena, oriza, milio, aut ex leguminibus, ut pisis, fabis &c. confectos, non esse validam materiam consecrationis, quia isti panes tantùm sunt impropriè tales, nec ad quotidianum usum servientes, sed tantùm ob necessitatem pauperum alterius defectu substituti. 5

Inferes quartò: Panem coctum ex amylo, quod instar lactis ex tritico madefacto expressum conficitur, non esse sufficientem materiam Eucharistiæ, quia per illam tritici madefactionem triticum corrumpitur, & in alteram quodammodo substantiam mutatur. ut cum S. D. communiter docent AA. 6

Inferes quintò: Si panis sit partim ex tritico, partim ex alia materia admixta, tunc fore validam materiam, quando admixtio est parva; invalidam, quando illa est tanta, ut exinde secundùm communem æstimationem extrahatur à ratione panis triticei usualis. Unde etiam de Lugo præf. disp. 1. sect. 1. n. 4. invalidam putat futuram fuisse consecrationem Sacerdotis, quam in aliquem finem sacrilegum volebat proferre supra hostiam cum cinnabari permixtam, quâ solent litteræ obsignari, eò quòd per talem admixtionem materia notabiliter alteretur, & à ratione panis usualis extrahatur secundùm communem hominum æstimationem. 7

In-

8. Inferes ſextò. Non poſſe confici Euchariſtiam ex pane ita corrupto, ut ſpecies ipſius ſit deſtructa, cujus ſubſtantialis deſtructionis ſigna ſunt diſſolutio continuitatis, immutatio ſaporis, còloris, & ejusmodi accidentium: quòd ſi tantùm ſit vialis corruptio panis, ſive diſpoſitio ad corruptionem propter aliquam immutationem ſaporis, erit quidem ille panis valida, non tamen licita materia conſecrationis, propter irreverentiam erga Sacramentum.

§. II.

An neceſſarius ſit panis azymus?

9. CONCLUSIO tertia. *Quamvis panis triticeus tam fermentatus, quàm azymus ſit valida materia Euchariſtiæ, tamen ex gravi præcepto Eccleſiæ Sacerdos Latinus in Eccleſia Latina tenetur conſecrare in azymo, & Sacerdos Græcus in Eccleſia Græca tenetur conſecrare in fermentato.*

Totum hoc conſtat ex verbis Conc. Florentini dicentis: *Item* (decernimus) *in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdotesq; in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Occidentalis ſive Orientalis conſuetudinem.* Ratio primi eſt; quòd uterque ſit ſimpliciter ſecundùm ſubſtantiam & uſum panis triticeus. Ratio ſecundi eſt: quòd ritus in conficiendis Sacramentis præſertim proximè ad ipſam Sacramenti confectionem ordinati graviter obligent, & quidem iſte ritus tantâ præcepti neceſſitate, prout obſervant Sotus, Suarez, Gonet aliique, ut etiam in caſu, quo populus diu deberet eſſe privatus Sacrificio, & moribundi decedere ſine viatico, non tamen liceat Sacerdoti Latino in Latina Eccleſia conſecrare in fermentato, neque Græco in ſua Eccleſia conſecrare in azymo, cùm enim viaticum & oblatio Sacrificii non ſint neceſſaria neceſſitate medii, cedit in tali caſu privata utilitas communi Eccleſiæ utilitati, quæ percipitur ex obſervatione rituum in conficiendis Sacramentis præſcriptorum.

10. Inferes tamen primò. Si ad ſupplendam integritatem Sacrificii Sacerdoti Græco deeſſet panis fermentatus, & Latino panis azymus, illi licitum imò præceptum fore, adhibere panem azymum, & huic fermentatum; quia integritas Sacrificii eſt juris divini, adeoque prævalet accidentali determinationi materiæ, quæ ſolùm eſt juris humani eccleſiaſtici.

11. Inferes ſecundò. Sacerdoti Latino tranſeunti per Græcam, & Græco tranſeunti per Latinam Eccleſiam licitum eſſe pro libitu, vel uti ſuæ Eccleſiæ ritu, vel ſe accommodare Eccleſiæ ritui, per quam tranſit; uti ſuppono ex iis, quæ dixi in Tract. de legibus.

12. Inferes tertiò. Panem azymum eſſe convenientiorem materiam Euchariſtiæ, quàm fermentatum, ideo maximè, quia Chriſtus hoc Sacramentum inſtituens conſecravit in azymo: nam Chriſtus in illo pane conſecravit, quô tunc temporis licitum erat uti Judæis: ſed non licebat uti niſi pane azymo, quo tempore Chriſtus conſecravit Euchariſtiam: ergo. Minor conſtat ex iis, quæ præcedenti Diſp. a. 1. dixi.

§. III.

Quale vinum requiratur ad materiam calicis?

CONCLUSIO quarta. *Solum vinum de vite eſt valida materia calicis.* Ita habetur expreſſè in citato Decreto Florentino, & deducitur eſſe ita inſtitutum à Chriſto ex illo Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* Ratio eſt, quòd illud vinum Chriſtus aſſumpſit ad hoc Sacramentum, quod eſt propriè, & in hominum uſu tale: ſed hoc eſt vinum de vite: ergo. Unde 13.

Inferes primò. Vinum, vel potiùs liquorem expreſſum è pomis, malogranatis, herbis, radicibus, aromatibus, frugibus non eſſe validam materiam calicis, quia non eſt vinum uſuale de vite. 14.

Inferes ſecundò. Neque vinum aduſtum, utpote in aliam ſubſtantiam converſum, neque agreſtam, hoc eſt, liquorem ex uvis immaturis expreſſum, utpote prævium ad vini generationem, neque acetum, utpote ex vino corrupto factum, neque liquorem vini adhuc intra uvas contentum, cùm nondum poſſit habere rationem potûs, nec poſſit eſſe demonſtrabilis per pronomen *hic*, eſſe materiam aptam calicis. 15.

Inferes tertiò. Vinum tamen congelatum eſſe validè conſecrabile, prout contra Alanum, Henriquez & quosdam alios docent Sotus, Suarez, Coninck, Sangallenſ. aliique. Cujus ratio eſt primò: quòd vinum congelatum ſit verum vinum de vite per ſe potabile, dum liqueſit, quamvis per accidens hîc & nunc actu & proximè potari non poſſit. Ratio eſt ſecundò, quia ſub ſpeciebus congelatis poſt conſecrationem non deſinit eſſe Corpus Chriſti, ut conſtat ex Miſſali Romano præcipiente, ut ſpecies vini poſt conſecrationem congelatæ liquefiant, atque à Sacerdote tanquam conſecratæ ſumantur: ergo etiam poteſt poni Corpus Chriſti ſub ſpeciebus congelatis, neque enim videtur eſſe major ratio unius, quàm alterius. 16.

Dices: Liquor in uva incluſus, quamvis poſt expreſſionem ſit potabilis, tamen quia ſub hoc ſtatu non eſt potabilis, non eſt materia calicis: ergo etiam vinum congelatum non eſt conſecrabile, quia in hoc ſtatu non eſt potabile. Secundò, aqua congelata non eſt materia apta Baptiſmi, quamvis ſit vera aqua, quia non eſt ablutioni idonea: ergo neque vinum congelatum eſt apta materia calicis, quia potui non eſt idonea. 17.

Reſpondeo ad primum: Liquorem uvâ incluſum eſſe adhuc partem uvæ, ſicque potiùs per ſe unà cum uvæ partibus manducabilem, quàm potabilem; econtra vinum congelatum eſt ab uva ſeparatum, & per ſe potabile, quamvis per accidens pro tali ſtatu potui non ſit idoneum. Deinde liquor in uva incluſus non eſt demonſtrabilis per pronomen *hic*, vinum congelatum eſt demonſtrabile. Ad ſecundum diſparitas eſt, quòd aqua in tantùm ſit materia Baptiſmi, in quantum in ipſa debet verificari materia proxima Baptiſmi, quæ eſt actus ſecundus &

 actio

actio transiens ablutionis: est enim Sacramentum in usu consistens: atqui in aqua congelata non potest verificari actualis ablutio: ergo. Econtra vinum in tantum est materia remota calicis, in quantum sub speciebus illius potest verificari permanens existentia & præsentia Sanguinis Christi spiritualiter potabilis: sed hoc fieri potest etiam in vino congelato; quia hoc Sacramentum non consistit in actuali potu vel sumptione, uti Baptismus in ablutione, sed in re permanente habente rationem potûs spiritualis in potentia: atqui vinum, modò sit per se potabile, & facilè ad potum actualem applicabile, potest habere rationem potûs, quamvis per accidens aliquo statu impediatur, ne actu potari possit. Nihilominus, qui vinum congelatum consecraret, gravissime peccaret, quia adhiberet materiam dubiam, cum posset habere certam.

18. Inferes quartò. Vinum, sive physicè sive moraliter corruptum, non esse materiam aptam consecrationi. Physicè corrumpitur, quando in vappam vel acetum degenerat; moraliter, quando aliis materiis & condituris in tanta quantitate miscetur, ut non habeat ampliùs rationem vini specialiter dicti. Si permixtio foret exiguæ quantitatis, posset quidem esse materia valida, non tamen licita, secundùm suprà dicta.

19. Inferes quintò. In musto seu liquore recenter ex uvis expresso validè, sed extra casum necessitatis illicitè consecrari. Ita constat ex *c. cùm omne. de consecr. dist. 2.* ubi Julius Pontifex permittit, in casu necessitatis fieri consecrationem in musto. Verùm extra casum necessitatis committeretur gravis irreverentia propter fæces musto admixtas.

20. Inferes sextò. Quodcunque vinum de vite sive rubrum, sive album, cujuscunque regionis, tametsi fortè specie physicâ distinguatur, esse idoneam materiam Eucharistiæ, cùm quodlibet sit propriè & simpliciter vinum de vite.

21. Inferes septimò. Etiam in vino miraculosè producto, prout de quibusdam Sanctis, præsertim B. Waltone legitur, validè & licitè consecrari: sicut validè & licitè daretur Baptismus in aqua miraculosè producta; quia tale vinum, etsi non formaliter, tamen virtualiter & æquivalenter esset de vite, quia DEUS produceret ejusdem speciei cum vino de vite.

§. IV.

Quo præcepto aqua sit miscenda vino?

22. CONCLUSIO quinta. *Aqua miscenda vino sub gravi præcepto, non quidem divino, sed ecclesiastico.* Ita constat ex Florent. & Trid. sess. 22. c. 7. dicente; *Monet deinde S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exiit, &c, cùm aqua in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Christo unio repræsentetur.*

Quòd verò hoc præceptum sit purè Ecclesiasticum, inde liquet, quia Concilium tantùm dicit esse præceptum ab Ecclesia, & quia verisimilius est, Christum in institutione Sacramentorum nonnisi formam & materiam essentialem Sacramentorum determinâsse, cætera verò dispositioni Ecclesiæ reliquisse; atqui admixtio aquæ non pertinet ad essentiam Sacramenti; cùm sine illa Sacramentum perfici possit, ut constat ex can. 1. de consecr. dist. 2. ubi dicitur: *Si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse.*

Neque refert, quòd ipse Christus vinum lymphatum consecrâsse credatur, quodque SS. PP. hanc mixtionem alicubi appellent Dominicam traditionem: non enim omnia, quæ Christus fecit, transeunt in præceptum, alioquin etiam foret universale præceptum in azymo consecrandi: neque alio sensu hæc mixtio à D. Cypriano aliique traditio Dominica vocatur, quàm quia nititur exemplo ex imitatione Christi. 23.

Quæres: In quanam quantitate & quando facienda sit hæc admixtio? 24.

Respondeo primò: Aqua vino miscenda debet esse modicissima. Ita in terminis habet Concil. Flor. in Decr. fid. §. 3. & ostendit praxis Ecclesiæ: quamvès verò sufficiat, sitque consultum, unam tantùm alteramve sensibilem guttam affundere, monet tamen Card. de Lugo, non esse nimis scrupulosè agendum, tametsi quinta vel septima pars aquæ apponeretur, cùm non sit credibile, quòd vinum tam modicâ aquâ corrumpatur.

Respondeo secundo: Hæc mixtio est facienda intra Sacrificium Missæ ante oblationem calicis, & casu quo fuisset omissa, supplenda est ante consecrationem, ut habent Suar. Coninck, aliique. 25.

Respondeo tertiò: Nunquam licet, etiam in casu necessitatis, consecrare sine mixtione aquæ, aut sine spe talis mixtionis Sacrificium inchoare: si tamen Corpore Christi jam consecrato deficeret aqua, deberet solum vinum consecrari sine aqua; quia integritas Sacrificii, quæ est juris Divini, prævalet præcepto Ecclesiastico de admixtione aquæ. 26.

ARTI-

ARTICULUS II.

An utriusque speciei conservatio sit de necessitate Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Consecratio utriusq; speciei non est de necessitate Sacramenti,*
2. *Sed præcepti tam Ecclesiastici, quàm Divini.*
3. *Non licet in una solùm specie consecrare ad dandum viaticum moribundo.*
4. *Neque circa hoc Summus Pontifex potest dispensare.*
5. *Objectiones quædam,*
6. *Solvuntur.*

1. CONCLUSIO. *Consecratio utriusque speciei non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti tam II. Ecclesiastici III. quàm Divini.* Ita comm. DD.

Ratio primæ partis est: quia tunc utriusque speciei consecratio non est de necessitate Sacramenti, quando una species seorsim ab altera validè consecratur; sed seorsim ab altera validè consecratur; tum quia qualibet forma consecrationis habet practicam significationem independentem ab altera: tum quia ante consecrationem vini Corpus Christi sub speciebus panis adoratur.

2. Secunda pars patet ex *c. comperimus. dist. 2. de consecrat.* ubi Gelasius Papa dicit: *Sine ingenti sacrilegio hoc mysterium dividi non posse.*

Tertia pars patet inprimis ex Trid. *sess. 22. cap. 2.* dicente: *Christum Corpus & Sanguinem suum DEO obtulisse, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, eorumq; in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent præcepisse per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus sequens deducitur ratio primò. Tunc Sacramentum Eucharistiæ jure divino conficiendum est sub utrâque specie, quando jure divino Sacrificium fit ab utrâque specie: sed fit: ergo. Sequela constat; quia ipsa consecratio Eucharistiæ est Sacrificium. Minor habetur ex citato Tridentino; & quia Sacrificium incruentum fit per realem repræsentationem separationis sanguinis à Corpore Christi factæ in cruce: hæc autem repræsentatio fit per distinctam consecrationem & positionem Corporis Christi sub speciebus panis, & Sanguinis sub speciebus vini: ergo. Secundò. Est juris divini, ut Sacramentum fiat completè & integrè: sed Sacramentum Eucharistiæ sine utriusque speciei consecratione non est completum & integrum: quia, cùm sit institutum per modum convivii spiritualis, non tantùm requirit cibum, sed etiam potum spiritualem sub utrisque speciebus.

3. Inferes primò. Neque ad viaticum moribundo dandum licere in una sola specie consecrare: quia præceptum communionis non urget in illo casu, nisi quando Eucharistia non tantùm conformiter ad divinum, sed etiam ecclesiasticum præceptum haberi potest (unde nec sine vestibus sacris licet pro communione moribundi celebrare, quantumvis hoc tantùm sit juris ecclesiastici) sed conformiter divino præcepto hîc & nunc Eucharistia obtineri non potest: ergo.

Inferes secundò. Ne quidem à Summo Pontifice dispensari posse, ut in una specie consecretur. Ita comm. DD. Ratio est: quòd Ecclesia & Summus Pontifex non habeat potestatem aliquid immutandi in his, quæ pertinent ad integritatem Sacrificii & Sacramenti, siquidem in istis fundatur unitas & integritas nostræ Religionis: & ita habetur in Trid. *sess. 21. c. 2.* Sed consecratio in duplici specie pertinet ad integritatem Sacrificii & Sacramenti: ergo. 4.

Dices primò: Summus Pontifex potest dispensare saltem declarativè & interpretativè in juramento & voto, quæ sunt juris divini: ergo pariter in consecratione sub duplici specie. Secundò. Teste Volaterrano Innocentius VIII. concessit Norvvegis, ut sine vino consecrarent, propter vini inopiam. Tertiò. Lucæ 24. Christus D. solum panem in Emaus consecrâsse legitur. Quartò. In ordinatione Sacerdotum Neomystæ, qui cum Episcopo ad Missæ celebrationem concurrunt, sumunt hoc Sacramentum sub sola specie panis, non etiam vini, cùm tamen etiam utriusque speciei sumptio pertineat ad integritatem Sacrificii: ergo non obstante hac integritate, poterit fieri etiam consecratio sub una tantùm specie. 5.

Respondeo ad primum: Summum Pontificem posse dispensare in his, quæ sunt juris divini relativi, fundati nimirum in libera hominum voluntate, ut sunt obligationes voti, juramenti, contractûs, &c. eò quòd habeat sibi moraliter subjectas fidelium voluntates; non autem in his, quæ sunt juris divini absoluti; in his quippe tanquam inferior citra specialem commissionem, qualis hîc nulla ostendi potest, dispensare nequit. Ad secundum respondeo: Illam relationem esse fictitiam, cùm de facto Norvvegi non tantùm vino advecto gaudeant, sed ex instituto sectæ Lutheranæ in utraque specie communicent. Ad tertium respondeo: Vel Christum etiam consecrasse vinum, quamvis de illo non fiat expressa mentio, vel usum fuisse potestate excellentiæ, quæ tamen non est concessa Ecclesiæ. Ad quartum respondeo: Satisfieri integritati Sacrificii, si sumptio fiat à principali celebrante, qualis in proposito est Episcopus; Neomystæ verò tantùm sunt celebrantes secundarii. 6.

ARTICULUS III.

An aqua vino mixta immediatè convertatur in Sanguinem Christi?

SUMMARIA.

1. *Varietas sententiarum.*
2. *Aqua per consecrationem tantùm mediatè convertitur in sanguinem.*
3. *Fundamentum ex c. cùm Martha.*
4. *Fundamentum ex Conciliis, & ratione.*
5. *Authoritas SS. PP. exponitur de mediata conversione.*
6. *Mens Innocentii III. declaratur.*
7. *Quodnam contentum calicis subjiciatur demonstrativa voci:* hic?
8. *Poculum totum adoratur; quatenus continens sanguinem Christi.*
9. *Nostra sententia non fundatur in principio incerto.*

§. I.

Statuitur sententia D. Thomæ.

1. TRiplex est sententia relata in *c. cùm Martha. de celebr. Miss.* Prima antiqua & antiquata, quæ docebat aquam vino mixtam immediatè converti non in sanguinem Christi, sed in aquam quæ fleuxit de latere Christi: cujus sententiæ falsitas ex hoc patet: quia tota conversio materiæ consecrabilis in Eucharistia fit ex vi verborum: sed vi verborum nihil convertitur in aquam, sed in sanguinem Christi: ergo. Altera sententia est, aquam unà cum vino converti in sanguinem Christi. Tertia solum vinum converti in sanguinem, aquæ substantiâ post consecrationem remanente permixtâ speciebus vini. Ex his secunda sententia rursus in duas dividitur; quarum una dicit, aquam non nisi mediatè, h. e. mediante sui conversione in vinum, mutari in sanguinem Christi. Altera dicit, illam unà cum vino immediatè mutari in sanguinem Christi priusquam fuerit conversa in vinum.

2. CONCLUSIO. *Aqua non nisi mediatè per consecrationem convertitur in Sanguinem Christi.* Videtur esse expressa doctrina S. Doctoris, partim hac 3. *p. q. 74. a. 8. in c.* cùm dicit: *Et ideo aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.* partim in 4. *dist. 11. q. 2. a. 4. concl. 1. ad 2.* ubi relatâ utrâque opinione, primâ quæ docet aquam manere, secundâ quæ docet, *quòd aqua apposita in vinum convertitur, & sic totum in Sanguinem Christi transsubstantiatur*, subdit, *secunda tamen* (opinio) *verior apparet, & secundùm rationem naturalem; quia modica aqua vino admixta, quod est magis activum, à vino corrumpitur, & in speciem vini transit.*

3. Probatur primò authoritate. Nam Innocentius III. in *c. cùm Martha*, postquam inter tres enumeratas opiniones secundam ita retulisset: *quòd aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino.* postea hanc ipsam secundam opinionem tanquam probabiliorem eligit. idque confirmat, *l. 4. de myst. c. 30.* ita scribens: *Quibusdam non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in sanguinem, eâ scilicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem; quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?* Secundò: Catechismus Rom. c. 4. de Euch. Sacr. & sacerdotale Rom. p. 1. tr. 10. c. 2. causam, cur non nisi modicissima aqua vino infundi debeat, hanc reddunt; *quia illam in vinum converti oportet.*

Probatur secundò authoritate & ratione Conciliorum. Illud solum convertitur immediatè in sanguinem Christi, quod est à Christo institutum, ut sit materia consecrationis: sed solum vinum, non autem aqua est à Christo instituta, ut sit materia consecrationis calicis: ergo. Minor probatur: nam Florentinum in Decreto fid. materiam calicis dicit esse vinum de vite. Trid. *sess. 13. de Euch. can. 2.* definit, post consecrationem manere duntaxat species panis & vini. Ipse etiam Christus materiam calicis appellavit *genimen vitis.* quòd si verò aqua immediatè converteretur in sanguinem, tunc post consecrationem remanerent etiam species aquæ, & sanguis Christi contineretur etiam sub speciebus aquæ. 4.

Probatur tertiò. Si aqua immediatè mutaretur in sanguinem Christi, tunc facta sive per artem, sive per congelationem separatione specierum aquæ à speciebus vini, sanguis Christi integer contineretur sub solis speciebus aquæ: sed hoc est absurdum, & contrarium definitionibus Conciliorum: manifestè etiam hinc sequitur, aquam esse materiam consecrationis. Sequela probatur: tamdiu manet Christi sanguis sub speciebus consecratis, quamdiu illæ non sunt corruptæ: sed illæ species sive congelatæ, sive separatæ non forent corruptæ: ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBiicies primò: SS. PP. dicunt, utrumque & vinum & aquam in Sacrificio Missæ consecrari, è quibus S. Ambros. *l. 4. de sacr. c. 4. Vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* ergo non tantùm vinum, sed etiam aqua immediatè convertitur. 5.

Respondeo, SS. PP. esse intelligendos de mediata conversione: nam sicuti per ampliationem rectè dicitur Jo. 2. quòd architriclinus gustaverit aquam, quia antecedenter fuerat aqua, quamvis pro tunc jam fuerit conversa in vinum. Et *Exod. 7.* Virgâ Moysis devorâsse virgas ariolorum

rum, quamvis in illo instanti virgæ fuerint conversæ in colubros, ita ut per ampliationem rectè dicatur aqua converti in sanguinem Christi, non est necesse, ut pro illo instanti consecrationis materia sit sub forma aquæ, sed ut materia, quæ antecedenter erat sub forma aquæ, & modò est sub forma vini, transeat in materiam & substantiam sanguinis Christi.

6. Objicies secundò. Innocentius III. *in c. cùm Martha* post tres sententias relatas concludit & subdit: *Inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari*, absque aliquâ mentione præviæ transmutationis aquæ in vini substantiam: ergo approbat secundam sententiam, quoad hoc, quòd tam aqua, quàm vinum mutetur in sanguinem; non quoad adjunctam causalem illam, *cùm aqua in vinum transeat mixta vino*.

Respondeo. Cùm summus Pontifex non statuerit quartam sententiam, sed ex tribus secundam elegerit, consequenter etiam causalem secundæ sententiæ adjunctam approbâsse, ejusque hanc mentem sufficienter constare ex aliis verbis l. 4. de myst. Missæ suprà relatis.

Instabis. Summus Pontifex non approbat illam sententiam, quæ dicit, solum vinum transire in sanguinem Christi: sed in nostra sententia solum vinum transit in sanguinem Christi; cùm neg[illegible]us aquam converti in sanguinem, nisi p[illegible]erit mutata in substantiam vini ergo.

[R]espondeo, illam sententiam non approbari à Summo Pontifice, quæ dicit, solum vinum ita transire in sanguinem Christi; ut substantia aquæ nunquam nec mediatè nec immediatè mutetur in sanguinem Christi, sed semper & ordinariè post consecrationem remaneat, nos autem negamus ordinariè manere, & dicimus mediatè converti in sanguinem.

7. Objicies tertiò. Demonstratio vocis *hic* cadit supra totum contentum in calice: sed in calice etiam aqua contineri potest eo ipso tempore, quo fit consecratio; quia certum est, aquam non semper converti in vinum, si vel vinum valde debile, vel aqua vino immediatè ante consecrationem misceatur, quod faciendum est quando sacerdos ante consecrationem recordatur, se aquam vino needum miscuisse, vel quando aqua fuit pro vino consecrata, adeòque consecratio repeti debet.

Respondeo, totum contentum calicis, quod est materia consecrabilis subjici demonstrativis hisce particulis *hoc* & *hic*, atqui aqua non est materia consecrabilis.

Objicies quartò. Totum poculum, quod in 8.
calice continetur, post consecrationem adoratur: sed non adoratur, nisi in quantum est conversum in Sanguinem Christi: ergo etiam aqua, quæ ante consecrationem necdum fuit conversa in vinum, post consecrationem fuit conversa in Sanguinem Christi.

Respondeo, totum poculum, quatenus continens corpus & sanguinem Christi sub speciebus vini (hoc quippe est primarium objectum adorationis) adoratur, concedo; quâcunque aliâ ratione, nego. Aliàs etiam, si quæ partes terrestres vel aëreæ permixtæ fuissent, adorari deberent.

Objicies quintò. Certum non debet fundari 9.
in aliquo incerto: atqui certum est, totum quod est in calice, verti per consequentiam in sanguinem Christi: ergo non debet pendere ab hoc principio incerto, quòd sit conversum in substantiam vini, hoc enim est incertum: tum quia negant Medici & Chymici, hanc conversionem fieri posse; tum quia, cùm illa conversio tempore indigeat, in tanta unionum diversitate, qualitatis & quantitatis varietate, incertum est, an fuerit transacta & completa illa conversio.

Respondeo cum Illustrissimo Reding, nostram sententiam fundari in principio certo per modum conclusionis deducto ex alio principio theologico; nempe: Illud contentum calicis, de quo Christus demonstrativè pronunciavit: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis*, debuit fuisse unius speciei, & sub una specie contentivum sanguinis Christi: sed Christus pronunciavit hæc verba de vino aquâ mixto: ergo debuit fuisse unius speciei: sed non fuisset unius speciei, nisi priùs aqua conversa fuisset in vinum: ergo ista priùs debuit converti in vinum. Neque dicas, fuisse unius speciei moraliter: nam contra est, quòd etsi alius liquor in exigua quantitate vino affunderetur, diceretur unum idemque moraliter vinum, nec tamen sequeretur, quòd illæ partes liquoris admixti immediatè converterentur in sanguinem Christi.

ARTICULUS IV.

Quanta requiratur materiæ præsentia & determinatio.

SUMMARIA.

1. *Quænam materiæ præsentia requiratur?*
2. *Magnitudo non debet esse tanta, ut auferat debitam præsentiam.*
3. *Sufficit quæcunque minima quantitas, in qua salvatur substantia panis & vini.*
4. *Requiritur determinatio materiæ in individuo.*
5. *Quomodo Sacerdos intentionem formare debeat.*

§. I.

De præsentia & quantitate materiæ.

1. Quæres primò, quomodo materia præsens esse debeat consecranti?

Respondeo: Tanta requiritur præsentia materiæ, ut juxta prudentem æstimationem usumque hominum possit demonstrari per pronomen *hoc* vel *hic*: quia illa requiritur præsentia, in qua forma verificatur: sed nisi materia possit demonstrari per pronomen *hic* vel *hoc*, forma non potest verificari: ergo. Hinc sequitur primò, si materia tantum distaret, ut non nisi adminiculo alicujus actionis demonstrari posset, & magis deberet à consecrante dici *illud* quàm *hoc*, non validè consecrari: ita enim se debet habere materia de-

demonstrabilis per ly *hoc*, ut moraliter censeatur esse coram celebrante, qualis non est materia ad plures passus remota & visu perceptibilis.

Sequitur secundò. Materiam à tergo positam non esse consecrabilem, quia morali modo non est coram celebrante. Similiter neque hostiam sub mappa, post parietem, intra tabernaculum cystámve positam, quia nec ipse moraliter censetur esse coram celebrante, & demonstrabilis per pronomen *hoc*.

Sequitur tertiò. Hostias vel vinum in calice, ciborio, pyxide, juxta Sacerdotem positas, etiam coopertas validè consecrari; quia tunc ratione corporis proximè continentis, & cum quo moraliter unitæ censentur, sunt sufficienter demonstrabiles per pronomen *hoc* vel *hic*. In praxi tamen semper ejusmodi vasa discooperiri debent.

Sequitur quartò. Vix posse assignari determinatam distantiam, intra quam valeat consecratio. Sufficiens communiter illa censetur, intra quam materia apposita manu ferè contingi potest; tunc enim propriè est capax demonstrationis per pronomen *hic*, vel *hoc*.

2. Quæres secundò: In qua quantitate validè consecretur materia apposita.

Respondeo primò: Ut materia Eucharistiæ sit consecrabilis, non debet esse in tanta magnitudine, ut non sit moraliter præsens consecranti; hoc ipso quippe non est demonstrabilis per pronomen *hoc*.

3. Respondeo secundò: Panis & vinum in quacunque minima quantitate, in qua modò forma substantialis panis & vini salvatur, & in qua sunt sensibiles, validè consecrantur; quia materia hujus Sacramenti est verus panis & verum vinum debitè præsens: sed hoc fit in hypothesi nostræ assertionis: ergo.

Dixi primò: In qua salvatur forma panis &c. quia si panis continuum divideretur in partes mathematicas minores minimo physico, illæ partes non essent ampliùs consecrabiles; hæ quippe solùm sunt consecrabiles, sub quibus existit forma panis & vini: sed sub illis non ampliùs existeret, ut suppono: ergo. Quamdiu verò illæ partes sunt unitæ in toto, tamdiu sunt consecrabiles; quia sic non distinguuntur à toto, & informantur totali forma panis & vini.

Dixi secundò: In qua sunt sensibiles, eò quòd sit de ratione Sacramenti, ut corpus & Sanguis Christi sint sensibiles sub speciebus panis & vini. Non tamen necesse est, ut ipsi celebranti sint sensibiles, nam etiam sacerdos mancus & cœcus, qui aliunde moraliter certificaretur de præsentiâ & existentiâ panis validè consecraret, & verè dicere posset, *hoc est corpus meum*. & anima separata, quæ nullo utitur sensu posset validè consecrare.

§. II.

De materiæ determinatione.

4. Quæres tertiò. Qualis requiratur materiæ determinatio?

Respondeo. Ad validam consecrationem necesse est, ut consecrans materiam consecrandam determinet in individuo. Ita communis. Ratio est: quia actiones versantur circa singularia, & quia forma consecrationis non verificatur nisi in materia per intentionem consecrantis determinata. Unde

Sequitur primò. Nullam esse consecrationem sacerdotis, qui ex duabus hostiis ante se positis vellet alterutram indeterminatè, vel illam, quam Deus, aut Petrus maluerit, consecrare; neque enim illa indeterminata esset demonstrabilis per pronomen *hoc*.

Sequitur secundò. Si quo casu sacerdos consecrans duas hostias, unam esse existimans, habuisset in manibus, utramque esse consecratam; quia præsumitur habuisse intentionem totum hoc consecrandi, quod manibus tenet.

Sequitur tertiò. Particulas minores à Sacerdote, vel ex ipsius voluntate ab alio ante offertorium pro communicaturis super corporale positas consecrari, quamvis sacerdos sub actu consecrationis non ampliùs de iis cogitet, dummodò non restringat suam intentionem ad hoc solum consecrandum, quod tenet in manibus; quia censetur virtualiter remanere intentio hoc totum consecrandi, quod debito modo est consecrabile.

Sequitur quartò. Guttas vini extrinsecùs calici adhærentes, vel particulas extra corporale vel altare positas, non consecrari; quia non censetur sacerdos aliquam materiam non legitimè præsentem, & illicito modo, consecrare voluisse.

Quæres quartò. Quomodo in praxi à Sacerdote sit formanda intentio?

Respondeo cum Sanctgallensibus primò: Si non sit consecranda alia hostia, quàm pertinens ad Sacrificium, consultissimam esse intentionem id totum consecrandi, quod habet in manibus. Unde, siquæ micæ ante consecrationem ex hostia defluxissent, non censerentur consecratæ.

Respondeò cum Illustrissimo Reding. In consecratione calicis formandam intentionem consecrandi hoc totum, quod intra calicem per modum unius continui & facillimè continuabilis continetur; sic enim, siquæ guttæ intra cuppæ interiorem superficiem à materia consecrata remotæ calici adhærerent, non censerentur consecratæ, aliæ verò proximæ, & levi agitatione miscibiles, censerentur consecratæ, eò quòd non sit conveniens, ut materia non consecrata consecratæ misceatur, eò quòd moraliter quasi sunt unitæ cum reliquo vino. Observandum tamen est à sacerdotibus, ut remotiores guttas ante consecrationem detergant, & propiores levi calicis agitatione cum reliquo vino continuent.

Respondeo tertiò cum Sangallensibus. Si parvæ formulæ pro communicaturis sint consecrandæ, formandam esse intentionem consecrandi totum cumulum, qui debito modo est præsens in ciborio, vel corporali. Sic enim aliæ, quæ extra sub corporali vel mappa laterent, non censerentur consecratæ.

Quæres quintò. Quid sit faciendum sacerdoti in dubio, an fuerit sufficiens præsentia vel determinatio materiæ consecrabilis?

Re-

Reſpondeo, ſi dubium ſit de ipſa hoſtia conſtituta pro ſacrificio, tunc ſub dubio iterandam eſſe conſecrationem, ne ſacrificium eſſentialiter incompletum relinquatur. Si verò dubium verſetur circa particulas pro communicaturis expoſitas, tunc vel ſequenti die ab eodem ſacerdote vel ab alio ſacerdote in ſequenti ſacrificio ſunt ſub conditione conſecrandæ; vel, ſi ſint in ea quantitate, ut commodè ſimul ſumi poſſint (docet Illuſtriſſimus Reding) poſſe illas ſumi unà cum purificatione ea intentione, ut ſacerdos velit illas accipere tanquam Sacramentum, ſi ſint conſecratæ; ſi non ſint, tanquam materiam cum purificatione compoſſibilem.

ARTICULUS V.

De forma Euchariſtiæ.

SUMMARIA.

1. *Catholica veritas de forma panis & calicis.*
2. *Quænam verba non ſint de valore formæ?*
3. *Quænam ſint de valore in conſecratione panis?*
4. *In forma calicis verba:* hic eſt ſanguis meus *æquivalent illis:* hic eſt calix ſanguinis mei.
5. *Omnia verba formæ calicis ſunt de neceſſitate præcepti.*
6. *Eſſentia formæ calicis conſiſtit in primis quinque verbis* hic eſt calix ſanguinis mei.
7. *Fundamentum à praxi Græcorum.*
8. *Ab authoritate D. Thomæ.*
9. *Et ratione.*
10. *Illa ſolùm verba, quibus Chriſtus eſt uſus ad ſignificandam converſionem vini in calicem, ſunt eſſentialia formæ.*
11. *Eccleſiæ praxis non probat oppoſitum.*
12. *Objecta authoritas D. Thomæ diluitur.*
13. *Efficacia Sanguinis Chriſti ſecundariò ſignificatur.*
14. *Sufficit, ut effuſio Sanguinis exprimatur exercitè per formam calicis.*
15. *Diſparitas de forma Baptiſmi.*
16. *Intentio ſacerdotis conſecrantis non eſt intelligenda ad prima verba calicis.*
17. *Præceptum omnia verba proferendi eſt eccleſiaſticum, non divinum.*
18. *Verba conſecrationis à Sacerdote proferuntur hiſtoricè, & aſſertivè.*
19. *Quidnam demonſtretur per pronomina* hoc & hic?
20. *Exponitur ſignificatio vocum in forma calicis.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. CErtum eſt primò. Sicut duplex eſt materia Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie, ita etiam formam eſſe duplicem. & quidem formam pro conſecratione panis uſitatam eſſe: *Hoc eſt enim corpus meum.* Et pro conſecratione calicis: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ratio eſt primò. Illa eſt forma Sacramenti euchariſtici, per quam materia determinatur ad practicam ſignificationem realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti per modum cibi & potûs ſpiritualiter nutritivi: ſed hoc fit per verba præmiſſa: ergo. Secundò. Verba à Chriſto elevata ad ſacramentalem ſignificationem, obtinent rationem formæ: ſed iſta verba ſunt à Chriſto elevata ad ſacramentalem ſignificationem; ſiquidem iisdem uſus fuit in ultima Cœna: ergo. Ubi

Certum eſt ſecundò. In neutra forma ly 2.
enim pertinere ad ſubſtantiam formæ, quippe quod tantùm propter conjunctionem cum verbis antecedentibus ab Eccleſia additum eſt. Unde non deſunt graves Authores, qui putant, illius omiſſionem tantùm fore peccatum veniale. Similiter illa verba: *Qui pridie quam pateretur, accepit &c.* cùm non ſint verba Chriſti, ſed Evangeliſtæ, non ſunt neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Certum eſt tertiò. In conſecratione Corpo- 3.
ris Chriſti omnes enumeratas voces *hoc eſt corpus meum*, eſſe de eſſentia & valore formæ; ut habet S. Doctor q. 78. a. 1. & 2. & conſtat primò ex Florent in Decret. Un. *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus conficitur Sacramentum, Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum.* Atqui verba præmemorata *hoc eſt Corpus meum*, ſunt verba Salvatoris, quæ Sacerdos profert in perſona ipſius, & per illa conficitur Sacramentum, ut uno ſolo ablato illud non conficiatur; in tantum enim conficitur per verba conſecrationis Sacramentum Corporis Chriſti, in quantum ejus præſentia ſignificatur: ſed ſi una duntaxat vox omitteretur, jam non ſignificaretur præſentia Corporis Chriſti, ut patet: ergo. Potiſſima controverſia eſt de forma calicis; in qua tamen

Certum eſt quartò. Sive dicatur *hic eſt calix* 4.
ſanguinis mei, ſive *hic eſt ſanguis meus*, validum confici Sacramentum, quia utroque modo verificatur contentum ſub illis ſpeciebus eſſe Sanguinem Chriſti, & utroque modo verba conſecrationis à Scriptura referuntur: nam Matthæus & Marcus habent: *Hic eſt ſanguis meus.* Lucas verò & Paulus 1. Cor. 11. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.*

Certùm eſt quintò. Eſſe graviſſimam obliga- 5.
tionem in forma calicis pronunciandi non tantùm prima verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam ſequentia: *novi & æterni teſtamenti*, &c. tum quia ſic habet uſus univerſalis Eccleſiæ; tum quia per illorum omiſſionem forma exponeretur periculo nullitatis. Reſtat difficultas, an illa reliqua verba, *novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ſint formæ eſſentialia, ita ut iis omiſſis validè non conſecraretur, & conficeretur ſanguis Chriſti: ubi occaſione acceptâ ex dubio textu S. Doctoris inter ipſos Thomiſtas lis eſt. Aliqui cum Gonett affirmant,

firmant, inter quos Reverendissimus Oberascher, & Magnificus Wibmperger in Tract. de Euchar. Alii negant, ut Ioan. à S. Th. Contenson, Serra, Cajetanus, & ex nostris Reding, Petschacher, aliique.

§. II.

CONCLUSIO. *Essentia formæ calicis consistit in his solis verbis, hic est calix sanguinis mei.* Ita Io. à S. Th. Serra, Cajetanus, aliique Thomistæ.

7. Probatur primò authoritate; si omnia verba essent de essentia formæ calicis, sequeretur Ecclesiam Græcam caruisse Sacrificio & Sacramento sanguinis etiam iis temporibus, quibus erat unita Romanæ Ecclesiæ: consequens non est admittendum, cùm in illa floruerint maximo numero viri, sacerdotes, Episcopi doctrina & Sanctitate præstantissimi: ergo nec antecedens. Sequela probatur, quia in multis Græcorum Ecclesiis & liturgiis ab Ecclesia Romana præsertim in Concilio Florentino (in quo facta est unio inter Latinam & Græcam Ecclesiam) nequaquam correctis, sed toleratis, quas refert authenticè Card. de Lugo disp. 11. sc. 4. non requiruntur omnia illa verba *novi & æterni testamenti.* Multi etiam Patres, ut Clemens l. 8. constit. c. 12. Ambros. l. 4. de Sacr. c. 5. &c. pro forma tantùm ponunt ista verba: *Hic est Sanguis meus, qui pro nobis effundetur.* ergo formu calicis subsistit, tametsi reliqua verba non ponantur.

8. Probatur secundò ex S. Doct. hic q. 78. a. 3. *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ: sed per prima verba cùm dicitur: Hic est calix Sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis.* Et a. 1. & 4. *Si Sacerdos sola verba prædicta, nempe hoc est corpus meum, & hic est calix Sanguinis mei, proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.* Ex quibus sic infertur: Illa verba sunt de essentia formæ, quæ sunt simpliciter necessaria, ut perficiatur Sacramentum, & ut significetur conversio in Sanguinem Christi: sed ut patet ex S. Doctore ista verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, præcisis reliquis sufficiunt ad hoc, ut perficiatur Sacramentum, & significetur conversio in sanguinem Christi, sicut illa verba, *Hoc est Corpus meum*, sufficiunt ad significandam conversionem panis in Corpus Christi: ergo illa verba præcisis cæteris sunt de essentia formæ calicis, ex quibus etiam patet, ly *de substantia* non potuisse à S. Doctore accipi pro *de essentia*, sed pro *de integritate quasi substantiali.* quemadmodum manus & pedes dicuntur de substantia corporis humani, quia sine illis corpus non esset perfectum, quantumvis non sint de ipsius essentia, cùm essentia corporis etiam sine illis salvari posset.

9. Probatur tertiò. In illis verbis essentialiter consistit forma calicis, in quibus adæquatè reperitur significatio practica conversionis vini in sanguinem Christi: sed in solis istis verbis: *Hic est calix Sanguinis mei,* adæquatè reperitur significatio practica istius conversionis: ergo. Major constat, quia in his solis verbis essentialiter consistit forma calicis, quæ adæquatè continent sensum à Christo intentum: sed iste est practica significatio conversionis vini in sanguinem: ergo in verbis adæquatè habentibus hanc practicam significationem consistit essentialiter forma calicis. Minor constat primò ex authoritatibus præcitatis. Secundò ex ratione & paritate consecrationis panis sic deductâ. Per istam propositionem, *Hic est calix Sanguinis mei*, etiamsi cætera verba non proferantur, non minùs verificatur, quòd contentum sub speciebus vini sit Sanguis Christi; quàm per ista verba, *Hoc est Corpus meum*, verificatur contineri sub speciebus panis Corpus Christi; est enim æquè propositio affirmativa, habens sensum completum; sed verba quæ sufficiunt ad verificationem continentiæ & præsentiæ Sanguinis Christi sufficiunt ad conversionem vini in Sanguinem Christi, sicut verba sufficientia ad significandam continentiam & præsentiam Corporis Christi sufficiunt ad conversionem panis in Corpus Christi: ergo hæc sola verba: *Hic est calix Sanguinis mei,* sufficiunt ad perficiendam consecrationem Sanguinis Christi, adeòque sola sunt de essentia formæ calicis.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

10. OBjicies tamen primò authoritatem Concilii Florentini, ex quo habetur, quòd illa verba pertineant essentialiter ad formam hujus Sacramenti, per quæ Christus illud confecit: sed Christus illud confecit per omnia verba formæ: ita enim habetur apud Lucam: *Hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur.*

Respondeo primò negando minorem: etsi enim reliqua verba dixerit, non tamen omnibus illis confecit Sacramentum Eucharistiæ, sed iis juxta mentem Trid. sess. 13. c. 4. quibus testatus est, id quod offerebat esse suum sanguinem. neque Florentinum dicit, quòd Christus omnibus illis verbis confecerit Sacramentum, sed quòd *forma* ejus Sacramenti *sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum.* Unde secundò distinguo majorem: quibus Christus confecit Sacramentum tanquam sufficientibus ad perficiendam conversionem vini in sanguinem, concedo; tanquam integrè & completè exprimentibus virtutem sanguinis Christi, nego.

Objicies secundò praxin & authoritatem Ecclesiæ, quæ non prima tantùm, sed omnia verba ponit tanquam pertinentia ad formam, & ita vult à Sacerdotibus pronunciari, & iisdem characteribus imprimi. 11.

Respondeo: Ex usu Ecclesiæ plus non inferri, quàm quòd, cùm res versetur in dubio, num omnia sint de essentia formæ, Ecclesia velit sub gravi præcepto, ne calix priùs populo adorandus proponatur, priusquam omnia illa verba fuerint per modum unius formæ super calicem prolata, sicuti non sequitur, quòd, cùm Ecclesia in forma absolutionis utatur iis vocibus *à peccatis tuis*, ideo sint de essentia formæ.

Obji-

12. Objicies tertiò authoritatem S. Doctoris hîc l.cit. à.3. dicentis: *Quidam enim dixerunt, quòd de substantia formæ hujus est hoc solum, quod dicitur, hic est calix Sanguinis mei, non autem ea, quæ subsequuntur: sed hoc videtur esse inconveniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quadam determinationes prædicati, id est, Sanguinis Christi, unde pertinent ad integritatem hujus locutionis, & propter hoc sunt alii, qui meliùs dicunt, quòd omnia sequentia sunt de substantia formæ, &c.* Neque dicas, quòd ly *de substantia* tantùm significet integritatem: nam contra est, quòd S. D. per ly *de substantia* significat essentiam, uti patet ex q. 60. a. 8. ubi dicit: *Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum.* Subsumitur: sed, quando non perficitur Sacramentum, deest aliquid essentiale, non tantùm integrale: ergo. Præterea in 4. d. 8. q. 2. a. 2. habet: *Illa, quæ sequuntur, sunt essentialia Sanguinis, prout in hoc Sacramento consecratur, & ideo oportet, quòd sint de substantia formæ.* Item 1. Cor. 11. lect. 6. dicit: *Illa sequentia verba esse de necessitate formæ.*

Respondeo cum Jo. à S. Th. quamvis in cit. q. 60. a. 8. ubi agebat de Sacramentis in genere, per ly *de substantia* intellexerit id, quod est de essentia, tamen hoc loco, ubi particulariter agit de Sacramento Eucharistiæ, hanc vocem, quæ ex se est indifferens, ut applicetur ad significandum aliquid ad essentiam vel integritatem substantiæ pertinens usurpaverit, pro aliquo pertinente ad integritatem substantialem, quod colligitur ex duobus; primò, quia dicit, has voces, quæ sequuntur, pertinere ad integritatem locutionis; secundò, quia dicit, per prima, *Hic est calix Sanguinis mei*, significari conversionem, sicut in forma panis, adeòque in iis consistere adæquatam essentiam formæ. Porrò, cùm S. D. loc. cit. in 4. sent. dicit, verba, quæ sequuntur, *esse essentialia sanguini &c.* Respondeo, ex hoc rectè inferri, quòd etiam sint essentialia formæ, sed tantùm quòd pertineant ad majorem expressionem virtutis & efficaciæ; ista quippe per alia exprimitur, quàm per illa *novi & æterni testamenti, &c.*

13. Objicitur quartò ex ratione: Sacramentum Eucharistiæ, ceu præcipuum memoriale divinæ passionis, non tantùm est institutum ad significandum Corpus & Sanguinem Christi, sed etiam efficaciam Sanguinis in passione effusi, quæ consistit in tribus, nimirum in perpetua virtute promerendi hæreditatem cœlestem, quæ exprimitur per ly *novi testamenti.* Secundò, conferendi gratiam per fidem, ideo dicitur *mysterium fidei.* Tertiò, remittendi peccata; & hoc dicitur per verba *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*

Confirmatur primò. Sacramentum Eucharistiæ non tantum est institutum per modum Sacramenti, sed etiam Sacrificii: sed ad rationem Sacrificii pertinet effusio sanguinis, juxta illud Heb. 9. *Sacrificium per sanguinis effusionem completur, & consummatur.* ergo etiam hæc effusio sanguinis per formam exprimi & significari debet. Secundò: Quia Baptismus est institutus non tantùm ad spiritualem ablutionem à peccatis, sed etiam, ad fidei professionem, pertinet ad essentiam formæ expressio Sanctissimæ Trinitatis: ergo etiam, quia hoc Sacramentum est institutum ad significandam rationem Sacrificii, ad essentiam formæ pertinebit expressio ipsius Sacrificii per ly *effundetur.*

Respondeo: Sacramentum Eucharistiæ est institutum ad significandam efficaciam Sanguinis Christi, secundariò & per modum alicujus proprietatis, concedo; primariò & per modum alicujus essentialis, nego.

Ad primam confirmationem respondeo: Debet effusio Sanguinis exprimi per ipsam formam, vel in actu signatu, vel exercito, concedo; tantùm in actu signato, nego. In actu signato exprimitur, quando explicitè inter verba consecrationis ponitur, *qui pro vobis effundetur.* In actu exercito exprimitur, quando vi formæ Sanguis seorsim consecratur à Corpore Christi, sicque in isto exercitio significatur mystica separatio Sanguinis à Corpore Christi, quod fit per illa verba: *Hic est calix Sanguinis mei.* 14.

Ad secundam confirmationem nego paritatem, quia, nisi in Baptismi forma adderentur illa verba: *In nomine Patris & Filii &c.* nec signatè nec exercitè significaretur professio fidei & Sanctissimæ Trinitatis, atqui effusio Sanguinis & ratio Sacrificii exercitè significatur per prima verba, tametsi cætera non ponantur. 15.

§. IV.

Corollaria.

Colliges ex dictis primò: Etsi statim fiat Sacramentum Sanguinis Christi, quàm primùm priora verba fuerunt prolata, Sacerdotem tamen non debere iis alligare suam intentionem, quasi iis solis velit consecrare, sed debere omnia verba æqualiter supra calicem proferre cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. 16.

Colliges secundò: Præceptum addendi illa verba: *novi & æterni testamenti*; esse Ecclesiasticum, non divinum; aliàs enim etiam Græcos obligaret. 17.

Colliges tertiò: Verba consecrationis proferri simul historicè seu recitativè, & assertivè seu significativè, ut habet S. D. a. 5. Ratio primi membri est; quia quod refertur tanquam ab alio dictum, profertur historicè: sed verba consecrationis proferuntur tanquam dicta à Christo in ultima Cœna; uti patet ex verbis Canonis: *Qui pridie, quàm pateretur &c. benedixit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens &c.* 18.

Ratio secundi membri est primò: Quia juxta Florentinum, Sacerdos loquitur in persona Christi; unde Chrysost. ho. 2. in 2. ad Tim. dicit, Christum esse, *qui per os Sacerdotis illa verba pronunciat.* at non sic loqueretur Sacerdos, si illa proferret solùm recitativè & historicè. Secundò: Quia vis conversionis eucharisticæ non aliâ ratione inest iis verbis, nisi quatenus cadunt supra præsentem materiam; & eo modo proferuntur, quo Christus illa protulit in Cœna

Cœna ultima: sed Christus illa protulit assertivè seu enunciativè; neque aliâ ratione cadunt supra præsentem materiam; quia, quatenus proferuntur historicè, respiciunt solùm species olim à Christo consecratas.

19. Colliges quartò. In forma consecrationis per pronomina *hoc* & *hic* non demonstrari accidentia vel substantiam panis, sed substantiam singularem sub istarum specierum velamine contentam, sic ut istum sensum verba efficiant: *Hæc substantia contenta sub speciebus panis est Corpus meum; hæc substantia contenta sub speciebus vini est Sanguis meus, &c.* Ratio est: quia per has prædicationes ita verificari debet identitas inter prædicatum & subjectum, ut tamen subjectum formaliter differat à prædicato in modo enunciandi: sed, si ex parte subjecti significetur substantia singularis contenta sub istis speciebus, verificatur identitas Corporis & Sanguinis Christi cum substantia contenta sub speciebus cum differentia quoad modum significandi & enunciandi, quæ non verificatur, si subintelligantur accidentia vel substantia panis: ergo significatur substantia singularis contenta sub his speciebus.

Colliges quintò. Quidnam singulæ voces in forma calicis expressæ significent. nam primò per Tò *calix Sanguinis mei*, exprimitur Christi Sanguis quatenus potabilis à nobis. Secundò per Tò *novi testamenti* declaratur, ultimam Christi voluntatem, quâ ad cœlestem hæreditatem destinamur, ipsius Sanguine fuisse confirmatam, juxta Apostolum Heb. 9. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Tertiò, per Tò *æterni* significatur, hanc hæreditatem non esse temporaneam, sed æternam: neque huic testamento aliud fore successurum. Quartò, Tò *mysterium fidei* indicat, hoc Sacramentum esse ex præcipuis fidei nostræ mysteriis. Quintò, Tò *effundetur* explicitè repræsentat cruentum sacrificium crucis. Sexto, *pro vobis & pro multis*, h. e. pro vobis prædestinatis efficaciter, pro aliis omnibus sufficienter, ut exponit Catechismus Pii V. item pro vobis Judæis & pro gentibus, ut interpretatur S. Chrysost. 20.

DISPUTATIO XXXII.

De transsubstantiatione.

POst expensas causas intrinsecas, è quibus Sacramentum Eucharistiæ componitur, & terminum à quo, h. e. materiam remotam, ex qua fit Sacramentum, nunc convertimur ad ipsam actionem, quâ in genere causæ efficientis Corpus & Sanguis Christi ponitur sub speciebus panis & vini, quæ catholico vocabulo transsubstantiatio vocatur: simulque ex parte termini ad quem speculamur modum quo tum ipsa accidentia, tum Corpus & Sanguis Christi sub accidentibus existunt.

ARTICULUS I.

Qualis actio sit transsubstantiatio?

SUMMARIA.

1. *Veritas fidei.*
2. *Quid sit conversio?*
3. *Alia conversio substantialis, alia accidentalis; alia formalis, alia totalis.*
4. *Status quæstionis & varietas sententiarum.*
5. *Transsubstantiatio non est actio adductiva.*
6. *Neque formaliter productiva.*
7. *Neque conservativa.*
8. *Sed est actio unitiva.*
9. *Cujus adæquatus terminus est totum unitum.*
10. *Formalis terminus non est aliqua entitas intermedia.*
11. *Substantia panis & vini non annihilantur.*
12. *Objectiones,*
13. *Solvuntur.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò: Esse de fide certum, quòd per consecrationem tota substantia panis transeat & convertatur in substantiam Corporis, & tota substantia vini in substantiam sanguinis Christi: ita ut peractâ consecratione nihil remaneat de panis & vini substantia, prout definitum est in Trid. *sess. 13. c. 4. & can. 2.* his verbis: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini unà cum Corpore & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi, negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem, remanentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Sed de hoc initiò hujus Tract. satis dictum.

Notandum secundò: Conversionem rectè definiri, quòd sit *transitus unius rei in aliam.* Ad quam requiritur primò, ut versetur inter duos terminos positivos, unum à quo, & alterutrum ad quem. Secundò, ut terminus à quo aliquo modo desinat, & terminus ad quem aliquo modo incipiat, cùm aliàs non posset intelligi transitus ab uno in aliud. Tertiò, ut sit aliqua connexio inter desitionem termini à quo, & inceptionem termini ad quem, ita ut desitio unius sequatur ex inceptione alterius: aliàs quippe non ex vi ipsius conversionis transiret in alium. 2.

Notandum tertiò: Conversionem dividi in accidentalem & substantialem, quarum illa habet terminum ad quem accidentalem, ista substantialem. 3.

lem. Conversio substantialis dividitur in formalem & totalem. Formalis est transitus ab una forma substantiali ad aliam, remanente eodem communi subjecto, nempe materiâ primâ. Totalis est transitus à tota substantia in aliam totam substantiam nullo communi subjecto substantiali remanente.

Notandum quartò: Cùm de fide certum sit, quòd conversio eucharistica sit totalis, quæ propterea appellatur transsubstantiatio, dubium tamen esse inter Authores, an sit actio solùm adductiva, quâ nimirum sola præsentialitas Corporis Christi sub speciebus ponatur, ut vult Scotus in 4. dist. 10. q. 1. vel secundò, an sit actio productiva terminata ad ipsam substantiam Corporis Christi, non quidem ut simpliciter & absolutè, sed secundùm quid, & quatenus ex substantia panis, ita ut terminus formalis hujus conversionis sit Corpus Christi quatenus producibile ex substantia panis vel consecrabile sub speciebus panis, uti docet Suarez, Gonet disp. 4. a. 2. vel an sit actio reproductiva, cujus terminus sit Corpus Christi, ut absolutè reproductum; uti vult Coninck; vel an sit actio unitiva, sive Corporis Christi sub hisce speciebus constitutiva, ita ut vi destructionis substantiæ panis & vini effectivè uniatur Corpus & Sanguis Christi speciebus panis, & vini, prout docet Card. de Lugo sect. 6. & majori ex parte DD. nostræ Universitatis. Ubi rursus est quæstio: an terminus formalis hujus actionis unitivæ sit aliqua entitas materialis aut formalis, distincta ab unito, vel non.

§. II.

Veritas Thomistica.

5. CONCLUSIO. *Transsubstantiatio non est actio adductiva, aut formaliter productiva, sed effectivè unitiva Corporis & Sanguinis Christi cum speciebus panis & vini.*

Prima pars expressè traditur à S. D. q. 75. a. 4. in c. his verbis: *Cùm in hoc Sacramento sit verum Corpus Christi, nec incipiat ibi esse de novo per motum localem; cùm etiam nec Corpus Christi sit ibi sicut in loco, necesse est dicere, quòd incipiat ibi esse per conversionem substantiæ panis in ipsum.* Unde ratio est primò, quia actio adductiva ex vi nominis significat motum localem: sed Corpus Christi per eucharisticam conversionem non movetur localiter, cùm non sit in Sacramento modo quantitativo & divisibili, sed indivisibili; unde actio adductiva potiùs dicenda foret translocatio, quàm transsubstantiatio. Secundò: Conversio eucharistica est actio substantialis, quæ proinde debet habere formalem terminum substantialem: sed actio adductiva non habet terminum formalem substantialem, eò quòd formaliter solùm terminetur ad præsentiam sacramentalem Corporis Christi, quæ est terminus accidentalis. Tertiò, quia vi conversionis debet desinere terminus à quo, & quodammodo incipere terminus ad quem: sed vi actionis adductivæ non necessariò desineret substantia panis & vini, qui est terminus à quo, quia possunt simpliciter esse simul, præsertim quando terminus ad quem caret locali dimensione, ut in præsenti Corpus Christi, quod in Eucharistia est modo indivisibili.

Ratio secundæ partis est: Actio formaliter 6.
productiva tendit ad conferendum rei esse: sed ista conversio non potest tendere ad tribuendum Corpori Christi suum esse substantiale; quippe quia jam existens supponitur: ergo non potest esse actio formaliter productiva ipsius. Dico *formaliter*; quia cùm sit tantæ virtutis, ut vi ipsius de novo ex destructa substantia panis poneretur & produceretur substantia Corporis Christi, nisi priùs producta supponeretur, dici potest virtualiter productiva ipsius.

Neque dicas: Esse actionem productivam secundùm quid: quia est productiva Corporis & Sanguinis Christi non simpliciter, sed quatenus in Eucharistia sub speciebus panis & vini succedit eorundem substantiæ. Nam contra est: quòd si Corpus Christi aliquo modo substantialiter produceretur, vel reproduceretur, aliquo modo substantialiter fieret & mutaretur: sed non fit, nec mutatur: nam ita docet expressè S. D. in 4. d. 11. q. 1. a. 3. & q. 1. *Hoc, in quod terminatur conversio* (intellige eucharistica) *nullo modo transmutatur, scilicet Corpus Christi, sed solus panis qui convertitur.* Item D. Bonav. in 4. d. 10. p. 2. q. 2. *Corpus in consecratione non fit.* Et infrà: *Tunc non fit ejus humanitas, quia facta est in conceptione.* Et dist. 11. p. 3. q. 2. *Non habet aliquid de novo factum, sed præexistens.* Similiter Hugo de S. Vict. l. 1. de Sacr. c. 9. *Nec sic in pane Corpus Christi conservari dicimus, ut de pane Corpus Christi esse accipiam nec quasi novum corpus subitò factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatam essentiam.*

Ratio tertiæ partis est: Illa actio conservativa 7.
vel esset antiqua conservatio, quâ Christi Corpus conservatur in cœlis, vel nova? Non antiqua; quia vi illius Corpus Christi existit modo extensivo & circumscriptivo. Non nova: quia conservatio cùm sit continuata productio, priùs naturâ supponit productionem.

Quarta pars sequitur ex dictis, & probatur: 8.
Conversio eucharistica consistit in illa actione, per quam effectivè fit, ut contentum sub speciebus eucharisticis sit Corpus Christi: sed hoc fit per actionem unitivam: ergo. Major primò inductione constat; aut enim hoc fieret per reproductionem Corporis Christi, aut per adductionem, aut conservationem, aut denique unitionem: non per tres primas actiones: ergo per ultimam. Secundò ex S. D. q. 78. a. 5. in c. ubi habet: *Non enim faciunt hæc verba* (intellige consecrationis) *quòd Corpus Christi sit Corpus Christi, neq; quòd panis sit Corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod priùs erat panis, sit Corpus Christi.* Tertiò hac ratione: quia per hanc actionem sufficienter intelligitur converti substantia panis in substantiam Corporis Christi, vi cujus fit ut pro destructa substantia panis sub speciebus ipsius sit substantia Corporis Christi: sed hoc fit per actionem, per quam contentum sub speciebus est Corpus Christi: ergo. Minor per se patet, quia per actionem, quâ Corpus Christi unitur speciebus panis, fit ut idem corpus sit contentum sub iisdem speciebus loco substantiæ panis.

§. III.

Corollaria.

9. INferes ex dictis primò: Adæquatum terminum transsubstantiationis esse hoc totum unitum ex Corpore & ex Sanguine Christi ac speciebus panis & vini: terminum formalem esse ipsum Corpus & Sanguinem Christi, quatenus unitum speciebus ex vi destructionis panis & vini. Ratio primi est: quia terminus adæquatus actionis unitivæ est totum unitum: sed totum unitum in hoc Sacramento constat tum ex Corpore & Sanguine Christi, tum ex speciebus panis & vini. Ratio secundæ partis est: quia terminus formalis alicujus actionis ille est, qui per se primò intenditur, & vi actionis succedit termino à quo: sed iste in Sacramento Eucharistiæ est Corpus & Sanguis Christi: ergo. Unde

10. Inferes secundò: Terminum formalem hujus conversionis non esse aliquam unionem modalem, cùm enim Corpus Christi absque tali entitate aliàs essentialiter superflua sufficienter & quidem physicè speciebus unitum possit concipi, non est quòd fingatur ejusmodi unio; potest autem concipi sufficienter unitum, quatenus connotat partim actionem conversivam & partim divinam virtutem, quæ & species panis sine subjecto, & Corpus Christi loco destructæ substantiæ sub illis speciebus modo indivisibili conservat totum sub tota, & totum sub qualibet parte speciei. Ex quo capite omnem etiam formalitatem intermediam, tanquam superfluam & solo nomine à modalitate differentem rejicimus.

11. Inferes tertiò cum S. D. hac q. 75. a. 3: Substantiam panis & vini non annihilari, quia illud annihilatur, quod abit in non esse tam sui, quàm subjecti: sed substantia panis & vini non abeunt in non esse, sed in esse Corporis & Sanguinis Christi, qui est terminus ad quem istius conversionis: ergo.

§. IV.

Objectiones solvuntur.

12. OBjicies primò authoritatem SS. PP. qui frequenter asserunt, Corpus Christi in Sacramento altaris de pane fieri, produci, confici &c. prout videre est ex pluribus textibus apud Gonet & Reding relatis: sed *fieri*, *produci* &c. significant actionem productivam: ergo juxta SS. PP. Corpus & Sanguis Christi per actionem productivam ponuntur in Sacramento altaris.

Secundò. Nisi hæc conversio esset productiva aliquatenus Corporis & Sanguinis Christi, pro suo termino formali non haberent aliquid substantiale, sed accidentale: consequens non potest dici; hâc enim ratione actio conversiva non esset substantialis, sed accidentalis.

Tertiò. Omnis alia conversio substantialis est productiva sui formalis termini ad quem substantialis, ut conversio aquæ in vinum, uxoris Loth in statuam salis: ergo & ista.

Quartò. Si non produceretur terminus ad quem substantialis, non esset transitus de esse substantiali ad esse substantiale: sed hoc est de essentia conversionis, ut sit talis transitus: ergo debet esse productus.

Quintò. Si non produceretur terminus ad quem, tunc ejus esse non inciperet de novo: sed hoc est contra rationem conversionis: ergo.

Respondeo ad primum: SS. PP. loqui per analogiam ad conversionem naturalem, cum qua convenit eucharistica conversio, in quantum versatur inter duos terminos positivos: sicuti iidem SS. PP. aliquando dicunt creari Corpus Christi per analogiam ad creationem, in quantum conversio eucharistica adinstar creationis non habet commune subjectum. unde S. D. a. 8. in c. *dicendum, quòd hæc conversio panis in Corpus Christi quantum ad aliquid convenit cum creatione, & transmutatione naturali.* 13.

Ad secundum nego sequelam: Quia ut conversio sit substantialis, sufficit, quod formalis terminus ipsius sit substantia de novo unita, non de novo producta, sicuti in nutritione hominis terminus formalis est anima rationalis, non utique de novo producta, sed materiæ alimenti de novo unita.

Ad tertium distinguo antecedens; Omnis alia actio conversiva, in qua terminus formalis nondum supponitur productus, est productiva ipsius, concedo; in qua supponitur jam productus, nego. Instantia habetur in conversione nutritiva modò adducta in exemplum.

Ad quartum distinguo sequelam. Non esset transitus de esse ad esse substantiale, cum immutatione illius esse ad quod fit transitus, concedo; per immutationem illius esse à quo fit transitus, nego: quod tamen sufficit ad transitum conversivum.

Ad quintum distinguo sequelam. Ejus esse non inciperet de novo, concedo; quoad esse subsistens de novo, sic nego.

Inquis. Sed istud unitum est tantùm accidentale, quia est unio cum accidentibus eucharisticis, ex substantia autem & accidente tantùm fit unum per accidens; atqui actionis substantialis, qualis est conversio eucharistica, terminus totalis debet esse substantialis, & unum per se.

Respondeo: Hanc rationem conversivam esse & dici substantialem non comparativè ad totum unitum ex Corpore & Sanguine Christi & speciebus panis & vini, sed comparatione ad terminum formalem ad quem & à quo, quorum uterque est substantialis. Imò licèt hæc conversio esset productiva Corporis Christi, tamen totalis terminus non esset solum Corpus & Sanguis Christi, sed is quatenus contentus sub speciebus panis & vini, unde hoc ipsum argumentum solvendum est Adversariis.

ARTICULUS II.

De accidentalibus eucharisticis.

SUMMARIA.

1. *Accidentia eucharistica manent sine subjecto.*
2. *Post consecrationem remanet quantitas panis.*
3. *Alia accidentia sunt in quantitate tanquam in subjecto.*
4. *Quotuplex actio possit competere accidentibus eucharisticis.*
5. *Cùm accidentia eucharistica producunt substantiam, Deus est agens principale.*
6. *Reductio ad pristinum temperamentum connaturaliter est ab ipsis accidentibus.*
7. *Species eucharisticæ naturaliter sunt alterabiles ab agente naturali.*
8. *In corruptione accidentium materia prima à Deo, forma à causâ naturali producitur.*
9. *Tamdiu Corpus & Sanguis Christi manet sub accidentibus, quamdiu connaturaliter sub ipsis remanere posset panis & vinum.*
10. *Sola mixtio materiæ inconsecratæ non destruit continentiam Sanguinis Christi.*
11. *Quamdiu accidentia durent in stomacho?*
12. *Quid dicendum, si species miraculosè mutentur?*

§. I.

Quomodo existant accidentia eucharistica?

1. QUæritur primò: An & quomodo accidentia eucharistica sint & maneant sine subjecto?

Respondeo primò: De fide certum est, eucharistica accidentia in Eucharistia conservari sine subjecto substantiali. Aut enim pro subjecto substantiali haberent substantiam panis, aut Corporis Christi? non primum, quia de fide certum est, illam per consecrationem destrui; non secundum, quia itidem de fide est, Corpus Christi in hoc Sacramento non esse localiter extensum, vel alterabile.

2. Respondeo secundò: Non tantùm alia accidentia panis & vini, sed etiam quantitas post consecrationem remanent in Eucharistia: Hæc responsio est omnino conformis Tridentino suprà citato, dicenti: *Si quis negaverit mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & substantiæ vini in Sanguinem Christi, manentibus duntaxat speciebus pani & vini, anathema sit.* ubi accidentia indefinitè sumpta exclusâ solâ substantiâ panis & vini per ly *duntaxat* significat universalitatem accidentium. Et contra Arriagam.

Probatur: Ubi est impenetrabilitas, ibi est quantitas: sed in accidentibus eucharisticis reperitur impenetrabilitas, quæ est proprietas quantitatis: ergo etiam ibi reperitur quantitas; at non quantitas Corporis Christi: ergo panis & vini.

Dices: Penetrationem accidentium miraculosè impediri. Sed contrà est: quòd miracula non sint de novo astruenda & multiplicanda sine gravi ratione & necessitate: atqui hoc esset novum perpetuumque miraculum, si DEUS accidentia eucharistica identidem à mutua penetratione impediret: Imò, cùm absque quantitate non essent quanta, hoc ipso deberent se necessariò & inimpedibiliter penetrare.

Respondeo tertiò: Accidentia cætera eucharistica sunt in quantitate, tanquam in subjecto inhæsionis. Ita S. D. q. 17. a. 2. his verbis: *Necesse est dicere, accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis & vini.* Et ratio est primò: Tunc accidentia subjectantur in quantitate, quando extenduntur ad extensionem, dividuntur ad divisionem quantitatis, & moventur ad motum illius; qualitates enim ex propria linea non habent extensionem & divisibilitatem: sed cætera accidentia ut calor, sapor ita se habent: ergo. Secundò: Ante conversionem eucharisticam quantitas erat subjectum quo, ergo manet etiam post consecrationem; quia post consecrationem non minor apparet connexio accidentium cum quantitate, quàm priùs. Tertiò, quia non aliâ ratione faciliùs explicantur alterationes istorum accidentium, quàm si dicatur quantitas obire vicem subjecti. 3.

Cæterùm an accidentia acquirant novam existentiam, vel existant per præhabitam accidentalem existentiam aptitudinaliter inhæsivam, quæ ipsis ante conversionem competebat, dependet ab illa philosophica quæstione, utrùm accidentia existant per proprias existentias, vel per existentiam subjecti? nam si primum dicas, tunc in proposito accidentibus non erit opus novâ existentiâ divinitus communicatâ; si posteriorem sententiam teneas, dicendum erit, quòd accidentia eucharistica existant per novam existentiam quantitati ceu subjecto communicatam.

§. II.

De alterabilitate accidentium eucharisticorum.

QUæritur secundò: Quomodo accidentia eucharistica agere & pati possint? 4.

Notandum primò. Experientiâ constare, quòd accidentia eucharistica non tantùm habeant virtutem activam alterandi, uti cùm species vini aquam sibi permixtam convertunt in vini substantiam, sed etiam passivè alterentur, uti cùm calefiunt, vel corrumpuntur.

Notandum secundò. Aliam esse actionem accidentium intentionalem; aliam physicam, alterativam, realem. Intentionalis est ipsa sensuum immutatio facta per sensibiles qualitates, de qua certum est, quòd accidentia eucharistica illam sive per se immediatè, sive per species à se emissas naturaliter exerceant, cùm accidens in ordine ad istas operati-

rationes sit per se sufficiens principium & causa principalis. Actio physica potest esse in triplici differentia. Prima est principaliter assimilativa, cùm qualitas producit in alio subjecto qualitatem sibi similem, de qua itidem certum est, naturaliter procedere ab ipsis qualitatibus & accidentibus eucharisticis, utpote sufficienter proportionatis. Secunda est instrumentariè assimilativa, cùm accidentia transmutant aliam substantiam, eámque assimilant substantiæ præhabitæ, uti cùm species vini aquam transmutant in substantiam vini. Tertia est reductiva ad pristinum gradum, cùm nimirum species vini alteratæ & calefactæ se reducunt ad temperamentum formæ substantiali vini debitum. His positis:

5. Respondeo primò. Actio instrumentariè assimilativa substantiæ accidentibus propriæ, principaliter est à DEO supplente vicem substantiæ, & instrumentariè est ab ipsis qualitatibus. Ratio est: quòd accidentia non generant substantiam per modum causæ principalis, sed per modum virtutis instrumentariæ, & in virtute substantiæ, cujus sunt accidentia; cùm igitur in eucharistia non adsit ipsa substantia, Deus ne impediat inclinationes & operationes virtutum naturalium, ipse supplet concursum substantiæ ad generationem substantiæ similis.

6. Respondeo secundò. Reductio specierum ad pristinum temperamentum connaturaliter est ab ipsis speciebus. Ratio est: quòd, ut ex philosophia suppono, hæc reductio non est propriè motus & actio, sed connaturalis resultantia debitæ qualitatis, priùs violenter impeditæ, at ipsa non indiget speciali movente, sed sequitur naturam ipsorum accidentium etiam extra subjectum existentium: ergo.

7. Respondeo tertiò. Species eucharisticæ naturaliter patiuntur & alterantur ab agentibus naturalibus: Ad hoc enim plus non requiritur, quàm ut actio transiens & alterativa recipiatur in aliquo passo tanquam subjecto & causa materiali: sed supposito, quòd quantitas eucharistica conservetur extra subjectum substantiale, & ipsa sustentet alia accidentia, etiam potest esse causa materialis receptiva talis actionis transeuntis: ergo species eucharisticæ possunt naturaliter alterari.

8. Respondeo quartò. Qualitatibus corruptivis, & dispositionibus ad generationem novæ substantiæ, v. g. ignis, aut vermium sufficienter introductis, in ultimo instanti generationis, ipsa quidem materia prima à Deo producitur per conversionem quantitatis in ipsam, nova tamen forma substantialis virtute agentis naturalis educitur. Ita Reding q. 3. a. 2. n. 15. Ratio est: quia, positis omnibus dispositionibus connaturaliter resultantiam novi compositi substantialis exigentibus, Deus supplet defectum causarum secundarum, uti patet in generatione hominis; ubi Deus creando animam rationalem supplet defectum generantis: cùm ergo ultimæ dispositiones ad formam substantialem connaturaliter exigant compositum substantiale naturale, & eductionem formæ materialis ex subjecto substantiali, Deus supplet hunc defectum substituendo materiam primam; neque enim quantitas est sufficiens subjectum, ut ex illa educatur forma substantialis, aut cum illa componat compositum physicum per se.

Dixi; hanc substitutionem materiæ fieri per conversionem quantitatis in ipsam, ita enim habet expresse S. D. hîc cit. a. 5. dicens: *Cùm ex speciebus consecratis aliquod compositum substantiale generatur, materiam produci in instanti generationis per conversionem quantitatis in ipsam*: Et ratio est; quòd hâc generatione, quantum fieri potest, salvari debeat connaturalior modus agendi: sed iste exigit conversionem quantitatis in materiam: ergo. Minor probatur; Cùm connaturalis modus agentis exigat, ut ex illo subjecto educatur forma substantialis, in quod dispositiones fuerunt introductæ; id. o, si sit defectus ex parte illius subjecti, etiam est connaturalis exigentia, ut ille defectus propiori quo potest modo suppleatur: sed ex parte quantitatis, in quam fuerunt introductæ dispositiones, est defectus, ut ex illa possit educi forma substantialis: ergo causæ naturales exigunt, ut iste defectus proximo modo suppleatur, quod fit conversione in materiam substantialem.

§. III.

Quando & quemadmodum accidentia contineant Corpus Christi?

QUæritur tertiò: Quandonam accidentia eucharistica desinant continere Corpus & Sanguinem Christi? 9

Respondeo primò: Accidentia eucharistica tamdiu continent Christum, quamdiu retinent illud temperamentum, cum quo connaturaliter panis & vini substantia permaneret; ut econtra, quando tanta fit temperamenti dissolutio, illorumque corruptio, ut sub iis substantia panis & vini naturaliter remanere non posset, desinunt continere Christum. Ita communis Theologorum cum S. D. a. 4. Cujus ratio est: Quamdiu veritas verborum consecrationis moraliter manet, tamdiu manet Corpus & Sanguis Christi: sed veritas verborum consecrationis tamdiu moraliter manet, quamdiu species manent in illo temperamento, in quo aliquando continebant, & naturaliter poterant continere corpus Christi: ergo. Nam verba significant, hoc contentum sub speciebus panis & vini esse Corpus & Sanguinem Christi: sed hæc veritas semper manet, quamdiu species servant illud temperamentum, ratione cujus verè possunt esse species panis & vini.

Respondeo secundò: Per solam mixtionem liquoris non consecrati cum speciebus consecratis non desinit sub speciebus vini esse Sanguis Christi. Ita communior Theologorum. Ratio est: quòd vi mixtionis solius non immutantur accidentia, ut naturaliter sub illis non possit consistere substantia vini: & colligitur ex c. *cùm Martha, de celebr. Miss.* ubi dicitur, si aliud vinum infundatur speciebus consecratis, non tamen esse 10

con-

consecratum, quoad partem de novo infusam. Unde cùm S. D. hîc a. 8. docet, consecrationem deperdi per mixtionem vini non consecrati, aut alterius liquoris, intelligendus est de tanta mixtione, ut ex illa solveretur temperamentum specierum ad conservandam vini substantiam necessarium.

11. Respondeo tertiò: Communem particulam laicis pro communione dari solitam, prout ex Medicorum Romanorum sententia refert Card. de Lugo n. 4. regulariter loquendo in mediocri stomacho non durare incorruptam ultra minutum, h. e. sexagesimam partem horæ; majorem verò hostiam cum speciebus vini ultra semiquadrantem horæ. Unde colliges, ab homine sano quadrante post sumptam communionem sine irreverentia licere sputa ejici, provocari phlegma, & horâ post eandem sumptam licitè vomitum concitari posse, si quis indigeat.

Respondeo quartò: Quando species miraculosè mutantur, ut si appareat forma carnis, pueri &c. distinguendum est: nam hæc apparitio aut fit uni tantùm, aut omnibus, aut permanenter, aut ad exiguum tempus. Si non omnibus, nec permanenter, signum est, mutationem tantùm esse ex parte oculi, non ex parte specierum. Si secundum, vel est tanta mutatio, ut non sit spes moralis, quòd remaneat dimensio & temperamentum idoneum ad conservandam substantiam panis; & tunc probabilius non remanet Corpus Christi: aut factâ immutatione circa colorem, figuram &c. censetur persistere dimensio & temperamentum substantiæ panis proprium, & tunc præsumitur remanere Corpus Christi. Ita colligitur ex S. D. hîc a. 18. 12.

ARTICULUS III.

De modo, quo Christus existit sub accidentibus eucharisticis.

SUMMARIA.

1. *Totus Christus continetur sub qualibet specie.*
2. *Vi verborum ponitur sub specie panis solum corpus, & sub specie vini solus sanguis.*
3. *Concomitanter ponitur anima quatenus dans gradum vitæ, divinitas,*
4. *Et Personalitas Verbi,*
5. *Persona Patris & Spiritûs S. quomodo sint in Eucharistia?*
6. *Concomitanter in Eucharistia sunt omnes perfectiones accidentales independentes à loco.*
7. *In quo formaliter consistat eucharistica præsentia Christi?*
8. *Christus tantùm per accidens localiter movetur in Eucharistia.*
9. *Est ratione statûs beatifici incapax corruptivæ passionis.*
10. *Est etiam incapax alterationis materialis ex eucharistico modo existendi.*
11. *Naturaliter non posset elicere sensationem.*
12. *Potest oculus corporeus per extraordinariam potentiam elevari ad videndum Corpus Christi.*
13. *Potuisset Corpus Christi in Eucharistia mori.*
14. *Frangi & dividi de corpore Christi tantùm dicitur ratione specierum.*
15. *Quando desinat corpus Christi esse sub speciebus eucharisticis?*

§. I.

Quid in Sacramento ponatur vi verborum.

1. QUæres primò: Quidnam in Sacramento Eucharistiæ vi verborum & formaliter, vel quid concomitanter ponatur? Certum est de fide ex definitione Trid. sess. 13. de Euch. cap. 3. quòd totus & integer Christus vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus inter sese copulantur, existat sub qualibet specie Eucharistiæ: *Verissimum est,* inquit citatum Concilium, *tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie & ejus partibus existit.* Ex quibus verbis clarè constat, totum Christum non tantùm sub quavis minima particula, quamvis illa post separationem non posset esse sensibilis, imò etiam sub indivisibilibus tam terminativis, quàm continuativis (supposito quòd dentur) existere: tota quippe Hostia constat ex istis omnibus, vel ut componentibus, vel ut unientibus, & substantia panis & vini sub iis omnibus existebat ante consecrationem; cùm ergo Christus totus sit sub tota Hostia, non minùs quàm priùs fuerit panis substantia, pariter erit sub omnibus minimis ipsius particulis, & indivisibilibus. Cæterùm, quia possunt aliqua, è quibus totus Christus constituitur, ex vi practicæ significationis ipsius formæ consecrationis, aliqua verò propter intimam conjunctionem partium inter se contineri in hoc Sacramento, quæritur hoc loco, quidnam ex vi verborum, vel quid concomitanter ratione conjunctionis in hoc Sacramento ponatur?

Respondeo primò: Ex vi verborum conse- 2. crationis seu ex vi Sacramenti formaliter in Eucharistia ponitur solum Christi Corpus sub speciebus panis, & solus Christi Sanguis sub speciebus vini. Ita cum S.D. a. 3. omnes Theologi; estque de fide definitum loc. cit. Trid. his verbis: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & divinitate, sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ &c.* Et ratio est, quòd illud ponitur ex vi verborum, quod significatur per verba consecrationis: sed una forma consecrationis significat, hanc substantiam esse Corpus Christi; altera significat, hanc substantiam esse Sanguinem Christi: ergo.

Ex quibus sequitur primò. Animam non alia ratione poni in hoc Sacramento ex vi verborum, nisi quatenus dat gradum corporis (quem suppono non conferri à forma corporeitatis vel formis partialibus) quatenus verò dat esse animatum & gradum vitæ, tantùm poni concomitanter: quo sensu accipiendum est Tridentinum. Et ita habet in terminis S.D. a.6. ad 2. Ratio patet: quia per corpus non potest intelligi sola materia prima, sed eadem ut informata per formam corporis: sed hæc defacto est ipsa anima Christi: ergo ut sic ponitur vi verborum. Sequitur secundò: si in triduo mortis, quando corpus Christi erat sub forma cadaverica, fuisset consecrata Eucharistia, nec vi verborum, nec concomitanter animam fuisse ponendam, uti nec sanguis sub speciebus panis, nec corpus sub speciebus vini fuisset concomitanter positum. Cujus ratio est ex dictis, quòd tunc corpus Christi non recepisset ab anima actum & gradum corporis; neque fuisset connexio & concomitantia inter corpus & sanguinem Christi. Sequitur tertiò. Animam ac divinitatem concomitanter sub utraque specie poni propter inseparabilem connexionem, quam habent cum corpore & sanguine Christi, & quia non significantur per verba consecrationis.

4. Respondeo secundò: Personalitas Verbi Divini non est ex vi verborum, sed per concomitantiam & ratione unionis hypostaticæ in Sacramento Eucharistiæ: Nam, primò, citatum Trident. asserit de solo corpore & sanguine Christi, quòd ex vi verborum in eucharistia contineantur: ergo alia non nisi per concomitantiam ibidem continentur. Secundò, quia illud est ex vi verborum formaliter in Eucharistia, quod directè & formaliter significatur per verba consecrationis: sed unio hypostatica & personalitas Verbi non directè & expressè significatur per verba consecrationis, sed ad summum connotativè: ergo

Neque dicas: Per ly *meum* in consecratione significatur corpus Christi quà tale, siquidem illud sacerdos profert in persona Christi: ergo vi verborum ponitur corpus Christi quà tale: sed corpus Christi quà tale est per hypostasin Verbi: ergo ipsa hypostasis formaliter ponitur ex vi verborum. Respondeo distinguendo antecedens: significatur corpus Christi quà tale, si ly *meum* accipiatur in sensu reduplicativo, concedo; in sensu specificativo, nego antecedens, & utramque consequentiam. Nam sensus verborum est: hoc contentum sub istis speciebus est corpus, quod est terminatum hypostasi Verbi: non verò quatenus est terminatum, ubi hypostasis non formaliter, sed connotativè significatur.

5. Respondeo tertiò: Persona Patris & Spiritûs S. licèt in hoc Sacramento sint modo & titulo speciali, non tamen sunt per concomitantiam rigorosè, & propriè dictam. Ratio primæ partis est: quia persona Patris & Spiritûs S. non tantùm sunt in Sacramento ratione immensitatis, quatenus unà cum Verbo Divino operantur omnes miraculosos effectus istius Sacramenti. Sed etiam quatenus intrinsecè uniuntur personæ Verbi per unitatem & identitatem essentiæ, quam Theologi circuminsessionem vocant, quâ fit, ut, si per impossibile personæ Patris & Spiritûs S. per identitatem non forent ubique, specialiter tamen essent præsentes in hoc Sacramento propter illam intimam & mutuam Divinarum personarum in se ipsis existentiam. Unde ratio secundæ partis est, quia concomitanter poni in hoc Sacramento illud dicimus, quod vel per physicam, vel hypostaticam unionem saltem mediatè conjungitur cum corpore & sanguine Christi: atqui istæ Divinæ Personæ non uniuntur etiam mediatè unione hypostaticâ corpori & Sanguini Christi: ergo. Dixi: *per concomitantiam rigorosè & propriè dictam*: quia nihil obstat, quin propter intimam præsentiam circuminsessionis in unione hypostatica fundatam etiam dicantur latiori modo concomitanter contineri in hoc Sacramento. quod indicâsse videtur S. Thomas opusc. 63. c. 2. dicens: *Quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc Sacrificium, totus Deus Pater cum Filio & Spiritu S. se totum ad fruendum exhibet.* Et: *Deus Pater in Eucharistia totum, quod ipse est, & habet cum Spiritu S. dedit.*

Respondeo quartò: In Eucharistia concomitanter sunt omnes perfectiones accidentales Christi à loco independentes: quia ut ex Trid. vidimus, illa sunt concomitanter in hoc Sacramento, quæ habent naturalem connexionem cum Corpore & Sanguine Christi: sed accidentia, ut quantitas, figura, organizatio accidentalis, habent connexionem naturalem cum Corpore Christi: ergo. Dixi, *à loco independentes*; quia, cùm in hoc Sacramento Corpus Christi sit modo indivisibili & incircumscriptivo, neque localis extensio, neque illa prædicata, quæ talem extensionem consequuntur, ut situs, locus, in Eucharistia reperiuntur. 6.

Neque dicas primò: Vi verborum ponitur Corpus Christi organizatum: sed non est organizatum sine accidentibus: ergo vi verborum ponuntur ipsa accidentia. Secundò: Corpus Christi in hoc Sacramento non est extensum: ergo neque quantum. Nam respondeo ad primum: Vi verborum ponitur Corpus Christi substantialiter & radicaliter organizatum, concedo; accidentaliter (quæ organizatio formaliter obtinetur per accidentia) nego. Ad secundum respondeo: Corpus Christi in Eucharistia non est extensum in ordine ad locum, concedo; in ordine ad se, nego.

§. II.

De modo præsentiæ Christi in Eucharistia.

Quæres secundò: Quæ & qualis sit formaliter præsentia in Eucharistia? 7.

Respondeo: Præsentia Christi in Eucharistia nihil dicit reale distinctum à Corpore Christi & speciebus consecratis, quatenus se mutuò connotantibus ipsamque actionem conversivam, & conservativam tum Corporis Christi sub speciebus panis, tum specierum sine subjecto. Ratio est: quòd, sicut in philosophia unio substantialis absque materiali entitate intermedia, tan-

tanquam essentialiter superflua & antiquis incognita, rectè intelligitur & salvatur per mutuam materiæ & formæ unà cum certis requisitis connotationem; ita etiam unio Corporis Christi cum speciebus eucharisticis, & consequenter etiam ipsius præsentiâ, absque tali entitate distincta per similem Corporis Christi & specierum, nec non actionis conversivæ &c. connotationem salvatur. Ideoque iisdem terminis argumenta à Modistis in præsenti objici solita solvuntur, quibus in Philosophia illa solvuntur, quæ pro unione modali proponuntur.

8. Quæres tertiò: An Christus in Eucharistia moveatur localiter?

Respondeo: Non moveri per se, h.e. ratione sui & motu directè terminato ad Corpus Christi; sed per accidens, h.e. ratione specierum, & motu per se terminato ad ipsas species. Hanc responsionem, simulque ejus rationem tradit S.D. q.76. a.6. his verbis: *Secundùm hoc esse* (intellige sacramentale) *non movetur Christus per se secundùm locum, sed solùm per accidens, quia Christus non est in hoc Sacramento sicut in loco; quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solùm ad motum ejus, in quo est.*

9. Quæres quartò: Possitne Christus in Eucharistia alterari, agere & pati?

Certum est primò: Christum in Eucharistia posse elicere actus intellectûs & voluntatis non necessariò dependentes à corporeis organis & actionibus materialibus. Certum est secundò: Corpus Christi de facto ratione statûs beatifici, & ut gloriosum, etiam in Eucharistia existens, non esse capax recipiendi corruptivam aliquam passionem, cùm ut sic sit impassibile; unde liquor rubeus, qui in historiis legitur, quandoque effluxisse ex Hostia, non fuit sanguis, sed merus liquor divinitùs productus ad repræsentandum sanguinem. Quæstio igitur est, an Corpus Christi quatenus existens in Eucharistia aliquas actiones materiales sive sensibiles sive alterativas per se primò elicere, aut, præscindendo à statu glorioso, recipere posset?

10. Respondeo primò: Corpus Christi, ut in Eucharistia existens, non potest recipere alterationem: quia alteratio est actio materialis per se requirens patiens extensum, ejusque contactum physicum: at Corpus Christi in Eucharistia non est modo extenso, nec tangi potest.

11. Respondeo secundò: Quamvis naturaliter loquendo Corpus Christi, ut in Eucharistia existens, non posset elicere sensationem, minùs aliquam alterationem (quippe naturâ suâ divisibilem & extensam) videtur tamen dependentia localis extensionis divinâ virtute suppleri. Ratio primi est, quia sensationes naturaliter indigent speciebus materialibus à modo extenso dependentibus: at Corpus Christi nullam habitudinem per se habet ad locum. Ratio secundi est: quippe, cùm nec Corpus Christi modo mortuo sit in Eucharistia, congruum est, ut in ordine ad exercendas sensationes illa dependentia extensionis localis divinitùs suppleatur.

Respondeo tertiò: Oculus corporeus non quidem de lege ordinaria, probabiliter tamen per potentiam extraordinariam elevari potest ad videndum Corpus Christi in Eucharistia. Ratio primi est: quia de via ordinaria deberent species à corpore Christi ad oculum transmitti, quod repugnat modo sacramentali existendi, quem Christus habet in Eucharistia. Ratio secundi est: quia nulla apparet repugnantia, quòd Deus in oculo producat species Corporis Christi ut colorati, siquidem etiam ut in Eucharistiâ existens retinet sua accidentia. 12.

§. III.

Corollaria.

Colliges primò: Quamvìs corpus Christi, ut in Eucharistia existens, non potuerit pati, tamen dolere & mori (si quo casu particula consecrata usque ad tempus mortis & passionis remansisset) potuisse. Cujus ratio est ex S. Doctore: quòd ea conveniant corpori Christi in Sacramento, quæ ipsi conveniunt secundùm quod in se est, & sic convenit vivere, mori, dolere, non autem illa quæ ipsi conveniunt per comparationem ad agens extrinsecum, ut irrideri, conspui &c. 13.

Colliges secundò: Illas locutiones, quibus dicitur corpus Christi frangi, dividi, cum sanguine misceri, tangi &c. utpote alterativam & materialem actionem significantes, esse figuratas, & de corpore Christi dici non nisi ratione specierum, quæ tanguntur, franguntur &c. 14.

Colliges tertiò: Tunc corpus Christi desinere esse sub speciebus eucharisticis, quando ad eum statum rediguntur, ut sub ipsis propria eorum substantia non ampliùs posset consistere. Ratio est: quòd Christus succedit sub speciebus loco propriæ ipsarum substantiæ, scilicet panis & vini; & ut sub ipsis sensibiliter significetur esse spiritualis animarum refectio: igitur mutato accidentium statu, ita ut non sint ampliùs apta continere propriam substantiam, neque habere illam significationem, etiam non ampliùs sub iisdem continetur corpus & sanguis Christi. 15.

DISPUTATIO XXXIII.

De sacra Communione.

Nunc agendum de ipsa sumptione S. Eucharistiæ, quæ à nobis catholicè Communio, Græcè Synaxis appellatur. De hac plura veniunt in quæstionem. Primò: Quanta & qualis sit necessitas illud accipiendi? Secundò: Sitne de necessitate præcepti divini, ut recipiatur sub utraque specie, prout volunt Novatores. Tertiò: Quænam dispositio tum ex parte animi, tum ex parte corporis requiratur ad illud ritè suscipiendum. Quartò: Quosnam effectus producat S. Communio?

ARTICULUS I.

Quanta sit necessitas sumendi Eucharistiam?

SUMMARIA.

1. *Quibus modis possit accipi necessitas in voto.*
2. *Eucharistia non necessaria necessitate medii in voto propriè sumpto.*
3. *Est necessaria in voto interpretativo & impropriè sumpto.*
4. *Authoritates objectæ exponuntur.*
5. *Obligantur præceptô divinô omnes baptizati adulti ratione præditi ad sumendam Eucharistiam.*
6. *Tempore mortis instantis,*
7. *Et aliquoties in vita.*
8. *Ecclesiastico præcepto iidem tenentur tempore paschali.*
9. *Quinam censeantur esse in articulo mortis in ordine ad petendum viaticum.*
10. *Non teneretur repetere viaticum, qui post illud relapsus est in mortale.*
11. *Redeunte periculo redit obligatio sumendi S. Viaticum.*
13. *Potest durante eodem periculo sæpiùs accipi.*
14. *Eadem die non debet bis sumi S. Viaticum.*
15. *Infirmus paulò antè communicatus non tenetur ad S. Viaticum.*
16. *Moribundo petenti probabiliter datur viaticum eâdem die, quâ ex devotione communicaverat.*
17. *Communio in periculo mortis omissa postea non debet suppleri.*
18. *Quomodo pueris & amentibus sit danda Eucharistia in articulo mortis?*
19. *Quid intelligatur per tempus paschale?*
20. *Quando pueri obligentur præcepto ecclesiastico?*
21. *Quid dicendum de amentibus, mutis & surdis.*
22. *Potest communio paschalis differri ex consilio proprii Sacerdotis.*
23. *Sacrilegâ communione non satisfit præcepto Ecclesiæ.*
24. *An impeditus tempore paschali teneatur prævenire?*
25. *Communio paschalis est accipienda à proprio Sacerdote.*

§. I.

Sitne hoc Sacramentum de necessitate medii?

1. PRænotandum. Eucharistiam esse *necessariam in voto*, duplici modo posse intelligi: nimirum vel in voto propriè, vel impropriè accepto. Votum impropriè dictum, quod etiam implicitum, tacitum, & interpretativum appellant, est quædam habitualis propensio ad receptionem Eucharistiæ, tanquam ulteriorem finem & perfectionem, ad quem omnia cætera Sacramenta ordinantur. Hoc posito sit

2. CONCLUSIO prima. *Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ut percipiendum in re, vel in voto propriè dicto.* Ita comm. DD. cum S. D. q. 78. a. in c. Ratio est: quia illud est necessarium necessitate medii, sine quo salus æterna obtineri non potest: sed potest obtineri salus æterna sine Sacramento Eucharistiæ percepto in re, vel in voto. ergo. Minor probatur: nam de parvulis constat ex praxi, & Trid. sess. 21. c. 4. dicente: Parvulos usu rationis carentes nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem. De adultis probatur tum ex eadem Ecclesiæ praxi, quæ phreneticis & vomitum patientibus in mortis articulo propter periculum indecentiæ non dat Eucharistiam: tum ex eo, quia etiam adulti, si post Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ debitè receptum moriantur, consequuntur salutem, utpote in gratia sanctificante constituti. Quòd neque in voto sit necessarium, ostenditur primò: quia necessitas voti fundatur in necessitate ipsius Sacramenti; cùm ergo Sacramentum Eucharistiæ in re non sit necessarium, etiam non potest esse necessarium in voto. Secundò: quia vel esset necessarium in voto, quòd sine illius voto non possit obtineri prima gratia, vel non possit haberi finalis perseverantia. Non primum: quia Eucharistia est Sacramentum vivorum, per se non ordinatum ad conferendam primam gratiam: non secundum, quia tam potentia perseverandi, quàm ipsa actualis perseverantia non obtinetur per votum Eucharistiæ, sed per auxilium speciale Dei.

CONCLUSIO secunda: *Sacramentum Eucharistiæ in voto impropriè accepto est omnibus necessarium necessitate medii ad salutem.* 3.

Ita sentire videtur, juxta communem expositionem ejus Interpretum, D.Th.q.79.a.1. ad.1. dicens: *Nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus Sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti; vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli.* In quem sensum pariter exponunt illud Joan.6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ratio est: Quisquis recipit aliquod medium intrinsecè ordinatum ad aliquem finem, ille interpretativè habet votum (impropriè tale) ipsius finis: sed est necessaria necessitate medii ad salutem receptio alicujus medii intrinsecè ordinati ad Eucharistiam tanquam ad finem: ergo etiam votum Eucharistiæ impropriè & interpretativè tale est necessarium necessitate medii ad salutem. Minor probatur: Susceptio Baptismi in re vel in voto est necessaria necessitate medii ad salutem: sed ista ordinatur ab intrinseco ad Eucharistiæ Sacramentum tanquam medium ad finem, & tanquam inchoata unio cum Christo per gratiam ad consummatam & perfectam unionem in receptione Eucharistiæ.

Dices

4. Dices primò: D. Augustinus *l. 1. contra 2. epist. Pelagii* dicit: *Neminem etiam parvulum posse salvari, nisi fuerit particeps Corporis & Sanguinis Christi*: ergo Eucharistia non tantùm est de necessitate præcepti, sed etiam medii. Secundò. Sicut Joan. 3. Christus de Baptismo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest intrare in regnum Dei;* Sic pariter Jo. 6. dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*: ergo, sicut ex priori præcepto colligitur necessitas medii, sic etiam ex secundo.

Respondeo ad primum: S. Patrem loqui non de reali participatione, sed de spirituali participatione quoad rem significatam & gratiam Sacramenti: unde alio loco dixit: *Crede, & manducasti.*

Ad secundum nego consequentiam: quia licèt utrobique sit idem modus loquendi, diversificatur tamen secundùm subjectam materiam. Nam in primo loco cadit supra materiam, quæ est necessaria ad tollendum peccatum, & primam gratiam adipiscendam; ideoque denotat necessitatem medii. In secundo verò loco cadit supra materiam, quæ supponit peccatum jam fuisse ablatum, & recipientem justificatum; ideoque tantùm denotat necessitatem præcepti.

§. II.

Exponitur necessitas præcepti.

5. CONCLUSIO tertia. *Præcepto divino obligantur omnes baptizati adulti usu rationis præditi ad sumendam communionem in articulo mortis, & aliquoties in vita.*

Prima pars de absoluta obligatione constat ex verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba cùm propter gravis pœnæ comminationem significent obligationem & necessitatem sumendi carnem Christi, neque possint significare necessitatem medii, ut ante ostensum est, sequitur quòd significent necessitatem præcepti divini.

6. Ratio secundæ partis est: quia cùm hoc Sacramentum sit institutum primariò ad conservandam vitam gratiæ, eo maximè tempore obligare censetur, quo maximè necessaria est conservatio gratiæ: sed illa est maximè necessaria in articulo mortis: ergo.

7. Ratio tertiæ partis est: quia Christus præcepit Eucharistiam, tanquam cibum spiritualem: sed cibus non est semel sumendus, sed sæpiùs: quod tamen tempus cùm non sit determinatum, ideo videtur Ecclesia per paschalis communionis præceptum annuum tempus determinâsse, quo simul divino præcepto satisfieri possit.

8. CONCLUSIO quarta: *Præcepto ecclesiastico tenentur omnes baptizati adulti, sufficienti usu rationis præditi sumere Eucharistiam semel in anno, idq; in Paschate.* Constat ex *c. omnis utriusq; sexus. de pœnit. & remiss.* Et ex Trid. *sess. 13. de Euch. can. 9.* Cæterùm nomine Paschatis hoc loco non intelligitur sola dies Resurrectionis, sed etiam dies antecedentes & consequentes, & de jure quidem communi quindecim dies à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè; de jure verò consuetudinario plures etiam septimanæ juxta determinationem Episcoporum.

Dixi primò, *omnes baptizati*; nam catechumenos nondum baptizatos probabilius est hoc divino præcepto non obligari; siquidem Eucharistia ex sua natura non exigit sumi, nisi ab homine baptizato.

Dixi secundò, *adulti, & sufficienti rationis usu præditi*: quia sicut institutio, sic obligatio hujus Sacramenti, illos respicit, qui possunt mortem Domini annunciare & in memoriam revocare, quod non possunt nisi adulti usu rationis præditi. Unde Trid. *sess. 21. c. 4.* affirmat, parvulos rationis usu carentes (idem est judicium de amentibus) ad Eucharistiæ sumptionem non obligari.

§. III.

Dubia practica circa obligationem in articulo mortis expediuntur.

QUæres primò: Quisnam censeatur constitutus in articulo mortis, ut teneatur viaticum petere? 9.

Respondeo: Intelligi primò illos, quibus mors certò secutura impendet, sive ex ægritudine, sive ex violentia, uti sunt, qui extremo supplicio sunt afficiendi. Secundò: Illos, quibus imminet probabile periculum mortis, undecunque eveniat, sive ex prælio & conflictu, sive ex longo & periculoso itinere, sive puerperio: nam probabile mortis periculum non minùs obligat ad curam salutis, quàm mortis inevitabiliter instantis certitudo. Tertiò ex mente Theologorum S. Galli & Clariss. Oberascher probabiliter divino præcepto obligantur sumere S. Synaxin, qui probabiliter prævident, se deinceps totâ vitâ non habituros occasionem eandem sumendi, nam & illi quodammodo æquiparantur constitutis in mortis periculo.

Quæres secundò: An teneatur iteratò sumere viaticum in mortis articulo, vel periculo, qui post illud sumptum peccavit mortaliter? 10.

Respondeo negativè: jam enim satisfecit præcepto sumendi viaticum, &, si urgeret obligatio viatici ratione novi peccati, contingere posset, ut aliquis eodem die sæpius teneretur viaticum sumere, quod est contra sensum communem DD. & praxin Ecclesiæ. Nihilominus ægrotus consultò faciet, si præter contritionem & confessionem peccati commissi, periculo diutiùs durante, denuò viaticum sumat.

Quæres tertiò: An constitutus in mortis articulo vel periculò, teneatur etiam non jejunus sumere Eucharistiam? 11.

Respondeo teneri, si aliter sumere nequeat; imò, ut cum Tamburino aliisque docet Magnif. Petschacher, si infirmus præ nimia faucium siccitate non posset S. Hostiam deglutire, posset illam vino, aliòve liquore intinctam Sacerdos porrigere.

12. Quæres quartò: An, si, postquam æger evasit mortis periculum, in hoc recidat, teneatur rursus accipere viaticum?

Respondeo cum communi affirmativè, quia finis intrinsecus præcepti est bona præparatio ad transitum ex hac vita: cùm ergo rursus instet transitus ex hac vita, rursus urget præceptum se per sumptionem viatici præparandi ad illum.

13. Quæres quintò: An diutiùs durante eodem periculo sæpius accipi possit viaticum?

Respondeo posse, quamvis non sit obligatio: multum enim hoc Sacramentum confert ad augendas animæ vires, estque Sacramentum suâpte naturâ iterabile. Sed

Quæres quintò: Possetne eodem die Eucharistia bis accipi, semel per modum simplicis communionis, & postea per modum viatici, e. g. in casu, quo Sacerdos post Sacrum manè celebratum vesperi incidat in periculum, vel articulum mortis?

14. Respondeo primò: Non potest eâdem die bis sumi S. Eucharistia per modum viatici, quia hoc repugnat ecclesiastico præcepto non sæpius, quàm semel sumendi eâdem die S. Synaxin, ut docet communis DD.

15. Respondeo secundò: Si æger eâdem die, vel non multis diebus ante mortis periculum S. Eucharistiâ est refectus, non tenetur rursus accipere Eucharistiam per modum viatici: quia cùm ipsa Eucharistia habeat ab intrinseco rationem rationem & virtutem viatici, illam ægroto significanter conferre censetur, quando ipsius sumptio non diu antè præcessit.

16. Respondeo tertiò: Quamvis communior sit DD. sententia, non esse præbendum vesperi viaticum ægroto, qui Eucharistiam manè & eâdem die ex devotione receperat, ob dictas rationes, tamen præberi posse petenti ægroto, si scandalum absit, non improbabiliter tenent, Diana, Gobat, Reverendissimus Oberascher, pluresque DD. qui etiam testantur, à piis & doctis viris ita quandoque in praxin fuisse deductum: cùm enim rigor præcepti ecclesiastici, quo non jejunis vetatur S. communio, cedat non tantùm necessitati præcepti Christi de sumendo viatico, sed etiam commodo spirituali morientium, ita ut hoc S. Viaticum non tantùm semel ex præcepto, sed sæpiùs ad majus spirituale solatium ab ægrotantibus non jejunis accipi possit, videtur istius quoque ecclesiastici præcepti rigor de non sæpiùs communicando eâdem die cedere spirituali commodo & solatio illorum, qui in mortis articulo sine ulteriori spe S. Viaticum recipiendi sunt constituti.

Dices contra secundam responsionem: Præceptum est, ut in articulo mortis Eucharistia sumatur per modum viatici, sed qui priùs ex devotione communicavit, nihil cogitans de mortis articulo, non accepit Eucharistiam per modum viatici: ergo ad præceptum implendum adhuc tenetur illam per modum viatici recipere.

Respondeo: Est præceptum &c. per modum viatici vel explicitè ex vi præviæ intentionis, vel implicitè ex vi ipsius Eucharistiæ propter præviam paulò antè sumptionem sufficienter præparantis ad transitum ex hac vita, concedo; semper ex vi præviæ intentionis, nego; sicuti communis Ecclesiæ sensus & praxis comprobat.

Quæres septimò: An S. Communio in periculo mortis omissa, postea cessante illo periculo sit supplenda? 17.

Respondeo negativè: quia obligatio præcepti tantùm est pro mortis periculo: quo proinde sublato finitur etiam obligatio. Licèt igitur, si communio fuerit culpabiliter omissa, sit obligatio illam omissionem per Sacramentum pœnitentiæ expiandi, non tamen est obligatio illam per consequentem communionem supplendi, quippe quæ non ampliùs est præparatio ad transitum ex hac vita instantem.

Quæres octavò: Quibus in mortis articulo sit præbendum viaticum? 18.

Respondeo primò: Pueris in articulo mortis tradendum est viaticum, tametsi antè nunquam communicaverint, quicunque per ætatem sunt doli & absolutionis pœnitentialis capaces: uti insinuat S. Th. q. 80. a. 9. & tenet communis DD. tunc enim valet illa regula *cap. penult. 26. q. 6. Cui Sacramentum pœnitentiæ conceditur, neque Eucharistiæ Sacramentum negari debet, si desideret.* Atque ita suadet summa Sacramenti utilitas, in cujus perceptione nullum periculum irreverentiæ subesse supponitur.

Respondeo secundò: Surdis & mutis à nativitate, in quibus aliqualis usus rationis deprehenditur, quique per nutus & signa sacramentalis absolutionis se capaces reddunt, in mortis articulo S. Eucharistiâ muniri debent. Ita Layman, aliique: quamvis enim ejusmodi homines non habeant distinctam notitiam de dignitate hujus Sacramenti, plerumque tamen habent confusam, & ex conversatione cum aliis hominibus apprehendunt, subesse aliquod mysterium sacrum, quod tanta cum reverentia sumitur; nec esse cibum corporalem, sed spiritualem. Sed quid si etiam foret à nativitate cæcus? Respondeo cum Reverendiss. Oberascher: tunc Eucharistiam non esse porrigendam, cùm ex nullo signo deprehendi possit, quòd confusam hujus Sacramenti notitiam, aut interpretativam ejus recipiendi voluntatem habeat.

Respondeo tertiò: Amentibus, si absit periculum irreverentiæ, danda est Eucharistia in articulo mortis, si antecedenter sufficienti rationis usu fuerunt præditi, & nisi constet, eos in statu peccati mortalis constitutos absque spe, vel signis pœnitentiæ in amentiam incidisse. Ita cum Suar. Layman, aliisque Oberascher cap. 1. §. 8.

Ratio est: quòd ejusmodi amentes censeantur habere voluntatem recipiendi omnia media necessaria ad salutem, inter quæ cùm sit Eucharistia, etiam illius recipiendæ saltem interpretativam habent voluntatem: possunt etiam per sumptionem Eucharistiæ gratiam justificationis percipere, si fortè aliquo peccato mortali ob imperfectam contritionem non satis expiato ignoranter essent obstricti.

§. IV.

§. IV.

Expediuntur quædam dubia de Paschali Communione.

19. Quæres primò: Quid per tempus paschale intelligatur?

Respondeo. Tametsi jure communi ex declaratione Eugenii IV. per tempus paschale intelligantur 14. dies, qui fluunt à Dominica palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, nunc tamen intelligi totum illud tempus tam ante, quàm post Pascha quod ab ordinariis locorum pro paschali tempore juxta locorum exigentiam determinatur.

20. Quæres secundò: Quandonam pueri obligentur præcepto communionis paschalis?

Aliqui septennium, aliqui decennium pro hujus obligationis initio determinant, ducti paritate Sacramenti pœnitentiæ, cujus post septennium puer capax esse præsumitur. Sed Respondeo cum præcitato Oberascher, ordinariè puerum ante decennium non obligari ad Communionem paschalem: cùm enim Sacramentum Eucharistiæ sit minoris necessitatis & majoris dignitatis, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, sitque mysterium multò sublimius magisque reconditum, major discretio, seu usus rationis ad Eucharistiæ, quàm pœnitentiæ perceptionem requiritur: ad hanc quippe non requiritur major usus rationis, quàm qui sufficit ad peccandum mortaliter. Ad receptionem verò Eucharistiæ requiritur cognitio dignitatis & substantiæ hujus mysterii atque conveniens devotio ac præparatio: ideoque videtur prudentiæ parentum & instructorum relinquenda determinatio, an & quando ad Eucharistiæ perceptionem sint admittendi.

21. Quæres tertiò: An amentes, fatui, muti & surdi sint obligati præcepto communionis paschalis?

Respondeo. Juxta inæqualitatem usûs rationis inæqualem fore obligationem ejus obligationis: unde siqui habeant lucida intervalla, vel tantùm sint semifatui, & possint per sufficientes nutus sua peccata exprimere, & subjicere clavibus, sunt adducendi ad Communionem paschalem. Ita Magnif. Petschacher q. 1. a. 3.

22. Quæres quartò: An obligatus ad communionem paschalem eandem ex consilio proprii Sacerdotis licitè differre possit?

Respondeo posse: Hæc enim facultas ex rationabili causa concedendi licentiam, communionem paschalem differendi, proprio Sacerdoti competit. ex *c. omnis utriusque sexûs de pœnit. & remiss.*

Quæres quintò: An per sacrilegam communionem satisfiat præcepto Communionis paschalis? 23.

Respondeo negativè: quamvis enim opposita sententia aliquando habita fuerit probabilis, nunc tamen est reprobata declaratione Innocentii XI. num. 55. Ratio est: Ille non satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui non ponit actum ab Ecclesia præceptum: sed qui in Paschate sacrilegè communicat, non ponit actum ab Ecclesia præceptum, sed potiùs contrarium; is enim non est physica tantùm sed moralis manducatio Corporis Domini, quæ includit voluntatem verè & religiosè recipiendi. de quo multa Cardenas dissert. 34. c. 2. a. 7.

Quæres sextò: An qui prævidet, se tempore paschali impediendum fore à S. Communione, teneatur tempus præscriptum communicando prævenire? 24.

Respondeo. Si antecedenter jam semel communicavit, vel probabiliter habiturus est occasionem communicandi post tempus paschale, non tenetur priùs communicare: vel enim esset obligatus præcepto communionis, ut est annua, vel ut est paschalis. Non ut est annua, quia sic satisfacit præcepto, quocunque tempore semel in anno communicet: non ut est paschalis, quia illa est alligata tempori paschali, eoque solùm tempore expletur. Porrò si antea nondum communicâsset, ac prævideret, nullam deinceps totô annô fore occasionem communicandi, teneretur communionem præmittere, non ex obligatione communionis ut est paschalis, sed ut est annua: quia ut sic obligatio stat pro toto anno. Layman l. 5. tr. 4. c. 5. n. 9. Similiter qui paschalem communionem sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisit, tenetur postea eodem adhuc anno communicare ad implendum præceptum comunionis annuæ, quando ante tempus paschale non communicavit.

Quæres 7. A quonam peti & accipi debeat paschalis communio? 25.

Respondeo, esse accipiendum à proprio Sacerdote, vel alio de licentia ipsius expressa, vel præsumpta & interpretativa, prout infrà de ministro dicendum recurret.

ARTICULUS II.

An laici obligentur communicare sub utraque specie.

SUMMARIA.

1. *Laici non habent obligationem communicandi sub utraq; specie.*
2. *Ecclesia Laicis justè interdicit usum calicis.*
3. *Ecclesia habuit gravia motiva hoc faciendi.*
4. *Necessitas sumendi calicem non est fundata in aliquo præcepto Christi.*
5. *Probatur ex figuris veteris testamenti.*
6.7. *Item ex doctrina & exemplo Christi ac primitiva Ecclesia.*
8. *Respondetur ad præcipuum locum ex Joan. 6.*
9. *Alter locus Matth. 26.* Bibite ex hoc omnes, *exponitur.*
10. *Non omnia sunt in præcepto, de quibus Apostolus dicit:* Tradidi vobis.
11. *Exponitur decretum Gelasii Papæ.*
12. *Eucharistia, etsi sub utraq; specie sit instituta, non ideo est instituta, ut sic sumatur.*
13. *Fideles non defraudantur per subtractionem calicis.*

§. I.

Veritas Catholica.

1. CONCLUSIO prima: *Laici non tenentur communicare sub utraque specie.* Ita definitum est in Trid. *sess. 21. de commun. c. 1. & can. 1.* ubi sic loquitur: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

Ratio: Si quod esset præceptum Divinum, quo laici obstringerentur ad Eucharistiam sumendam sub utraque specie, illud contineretur in S. Scriptura: sed non continetur, uti patebit tam ex probationibus sequentis conclusionis, quàm ex solutione objectionum.

2. CONCLUSIO secunda. *Ecclesia justè potest laicis prohibere usum calicis.* Ita omnes Catholici contra Sectarios nostri temporis.

Probatur primò. Ecclesia habet authoritatem circa accidentales ritus Sacramentorum statuendi aliquid & mutandi, prout ex gravibus motivis & circumstantiis locorum & temporum pro bono communi expedire judicaverit: atqui communicare sub una tantùm vel sub utraque specie est aliquid non ad essentiam sed ad ritum accidentalem Eucharistici Sacramenti pertinens: & Ecclesia habuit gravia motiva usum calicis laicis auferendi: ergo Ecclesia pro ratione temporum ex gravibus motivis potest modò permittere, modò prohibere laicis communionem sub utraque specie. Major constat tum è praxi antiqua Ecclesiæ, quæ pedum lotionem à Christo S. Communioni præmissam, & Apostolis traditam ob rationabiles causas intermittit, sicut & aliquas unctiones in Sacramento extremæ unctionis, tum è praxi ipsorum Acatholicorum, qui in Baptismo exorcismum pro libitu omittunt. Prima pars minoris, in qua est potissima vis controversiæ, probatur: quia si totus Christus æquè continetur sub una, quàm sub utraque specie, non potest usus calicis esse de essentia Sacramenti: atqui totus Christus æquè continetur sub una, quàm sub utraque specie, ut suprà ostensum est: ergo usus calicis non est de essentia Sacramenti. Amplior confirmatio hujus partis habebitur per sequentes probationes.

3. Porrò altera pars minoris, quòd videlicet Ecclesia habuerit gravia motiva prohibendi usum calicis, constat ex Concil. Constant. c. 13. ubi variæ causæ enumerantur: primò periculum effusionis, quæ in magna hominum multitudine vitari vix potest. Secundò: quia abstemii ne guttam quidem vini possunt percipere, plures etiam ægroti non sine gravi nausea & periculo vomitûs. Tertiò: maxima in quibusdam partibus vini penuria. Quartò: uniformitas tenenda in Ecclesia. Quintò: infractio hæreticæ pertinaciæ urgentis usum calicis tanquam necessarium ad salutem. Unde sicut olim sub Summis Pontificibus Leone & Gelasio Ecclesia præcepit usum utriusque speciei, contra hæresin Manichæorum condemnantium vini speciem, ita contra Hussitas in Concil. Constant. & contra recentiores hæreticos in Tridentino speciem vini laicis sustulit, eò quòd sicut priores hæretici Manichæi usum utriusque speciei tanquam illicitum; sic posteriores unius speciei usum veluti illicitum hæreticè damnarent.

Probatur secundò: Si usus calicis esset de substantia Sacramenti Eucharistiæ, & necessarius ad salutem, hoc haberetur ex institutione & præcepto Christi: sed nullum datur divinum jus & præceptum, quo omnes fideles etiam Laici obligentur ad sumptionem calicis: ergo. Minor probatur: Quando figuræ veteris testamenti, varia Script. loca, exemplum Christi, Apostolorum & primorum Christianorum, denique sensus & usus Ecclesiæ antiquæ sumptionem unius speciei ut sufficientem agnoscunt, non potest divinum præceptum esse in contrarium: sed ita se res habet: unde tam minor quàm nostra assertio Catholica. 4.

Probatur tertiò: Figuræ hujus Sacramenti fuerunt lignum vitæ, agnus paschalis, manna deserti, quæ nullam potûs mentionem continent: ergo etiam ipsum Sacramentum Eucharistiæ per illas figuras significatum, quantumvis in ratione perfecti convivii & explicatiori significatione habeat & habere possit adjunctam speciem vini, non tamen necessariò continet, & æquè suum præstat effectum sub una, quàm sub utraque specie. 5.

Probatur quartò ex doctrina & exemplo tum Christi, tum Apostolorum & primorum Christianorum. nam primò Christus in suo eucharistico sermone Joan c. 6. de potu quinquies, de pane tamen decies mentionem fecit. *Hic est* (inquit absque mentione potûs) *panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.* V. 50. & 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum,* ubi totalis effectus hujus Sacramenti, nempe vita æterna, soli manducationi tribuitur. Similia reperit v. 52. & 58. Exemplo verò Christus docuit sufficere communionem sub una specie, cùm Luc. 24. in castello Emauntis sese discipulis cognoscendum dedit in fractione panis: ita enim locum illum interpretantur Hier. in epitaph. Paulæ. August. l. 3. de consens. Evang. c. 25. Chrysost. ho. 17. op. imperf. in Matth. Item Beda, Euthymius, Theophylactus ad Lucæ c. 24. In Actis quoque Apostolorum c. 2. v. 42. refertur, quòd novi Christiani *erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus,* quæ fractio panis absque addita mentione calicis sæpius repetitur c. 20. & 27. nec per illam SS. Doctores & primitivæ Ecclesiæ PP. aliud, quàm eucharisticam communionem intelligunt. Tandem etiam D. Paulus Apostolus 1. Cor. 11. sub disjunctione, *Quicunque,* inquit, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini:* ubi haud dubiè etiam mentionem calicis addidisset, si promiscuus illius usus omnibusque communis in Ecclesia fuisset. 6.

Probatur quintò ex antiquo & communi usu & sensu Ecclesiæ. S. Irenæus in ep. ad Victorem Papam, Orig. ho. 13. in Exod. Cypr. l. de lapsis serm. 5, Basilius, Ambr., Hieron. pluresque 7.

relati

relati à Reding differt. 7. de Euch. n. 15. testantur, antiquissimis temporibus Sacramentum Corporis Christi sub specie panis, non vini, traditum fuisse fidelibus, præsertim solitariè degentibus, ut illud domum deferrent, seque ipsos communicarent, & de hoc plura exempla commemorant: ut primò, quod Sozom. l. 8. hist. c. 5. & Niceph. l. 13. c. 7. referunt, cùm mulier quædam Macedonianæ hæresi addicta, ut Catholicam Religionem simularet, cum aliis fidelibus Ecclesiam accedens Sacramentum Corporis Christi in manus accepisset, seque inclinans loco ipsius panem communem ori imposuisset, mox illum panem in lapidem fuisse conversum; quo prodigio illa commota D. Chrysostomo rem omnem aperuit, & hæresin ejuravit. De D. Serapione refert Dionys. Alex. apud Cottonum, cùm ipsi supremùm ægrotanti Sacerdos morbo impeditus sacram Corporis Christi particulam non posset offerre, misisse per puerum, qui cùm illam ori ejus imposuisset, mox beatum senem spiritum reddidisse: ubi rursus nulla de calice mentio. D. Basilius apud Cottonum cit. in quadam ep. testatur, tempore persecutionis longo usu confirmatum fuisse, ut suis quisque manibus Angelorum pane, quem domi servabat, se pasceret: utque solitarii eremicolæ, ubi Sacerdos non erat, Communionem domi servantes à seipsis acciperent. Paulinus Presbyter Mediolanensis refert, Honoratum, cœlitùs compellatum, Corpus Dominicum D. Ambrosio moribundo attulisse, quo ille accepto è vita migravit. D. Gregorius M. l. 3. dial. c. 3. Agapitum post peractum Sacrificium, cùm muto cuidam divinum corpus in os misisset, ejus linguam confestim solvisse. Beda Ven. l. 4. hist. Anglic. c. 14. memorat, cùm ad ægrum quendam puerum de Dominicæ oblationis Sacrificio particula delata fuisset, illâ piè acceptâ, è corporis custodia evolâsse. Hæc & plura alia, de solo Corporis Dominici Sacramento sub una specie panis accepto, vide apud relatum Cottonum.

§. II.

Solvuntur argumenta hæreticorum.

8. OBjiciunt primò illud Joan. 6. v. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ubi præceptum divinum non tantùm ad carnem manducandam, sed etiam ad sanguinem bibendum extenditur à Christo.

Respondeo: Proponi illo loco præceptum sumendi suum Corpus & Sanguinem, non tamen determinari modum, quo sumi debeat, an sub una vel utraque specie? nam illius propositionis sensus cùm sit de se indifferens, ut faciat sensum collectivum vel disjunctivum, ex aliis textibus genuinus sensus ab Ecclesia Catholica colligitur & declaratur. Constat autem, quòd post præcitata verba Christus de sola specie panis & de sola manducatione subjunxerit: *Qui manducat me, vivet propter me, &, qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* ubi tam bene effectus vitæ æternæ promittitur sumenti Christum sub specie panis, quàm sub utraque; quod fieri non posset, si utraque species collectivè foret de necessitate præcepti. Ita sentit & loquitur Trident. sess. 21. c. 1. Insuper D. Paulus Apostolus 1. Cor. 11. disjunctivè loquens: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini,* apertè monstrat, ad copulativè participandum corpus & sanguinem Domini, alterutrius speciei sumptionem sufficere.

Objiciunt secundò illud Matth. 26. v. 27. 9.
Bibite ex hoc omnes: ergo, inquiunt, omnes, non tantùm Apostoli & Sacerdotes, debent de calice bibere.

Respondeo negando consequentiam: non enim Τὸ omnes apud Matth. aliter sonat quàm apud Marcum c. 14. *Et biberunt ex eo omnes:* sed certum est, tantùm bibisse Apostolos, qui tunc recenter Sacerdotes fuerunt initiati: ergo etiam in priori loco per Τὸ *omnes* intelligebantur Apostoli & Sacerdotes. Neque potest ex ulla Scriptura probari, quòd tunc per Apostolos omnes fideles fuerint repræsentati potiùs quàm Sacerdotes.

Objiciunt tertiò illud Apostoli 1. Cor. 11. 10.
Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: ubi Apostolus institutionem Eucharistiæ sub utraque specie recensens dicit, se hoc Corinthiis *tradidisse*, adeòque præcepisse. Sed

Respondeo: Sicut Apostolus non accepit præceptum divinum, ita nec tradidisse aliquod præceptum, neque præcepisse de sumptione utriusque speciei. Gratis quoque & falsò asseritur, quòd per Τὸ *tradidi* significetur præceptum, sed tantùm doctrina & instructio, veluti patet ex simili loco Apostoli in ead. ep. c. 15. *Tradidi vobis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.*

Dices primò: Apostolus præceptivè loquitur: *De pane illo edat, & de calice bibat.* Respondeo: Esse præceptum conditionatum, quo præscribitur modus sumendi hoc Sacramentum in hoc sensu: *Nemo accedat ad edendum de hoc pane, & bibendum de hoc calice, priusquam seipsum probaverit.* Nam verba Apostoli sunt: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* quemadmodum si diceres alicui, priusquam comedas, manus lava.

Dices secundò: Apostolus ibidem addit verba: *Hoc facite*; quæ præceptum sonant. Sed Respondeo: Illa verba non esse Apostoli, sed Christi, quæ ab Apostolo historicè referuntur, &, si quid probarent, probarent, quòd sola species panis fuerit à Christo præcepta; quia hæc verba tantùm inveniuntur apud Lucam c. 23. prolata post speciem panis ante institutam speciem calicis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Et quamvis Paulus Apostolus ista referat etiam post speciem vini, facit hoc tamen limitatè & sub conditione libertatis: nempe, *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem:* eo modo, sicut si dicerem: *Dono tibi hoc poculum aureum, ex quo, quotiescunq; volueris bibere, bibes in meam sanitatem;* ubi nullum est præ-

præceptum absolutè bibendi, sed bibendi in sanitatem, ex suppositione, quòd liberè velis ex illo poculo bibere.

11. Objiciunt quartò constitutionem Gelasii Papæ, qui Leoni I. successit, relatam in Decreto Gratiani *c. comperimus. de consecr. dist. 2.* quâ præcipitur sumptio utriusque speciei. Sed Respondeo: Illud decretum Gelasii præsupponere antiquam consuetudinem in Ecclesia Latina communicandi in una specie: non enim ideo tulit hoc decretum, quòd censeret illicitam esse Communionem sub una specie & institututioni Christi contrariam, sed quia Manichæi vinum tanquam creaturam malam, & consequenter etiam Communionem sub specie vini detestantes (ut habet D. August. l. de hæres. c. 46. & D. Leo serm. 4. de Quadragesima) (Romam venienres) sese Communioni fidelium miscebant, ut tutiùs laterent: qui proinde ut à fidelium cœtu arcerentur, Gelasius legem tulit, quâ fideles etiam ad calicem sumendum jubebantur accedere: quâ ratione nunc cessante, & multis aliis inconvenientibus occurrentibus, æquè potuit Ecclesia promiscuum usum calicis in Ecclesia tollere.

12. Objiciunt quintò: Sacramentum Eucharistiæ sic est sumendum à fidelibus, prout est institutum à Christo: sed est institutum in utraque specie: ergo pariter sic est sumendum. Respondeo primò distinguendo majorem: est sumendum, prout est institutum, ut sumant, concedo; ut est simpliciter institutum, nego. Sed est institutum in utraque specie absolutè, & simpliciter, concedo; est institutum, ut omnes fideles sub utraque specie sumant, nego minorem & consequentiam. Vel subdistinguo minorem: est institutum sub utraque specie, & ut sic collectivè sumatur ab omnibus fidelibus, nego; ut disjunctivè vel sub una, vel sub utraque, concedo minorem: & similiter distincto consequente, nego consequentiam. Respondeo secundò: Sacramentum Eucharistiæ sic est sumendum, prout est institutum, quoad substantialia sumptionis, concedo; quoad accidentalia, nego: & sic distinctâ minore nego consequentiam.

Si dicas: Eucharistia sub utraque specie est instituta pro omnibus: ergo sic etiam sumi debet ab omnibus. Respondeo primò negando consequentiam: nam & matrimonium est institutum pro omnibus, nec tamen omnes obligat; aliud quippe est institutio, aliud obligatio. Respondeo secundò distinguendo antecedens: Eucharistia sub utraque specie est instituta pro omnibus, ut offerenda pro omnibus, concedo; ut sumenda ab omnibus, nego.

Objiciunt sextò. Sequitur ex Catholica & nostra sententia, fideles defraudandos esse integro Sacramento, & nobilissimâ parte hæreditatis, nempe sanguine Domini. Sequela utraque probatur: namque in nostra doctrina totum Sacramentum æquè reperitur & sumitur in una, quàm in utraque specie: ergo, cui una species aufertur, totum Sacramentum aufertur. Deinde Christus non tantùm suum S. Corpus in specie panis, sed etiam S. Sanguinem in specie vini contulit per modum testamenti, uti ipsimet asseruimus: ergo, si defraudentur fideles usu calicis, defraudantur magna parte hujus divini testamenti & hæreditatis. 13.

Respondeo negando utramque sequelam; & primam quidem, quia nemo defraudatur, si non sumat duas, sed unam tantùm hostiam, quia totus Christus est æquè in una quàm duabus hostiis, & tametsi duas hostias acciperet, non plus sumeret in duabus, quàm in una, nec acciperet duos Christos, sed bis acciperet eundem Christum: ita nemo defraudatur in sumptione unius speciei: quia licèt etiam altera species contineat totum Christum, tamen totus Christus etiam accipitur per primam speciem, omnemque confert effectum. Secunda quoque sequela fallit: quia, quod Christus nobis in hoc Sacramento per modum testamenti contulit, non sunt præcisè species panis & vini, sed corpus & sanguis Christi, imò totus Christus sub his speciebus contentus: quia igitur totus non minùs continetur in una quàm in utraque, nemo in alterius speciei subtractione aliquam testamenti vel hæreditatis subtractionem potest obtendere.

ARTICULUS III.

Quænam dispositiones requisitæ ad S. Communionem.

SUMMARIA.

1. *Malus finis peccaminosam reddit communionem.*
2. *Actuale veniale contra reverentiam Sacramenti, facit ut communicans peccet.*
3. *Peccatum veniale purè concomitans, sive sit habituale sive actuale non inducit novum peccatum in communicante.*
4. *Ad evitandum mortale in communione, requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ.*
5. *Conscius peccati mortalis tenetur etiam jure Divino præmittere confessionem.*
6. *Quando censeatur deesse copia Confessarii, & esse necessitas communicandi?*
7. *Quid sit quàm primùm confiteri?*
8. *Ex parte corporis ad licitam communionem requiritur jejunium naturale.*
9. *Corollaria practica.*
10. *Quando pollutio impediat communionem.*

§. I.

Dispositiones ex parte animi.

Quæres primò. Quidnam requiratur ad evitandum peccatum veniale? 1.

Certum est primò: Eum, qui ex malo fine, v. g. inanis gloriæ communicat, etiam hâc ipsa acti-

actione communicandi peccare venialiter, uti evidenter deducitur ex principiis in 1. 2. positis. Igitur quæstio procedit, quando quis concomitanter solùm cum veniali sive actuali, sive habituali accedit ad S. Communionem. Ad quam

2. Respondeo primò. Qui accedit ad S. Communionem cum actuali peccato veniali, quod opponitur recto usui Sacramenti, & reverentiæ ad ejus susceptionem requisitæ; v. g. si tunc proferat verba nugatoria, & ridicula, venialiter peccat. Ita Cornejo, Salmantic. Filliuc. Petschacher, aliique contra Vasquez apud Dianam resolut. 31. Ratio est; quòd ejusmodi veniale sit quædam irreverentia positiva contra sanctitatem hujus Sacramenti, quod suâpte naturâ exigit sanctè & reverenter suscipi: unde si irreverenter se gerere inter orandum non absolvitur à veniali, quantò minùs irreverenter se gerere in sumptione hujus augustissimi Sacramenti. Insuper aliquo modo impeditur effectus Sacramenti, qui est remissio peccatorum venialium.

3. Respondeo secundò. Probabile est, accedere cum veniali sive habituali sive actuali purè concomitanter se habente ad sumptionem Eucharistiæ, v. g. sine dolore, vel cum complacentia peccati venialis præteriti, aut cum affectu venialis peccati postea committendi, non esse peccatum veniale: quamvis opposita sententia sit magis pia & æquè probabilis, quàm tenent Suarez, Coninck, Lugo. Priorem tradunt Sotus, Diana, Salmantic. Petschacher. Ratio est: quia peccatum veniale purè concomitans non impedit primarium effectum hujus Sacramenti, qui est augmentum gratiæ; neque apparet sufficiens fundamentum adstruendi obligationem ad procurandum omnem etiam secundarium effectum hujus Sacramenti: cùm hac ratione aliquis obligaretur sub veniali procurare omnem moraliter possibilem dispositionem.

4. Quæres secundò: Qualis dispositio requiratur ad evitandum peccatum mortale in sumptione SS. Eucharistiæ?

Respondeo primò: Requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ: Constat ex Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11. hoc deducente ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. Habetur ex dictis de Sacram. in gen. Ut licitè & sine sacrilegio recipiatur aliquod Sacramentum vivorum, requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ: sed Eucharistia est Sacramentum vivorum: ergo ut licitè & sine sacrilegio recipiatur, requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ. Quid si ergo recipiens Eucharistiam sit conscius peccati mortalis?

5. Respondeo secundò: Ut conscius peccati mortalis dignè & sine sacrilegio sumat Eucharistiam, tenetur non tantùm ex ecclesiastico, sed etiam ex divino præcepto præmittere confessionem, tametsi jure naturæ sufficeret sola contritio.

Prior pars liquet ex Tridentini verbis sess. 13. c. 7. *Communicare volenti necessariò revocandum in memoriam ejus* (Apostoli) *præceptum: probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absq; prævia sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. quod a Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris, quòd si necessitate urgente Sacerdos absq; prævia confessione celebraverit, quàm primùm confiteatur.* Secundæ partis ratio est: Juxta Tridentini & Ecclesiæ declarationem præceptum confessionis præmittendæ continetur in illis verbis Apostoli, *probet autem seipsum homo*, &c. Sed in illis verbis continetur præceptum divinum: ergo. Minor probatur: quia Apostolus ibidem dicit, illa se tradere fidelibus, *quæ accepit a Domino*: sed tradit præceptum præmittendi confessionem: ergo illud accepit à Domino. Non tamen desunt Authores, inter quos Coninck, & Herinx disp. 6. q. 6. n. 73. qui dicunt, hoc præceptum non esse Divinum, sed Apostolicum. Tertiæ partis ratio est: quia jure naturæ ad dignam Eucharistiæ sumptionem plus non requiritur, quàm status gratiæ: sed iste obtineri potest per solam contritionem cum voto Sacramenti pœnitentiæ: ergo contritio jure naturæ sufficeret ad dignam sumptionem.

Quæres tertiò: Quandonam censeatur deesse copia Confessarii, & adesse sufficiens necessitas sine prævia confessione, & solâ præmissâ contritione communicandi, vel celebrandi? 6.

Respondeo primò: Tunc censetur deesse copia Confessarii, quando vel nullus adest, qui possit audire tuam confessionem, aut sine notabili incommodo conveniri non possit; vel siquis adsit, sit tamen jurisdictione destitutus, sive sine gravi scandalo, periculo, vel damno (quod etiam ab integritate confessionis excusat) nequeas confiteri.

Respondeo secundò: Talem necessitatem esse primò periculum mortis, quando sine communione vel celebratione Sacerdotis aliquis foret decessurus sine Viatico. Nec refert, quòd in ejusmodi casu non liceat sine sacris vestibus celebrare, quod tamen est solùm juris ecclesiastici. Nam Respondeo: Hanc obligationem præcepti humani esse majorem, eò quòd reverentia Sacramenti exigat, ut solenni & uniformi ritu celebretur; quod aliâ viâ suppleri non potest; status verò gratiæ etiam per contritionem obtineri possit. Ita Lugo, Suarez, Coninch, aliique. Secundo: Quando communio vel celebratio Missæ sine gravi nota vel scandalo omitti, aut differri non potest: ut si in loco communionis vel sub ipso Sacrificio recorderis alicujus peccati nondum confessi. Tertiò, si Sacerdos ex officio tenetur celebrare, neque possit per alium, & in similibus casibus, quorum necessitas prudentis judicio determinenda relinquitur. Ubi notandum, ut excuseris à præcepto confessionis, utrumque debere concurrere, & defectum Confessarii & necessitatem communionis, & celebrationis.

7. Quæres quartò: Utrùm Tridentini præceptum, *quam primùm confitendi*, si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, stringat etiam laicos in simili necessitate absque prævia confessione communicantes?

Respondeo negativè: cùm enim sit pœnale, & solùm loquatur de celebrantibus, non est ad alios extendendum: unde nec onerat Sacerdotes, qui more laicali communicant, neque illos, qui ex ignorantia, vel ex inadvertentia in peccato mortali celebrant. Quantum porrò temporis spatium per Tò *quàm primùm* intelligatur, non conveniunt DD. Communior sententia est, confessionem non esse ultra triduum differendam.

§. II.

Dispositio ex parte corporis.

8. QUæres quintò: Quænam requiratur dispositio ex parte corporis? ut licitè & sine peccato sumatur Communio?

Respondeo primò: Sub peccato mortali tenetur communicaturus esse jejunus jejunio naturali, h. e. ut à medio noctis nihil omnino per modum cibi vel potûs sumpserit: quod præceptum Apostolicum antiquissimâ traditione & usu in Ecclesia conservatum, habetur in Concil. Carthag. III. Tolet. VII. & Constant. *sess.* 13. *can. liquidò 18. dist. 2. de cons. c. parte de celeb. Miss.*

9. Hinc sequitur primò: sive medicina, sive electuarium, sive etiam alia res non ordinata ad nutriendum, v. g. charta sumatur, solvere jejunium naturale, & extra casum necessitatis impedire Communionem: quia illud omne per modum cibi & potûs accipitur, quod ore sumptum ab extrinseco, per se & propriâ actione vitali in stomachum demittitur. Sequitur secundò: non impediri Communionem, si saliva & phlegma è capite defluens glutiatur; quia non ab extrinseco assumitur: aut si gutta una alterave aquæ inter os eluendum deglutiatur, quia non nisi permixta salivæ descendit in stomachum, nec habet rationem potûs. Sequitur tertiò: In gravi infirmitate, vel periculo mortis licitè communionem accipi à non jejuno; idque in eodem morbo sæpiùs, si jejunus non possit commodè accipere communionem, quia hoc præceptum ecclesiasticum instar aliorum non ligat cum alio gravi incommodo. Sequitur quartò: In necessitate absolvendi Sacrificium, evitandi grave scandalum, licitum esse Sacerdoti non jejuno sacrificare, uti etiam sumere particulas post ablutionem ex Sacrificio & ministerio præcedente residuas. Item instante periculo, ne S. Hostiæ deveniant in manus hostium, & aliàs cùm id exigit reverentia Sacramenti. uti cum communi docent Cajet. in summ. Suar. disp. 68. sect. 6.

Respondeo secundò: Pollutio cum veniali peccato facta (nam, si cum mortali, per se impedit communionem ex dictis, nisi per pœnitentiam deleatur) aut etiam cum nullo, aliquando ex decentia & consilio impedit Communionem, quando nimirum relinquit carnis Commotiones aut distractiones mentis repugnantes devotæ Communioni: aliquando non impedit, ut quando adest rationabilis causa communicandi, & ejusmodi illusiones fieri præsumuntur ad impediendam Communionem, neque sequuntur speciales effectus indecentes repugnantes Communioni. Quæ etiam proportionaliter extendenda sunt ad actum conjugalem juxta communem doctrinam Theologorum ex S D. hîc q. 8. a. 7. 10.

DISPUTATIO XXXIV.

De effectu & Ministro Eucharistiæ.

PRincipalem Eucharistiæ Ministrum in consecratione Eucharistiæ esse ipsummet Christum, in comperto est; qui proin ab Ecclesia vocatur *offerens & oblatio.* Minister instrumentarius, qui in persona Christi consecrat & offert Eucharistiam, est hujus considerationis: Idque ministerium est duplex, tum ad consecrandum, tum ad dispensandum Corporis Christi Sacramentum; de utroque in præsenti agendum, ubi varios Eucharistiæ effectus præmiserimus.

ARTICULUS I.

De effectibus S. Eucharistiæ.

SUMMARIA.

1. *Augmentum gratiæ per modum nutritionis est primarius effectus Eucharistiæ.*
2. *Eucharistia præservat à peccatis mortalibus,*
3. *Tollit venialia etiam immediatè.*
4. *Indirectè tollit pœnas temporales:*
5. *Sicut & fomitem concupiscentiæ,*
6. *Causat spiritualem dulcedinem de rebus divinis.*
7. *Finalem perseverantiam, & gloriæ adeptionem,*
8. *Corporum quoque resurrectionem & immortalitatem.*
9. *Confert effectum gratiæ in instanti extrinsecè terminativo manducationis.*
10. *An producat effectum remoto obice?*
11. *Non obtinetur effectus, si nihil de speciebus pertingat ad stomachum.*

12. Per-

12. *Percipitur effectus, si durante sumptione removeatur obex.*
13. *Crescente dispositione ante peractam sumptionem crescit ex opere operato.*
14. *Non crescit post illam peractam.*
15. *Eucharistia aliquando confert primam gratiam.*
16. *Non confert cæteris paribus majorem gratiam sub duplici specie, quam sub una.*
17. *Solvitur duplex objectio.*

§. I.

Quosnam effectus producat Sacramentum Eucharistiæ.

1. CONCLUSIO prima: *Eucharistia principaliter confert augmentum gratiæ per modum nutritionis, cum jure ad gratias actuales ad fovendam & augendam charitatem conducentes.* Nam ut Trid. sess. 13. c. 2. hoc Sacramentum ex intrinseca institutione est spiritualis animæ cibus, adeòque confert spirituale nutrimentum consistens in augmento gratiæ conjuncto cum morali jure ad obtinenda auxilia, quibus homo conservetur & perficiatur in charitate & unione cum Christo: nam spiritualiter sustentari, delectari, confortari, augeri in charitate non fit sine auxiliis actualis gratiæ: sed hoc fit per Eucharistiam; ut enim Florent. in Decreto Eugenii: Omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur.

2. CONCLUSIO secunda. *Eucharistia habet virtutem præservandi à peccatis mortalibus, & delendi venialia.*

Prima pars constat ex cit. Trid. quòd Eucharistiam appellat *antidotum*, quo liberamur à peccatis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur: & deducitur ex præced. conclus. Nam virtus augendi charitatem est etiam virtus resistendi peccatis mortalibus; siquidem ista repugnant charitati: sed Eucharistia habet virtutem augendi charitatem, estque hic proprius effectus ipsius: ergo Eucharistia habet virtutem resistendi peccatis mortalibus, hominemque ab iisdem præservandi, partim internè per roborantem gratiam, partim externò custodiendo à dæmonum tentatione.

Secunda pars constat ex loco cit. Trid. per quotidiana enim peccata intelligit venialia. Et ratio ex S. D. q. 79. a. 4. est: quia Eucharistia ex sua institutione confert spirituale animæ nutrimentum: sicut ergo per corporalem nutritionem instauratur, quod per diminutionem vi caloris naturalis fuit deperditum; sic spirituale damnum, quod per peccata venialia causatur, in quantum fervor non quidem intensivus, sed extensivus charitatis per illa minuitur, idque ex fomite concupiscentiæ, per Eucharistiam tanquam spiritualem animæ cibum venialium peccatorum remissione reparari debet.

3. CONCLUSIO tertia. *Eucharistia culpas veniales non solùm tollit mediante actu charitatis, sed etiam immediatè ex opere operato.* Colligitur ex S. D. loc. cit. & docet Suarez d. 63. se. 10. & de pœnit. d. 12. se. 1.

Prior pars vacat difficultate: cùm enim Eucharistia conferat actualia auxilia ad eliciendos actus charitatis, per quos venialia destruuntur, haud dubiè iis mediantibus delet venialia.

Secundæ partis ratio est: quia remissio peccatorum venialium à Trid. specialiter tribuitur Eucharistiæ Sacramento: sed, si ista venialium remissio tantùm fieret mediantibus actibus charitatis vel pœnitentiæ, non esset specialis effectus Eucharistiæ, hoc enim non est commune omnibus Sacramentis: ergo non tantùm mediantibus actibus charitatis aliarumve virtutum, sed etiam immediatè ex opere operato confert remissionem peccatorum venialium. Quo autem modo hoc fiat, partim alibi præmissum fuit in tract. de peccato veniali, partim explicandum recurret in Tract. de Pœnit.

CONCLUSIO quarta. *Eucharistia tollit etiam indirectè pœnas temporales pro peccatis debitas.* S. D. a. 5. Ratio est: quia licèt in ratione Sacramenti non sit instituta formaliter ad pœnam delendam (quod ipsi competit in ratione Sacrificii) tamen quia confert augmentum gratiæ cum actualibus auxiliis, quibus peccata venialia remittuntur, ex consequenti & indirectè pœna temporalis remittitur. 4.

CONCLUSIO quinta. *Eucharistia compescit fomitem peccati, seu vigorem rebellis concupiscentiæ,* ut habet S. D. q. 79. a. 1. ad 1. & a. 6. ad 3. & colligitur ex Zach. 9. ubi dicitur: *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* fit autem hæc diminutio fomitis indirectè, in quantum augetur charitas: nam, ut S. D. l. cit. licèt hoc Sacramentum directè non ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem, quia sicut August. dicit in l. 83. qq. *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.* 5.

CONCLUSIO sexta. *Spiritualis animæ dulcedo & delectatio de divinis est etiam specialis effectus S. Communionis.* S. D. a. 1. ad 2. 6.

Ratio primò desumitur ex proportione cum cibo corporali, cujus non tantùm est nutrire, sed etiam delectare: ideoque cibus eucharisticus figurabatur per manna deserti, quod habebat dulcedinem, & *omnis saporis suavitatem.* Secundò: quia amori connaturale est, ut percipiat delectationem de præsentia objecti amati: cùm igitur per Eucharistiam excitetur affectus charitatis, simulque Christus cum sua divinitate & humanitate fiat intimè præsens sumenti, ex consequenti etiam causat dulcedinem spiritualem in sumente, de qua dictum Ps. 67. *Parâsti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et Genel. 49. *Pinguis est panis ejus, & præbebit delitias regibus.* Quæ tamen spiritualis delectatio, uti crescere solet ex majori devotione & præparatione accedentis, ita sæpe impeditur rerum temporalium distractione, vel affectu inordinato ad peccata venialia: quandoque etiam absque defectu suscipientis ad majorem virtutis probationem divinitus subtrahitur. Vide D. Antonin. 3. p. Tit. 13. c. 6. §. 15.

7. CONCLUSIO septima. *Eucharistia specialiter causat finalem perseverantiam & gloriæ adeptionem.* S. D. a. 2. Perseverantiam quidem causat, quia auget gratiam, & confert auxilia præservantia à peccatis mortalibus & roborantia contra dæmonis tentationes; gloriæ quoque adeptionem, primò, quia hæc consequitur gratiam & in illa tanquam in semine radicatur; secundò quia Eucharistia est instituta tanquam novum testamentum, quo confertur jus ad hæreditatem, & tanquam pignus futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, ut dicit Tridentinum sess. 13. c. 2. unde Christus Jo. 6. *Siquis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* & in hymnô D. Th. *O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium.*

8. CONCLUSIO octava. Resurrectio & immortalitas corporum speciali modo tribuitur Eucharistiæ, prout indicatur in prædicto c. 6. Joan. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ita ex PP. Irenæus l. 4. contra hæres. c. 34. & Cyrill. Alex. in c. 6. Joan. apud Gonett, d. 8. a. 1. Ratio est, quòd, cùm gloriam animæ consequatur gloria corporis, ideo sicuti dignè communicanti speciali jure debetur gloria animæ, sic pariter debetur gloria corporis, præsertim propter communionem cum vivifica carne Christi; quâ de causâ à SS. PP. Eucharistia comparatur *ligno vitæ.*

§. II.

Quando Eucharistia conferat augmentum gratiæ.

9. CONCLUSIO nona. *Eucharistia in homine non ponente obicem confert augmentum gratiæ in instanti extrinsecè terminativo manducationis, in quo nempe Eucharistia per guttur trajecta primò incipit esse in stomacho.* Ita Gonett, Serra, Clariss. Oberascher, Petschacher, Wibmperger, aliique.

Ratio est: Quia Eucharistia producit gratiam cùm manducatur; vel ergo in instanti initiativo, vel terminativo manducationis: nam sub ipso motu transeunte manducationis non posse gratiam producere, constat ex dictis de Sacramentis in genere, ubi ostendimus, gratiam non nisi in instanti produci: sed non producitur in instanti initiativo, tunc enim nondum est manducatio, sed proximè erit: ergo in terminativo, in quo manducatio est perfecta & consummata.

10. Dixi *in non ponente obicem*: nam, si quis hoc Sacramentum cum fictione recepisset, dubium, inter DD. an remotâ illâ fictione consequatur effectum Sacramenti? Conferri effectum, adeòque dari Sacramentum Eucharistiæ validum & informe, docet Serra q. 62. a. 1. d. 3. pro qua sententia plures Auth. citat. Petschacher q. 4. a. 1. Nostra & contraria, juxta dicta de Sacram. in gen. est D. Th. in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. q. 3. ad 3. Et ratio est primò: quia de indignè & cum fictione sumentibus dicit Apostolus: *Judicium sibi manducare;* adeòque Sacramentum ipsis non prodest ad vitam. Secundò: quia Sacramenta conferentia gratiam remoto obice sunt initerabilia vel simpliciter, vel secundùm quid: sed Eucharistia est simpliciter iterabilis. Tertiò, quia post Eucharistiam indignè manducatam vel species sacramentales supersunt, vel sunt consumptæ? Si sunt consumptæ, Eucharistia nec secundùm se, nec secundùm aliquid sui, nec physicè, nec moraliter existit, adeòque non potest causare effectum. Si non consumptæ, tamen jam transiit manducatio: atqui Christus non nisi manducanti promisit effectum Sacramenti: *Qui manducat me, vivet propter me.*

Inferes ex dictis primò: Si, priusquam aliqua 11. specierum pertingat ad stomachum, infirmus moriatur, vel species in ore corrumpantur, non obtineri effectum Sacramenti ex opere operato, nondum enim est manducatio perfecta, sed tantùm inchoata: atqui ad consequendum effectum Sacramenti necessaria est manducatio, quæ non antè quàm in termino sibi extrinseco est verè completa.

Inferes secundò: Siquis incipiens communi- 12. care in statu peccati, adhuc durante specierum transmissione in stomachum per contritionem perfectam se disponeret ad gratiam, obtenturum esse Sacramenti effectum: nam Sacramentum instar causæ naturalis confert infallibiliter effectum: sed in hoc casu adest Sacramentum, nec invenit obicem, quippe jam remotum, priusquam manducatio fuerit completa: ergo tunc confert gratiam.

Inferes tertiò: Si ante completam sumptio- 13. nem Sacramenti crescat dispositio suscipientis, simul crescere effectum gratiæ, dum species successivè ad stomachum pertingunt, quia causa producit effectum intensiorem in subjecto intensiùs disposito: cùm ergo quælibet pars speciei ad stomachum transmissa sit causa gratiæ, crescente intensione dispositionis, Sacramentum sub specie consequente intensiorem producet effectum, quàm produxerat sub specie antecedente.

Inferes quartò: Post instans terminativum 14. sumptionis eucharisticæ non conferri ex opere operato majorem gratiam, tametsi crescat devotio communicantis, & species nondum sint consumptæ. Ratio est: quia è Scriptura solùm constat, quòd manducantibus sit promissus effectus Eucharistiæ: sed manducatio tunc jam est transacta: ergo nullum est fundamentum tribuendi Sacramento effectum ex opere operato, quem statim producit totum instar causæ naturalis, quàm primùm per manducationem completam fuit debitè applicatum: neque ampliùs manducatur illo reliquo tempore, quo species durant in stomacho incorruptæ. Dixi *ex opere operato*; nam, majorem gratiam ex opere operantis à Christo sub speciebus adhuc præsente impetrari posse, extra dubium est. Oppositam tamen sententiam, quòd speciebus nondum consumptis crescente dispositione subjecti Eucharistia conferat majorem gratiam ex opere operato, eò quòd etiam transacto manducationis actu non statim amittat rationem cibi spiritualis, docent probabiliter plures RR. non solùm extra, sed etiam intra scholam D. Thomæ.

Infe-

15. Inferes quintò: Eucharistiam habenti inculpabilem ignorantiam peccati mortalis,& per solam attritionem disposito conferre primam gratiam, constat ex dictis de Sacramentis in genere; quòd Sacramenta vivorum, tametsi per se ex fine specifico sint instituta ad conferendum augmentum gratiæ, tamen ex fine generico possint conferre primam gratiam, & actu conferant non ponentibus obicem: sed hîc non ponitur obex Sacramento Eucharistiæ, cui major inest efficacia producendi gratiam,quàm aliis Sacramentis: ergo ex fine generico conferet primam gratiam, quæ simul erit prima ex conditione subjecti non præhabentis aliquem gradum gratiæ, & erit nutritiva ex conditione & fine specifico ipsius Sacramenti.

§. III.

An Eucharistia conferat majorem gratiam sub una,quàm sub duplici specie?

16. CONCLUSIO decima. *Eucharistia cæteris paribus non confert majorem gratiam sub una, quàm sub duplici specie.* Ita communis Thomistarum contra Card. de Lugo, pluresque alios.

Colligitur ex Concilio Trid. sess. 21. c. 3. dicente: *Sub altera tamen specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi; ac propterea,quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Ex quibus ratio conclusionis sic deducitur: Tunc idem effectus percipitur, quando eadem causa recipitur in una ac in duplici specie hujus Sacramenti; sed una eademque causa gratiæ est & recipitur in una ac duplici specie; quia totus & integer Christus, qui per suum S. corpus & sanguinem in hoc Sacramento est causa gratiæ, continetur & recipitur tam sub una, quàm sub duplici specie.

Dixi, *cæteris paribus.* quia si in sumptione secundæ speciei cresceret dispositio Sacramenti, produceretur major effectus gratiæ; sicuti, si in sumptione plurium particularum cresceret devotio, pariter cresceret ipsa gratia; siquidem omnes partes hujus Sacramenti habent virtutem causandi gratiam juxta dispositionem recipientis.

17. Dices primò: Utraque species significat majorem gratiam, quàm una sola, quia significat integrum spirituale convivium, quod non significat una sola species: ergo etiam confert majorem gratiam. Respondeo negando antecedens, & probationem distinguo: una sola species non significat integrum convivium ex modo significandi, concedo; ex parte rei contentæ & significatæ, nego; quia etiam continet & significat totum Christum.

Dices secundò. Si utraque species non conferret majorem gratiam, quàm una sola, Calix ferè nunquam conferret gratiam recipienti,ideoque foret superfluus, quia plerumque supponeret eandem jam productam per sumptionem Hostiæ: consequens non videtur admittendum; tum quia est de ratione Sacramenti, quòd sit causativum gratiæ; tum quia refertur aliqua Bulla Clementis VI. ad Regem Angliæ, vel, ut alii volunt, ad Regem Galliæ, quâ ipsi concessit usum calicis ad majus augmentum gratiæ.

Respondeo negando sequelam: quia, cùm idem sit Christus (à quo gratia Sacramenti) tam in sumptione S. Hostiæ,quàm Calicis, positâ majori dispositione,confestim confert majorem gratiam,quàm primùm augetur dispositio suscipientis: quâ desideratâ illam non confert, quia sumptio calicis non est inceptio novi Sacramenti, sed complementum jam inchoati,in quo idem perseverat effectus propter identitatem tam causæ efficientis,nempe Christi; quàm dispositionis,quæ est eadem tam in unius, quàm alterius speciei sumptione. Quod attinet ad Bullam citatam, dicendum est, illâ intelligi majus gratiæ augmentum ex opere operantis, non ex opere operato.

ARTICULUS II.

De Ministro Eucharistiæ.

SUMMARIA.

1. *Solus Sacerdos validè consecrat Eucharistiam.*
2. *Omnis quoque Sacerdos validè consecrat.*
3. *Minister ordinarius dispensationis Eucharistiæ est sacerdos.*
4. *Et ex commissione Sacerdotis quandoque Diaconus.*
5. *Licitè Eucharistiam dispensat tantùm sacerdos proprius, vel habens licentiam ab ipso.*
6. *Potest sacerdos in necessitate communicare se ipsum.*
7. *Potest de sua Hostia Laico dare particulam ex rationabili causa.*
8. *Tenetur servare ritus præscriptos.*
9. *Potest infirmo impeditis primis digitis, per alios porrigere Eucharistiam, si alio modo non possit dare viaticum.*
10. *Quæ sit obligatio ex justitia vel charitate dandi viaticum?*
11. *An etiam sit obligatio tempore pestis?*
12. *Quibus possit Sacerdos denegare Eucharistiam?*

§. I.

Quis sit Minister consecrationis?

1. CErtum est de fide primò, solos Sacerdotes posse validè consecrare Eucharistiam, prout habetur in *c. firmiter de summ. Trin.* in Concil. Nicæno I. c. 14. In Lateranensi sub Innocentio III. c. 1. deduxitque Tridentinum sess. 23. c. 1. ex verbis Christi Matth. 26. & Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* quibus solis Apostolis, eorumque in munere sacerdotali successoribus potestas consecrandi Corpus Christi fuit tradita, prout S. Ecclesia à Spiritu S. & Apostolis instructa semper intellexit, eâque de causâ in nullius alterius ministri, quàm sacerdotis ordinatione

hæc verba proferuntur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis.*

2. Certum quoque est secundò: Omnes Sacerdotes ritè ordinatos, si modò substantialia requisita ad Eucharistiæ consecrationem adhibeant, validè consecrare; quantumvis sint hæretici, schismatici, excommunicati, irregulares, degradati, quamvis gravissimo sacrilegio se obstringant, si in ejusmodi statu consecrent. Cujus ratio est: quia potestas consecrandi est potestas Ordinis consistens in charactere sacerdotali: sed iste est indelebilis juxta doctrinam fidei: ergo & potestas consecrandi. Unde etiam sacerdotes ab hæresi redeuntes iteratò non ordinantur: per *cap. convenientibus. 1. q. 7. c. ordinationes. 9. q. 1.*

§. II.

De Ministro dispensationis.

3. QUæres primò. Quisnam sit Minister ordinarius populo S. Eucharistiam dispensandi?

Respondeo primò. Dispensatio Eucharistiæ ex officio & ordinaria potestate jure divino pertinet ad solos Sacerdotes. Ita S. D. q. 82. a. 3. cum communi DD. Habetur in *c. pervenit. de consecrat. d. 2.* Ratio est: quia dispensatio est actus accessorius & secundarius consequens ad confectionem & consecrationem Eucharistiæ, ceu actum principalem: ergo pertinet ad Sacerdotem, sicque definit Trid. sess. 13. c. 8. *Ex Apostolica traditione hunc morem semper in Ecclesia fuisse, ut laici à sacerdotibus communionem acciperent.*

4. Respondeo secundò: Diaconus in gravi necessitate potest ex commissione Sacerdotis dispensare Corpus Christi, & antiquitus S. Sanguinem ex officio dispensabat. Ita habetur in Concil. Carthag. IV. c. 38. dicente: *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Estque communis DD. Secundam partem tradit D. Th. hîc a. 3. ad 1. dicens: *Diaconus quasi propinquus Ordini sacerdotali participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate jubente Episcopo, vel presbytero.* Rationem diversitatis assignat, subjungens: *Quia Sanguis Christi continetur in vase; unde non oportet quòd tangatur à dispensante, sicut tangitur Corpus Christi.* Utraque pars constat ex antiqua Ecclesiæ praxi & historia D. Laurentii. Unde censent DD. communiter, in gravi necessitate, v. g. tempore pestis absente vel iniquè nolente sacerdote, posse Diaconum ob præsumptam Ecclesiæ delegationem se ipsum huic officio ingerere, & Eucharistiam dispensare. Suarez, Conink, Castropalaus etiam censent probabile, quòd in casu gravis necessitatis etiam inferior Clericus vel laicus possit Sacramentum dispensare, & se ipsum communicare, quamvis alii DD. communiùs contrarium teneant, cui opinioni etiam praxis Ecclesiæ assistit.

5. Respondeo tertiò: Ad licitè dispensandam Eucharistiam requiritur, ut dispensans sit Pastor ordinarius, vel ab habente ordinariam potestatem commissionem habeat, sive expressam, sive præsumptam. Ita statuitur in *Clementina dudum. de sepulturis.* & in *Clement. Religiosi. de privilegiis.* Docet praxis Ecclesiæ & ratio, quòd populum pascere sit Pastoris officium. Hinc Religiosi licitè ministrant Eucharistiam toto anno omnibus fidelibus ad suas Ecclesias venientibus, exceptâ Communione paschali, quam tenentur facere in suis parochiis ad satisfaciendum præcepto paschali; censetur enim adesse interpretativus consensus parochi, vel si ille esset irrationabiliter invitus, adesset sufficiens concessio ipsius Ecclesiæ & Summi Pontificis; tum quòd non sit præsumendum, Ecclesiam fideles cum tanto suo onere, periculo, detrimento obligare velle; tum quòd ejusmodi concessio sufficienter constet ex communi consuetudine & privilegio à Sede Apostolica omnibus Ordinibus, vel saltem ex communicatione privilegiorum, concesso, teste Caspensi. tr. 12. de Euch. d. 9. se. 9. a. 5 c.

Inferes ex dictis primò: Posse Sacerdotem sibi ipsi in necessitate ministrare Communionem, si ab alio non possit accipere. Suarez disp. 72. se. 3. Coninch, Salmantic. Addit Suar. secluso scandalo hoc ipsum à Sacerdote practicari posse extra casum necessitatis, si consecrare non possit, & alioquin devotio suadeat Communionem accipere, ut si aliàs in magno festo deberet S Communione privari: cùm nullum jus obstet in contrarium. Consentiunt plures Authores relati à Salmantic. tr. 4. c. 9. p. 2. n. 9. 6.

Inferes secundò: Posse Sacerdotem ex rationabili causa dare particulam de sua Hostia Laico, aut alteri Sacerdoti non celebranti, si aliter Communionem præbere non possit: neque enim obstat aliquod jus in contrarium, prout tradunt D. Antoninus, Henriq. Dicastillo, aliique apud citatos Salmantic. 7.

Inferes tertiò: Ut Sacerdos licitè dispenset Eucharistiam, requiri, ut servet ritus ab Ecclesia præscriptos, e. g. ne in alia specie quàm panis præbeat Eucharistiam, ut Eucharistiam ministret indutus stolâ & superpellicio, ne illam tribuat tempore, aut loco prohibito, ne in privata domo sine debita facultate, ne sine luminaribus, prævia confessione & absolutione generali; ubi tamen leviorum rituum omissio non excedit culpæ venialis gravitatem, uti docet Suarez, Granado, & aliquando excusante gravi causa, ut si ad infirmum deferatur in terris hæreticorum vel infidelium, licitè omittuntur. 8.

Inferes quartò: Si æger aliàs sine viatico esset moriturus, posse ipsi à Sacerdote dari Eucharistiam aliis digitis, quàm indice & pollice, quando istis propter chiragram dare non potest: sicut etiam cum vino in cochleari sumendam dari posse suprà dixi juxta mentem Præpositi in 3. p. q. 80. a. 5. d. 6. Escobar, Diana, Salmantic. loco cit. n. 27. 9.

§. III.

Quibus teneatur Sacerdos ministrare Eucharistiam?

QUæres primò: Quibus & quando Parochus teneatur Eucharistiam ministrare? 10.

Respondeo primò: Parochus tenetur ex justi-

tia suis subditis aliunde capacibus & dispositis non tantùm tempore præcepti & necessitatis, sed quoties rationabiliter petunt, ministrare Eucharistiam, si non sint alii, à quibus petere possint; quia Pastor suis ovibus non tantùm tenetur præstare necessaria, sed etiam valde utilia, ideoque à subditis accipit sustentationem, ut & ipsis ministret valde opportuna saluti. Unde etiam Pastores cum vitæ periculo tenentur peste laborantibus ministrare Eucharistiam.

11. Quæres secundò: An Parochus tempore pestis cum vitæ suo periculo teneatur suis ovibus ministrare Eucharistiam?

Respondeo: Regulariter & per se loquendo tenetur ministrare Eucharistiam. Est comm. DD. quamvìs Dicastillus & quidam alii contrarium teneant, eò quòd non sit Sacramentum tantæ necessitatis. Ratio nostræ assertionis est: quòd per susceptionem officii pastoralis sese Parochi obligârint, suis ovibus succurrere non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate: atqui tempore pestis est gravis necessitas: ergo ex officio tenetur ipsis succurrere: sed ex potissimis mediis, quibus animarum saluti succurritur, est sacrum Viaticum: ideoque & Parochi ab Ordinariis adiguntur, ne fugiant tempore pestis, nisi alium idoneum loco sui substituant, utque Eucharistiam ministrent.

Dixi, *regulariter*: nam per accidens variæ circumstantiæ possunt evenire, quæ ab ejusmodi obligatione excusent: ut si timeatur irreverentia Sacramenti; si peste infectus paucis ante diebus communicâsset, & probabiliter foret in statu gratiæ &c. Sed de Sacramentorum ministratione tempore pestis vide appendicem annexam in fine hujus tomi.

Quæres tertiò: Quibus petentibus Eucharistia à Sacerdote denegari possit, aut debeat? 12.

Respondeo: Peccatori occulto (1) occultè, vel (2) publico publicè petenti Eucharistia denegari debet: (3) si verò peccator occultus publicè petat, concedi debet, nisi constet Sacerdoti, illum hoc fine petere Eucharistiam, ut illâ sacrilegè abutatur, ad contemptum, aut magicos usus. Ita comm.

Ratio primi est, quòd Minister Sacramenti ex sua parte tenetur, quantum potest, impedire indignam sumptionem Sacramenti, si nullum sequatur incommodum vel scandalum: sed, si Eucharistia negetur peccatori occulto occultè petenti, nullum sequitur incommodum ipsius famæ, nec proximi scandalum, & impeditur indigna sumptio: ergo. Ratio secundi est: quia publicus peccator non habet jus petendi Eucharistiam, & reverentia Sacramenti exigit, ne detur indigno, neque peccator exinde infamatur, siquidem antea jam supponatur infamis. Ratio tertii est primò: quia nemo est privandus suo jure ob delictum occultum: sed baptizatus habet jus ad petendum tum Sacramentum Eucharistiæ, tum alia Sacramenta: ergo. Secundò: quia Minister publicus in publica bonorum communium distributione non debet uti scientiâ privatâ cum gravi infamatione alterius.

Dices: Potior est honor DEI, quàm fama proximi: ergo potiùs debet peccator repelli ab indigna susceptione, quàm ut ipsi ministretur Sacramentum. Respondeo negando consequentiam; quia ad inhonorationem Sacramenti Minister se tantùm habet permissivè; actio verò Ministri est ex se bona, & tantùm fit passivè mala propter malitiam sumentis. Econtra, si negaret Sacramentum, haberet se positivè ad infamationem proximi.

DISPUTATIO XXXV.

De Sacrificio Missæ.

PRæsens Disputatio est partim speculativa de essentia Sacrificii; partim polemica contra hæreticos de existentia Sacrificii Missæ; partim moralis, de valore & fructu Sacrificii, deque obligationibus Ministri. Igitur primo loco existentiam Sacrificii Missæ probabimus contra heterodoxos; secundo loco discutiemus naturam & essentiam Sacrificii. Postremo morales quæstiones resolvemus.

ARTICULUS I.

Defenditur veritas Catholica de existentia Missæ.

SUMMARIA.

1. *Acceptio varia Sacrificii.*
2. *Sacrificii in genere definitio.*
3. *Divisio Sacrificii.*
4. *Sacrificium novæ legis ex parte rei oblatæ unum specie cum Sacrificio cruento crucis.*
5. *Quatuor ejus denominationes ex quadruplici fine.*
6. *Nomen Missæ unde derivetur?*
7. *Quænam apud Græcos Missæ appellatio?*
8. *Sacrificium Missæ probatur ex Psalmo* 109. Tu es Sacerdos, &c.
9. *Ex celebri loco Malachiæ.*
10. *Ex Agno Paschali.*
11. *Ex* jugi Sacrificio *Danielis.*
12. *Ex prophetia Isaiæ.*
13. *Ex institutione Christi.*
14. *Ex verbis Apostoli.*

15. Ex

15. *Ex necessitate Sacerdotii & Sacrificii.*
16. *Ex historia Actorum Apostolorum.*
17. *Ex altari, liturgia & sacello D. Petri.*
18. *Ex primitiva Ecclesiæ praxi.*
19. *E testimoniis PP. secundi sæculi, & speciatim D. Aug.*
20. *Ex authoritate Conciliorum.*
21. *Quomodo Sacrificium expiaverit omnia peccata?*
22. *Varia hæreticorum objectiunculæ & calumniæ dissipantur.*
23. *Quo sensu Sacerdotes sint successores Christi?*
24. *Definitio Sacrificii Missæ.*
25. *Est simul Sacrificium, Sacramentum, & testamentum.*
26. *Panis & vinum non est principalis materia Sacrificii Missæ.*
27. *Sacrificium Missæ est verè propitiatorium pro peccatis.*
28. *Et rectè offertur pro defunctis.*
29. *In Missa rectè adhibentur ceremoniæ.*
30. *Missæ privatæ sunt legitimæ.*

§. I.

Quid, & quotuplex sit Sacrificium?

1. SAcrificii, quod à sacrum faciendo dicitur, acceptio vel est propria, vel impropria. Impropriè accipitur pro quacunque oblatione, vel opere in DEI obsequium relato: quo sensu in S. Scriptura Sacrificium nominatur contritio, Ps. 50. *Sacrificium DEO spiritus contribulatus.* Oratio & laus divina, Ps. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Eleemosyna, Hebr. 13. *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur DEUS.* Martyrium, Sap. 3. *Quasi holocausti hostiam accepit eos.* Castigatio corporis, Rom. 12. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam.* Propriè verò accipitur pro oblatione alicujus rei DEO facta, cum quadam illius immutatione, quâ profitemur, ipsum esse supremum rerum omnium Dominum, vitæque & mortis arbitrum: quo modo Sacrificium discernitur à pura adoratione, quæ non petit aliquid DEO offerri; & ab oblatione, quæ de se non exigit alicujus rei immutationem.

2. Sacrificium sic acceptum rectè definitur: *Oblatio externa rei sensibilis, à legitimo Ministro soli DEO facta cum mutatione destructiva ipsius, ad profitendum summo modo supremum DEI dominium, & nostram subjectionem.* Dicitur primò, *Oblatio*, quod est genus cum aliis oblationibus primitiarum, decimarum &c. & distinctivum ab aliis actibus religionis, qui non sunt oblatio, ut est oratio. Dicitur secundò, *Externa*, ad distinctionem ab internis actibus religionis. Tertiò, *Rei sensibilis*, quia est signum religiosum significans protestationem Divinæ Majestatis nostramque subjectionem. Dicitur quartò, *à legitimo Ministro*, quia cùm sit publicus & excellentissimus DEI cultus, debet fieri ab habente authoritatem publicam. Unde dicitur Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO, sicut Aaron.* Dicitur quintò, *soli DEO facta*; quia est actus latriæ protestativus supremi dominii in omnes creaturas, qui nulli creaturæ exhiberi potest. Unde S. Aug. l. 10. de Civ. c. 4. *Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem DEUS aut scivit, aut putavit, aut finxit.* Dicitur sextò, *Cum mutatione destructiva ipsius*, nempe vel ex parte, vel ex toto, quod fit vel fractione, vel effusione, vel occisione, vel consumptione. Et ratio est primò: Quòd S. Scriptura referens Sacrificia passim facit mentionem similis destructionis. Secundò: Quòd per destructionem summo & expressissimo modo significetur absolutissimum dominium vitæ & mortis in DEO. Ac Tertiò: Quòd aliàs non distingueretur à simplici oblatione. Dicitur septimò, *Ad profitendum* &c. quibus exprimitur intrinsecus finis Sacrificii.

Verum ac propriè dictum Sacrificium juxta diversos status dividitur in Sacrificium legis naturæ, veteris, ac novæ. In lege naturæ ex speciali DEI instinctu varia offerebantur Sacrificia, modò ex animalibus, uti constat in Sacrificio Abelis, Noë, Job. &c. modò ex frugibus terræ, uti constat in Sacrificio Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. Veteris legis Sacrificia vel fiebant de rebus animatis, vel inanimatis. Si ex inanimatis, illa vel erant liquida, vel solida. Si liquida, ut sanguis, vinum, oleum, tunc sacrificabatur effusione, quod in vino propriè libare dicitur; si solida, ut panis, simila, thus, manipulus spicarum, triticum, tunc sacrificabatur vel secando, ut panis; vel frigendo in clibano, sartagine, craticula, ut simila; vel comburendo & adolendo ut thus; vel torrendo ut spinarum manipulus; vel conterendo, ut triticum. 3.

Sacrificiorum in rebus animatis tres erant species. Prima fuit holocaustum, à Græco ὅλον καυςὸν hoc est, totum combustum; quia in hoc Sacrificio totum animal, pelle exceptâ, cremabatur in altari; cùmque in aliis Sacrificiis fœmella posset offerri, in holocausto tamen, tanquam præstantissimo Sacrificio, quod totum cedebat in honorem & protestationem Divinæ Majestatis, pecus sacrificandum debeat esse masculum. Altera erat victima pacifica, quæ vel offerebatur ad aliquid impetrandum, & tunc Hostia salutaris, vel absolutè pacifica dicebatur; vel ad gratias agendas pro beneficio accepto, & tunc dicebatur Sacrificium laudis, vel gratiarum. Illud non totum cremabatur, sed in tres partes dividebatur, quarum una DEO per ignem offerebatur, altera Sacerdotibus, tertia offerentibus cedebat in cibum, de quo Levit. 3. Tertia fuit hostia pro peccato, quæ rursus, pro diversitate subjectorum, alia erat pro peccato Pontificis, alia pro peccato populi, alia pro peccato hominis privati: cujus ea lex erat, ut una pars cremaretur in honorem DEI, sicut in hostiis pacificis; reliquæ carnes omnes cederent Sacerdotibus, eorumque filiis; nulla offerentibus.

Sacrificium novæ legis, per cujus institutionem præcedentia cuncta cessârunt, quia istius erant tantummodo umbræ & figuræ, est Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi cruento modo in cruce, & incruento in altari & ultima Cœna oblatum. Unde ex parte rei oblatæ unum idem- 4.

idemque specie Sacrificium Crucis & Altaris esse, dicit Catechismus Romanus Pii V. de Euch. *Unum itaque* (inquit) *& idem Sacrificium esse fatemur & haberi debet, quod in Missa peragitur, & quod in Cruce oblatum est, quemadmodum una est & eadem Hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara Crucis semel cruentum immolavit: neque enim cruenta & incruenta Hostia duæ sunt Hostiæ, sed una tantùm, cujus Sacrificium, postquàm Dominus ita præcepit, Hoc facite in meam commemorationem, in Eucharistia quotidie instauratur.*

5. Hoc ipsum incruentum Altaris & Missæ Sacrificium à quadruplici fine quadrifariam denominatur. Dicitur enim primò, *latreuticum*, eò quòd sit perfectissimus actus religionis & latriæ, seu adorationis soli DEO debitæ. Secundò *eucharisticum*, seu regratiativum, (unde Eucharistiæ nomen) eò quòd sit institutum in recognitionem & memoriam gratiarum, præsertim passionis Dominicæ, tanquam summi & infiniti beneficii. Tertiò *impetratorium*, quia in illo Christus offertur, à quo & per quem cuncta nobis bona proveniunt. Quartò *expiatorium* pro peccatis & pœnis debitis tam vivorum quàm defunctorum. Verùm, sicut eucharistici Sacramenti, sic & Sacrificii Missæ veritatem, tanquàm novum aliquod commentum explodunt Novatores ducibus Luthero, & Calvino, quorum ille ad hujus S. mysterii impugnationem fatetur se inductum fuisse & convictum disputatione mali dæmonis in to. 7. Op. p. 228. editionis Wittenberg. anno 1558. Contra quos Catholicum dogma, quo Missa verum & propriè dictum novæ legis Sacrificium esse definitur in Trid. sess. 22. c. 1. & can. 1. 3. & 4. per sequentes §§. probamus.

§. II.

De nomine Missæ.

6. QUamvis SS. Eucharistia pluribus nominibus vocaretur, nempe mysterium, Sacramentum, commemoratio, Corpus Christi, vita, benedictio, fractio panis, panis supersubstantialis; sub ea tamen ratione, quatenus offertur ut Hostia, sic appellabatur oblatio, Sacrificium, Missa, liturgia. Et quidem nomen Missæ vetustissimum est, quod nomen ab ipsis Apostolis Petro & Paulo traditum fuisse, magno cum fundamento autumat Cæsar Baron. ad an. Chr. 34. n. 16. siquidem hac voce usus est Pius I. Papa Apostolis proximus in ep. ad Justum Vienn. in Biblioth. PP. Cornel. Papa in ep. ad Lupicin. Concil. Roman. sub Sylvestro, Carthaginense, Agathense, & alia. Item Ambr. ep. 33. ad Marc. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione DEUM, &c.* Et Aug. serm. 251. de temp. *In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus &c.* Videtur hæc vox desumpta ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura, ubi nomen Missah, (quo Moyses Deut. c. 16. v. 10. primum primitias DEO oblatas nominavit) spontaneam oblationem significat. Alii cum Bellarmino L. 5. de Euch. c. 1. de voce Missa, probabiliter censent nomen Missæ invaluisse à dimissione populi, quæ fit in fine Sacrificii, cùm dicitur ad populum: *Ite Missa est*; nam antiquitus collecta pro collectione, emenda pro emendatione, missa pro missione, vel dimissione usurpabatur; sicut & S. P. Benedictus c. 17. Regulæ loquens de dimissione Fratrum à Divino officio, hâc voce usus est: *Post expletionem verò trium Psalmorum recitetur lectio una, versus, Kyrie eleison, & Missæ sint, &c.*

Græci verò variis nominibus Sacrificium appellabant: nempe mystagogiam, hierurgiam, προσφορὰ, h. e. oblationem &c. Inter quæ usitatissimum eminebat nomen *Liturgiæ*, quod in suo etymo denotat functionem publicam. Idque adhuc reperitur inscriptum in titulo Græcarum & antiquissimarum Missarum, Liturgia S. Petri, S. Jacobi, S. Basilii, S. Ambrosii. 7.

§. III.

Sacrificium Missæ probatur figuris, & authoritatibus Veteris Testamenti.

PRimus, isque celeberrimus locus est ex Ps. 109. v. 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, ubi David expressè agnoscit Sacerdotium & Sacrificium Christi præfiguratum in Melchisedech, de quo Gen. 14. v. 18. dicitur, quòd Melchisedech Rex Salem, simulque Sacerdos DEI Altissimi protulerit panem & vinum, quam panis & vini prolationem fuisse verum Sacrificium satis indicat S. textus per causalem adjunctam: *Erat enim Sacerdos DEI Altissimi*; sunt quippe correlativa Sacerdos & Sacrificium, nec invenitur aliud Sacrificium fuisse oblatum à Melchisedech; velut etiam agnoscit D. Paulus Hebr. 5. v. 6. & 10. Cùm igitur Melchisedech fuerit Christi figura in Sacrificio panis & vini, etiam Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech offerendo & sacrificando sub speciebus panis & vini suum Corpus & Sanguinem, quod nunquam aliàs factum, quàm in ultima Cœna. Sicut ergo in cruento Crucis Sacrificio Abel fuit figura Christi, ita in incruento altaris Sacrificio Christum per Melchisedech præfiguratum agnoscunt SS. PP. Cyprianus ep. 63. Clem. Alex. l. 4. Strom. Basil. in Ps. 109. Ambros. L. 4. de Sacr. c. 6. Epiph. hær. 55. Hier. ep. 17. ad Marcell. dicens: *Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui ordo hic est, quod Melchisedech Sacerdos DEI fuit, quod panem & vinum obtulit.* Item Chrysost. in Ps. 109. Aug. de doctr. Christ. L. 4. c. 21. & alibi. 8.

Alter percelebris locus est apud Malach. Prophetam c. 1. v. 10. *Non est enim mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Quem locum de solo Missæ Sacrificio exponunt primitivæ Ecclesiæ PP. Just. M. in dial. cum Tryphone. *De vestris, inquit, gentium, quæ in communi loco offeruntur, Sacrificiis, h. e. pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ jam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* Item Clem. Rom. instit. Apost. L. 7. c. 3. D. Martialis in ep. ad Burdegal. c. 3. Irenæus L. 4. c. 32. Tertull. Cypr. aliique plurimi, quos vide apud Jul. Cæs. Cortur. & Bellarm. Neque potuisse à Propheta aliud Sacrificium, quàm

quàm Missæ intelligi inductione ostenditur: non enim poterat *primò* esse Sacrificium Aaronicum Judæorum, quia dicitur offerendum in gentibus, & antiqua munera respuenda: non *secundò* Sacrificia gentilium præcedentium, ut erant Job & Melchisedech, quia dicitur offerendum in omni loco: qua de causa neque *tertiò* intelligi potest cruentum Christi Sacrificium in Cruce, quod non nisi semel & in uno loco fuit oblatum, neque *quartò* potest intelligi Sacrificium metaphoricum bonorum operum, prout Novatores volunt; quia per ipsos nostra opera sunt immunda, hæc autem dicitur oblatio munda, & quia Propheta loquitur de nova oblatione prioribus opposita: sed bona opera omni tempore DEO fuerunt oblata, nunquam recusata: ergo non nisi de Sacrificio eucharistico locus iste potest intelligi.

10. Tertius locus ad probandum est figura Agni paschalis: quippe cùm omnia veteris legis Sacrificia fuerint figuræ Christi Domini non tantùm cruento modo in cruce, sed etiam incruento modo in Eucharistia sacrificandi; tum vel maximè Agni paschalis sacrificium cum azymis panibus oblatum & consumptum: unde Apostolus cùm 1. Cor. 5. dixisset: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, jubet nos *epulari in azymis sinceritatis & veritatis*. Sic præter alios plurimos SS. PP. apud Bellarm. & Gaulterium sæculo 1. §. 18. speciatim exponunt & deducunt S. Chrysost. in Ps. 95. S. Aug. L. 10. de Civ. c. 20. & serm. 8. de pass. S. Th. 1. 2. q. 102. a. 3.

11. Quartò: Apud Danielem c. 8. v. 11. & c. 12. v. 11. dicitur de Antichristo: *Auferet juge Sacrificium*: ergo habet Ecclesia Sacrificium, quod auferri potest: sed quodnam illud nisi Sacrificium Missæ, & illud juge?

12. Quintò, Isaias c. 66. v. 21. de nova lege DEUM inducit loquentem: *Et assumam ex eis Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus*: ergo DEUS in nova lege habet Sacerdotes. Si hoc, ergo etiam habet Sacrificium, cùm Sacrificium & Sacerdos sint correlativa: sed nullum aliud quàm eucharisticum: ergo.

§. IV.

Probatio ex novo Testamento.

13. PRobatur primò ex institutione Christi: nam Lucæ 22. Christus dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, Græcè διδόμενον, h. e. datum, & apud S. Paulum 1. Cor. 11. *Quod pro vobis frangitur*: ergo jam tunc in tempore præsenti Christus seipsum, suumque Corpus & Sanguinem dedit pro Apostolis, priusquam se ipsis daret comedendum & bibendum: sed hoc ipso Corpus & Sanguis erant Sacrificium & victima, quia pro hominibus dabatur, & offerebatur, ab ipsis postea tanquam victima consumendum, priusquam cruentè offerretur in cruce: cùmque Christus subjunxerit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo Apostoli & Sacerdotes eorum successores faciendo quod Christus fecit, per consecrationem panis & vini verum & incruentum offerunt Sacrificium.

Probatur secundò ex epistola ad Hebr. 13. 14
v. 10. ubi dicit Apostolus: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*, h. e. Judæi. Et 1. Cor. 10. v. 15. & seqq. triplex agnoscit altare, quod etiam *mensam* ibidem appellat, nempe Judæorum, gentilium, & Christianorum. ubi cùm dixisset, *Nonne qui edunt Hostias, participes sunt altaris?* subjungit: *Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non DEO. Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Ecce! agnoscit Apostolus altare, de quo fideles bibunt calicem Domini, uti ex opposito infideles de suo altari bibunt calicem dæmoniorum; ergo, sicut infideles dæmoniis in altari immolant victimas, de quibus comedunt & bibunt, ita & Sacerdotes fideles in suo altari immolant victimam incruentam, de qua pascuntur Christiani; cùm altare cum victimis & Sacrificiis sit correlativum, nec unum esse possit sine altero.

Probatur tertiò. Translato Sacerdotio anti- 15.
quæ legis ad legem novam, necesse quoque est transferri Sacrificium, siquidem, ut antè dictum, nullum est sine Sacrificio Sacerdotium: atqui Apostolus Hebr. 7. v. 12. dicit, translatum esse Sacerdotium ab antiqua lege ad novam: ergo in lege nova datur verum Sacrificium, idque non potest esse cruentum Sacrificium Crucis: primò, quia illud antecessit Legem novam, quæ primùm promulgata est in Pentecoste. Secundò, quia etiam post illud Christus *in æternum debet esse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, quod non est, nisi per incruentum Sacrificium Missæ. Tertiò, quia cùm lex nova in cultu DEI & religione non debeat esse imperfectior, sed perfectior lege antiquâ; ideo sicuti lex antiqua habuit perenne Sacerdotium & Sacrificium; ita multò magis debet habere Lex nova, cùm antiquæ legis Sacrificia & Sacerdotium fuerint tantummodo figura Legis novæ: sed nullum aliud est præter Sacrificium altaris: ergo. Sicut ergo præter Sacrificium Crucis ut futurum dabantur in antiqua lege Sacrificia ipsius prognostica, quibus DEO exhibebatur specialis cultus externus ipsi soli proprius; ita debuit in nova lege præter Sacrificium Crucis esse aliud perenne Sacrificium commemorativum illius, ne in ista perfectissima lege gratiæ esset defectus in exhibendo cultu externo, qui soli DEO est proprius: alii quippe externi cultus etiam hominibus exhiberi possunt, Sacrificium verò, quo protestamur, DEUM esse supremum Dominum vitæ & mortis, est cultus soli DEO proprius.

Probatur quartò ex Actorum 13. v. 2. ubi 16.
S. Lucas dicit: *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus*, in Græco habetur λειτουργούντων, quod etiam Erasmus vertit, *sacrificantibus* autem illis; quippe vox Liturgia, ut jam dictum, sacrum & quidem sacrificatorium DEI ministerium Græcis significat: unde patet, fuisse in primitiva Ecclesia Sacrificium, haud sanè aliud, quàm Corporis & Sanguinis Domini.

§. V.

§. V.

Probatio à consensu PP. & perpetuo usu Ecclesiæ.

17. PRimò conspicitur adhuc Romæ altare ligneum, in quo D. Petrus incruentum Sacrificium celebravit, & de ejus Liturgia, sive Ordine celebrandi Missam à S. Petro instituto præter D. Epiphanium hæresi 79. testimonium fert S. Isidorus Hispal. L. 2. offic. dicens: *Ordo autem Missæ, vel orationum, quibus oblata DEO Sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro institutus, cujus celebrationem uno eodemq; modo universus peragit orbis.* Accedit antiquissima traditio Civitatis Neapolitanæ, quòd, cùm D. Petrus relictâ Antiochiâ Romam iter faceret, SS. Altaris Sacrificium celebrârit, & quendam insignem civem Asprenum nomine ad fidem converterit. Cui traditioni fidem adstruit vetustissima Ecclesia, quæ propterea, quòd ibidem S. Petrus Missam celebrârit, appellatur vulgò, *ad D. Petri aram*, haberque hanc inscriptionem ostii:

Siste fidelis,
Et, priusquam templum ingrediaris,
Petrum sacrificantem venerare.

Pleraque etiam verba Liturgiæ S. Petri conveniunt cum verbis & ritibus Latinæ Missæ, quæ hodie usurpatur. Præter hanc extat Liturgia S. Jacobi Majoris, de qua testatur D. Clemens l. 8. Constitut. Apostol. Et Liturgia D. Jacobi Minoris, quæ citata habetur in Decreto Gratiani c. Jacobus. de consect. dist. 8. Quarta est Liturgia D. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, quâ communiter utuntur Æthyopes, quæ ex Lingua Æthyopica in Latinam conversa habetur in Biblioth. PP. to. 6. ubi pariter refertur quinta Liturgia D. Marci Evangelistæ, quâ utebantur Alexandrini. Ex quibus omnibus fit manifestum, antiquissimis & primis fidei Christianæ temporibus non tantùm substantiam Missæ & incruenti Sacrificii fuisse agnitam, sed etiam ritus, modumque illam celebrandi fuisse usitatum.

18. Secundò. Conspirant pro Catholica veritate testimonia primitivæ Ecclesiæ. Primò Acta passionis & martyrii S. Andreæ Apostoli ab ipsiusmet Discipulis conscripta referunt, S. Apostolum ab Ægea Proconsule Diis sacrificare jussum, respondisse: *Ego Omnipotenti DEO immaculatum Agnum quotidie sacrifico: qui, cùm sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatâ, integer perseverat & vivus.* Abdias Apostolorum Discipulus L. 7. Apost. hist. refert, Matthæum Apostolum & Evangelistam sacra mysteria ad altare celebrantem ab Hirtaci satellitibus martyrio fuisse affectum. S. Dionysius D. Pauli Discipulus Cœl. Hier. c. 3. *O Divinissimum; inquit; & sanctum Sacrificium, obducta tibi symbolicè operimenta ænigmatum revelans, dilucidè nobis demonstrare, ac spirituales nostros oculos singulari apertoq; lumine imple.* D. Ignatius Discipulus S. Joannis in ep. ad Smyrn. *Non licet*, inquit, *sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque Sacrificium immolare.* Et in ep. ad Rom. *Non gaudeo*, inquit, *nutrimento corruptionis, nec voluptatibus vitæ hujus, panem DEI volo, panem cœlestem, panem vitæ, quæ est caro Christi Filii DEI, &c.* S. Martialis à D. Petro missus in Galliam in ep. ad Burdegal. *Sacrificium DEO offertur in ara, non homini, neque Angelo.* Et postea: *Quòd Judæi per invidiam immolaverunt, putantes se nomen ejus à terra abolere, nos causâ salutis nostræ in arâ sanctificatâ proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam; & mortem effugiendam. Hoc enim ipse Dominus noster jussit nos agere in sui commemorationem.* S. Clemens III. Pontifex Romanus S. Petri Discipulus L. 6. constit. Apost. c. 13. *Pro Sacrificio cruento incruentum & rationabile, atque illud mysticum Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod in symbolis mortis ejus celebratur.* Ibidem L. 8. c. 5. exprimit ipsum nomen Missæ cum cæremoniis & circumstantiis. *In aliis locis* (inquit præter alia) *sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecratus fuerit. Aliter enim hæc non sunt agenda, &c.* Ecce! quâ veritate Novatores dicant, Missas esse novitium commentum, & primùm à S. Gregorio M. introductas.

19. Tertiò. Sacrificium Missæ docent PP. secundi sæculi, S. Alexander I. S. Sixtus I. Telesphorus, Hyginus, Pius I. & Soter; omnes Summi Pontif. quorum textus videre est in to. 1. Concil. & in Decreto Gratiani *de consecr. dist. 1. & 2.* S. Justinus M. in dial. cum Tryphone, *Neque verò*, inquit, *à quoquam DEUS hostias accepit, nisi à suis Sacerdotibus. Omnes igitur, qui hujus nomine Sacrificia offerunt, quæ Jesus Christus fieri tradidit, hoc est, in Eucharistia panis & calicis, quæ in omni terræ loco à Christianis fiunt, præveniens DEUS grata sibi esse testificatur.* Eandem veritatem astruit S. Irenæus L. 4. c. 32. & Tertull. præter alia plura in L. de orat. c. 14. *Accepto Corpore Domini & reservato, utrumq; salvum est & participatio Sacrificii & executio officii.* Posterioribus verò sæculis innumera sunt SS. PP. Cypriani, Cyrilli, Gregorii Naz. & Nysseni, Ambrosii, Chrysostomi, aliorumque PP. testimonia, quæ videre est apud Bellarminum & Gaultetium. Speciatim D. Augustinus, quem etiam Novatores reverentur, L. 9. confess. c. 13. S. matris suæ Monicæ ultimam voluntatem describens, sic ad DEUM loquitur: *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, &c.* Et in Man. c. 11. orat, sibi adesse divinum auxilium, dum offert cœleste Sacrificium, *quod* (sunt verba ipsius) *tu Domine Deus meus Sacerdos immaculate instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, &c.* to. 6. L. 1. con-

sunt panis & vini species, quia tantùm sub speciebus Christus offertur; partem quoque formalem, quæ est certa significatio, denotat: exprimitur enim repræsentatio cruenti Sacrificii in Cruce oblati; nam sicut in Cruce Sanguis fuit separatus à Coropore, ita in Missæ Sacrificio per consecrationem sub utraque specie ex vi verborum separatim sub speciebus panis ponitur Corpus, & sub speciebus vini Sanguis Christi: quamvis concomitanter ponatur utrumque, ut suprà dictum.

25. Inferes secundò: Non obstare Sacrificio eucharistico, quòd sit testamentum, Sacramentum, & repræsentatio Sacrificii cruenti in Cruce: cùm hæc omnia in una eademque re juxta varias considerationes valeant adunari. Est igitur Sacramentum, quatenus est signum visibile invisibilis gratiæ: est testamentum, quatenus est authenticum instrumentum divinæ voluntatis & promissionis vitæ æternæ: est repræsentatio, quatenus institutum est in memoriam Sacrificii cruenti: & est Sacrificium, quatenus offertur modo priùs exposito in agnitionem supremi dominii Divini.

26. Inferes tertiò. Panem & vinum non esse principalem materiam hujus Sacrificii, hæc enim est ipse Christus secundùm Corpus & Sanguinem. Unde Tridentinum cit. sess. 22. c. 1. *Una eademq; est Hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Et: *Idem Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Est tamen minùs principalis, & cum addito, *materia transiens*, siquidem substantia quoque panis & vini in Sacrificio Missæ verè offertur, immutatur & destruitur per conversionem in Corpus & Sanguinem Christi, cujus respectu se habet ut terminus à quo.

27. Inferes quartò: Sacrificium Missæ esse verè propitiatorium pro peccatis, prout est definitum in Trid. sess. 22. c. 2. Et constat primò ex Apostolo ad Hebr. c. 5. v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis;* sed Christus in institutione Eucharistiæ verus fuit Pontifex & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & Apostolos eorumque successores constituit Sacerdotes, qui hoc ipsum Sacrificium suo nomine inque sui memoriam offerrent, dicens; *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo hoc Sacrificium est verè propitiatorium pro peccatis, & ideo, ubi Latina versio apud Lucam c. 22. habet: *Hic calix est novum testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur*, habetur in origine Græcâ, *qui pro vobis effunditur in remissionem*; ad significandum, quòd in ipsa consecratione jam facta sit mystica & sacrificialis effusio SS. Sanguinis pro peccatis hominum.

Constat secundò ex Liturgiis & testimoniis SS. PP. præsertim primitivæ Ecclesiæ. Nam primò in Liturgia S. Jacobi habetur: *Offerimus tibi venerandum hoc & incruentum Sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis populi*, quorum similia habentur in antiquissimis Liturgiis S. Basilii, S. Ambrosii S. Chrysostomi, quas refert citatus Pamelius. Secundò. D. Martialis antè cit. cùm dixisset, Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in ara sanctificatâ offerri, addidit: *pro peccatis nostris.* Alexander I. qui fuit circa an. 109. in ep. ad Episcopus orthod. *Crimina enim atque peccata oblatis his sacrificiis delentur.* Eadem habent Justinus M. suprà cit. Orig. ho. 13. in c. 23. Levit. M. Athanas. apud Damasc. in serm. de defunctis. ubi expressè asserit Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium, esse hostiam propitiationis &c. Nominatim D. Ambros. l. 1. de offic. c. 48. *Nunc*, inquit, *Christus offertur quasi recipiens passionem, & offert se quasi Sacerdos, ut ut peccata nostra dimittat.* Et August. l. 3. qq. in Vet. Test. q. 57. in Lev. inquit: *Sacrificiis antiqui testamenti unum hoc Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium nostrum significari, in quo vera fiat remissio peccatorum.* Nec refert, quòd hoc Sacrificium sit eucharisticum, hoc est à gratiarum actione dictum, neque enim ista inter se pugnant, & eodem Sacrificio pro acceptis beneficiis gratias agere, & pro ingratitudine admissa deprecari.

Inferes quintò: Sacrificium Missæ rectè offerri pro defunctis: nam primò suppositâ veritate Purgatorii non est ratio major, cur Missa sit Sacrificium propitiatorium pro vivis, quam pro defunctis. Si enim Sacrificium antiquæ legis poterat prodesse defunctis, uti habetur in l. 2. Machab. c. 12. quantò magis novæ legis Sacrificium eucharisticum. Secundò hoc probant Liturgiæ allegatæ & praxis Ecclesiæ antiquissima. Ac Tertiò Authoritas PP. è quibus D. Aug. in præcit. l. 9. Confess. testatur à S. Matre Monica moriente petitam sui *memoriam ad altare Domini.* Idem serm. 32. de V. Apost. *Orationibus verò S. Ecclesiæ & Sacrificio salutari & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari.* Et Enchirid. c. 109. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatori offertur, &c.* 28.

Inferes sextò: In Missa rectè adhiberi cæremonias, quæ partim consistunt in determinata forma precum, partim in quibusdam actionibus, ut sunt genuflexio, inclinatio &c. partim in certo vestitu & cultu tum sacrificantium, tum altarium. Ratio est, quòd in Ecclesia sit authoritas præscribendi ritus observandos in Cultu Divino: uti indicat Apostolus 1. Cor. 13. v. 10. & agnoscit D. August. ep. 118. c. 6. scribens: *Christus non præcepit quo deinceps ordine* (Cœna) *sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispensaturus erat, hunc servaret locum.* Atqui Ecclesia ab antiquissimis temporibus, & exemplo Sacerdotii antiquæ legis præscripsit hos ritus, qui de facto servantur in Canone, SS. Vestibus, luminaribus aliisque, prout constat ex præmemoratis Liturgiis, constitutionibus Clementis Romani, Sixti I. Anacleti, & SS. PP. quos magno numero refert Reding. in dissert. 8. de Miss. sacrif. se. 4. c. 3. 29.

cerdos in propria persona, unde præmittit: *Domine, non sum dignus* &c. neque ipsa est propria Sacerdoti, sed communis cum populo; consecratio verò peragitur in persona Christi, ex verbis præmissis, *qui pridie, quàm pateretur.* Ipse etiam Christus tantùm legitur in ultima Cœna consecrâsse & distribuisse Eucharistiam, an verò ipse sumpserit, dubium est; ergo Sacrificii essentia non in sumptione, sed in consecratione consistit.

3. Probatur tertiò: In illa sola actione consistit formalis ratio Sacrificii, in qua per se repræsentatur cruentum Sacrificium Crucis: quia ut inquit. S. D. q. 83. a. 1. in c. *Celebratio hujus Sacramenti imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio.* Sed hoc per se repræsentatur solâ consecratione, per quam vi verborum fit mystica separatio sanguinis à corpore; in quantum per consecrationem vini vi verborum directè ponitur solus sanguis, & per consecrationem panis vi verborum solum corpus.

4. Probatur quartò. Participatio Sacrificii jam peracti non est ipsum Sacrificium: sed sumptio est participatio Sacrificii jam peracti: ergo non est ipsa sumptio. Major ex terminis patet, minor probatur ex Concil. Toletano dicente: *Quasi non sit toties illi sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis immolatio facta constiterit:* ubi est manifesta distinctio inter ipsum sacrificium, ejusque participationem.

5. Probatur quintò. In illa actione consistit essentia sacrifici, in qua sola reperiuntur omnes conditiones essentiales sacrificii: sed istæ reperiuntur in sola consecratione: ergo. Minor probatur: Primò consecratio est oblatio corporis & Sanguinis Christi, non quidem verbalis, sed realis & in actu exercito exhibita, quâ Corpus & Sanguis Christi tanquam victima DEO præsentatur. Secundò, per illam Hostia mysticè immutatur, per separationem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini vi verborum consecrationis sub speciebus panis ponitur solum Corpus, sub speciebus vini solus Sanguis, sicque fit mystica & Sacramentalis mactatio Christi, sanguinisque effusio, realiter repræsentativa effusionis factæ in Cruce. Hæc demum omnia fiunt à legitimo ministro in contestationem supremi dominii, quod habet DEUS in omnes creaturas: unde nulla desideratur conditio ad essentiam Sacrificii requisita.

§. II.

Corollaria.

6. Colliges primò. In sumptione non reperiri sufficientem mutationem, quâ significetur, DEUM esse dominum & arbitrum vitæ & mortis. tum quia per illam solæ species corrumpuntur, non victima oblata destruitur: tum quia illa specierum corruptio non fit in altari, dum Sacrificium peragitur, sed in stomacho Sacrificio jam finito.

7. Colliges secundò. Sumptionem Eucharistiæ nihilominus esse partem integralem Sacrificii, magisque necessariam, quàm alias partes. Ratio primi membri est; tum quia ad accidentalem perfectionem & integritatem Sacrificii pertinet, ut sacrificans fiat particeps Sacrificii, prout colligitur ex textu Concilii Tolet. supra citati; tum quia hoc Sacrificium est simul convivium, ad cujus consummationem pertinet sumptio, estque simul Sacramentum, quod effectum suum confert in sumptione. Hoc Sacramentum (inquit S. D. q. 83. a. 4. in c. simul est Sacrificium & Sacramentum, sed rationem Sacrificii habet, in quantum offertur, rationem autem Sacramenti, in quantum sumitur. Ratio secundi est; quia aliæ actiones, ut oblatio verbalis, fractio Hostiæ &c. sese habent tanquam cæremoniæ de præcepto ecclesiastico servandæ; sumptio verò est ex præcepto divino indicato per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem;* ubi Christus non tantùm Apostolis contulit potestatem Corpus suum consecrandi, sed illud etiam sumendum porrexit. Unde si quo casu Sacerdos post consecrationem impediatur à Sacrificio perficiendo, per alium Sacerdotem compleri debet.

Colliges tertiò. Esse de essentia Sacrificii Missæ, pariterque juris divini, neque à Summo Pontifice dispensabilis, ut consecratio fiat sub utraque specie, quippe de essentia Sacrificii Missæ est, ut sit repræsentativa & mystica separatio Corporis ac Sanguinis Christi: sed talis non est absque consecratione sub duplici specie, prout hactenùs dictum: ergo consecratio sub utraque specie est de essentia Sacrificii Missæ. Fabulam illam ex Volaterrano objectam de dispensatione consecrandi sine calice ab Innocentio III. Norvvegis data jam suprà explosimus. 8.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primò: De ratione Sacrificii est participatio ipsius: sed in Sacrificio Missæ sumptio est participatio Sacrificii: ergo hæc est de ratione Sacrificii Missæ. 9.

Respondeo negando vel distinguendo majorem: Est de ratione accidentali ipsius, concedo; essentiali, nego. Instantia est in holocaustis antiquæ legis, quæ erant propriissimè Sacrificia, & tamen in illis nihil participandum relinquebatur offerentibus vel Sacerdotibus, cùm tota victima combureretur.

Objicies secundò. Inter essentiales conditiones Sacrificii est realis immutatio & mactatio victimæ: sed consecratio non est realis immutatio victimæ: ergo non habet omnes conditiones Sacrificii. Minor probatur: Illâ actione, quâ ponitur victima, non mutatur, mactatur, aut destruitur: sed victima Sacrificii Missæ, quæ est Corpus & Sanguis Domini, ponitur per consecrationem: ergo per illam non mutatur & mactatur. 10.

Respondeo distinguendo majorem: Inter essentiales conditiones Sacrificii est realis immutatio & mactatio, physica, vel mystica, concedo; tantùm physica, nego. Sed consecratio non est realis immutatio & mactatio victimæ physica, concedo; mystica nego minorem, & consequentiam.

tiam. Ad probationem distinguo majorem: Productio non est mactatio & destructio victimæ, nisi ex ipso modo ponendi victimam, habeat efficaciam ponendi corpus à sanguine separatum, concedo; secus, nego. vel subdistinguo majorem: non mactatur physicè, concedo; mysticè, nego majorem. Sed per consecrationem ponitur Corpus Christi, ita ut vi positionis poneretur sine sanguine, concedo; secus, nego minorem: ergo per illam victima non mactatur, vel mutatur, nego consequentiam. Vel subdistinguo consequens, non mactatur physicè, concedo; mysticè, nego.

Inquis: Si sufficeret ad rationem Sacrificii repræsentativa mactatio Hostiæ, tunc qui in tragœdia exhiberet Sacrificium Jephte, faceret verum Sacrificium: consequens est absurdum: ergo.

Respondeo, negando sequelam: Quia illa tragica repræsentatio nō est victimæ à Jephte sacrificatæ oblatio, neque facit illam realiter & novo modo existere, quo significetur supremum DEI dominium in vitam & mortem, prout fit in repræsentativa mactatione Hostiæ eucharisticæ.

11. Objicies tertiò: Illud est de essentia Sacrificii Missæ, quod repræsentat passionem Christi; sed hanc repræsentat sumptio, quia sic loquitur Apostolus loc. cit. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, &c.*

Respondeo distinguendo majorem: Quod repræsentat formaliter ratione sui, concedo; ratione alicujus præsuppositi, nego: sed sumptio repræsentat passionem Christi ratione consecrationis præsuppositæ, concedo; ratione sui, nego minorem, & consequentiam. Quo modo explicandus quoque est textus Apostoli.

12. Objicies quartò: In die Parasceves nulla fit Hostiæ consecratio, & tamen offertur Sacrificium; siquidem Sacerdos orat: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, &c.* ergo Sacrificium constat absque consecratione.

Respondeo: In Parasceve nullum fieri Sacrificium, sed nomine Sacrificii intelligi Hostiam pridie in Sacrificio consecratam, quæ tunc à Sacerdote pro totius populi utilitate, omniumque nomine offertur, & sumitur.

ARTICULUS III.

De valore & fructu Sacrificii Missæ.

SUMMARIA.

1. *Quot sint offerentes in Sacrificio Missæ?*
2. *Quid intelligatur per valorem & fructum Sacrificii?*
3. *Quid sit valor intensivè vel extensivè infinitus?*
4. *Valor Sacrificii Missæ est infinitus quoad sufficientiam.*
5. *Probatio ex Trid. & Chrysost.*
6. *Probatio ex virtute producendi effectus syncategorematicè infinitos.*
7. *Est valor infinitus tam intensivè, quàm extensivè.*
8. *Quoad applicationem tamen & efficaciam est finitus.*
9. *Cur unicum sit Sacrificium Crucis, & multa Sacrificia Missæ?*
10. *Fructûs Sacrificii variæ divisiones.*
11. *Missa à pluribus æqualiter oblata, æqualiter prodest.*
12. *Ita contingit, cùm plures Sacerdotes unam hostiam consecrant.*
13. *Missa pro pluribus oblata non tantum prodest singulis, quàm si esset oblata pro uno.*
14. *Disparitas de pluribus offerentibus.*
15. *Quomodo obtingat fructus illis, qui in memento Missæ commendantur?*
16. *Quisnam inter Missæ fructus sit potior?*
17. *Ad omnes pertinet fructus ex opere operato.*
18. *Sacrificium Missæ ex opere operantis producit omnes fructus, quos aliud opus meritorium.*
19. *Causat ex opere operato remissionem peccatorum tam mortalium quàm venialium.*
20. *Remissio peccatorum mortalium tantùm est effectus mediatus.*
21. *Nec non peccatorum venialium.*
22. *Pœna temporalis ex opere operato immediatè remittitur.*
23. *Effectus Sacrificii est etiam impetratio beneficiorum tam spiritualium, quam temporalium.*
24. *Qui fructus licet non sit infallibilis, tamen est ex opere operato.*
25. *Quinam sint effectus infallibiles, vel fallibiles?*
26. *Prodest solis viatoribus justis fructus satisfactorius.*
27. *Nec remoto obice reviviscit.*
28. *Prodest defunctis ex infallibili promissione Christi.*
29. *Pro quibus viventibus Missa possit offerri.*
30. *Pro excommunicatis Missa nec validè, nec licitè offertur.*
31. *Pro quibus defunctis Missa possit offerri.*
32. *Ad lucrandum fructum Sacrificii requiritur, ut illum Sacerdos applicet.*
33. *Fructus generalis & specialissimus non pendet ex intentione Ministri.*
34. *Valet specialis applicatio Sacerdotis facta contra obligationem justitiæ, & obedientiæ.*
35. *Quo casu Sacerdos tamen operatur ut Minister Christi.*
36. *Applicatio est facienda vel in, vel ante consecrationem.*
37. *Nec potest fieri sub conditione eventûs contingentis in futurum.*
38. *In fundationibus factis pro singulis hebdomadis licet anticipare Sacrum.*
39. *Quò perveniat fructus per oblivionem non applicatus?*
40. *Ad applicationem Sacrificii sufficit intentio habitualis.*

§. I.

§. I.

An valor Sacrificii Missæ sit infinitus?

1. PRæsuppono. Quadruplicis generis offerentes dari in Sacrificio Missæ. Primus & primarius est Christus ipse juxta D. Th. q. 38. a. 1. ad 3. & Trident. sess. 22. cap. 2. ipse quippe est *Sacerdos in æternum*, in cujus persona sacerdotes Sacrificant tanquam legati & ministri ipsius: ideòque sicut ad effectum Sacramenti ex opere operato non refert, an Minister sit magni, parvi, vel nullius meriti, quia *ipse est qui baptizat*, ita ad fructum Sacrifici ex opere operato parùm refert sanctitas ministri, quia *ipse est, qui sacrificat*. Post Christum præcipuus offerens est sacerdos, quippe in hunc finem speciali ordinatione & charactere consecratus, de quo superiùs dictum. Tertius offerens est ipsa Ecclesia, sive fideles. Quartus sunt assistentes Sacrificio, illudque adjuvantes: ubi tamen observant Salmantic. ipsos tertii, & quarti generis offerentes minùs propriè & tantùm mediatè ac denominativè dici offerentes, in quantùm per manus Sacerdotum offerunt Sacrificium. Atque ita generaliter & communiter omnes fideles dicuntur offerre Sacrificium per illa verba canonis: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, &c. qui tibi offerunt &c.* in quantum sacerdos offert omnium nomine. In quarto genere offerentium illi potissimùm considerantur, & majorem referunt fructum, quorum major est influxus & concursus ad Sacrificium, idque fit dupliciter, primò petendo vel procurando per eleemosinam vel stipendium Sacrificium Missæ, secundò adjuvando, respondendo, inserviendo.

2. Notandum secundò. Valoris nomine intelligi moralem illam dignitatem & æstimabilitatem, quam sortitur Sacrificium tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ. Fructus verò Sacrificii est effectus, qui illius valoris intuitu confertur. Si igitur valor Missæ consideretur ex parte Ecclesiæ offerentis, sive etiam ex propria persona & merito sacerdotis, aut populi simul offerentis, certum est tam valorem, quàm fructum Sacrificii esse finitum, nam & dignitas Ecclesiæ, utpotè constantis ex puris creaturis & multò magis sacerdotis, & assistentium est finita, ac limitata. Unde quæritur de Sacrificii valore, quatenùs offertur in persona Christi.

3. Notandum tertiò. Valorem posse dici infinitum intensivè, vel extensivè. Infinitus intensivè est, qui potest producere fructum majorem & perfectiorem in infinitum; extensivè infinitus dicitur, qui potest plures & plures effectus, aut in pluribus subjectis in infinitum producere. Tunc igitur valor utroque modo est infinitus, quando neque certus gradus, neque numerus subjectorum vel beneficiorum assignari potest, ad quem virtus ipsius limitetur. His positis sit

4. CONCLUSIO. *Valor Sacrificii Missæ est infinitus quoad sufficientiam; finitus verò quoad efficientiam h. e. quoad effectum & applicationem, quæ confertur secundùm quantitatem dispositionis humanæ.* Ita D. Th. q. 79. a. 5. dicens: *Quamvis hæc oblatio ex sua quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel offerentibus secundùm quantitatem suæ devotionis.* D. Thomam sequuntur communiter Theologi, quos magno numero referunt Salmantic. tr. 5. de Missæ Sacrificio, p. 3. dub. n. 6.

Prima pars probatur primò. Sicut valor satisfactionis à dignitate satisfacientis; sic valor Sacrificii desumitur à dignitate offerentis, reique oblatæ: sed tam primarius offerens, quàm hostia oblata sunt infinitæ dignitatis in Sacrificio Missæ: ergo & ipsum est infiniti valoris. Neque refert, quòd sacerdos minister Sacrificii sit finitæ dignitatis: cùm enim Sacrificium offerat in persona Christi, non ab ipsius; sed à Christi persona, tanquam principalis offerentis quantitas valoris accipitur.

Confirmatur primò. Idem est offerens, eademque hostia in altari, quæ fuit in Sacrificio Crucis: *una eademq; est hostia* (inquit Trid. cit.) *idemq; nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ*: ergo quemadmodum Sacrificium Crucis habuit infinitum valorem: ita etiam habet infinitum valorem Sacrificium Altaris. 5.

Confirmatur secundò. Eadem est Sacrificii dignitas oblati à sacerdote, quæ fuit Sacrificii oblati à Christo in ultima cœna: ergo sicut ista fuit infiniti valoris, sic & illa. Antecedens constat, quia quòd Christus fecit in ultima cœna, hoc in altari facit & peragit sacerdos tanquam legatus & vicarius Christi, juxta mandatum ipsius: *hoc facite in meam commemorationem.* Ideoque D. Chrysost. ho. 2. in. ep. ad Tim. *Volo*, inquit, *quiddam dicere planè mirabile, Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quámque sacerdotes modo conficiunt, nihil habet ista, quam illa minus, Cur id? quia non hanc sanctificant homines; sed Christus qui illam antè sacraverat.*

Probatur secundò. Virtus completa ad producendum effectum syncategorematicè infinitum est infinita; sed valor Sacrificii est virtus completa ad producendum effectum syntagorematicè infinitum: ergo est infinita. Minor probatur: quia crescente dispositione subjecti Sacrificium potest majorem fructum conferre in infinitum; multiplicatis etiam offerentibus, vel iis pro quibus offertur Sacrificium, multiplicari potest fructus Sacrificii infinitum, ita ut quilibet, si sit ritè dispositus Sacrificii fructum percipiat: ergo habet effectum syncategorematicè infinitum. 6.

Probatur tertiò. Sacrificium Missæ habet suum valorem ex annexa sibi satisfactione Christi in Cruce: sed ista fuit infinita quoad sufficientiam; ergo & ista. 7.

Ex quo colliges Sacrificii valorem esse infinitum tam intensivè, quam extensivè; siquidem fructus Sacrificii non tantùm potest in eodem subjecto crescere, sed etiam multiplicari & ad diversa subjecta extendi in infinitum.

Secunda pars probatur: quia Sacrificii valor ut applicatus in actu secundo producit suum effectum juxta dispositionem subjecti, sed ista semper est finita & limitata: ergo etiam valor Sacrificii quoad effectum & applicationem in actu secundo semper est limitatus.

Secundò. Valor Sacrificii non est major, quàm valor satisfactionis à Christo oblatæ in Cruce; sed iste tametsi fuerit infinitus quoad sufficientiam, fuit tamen finitus quoad applicationem: ergo similiter valor Sacrificii Missæ, quoad applicationem est finitus; cùm efficaciam suam sortiatur ex annexa satisfactione & merito Christi.

Tertiò. Si valor Missæ quoad actualem applicationem foret infinitus, sequeretur primò, quòd offerens Missam pro omnibus animabus in purgatorio detentis unâ vice vacuaret totum purgatorium: siquidem per unicam Missam exhiberet satisfactionem applicatam cum tanto valore, quantum est debitum omnium animarum ad satispatiendum. Secundò, quòd frustra multiplicarentur Missæ pro una anima, vel pro pœnæ temporalis remissione, siquidem infinitus valor unius Missæ pœnam omnem velut unâ spongiâ deleret.

9. Dices: Eò quòd Sacrificium Crucis fuerit infiniti valoris quoad sufficientiam, fuit unicum, & initerabile: ergo si etiam Sacrificium Missæ est infiniti valoris, unicum tantùm erit admittendum in tota Ecclesia.

Respondeo negando causalem antecedentis: non enim ideò fuit unicum, quia infinitum, sed quia oblatum tanquam meritum & pretium universale pro redemptione totius generis humani, quod proinde nullum recipit augmentum, neque per dona & beneficia humano generi in infinitum multiplicata exhauriri potest: quia verò hujus pretii & Sacrificii valor per Sacramenta & Sacrificium Missæ in particulari modo finito & pro determinato tempore applicatur in actu secundò, ideò sæpiùs iterari debent.

§. II.

Quis sit fructus Sacrificii, & quomodo conferatur?

10. NOtandum. Fructum Sacrificii Missæ trifariam dividi. Et primò ex parte causalitatis dividitur in fructum *ex opere operato*, *& ex opere operantis.* Ex opere operato est, qui independenter à merito & bonitate ministri confertur intuitu meritorum & satisfactionis Christi, in cujus persona Sacrificium offertur. Ex opere operantis est, qui confertur intuitu devotionis & bonitatis, quæ est in offerente. Secundò ex parte rei triplex est fructus: *meritorius*, est augmentum gratiæ & gloriæ, consequens ad meritum offerentis existentis in statu gratiæ: qui proinde fructus totus est ex opere operantis. *Satisfactorius*, qui est remissio pœnæ temporalis pro peccatis jam remissis debitæ. *Impetratorius*, qui est impetratio bonorum spiritualium, ac temporalium: qui duo fructus possunt esse tam ex opere operato, quàm ex opere operantis, sub impetratorio comprehenditur fructus propitiatorius & expiatorius, qui est remissio peccatorum. Tertiò ex parte participantium triplex est fructus Sacrificii. *Generalis* pro tota Ecclesia, cunctisque fidelibus; *Specialis* qui iis obtingit, pro quibus sacerdos ut Minister Christi Sacrificium specialiter applicat. *Specialissimus*, qui obtingit ipsimet sacerdoti offerenti. Quo posito.

Quæres primò. An si simul plures offerant eandem Missam, æquè Missa prosit. Singulis offerentibus æqualiter, quàm prodesset uni soli offerenti? 11.

Respondeo affirmativè cum Ysamberto, Oberascher, & communi.

Ratio est primò. Multiplicatis oblationibus etiam multiplicantur earum fructus, veluti cùm sacerdos sæpiùs iterat celebrationem Missæ; sed dum plures offerentes concurrunt, multiplicantur oblationes: ergo & earum fructus: adeoque cuilibet offerenti suus fructus specialis respondet, non autem idem fructus inter plures offerentes dividitur.

Ratio est secundò à posteriori: Si singulis Missam simul audientibus fructus non tribueretur in solidum, præstaret Missam audiri à paucioribus, quàm pluribus: sed hoc est absurdum; ergo Sequela probatur: quia si pauciores Missam audirent, major fructus singulis proveniret, quàm si plures audiant; adeoque præstaret audiri à paucioribus: sicut, quia secundùm inferius dicenda, fructus specialis dividitur & minuitur inter plures, præstat pro uno offerri sacrum, quàm pro pluribus. Minor constat ex communi sensu fidelium & doctrina DD. è quibus Victoria relatus à P. Sporer p. 2. c. 5. inquit: *Regulariter majoris valoris est Missa, ubi sunt multi, quam ubi sunt pauci: quoniam circumstantes etiam offerunt, sicut in Canone dicit Sacerdos: Pro omnibus circumstantibus, qui tibi offerunt &c.*

Unde Inferes. In casu, quo plures sacerdotes unam hostiam consecrant, prout fit in ordinatione, à singulis tantum recipi fructum, quàm si quilibet solus consecrâsset, quia cùm omnes sint offerentes, faciunt distinctas oblationes, quarum singulis respondet suus fructus in solidum. 12.

Quæres secundò. An Missa ab uno oblata pro pluribus, tantùm prosit singulis, quàm si pro uno solo offeretur? 13.

Respondeo negativè, sive Missa offeratur pro pluribus generatim & confusè, sive speciatim & distinctè. Ita Ysambert. cum communi DD. Ratio est primò: quia fructus tantò magis decrescit, quantò plures in partes dividitur: sed ex dictis fructus Sacrificii est actu finitus; ergo in quantò plures partes dividitur per applicationem pro pluribus, tantò magis decrescit in singulis; & consequenter de fructu Sacrificii non tanta portio ad singulos pervenit, quanta perveniret, si pro uno solo, vel pro paucioribus offerretur. Ratio est secundò. Si Missa æqualiter prodesset singulis, quando offertur pro pluribus, ac si pro quolibet seorsim & spe-

specialiter fuisset oblata, tunc malè faceret Sacerdos, si pro uno solo celebraret, & fideles frustra essent soliciti, vel pro una sola personâ Missa applicaretur, cùm nihil decederet de fructu Sacrificii, tametsi pluribus aliis applicaretur. Sed consequens est contra praxim fidelium, ergo & antecedens.

Si Dices primò. Si plures assistentes Missæ, eandem pro se offerant, singuli acquirunt fructum Missæ in solidum: cur non etiam si una Missa offeratur pro pluribus, singulis obveniat suus fructus in solidum? Secundò. De facto ex instituto Ecclesiæ Sacerdos applicat fructum Sacrificii omnibus, pro quibus orat in *Memento* tam vivorum, quàm defunctorum, neque tamen per hoc censetur aliquid decrescere illi, pro quo speciatim offertur Sacrificium: ergo tametsi Missa celebretur pro pluribus, non tamen ideo specialis fructus minuitur.

14. Respondeo ad I. esse disparitatem, quòd multiplicatis offerentibus multiplicentur oblationes, quarum singulæ habent suum fructum specialem: non autem multiplicentur oblationes aut fructus, quando solùm multiplicantur objecta pro quibus idem Sacrificium offertur.

15. Ad II. Respondeo. Fructum, quem illi obtinent, pro quibus Sacerdos in *Memento* orat, esse distinctum ab illo fructu, quem obtinent illi, pro quibus Sacrificium specialiter offertur, unde nullum huic infert præjudicium, cùm sit quædam distincta & repetita oblatio, prout testatur Layman c. 1. de Sacrif. n. 11. scribens: ***Communis & vera fidelium pervasio est, & si Sacerdos pro certa persona Missæ Sacrificium offerre debeat, nihil tamen illi decedere, si in propria persona, & ex privata devotione, idem Sacrificium pro se ipso & aliis pluribus personis, actionibus, seu petitionibus offerat, cùm enim hæ oblationes diversæ & repetitæ sint, quarum nulla alteram impedit, ideo singulis tantundem fructus impetrare possunt, quàm si una sola pro una persona fieret.*** Hæc ille.

Si petas ad quam speciem fructûs iste pertineat, quem accipiunt fideles, in Missæ *Memento* contenti?

Respondeo, pertinere ad fructum (ut Scotus vocat) inter ***generalem & Specialissimum***, qui non incongruè à quibusdam subdividitur in ***ministerialem***, h. e. illis proprium, pro quibus Missa speciali applicatione determinatè offertur; & ***specialem***, quem illi capiunt, qui Missæ Sacrificio intersunt, idque simul offerunt: ad quem iste quoque reducitur, quem Sacerdos in *Memento* suis amicis & commendatio impetrat.

16. Colliges ex dictis primò: Ex istis fructum maximum esse, quem Sacerdos ipse pro se lucratur, & specialissimus dicitur; proximum esse, quem illi accipiunt pro quibus specialiter & primariò Sacrificium offertur: deinde illorum, qui Sacrificio assistunt, simulque offerunt, & quorum in *Memento* Sacerdos specialem facit memoriam. Denique minimum esse fructum generalem, qui ad universos fideles pertingit.

17. Colliges secundò. Præmemoratos fructus conferri non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. Ratio est: quòd infinita dignitas & efficacia hujus Sacrificii exigit, ut quibuscunque capacibus applicetur, ipsis aliquem fructum conferat; sed omnibus prædictis modis applicatur: ergo in subjectis capacibus ex vi suæ dignitatis confert aliquem fructum & producit effectum, adeoque ex opere operato.

§. III.

Quomodo & quosnam effectus Sacrificium Missæ producat?

Respondeo I. Sacrificium Missæ ex opere operantis potest habere omnes effectus, quos habet aliud quocunque opus meritorium. Ratio est manifesta; quia Sacrificium est præstantissimus actus Religionis, adeoque si fiat ab homine justo, nihil ipsi deest, quò minùs fit meritorius, satisfactorius, aut impetratorius. 18.

Respondeo II. Sacrificium Missæ ex opere operato causat remissionem peccatorum tam mortalium quàm venialium quoad culpam, & remissionem pœnæ temporalis. Ita communis Theologorum, & constat ex Trid. sess. 22. can. 3. definiente, quòd hoc Sacrificium sit ***propitiatorium*** quod ***pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satis, factionibus, & aliis necessitatibus offerri debeat.*** Undè & S. Cypr. illud vocat, ***medicamentum simul & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates.*** Serm. de cœna Domini. Unde 19.

I. Partis Ratio est: Sacrificii propitiatorii effectus principalis est remissio peccatorum: sed Missa est Sacrificiũ propitiatoriũ, ergo ipsius effectus est remissio peccatorum, non tantùm venialium, sed etiam mortalium, & ***ingentium***, ut dicit Trident. mox referendum. Minor constat primò ex verbis ejusdem Tridentini modò adductis. Secundò ex ipsa forma consecrationis calicis, ubi dicitur ***qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*** Tertiò quia Sacrificium Missæ succedit sacrificiis antiquæ legis, quæ non tantùm erant impetratoria, sed etiam propitiatoria pro peccato, unde D. August. l. 17. de Civ. c. 20. ***Id Sacrificium successit omnibus aliis Sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Et Ecclesia: DEUS, qui legalium differentiam victimarum unius Sacrificii perfectione sanxisti***: sed de hoc jam priùs dictum a. 1.

Porro, quòd iste effectus sit ex opere operato, inde constat: quia confertur ob dignitatem ipsius Sacrificii independenter à merito, & bonitate ministri: unde cùm Trid. sess. 22. c. 2. dixisset: ***idem in missa peragi, & incruentè immolari, quod in ara crucis cruentè fuit immolatum,*** subjungit: ***Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.***

Colliges primò. Remissionem peccatorum mortalium non esse effectum Sacrificii immediatum, sed mediatum. Ita deducitur ex verbis Tridentini modò relatis, quibus dicitur, quòd DEUS per hoc Sacrificium peccata remittat, in quantum concedit gratiam ac donum 20.

donum pœnitentiæ, h. e. in quantum ex opere operato concedit auxilia gratiæ excitantia ad pœnitentiam, per quam homo disponatur ad percipiendam remissionem peccatorum: sed hoc est tantùm peccata mediatè remittere: ergo. Quod ipsum docet S. Th. in 4. d. 12. q. 2. a. 2. ad 4. dicens. *Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Et ratio est primò. Quòd secundùm præsentem DEI legem nemo cum sola attritione extra Sacramentum justificetur. Secundò, quòd sequeretur Sacerdotem in peccato mortali celebrantem in ipsa consecratione justificari, modò tunc esset attritus. Neque refert, quòd per Sacramenta mortuorum peccata mortalia immediatè remittantur: nam Sacramenta per se primò ordinantur ad sanctificandum, & si sint Sacramenta mortuorum, per se primò ordinantur ad hominis justificationem: Sacrificium verò per se primò ordinatur ad cultum Divinum, & tantùm secundariò ad hominis justificationem.

21. Colliges secundò. Etiam venialium peccatorum remissionem tantùm esse effectum mediatum: nam venialia remittuntur aut per actum aliquem meritorium, vel satisfactorium, aut per novum gratiæ augmentum, ut ex alibi dictis suppono; sed neutro modo sacrificium Missæ immediatè delet venialia; non primo modo, quia tunc intuitu Missæ solummodò conferuntur auxilia excitantia ad pios actus: Non secundo modo, quia sicut Sacrificium Missæ non producit immediatè primam gratiam, ita nec producit secundam.

22. Secunda pars de remissione pœnæ temporalis liquet ex citato Tridentino: neque aliàs fructuosè Missa pro defunctis posset offerri; siquidem in ipsis nihil nisi reatus pœnæ delendus remanet. Ex quo pariter liquet, hunc effectum esse immediatum; quia mediatus aliter non foret, nisi quatenùs impetraret actum aliquem satisfactorium: sed hunc in Defunctis impetrare non potest, quippe qui non ampliùs sunt propriæ satisfactionis capaces, sed solummodò satispatiendo pœnas luunt.

23. Respondeo III. Sacrificii Missæ quatenùs imtratorii effectus est impetratio variorum beneficiorum, tam spiritualium quàm temporalium, uti sunt sanitas corporis, serenitas aëris, frugum abundantia, felix iter, puerperium &c. quatenus ista quoque temporalia vel corporalia beneficia ulteriùs referuntur ad laudem DEI, & promovendam animæ salutem. Colligitur ex Tridentino dicente, Missam *pro aliis necessitatibus offerri debere.* Et ratio est primò, quia Sacrificium Missæ succedit Sacrificiis veteris testamenti: sed ibi dabantur sacrificia impetratoria variorum etiam temporalium beneficiorum: ergo hoc Sacrificium habet vim impetrandi ejusmodi beneficia. Secundò. Exhibitio bonorum operum, & orationes possunt ejusmodi beneficia à DEO impetrare: ergo multò magis exhibitio Sacrificii DEO gratissimi, & quidem in persona ipsius Christi.

24. Colliges primò. Hunc fructum non esse infallibilem; quantumvis enim sit admodùm verosimile, nunquam offerri Sacrificium pro impetratione alicujus beneficii, quin certò fructus aliquis impetretur, & redundet in petentem; tamen certum est, illud determinatum beneficium, pro quo impetrando Sacrificium offertur, non semper impetrari, sed esse reservatum Divinæ voluntatis arbitrio. An ideo impetratio beneficii non erit ex opere operato? quæstionem esse de nomine, rectè advertit Reverendissimus D. Oberascher. Equidem non video, cur non possit dici, esse ex opere operato; siquidem confertur intuitu meritorum Christi, sine dependentia ad meritum operantis, quamvis non conferatur infallibiliter, eò quòd nulla intercesserit absoluta promissio hæc & illa beneficia in particulari conferendi. Unde

Colliges secundò. Ex parte hominis solam 25. satisfactionem pro pœna temporali esse infallibilem effectum Sacrificii in non ponente obicem, propitiationem verò pro peccatis & impetrationem particularium gratiarum ac beneficiorum esse fallibilem; cùm enim primarius finis Sacrificii sit DEI cultus, laus, & gratiarum actio, promissio de remittendis peccatis & conferendis beneficiis in particulari non est nisi conditionata, si & in quantum ejusmodi effectus conducunt & subordinantur ad majorem DEI Gloriam, & ejus, pro quo postulatur, salutem. Est nihilominùs, ut dixi, verisimile, licèt non semper Sacrificium in persona Christi oblatum impetret hoc vel illud determinatum beneficium hîc & nunc obtinendum, aliud tamen beneficium ejus, pro quo postulatur, saluti consentaneum semper obtineri; sicuti licèt remissio actualis peccatorum non semper obtineatur per Sacrificium quà propitiatorium, semper tamen obtinentur auxilia saltem sufficientia ad obtinendam remissionem ipsorum.

§. IV

Quibus prosit, & pro quibus Sacrificium possit offerri?

Quæres primò. Quibus prosit hoc Sacrificium quoad fructum satisfactorium? 26.

Respondeo. Prodest solis viatoribus justis in gratia constitutis, adeòque pro ipsis solis fructuosè offertur. Ita communis DD. Et ratio est: quia non remittitur pœna temporalis, priusquam remittatur culpa mortalis: sed ista non remittitur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis: ergo nemini remittitur pœna temporalis nisi sit in justitia & gratia sanctificante constitutus. Unde fit, si Sacrum celebretur pro homine in statu peccati mortalis constituto, ipsi Sacrificium quoad fructum satisfactorium propter obicem peccati nihil prodesse; quamvis possit prodesse quoad fructum impetratorium. Sed

Quæres secundò. An saltem remoto obice 27. conferatur fructus satisfactorius?

Respondeo negativè cum communi; primò, quia Sacrificium est naturâ suâ iterabile; neque remanet in aliqua virtute à se relicta, ut proinde effectum suum usque ad obicis remotionem

nem possit suspendere. Secundò, quia sequeretur, quòd qui totâ vitâ vixisset in peccatis mortalibus, dummodò in fine vitæ reponeretur in statum gratiæ, acquireret omnem fructum omnium Sacrorum, quæ pro ipso fuerunt oblata.

Quæres tertiò. An defunctis sacrificium prosit ex infallibili lege & promissione Christi?

28. Respondeo affirmativè cum Suar. d.79.se 10. Azor, Dicastillo, aliisque contra Sotum & Canum tenentes negativam apud dictum Dicastillo. Ratio est: quia hoc Sacramentum à Christo est institutum tam pro vivis, quàm pro defunctis, unde cùm infallibiliter quoad satisfactionem prosit vivis, meritò sentiendum est similiter prodesse defunctis: nec est aliquod fundamentum in contrarium.

29. Quæres quartò. Pro quibus igitur viventibus Missa possit offerri?

Respondeo primò. Potest offerri I. pro infantibus vivis baptizatis, quia licèt non sint capaces Satisfactionis, bene tamen fructûs impetrationis. II. pro baptizatis adultis sive justis, sive injustis, quia isti licèt non possint recipere fructum satisfactionis, possunt tamen frui fructu impetrationis tum in ordine ad pœnitendum, tum ad alia beneficia recipienda. III. Pro catechumenis, siquidem Ecclesia in libro, qui inscribitur *Ordo Romanus* pro catechumenis, dum ad futurum baptisma præparantur, infra Canonem orat his verbis: *Hanc igitur oblationem*, &c. *quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere atque vocare dignatus es.* IV. Pro energumenis, quia nusquam reperiuntur exclusi. V. Pro infidelibus non excommunicatis, uti sunt pagani, Judæi, Turcæ &c. ut docet Bellarm. de Missa L. 2. c. 6. item Suar. Sylv. Gonet, Salmantic. contra Vasq. Sotum, Azor, Palao. Ratio est primò, quia est opus charitatis de se licitum & meritorium orare pro ejusmodi hominibus; ergo & sacrificare. Secundò nullibi legitur prohibitum. Tertiò quia in lege veteri Judæi pro Gentilibus obtulere sacrificia ut l. 1. Esdræ c. 6. pro salute Darii, & filiorum ejus. l. 1. Machab. c. 12. pro Spartiatis. Quartò quia id in primitiva Ecclesia practicatum colligitur ex illo Pauli 1. Tim. 2. *Obsecro fieri obsecrationes*, &c. *pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt*, quales tunc erant Gentilismo addicti.

30. Respondeo secundò. Nec licitè nec validè pro excommunicatis sive toleratis, sive non toleratis Missa dicitur. Est communis quoad primam partem, & habetur in *c. à nobis. 2. de sent. excommun.* Quoad secundam docetur à Suar. Filliuc. Bonac. Covaruv. aliisque apud Salmantic. c. 2. p. 2. n. 17. quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos ab interna suffragiorum communione, quæ maximè fit per Eucharistiæ Sacrificium & Sacramentum. Ratio, quòd neque valida sit ejusmodi applicatio, est, quòd cùm sacerdos offerat Missam ut publicus Minister Ecclesiæ, non sit in ejus potestate intentionem Ecclesiæ excommunicatos excludentis mutare. Vbi tamen ex communi sententia advertit & dicit Palao disp. un. p. 5. non impediri sacerdotem, quin privatim suo nomine offerat sacrificium pro hæreticis & excommunicatis, ut resipiscant & convertantur: sicut & alias privatas orationes pro ipsis potest offerre.

Quæres quintò. Pro quibus defunctis possit Missa offerri? 31.

Respondeo. Potest offerri pro solis fidelibus baptizatis, quippe fructûs satisfactorii & impetratorii capacibus. Vnde removentur primò parvuli ante baptismum mortui, item qui sine spe pœnitentiæ in statu gravis peccati decesserunt: non tamen penitùs excluduntur catechumeni, si casu aliquo ante baptismi receptionem sunt morte præventi, ut cum pluribus docet Henriq. L. 9. c. 15. omnes denique damnati quippe omnis beneficii supernaturalis simpliciter incapaces. Quamvis verò in Missæ sacrificio Ecclesia preces fundat, ut hoc Beatis Cœlitibus in honorem cedat, & gloriam accidentalem; sæpiùs quoque Missæ petantur & offerantur ad honorem alicujus sacramenti, non est tamen existimandum, quasi sacrum propriè offeratur pro Beatis, aut in ipsorum commodum & utilitatem, sed ut notat Suar. d. 78. se 3. vel offertur Missa, ut Beati magis magisque glorificentur in terris, quæ est nostra utilitas, vel offertur tanquam sacrificium eucharisticum laudis & gratiarum actionis pro beneficiis à supremo Numine in Sanctos profusis, quo & DEUS in Sanctis & Sancti in Deo accidentaliter glorificentur.

§. V.

Qualis intentio & applicatio requiratur?

Quæres primò. An requiratur in sacerdote intentio applicandi fructum Missæ? 32.

Respondeo. Ut Sacrificium Missæ ex opere operato prosit iis, pro quibus est offerendum, requiritur intentio sacerdotis & voluntas fructum Missæ certis personis applicandi. Est communis DD.

Ratio est, quia cùm sacerdos vi suæ ordinationis acceperit potestatem offerendi sacrificium Missæ pro vivis atque defunctis, illis prodest sacrificium, pro quibus offertur; sed pro illis offertur, quibus intentione & voluntate sacerdotis applicatur: ergo etiam illis prodest, quibus applicatur.

Inferes ex dictis primò. Fructum generalem, qui provenit ex intentione Ecclesiæ offerentis, non pendere à speciali intentione & applicatione Ministri; ideoque ad fideles pertingere, tametsi de hoc Sacerdos nihil cogitet: eo ipso enim quòd sacerdos sacrificet, agit ut publicus Minister Ecclesiæ, adeòque ex intentione Ecclesiæ operatur: sed est intentio Ecclesiæ, ut fructus generalis redundet in omnes fideles; ergo etiam hoc ipso quòd Sacerdos sacrificet fructus generalis redundat in fideles. Quod pariter dixeris de fructu specialissimo, qui obvenit Sacerdoti, hoc ipso quòd dignè celebret; deque fructu Missam audientium, quem accipiunt, eo quòd faciant unum moraliter, cum Sacerdote ritè sacrificans istorum nullam faciat applicationem: cùm in oblationibus, precibus & Canone Missæ expressa fiat ipsorum mentio. 33.

Inferes Secundò. Tametsi Sacerdos illicitè agat, & graviter peccet. si Missam alteri applicet quàm cui tenetur applicare vel ex justitia ratione stipendii, aut Stipis acceptæ; vel ex obedientia ob præceptum superioris; nihilominùs ejusmodi applicationem esse validam, eique provenire fructum Missæ ex opere operato, ad quem Sacerdos applicationem dirigit. Ita Suarez, cit. Coninck, Layman, cum communi: quia applicatio Sacrificii competit Sacerdoti ex potestate Ordinis, quæ ab alterius arbitio non dependet. Unde nulla est paritas, quam opponunt Scotus, Barbosa, Gavantus, & quidam alii, quòd superior possit irritare vota & juramenta subditorum; ergo poterit quoque irritare intentiones subditorum circa applicationem Missarum: negatur enim consequentia, quia subditi voluntas quoad potestatem sese moraliter obligandi subjicitur voluntati Superioris; non autem subjicitur quoad potestatem Ordinis ad quam pertinet valor applicationis.

35. Dices. Ut Sacerdos validè operetur, debet operari ut Minister Christi; sed non operatur ut Minister Christi, quando alteri applicat sacrificium, quàm cui tenetur applicare ex justitia vel obedientia; ergo non validè applicat. Minor probatur. Tunc non operatur ut Minister Christi, quando format intentionem contrariam intentioni & voluntati Christi: sed alteri applicando, &c. format intentionem contrariam voluntati Christi; ergo tunc non operatur ut Minister Christi. Minor constat: quia voluntas Christi; est, ut satisfiat præcepto justitiæ, vel obedientiæ, quo sacerdos obligatur.

Respondeo primò. Hoc argumento nimium probari, quia probat, nullam dari administrationem vel confectionem alicujus Sacramenti simul validam & peccaminosam; nunquam enim erit peccaminosa, nisi sit contra voluntatem Christi præcipientis. Respondeo secundò negando minorem & probationem distinguo: quando sacerdos operatur contra voluntatem Christi consecrativam & institutivam consecrationis sacerdotalis, concedo majorem, contra voluntatem præceptivam, nego majorem: sed alteri applicando, &c. sacerdos format intentionem contrariam voluntati Christi præceptivæ, concedo (& hoc facit actum illicitum) consecrativæ, quâ Christus vult illi provenire fructum, cui sacerdos liberè applicat, nego minorem & consequentiam. Neque refert, quòd istæ voluntates videantur apparenter contrariæ; sunt enim voluntates disparatæ de diversis objectis, quemadmodum de voluntate antecedenti & consequenti, signi, permissionis, beneplaciti dictum est in prima parte.

36. Inferes tertiò. Hanc intentionem & applicationem esse necessariò faciendam ante consecrationem, vel in ipsa consecratione: quia tunc jam dispensatur fructus sacrificii, quando sacerdos in persona Christi substantialiter offert Sacrificium; sed offert substantialiter in ipsa consecratione: ergo tunc fructus jam dispensatur: adeóque non per subsequentem intentionem dispensabilis.

Inferes quartò. Non posse fructum sacrificii validè applicari sub conditione contingente in futurum, v. g. *applico illi fructum, qui primus mihi daturus est eleemosynam*: nam uti effectus Sacramentorum, ita & dispensatio fructûs sacrificii non potest manere suspensus à futuro eventu: cujus potissima ratio est Christi institutio, declarata communi DD. Sententia, praxi Ecclesiæ, & Sum. Pontif, Clem. VIII. constitutione, cujus meminit Barbosa 2. part. alleg. 24. n. 12. & Peiryn. tom. 2. privileg. Minim. per quam improbatur consuetudo illorum, qui anticipatâ intentione celebrant Missam pro iis, qui proximè stipem sunt daturi, & Episcopis ac Prælatis exterminanda præcipitur. Et sanè ex opposita sententia sequeretur quòd posset aliquis sibjipsi applicare fructum sacrificii, cùm à peccato justificatus fuerit, vel infanti, aut alteri homini modò non indigenti, cùm in peccatum lapsus fuerit, &c quæ sunt contra sensum & praxin Ecclesiæ, prout cum communi tradit Layman. cit. c. 2. n. 13. 37.

Inferes tamen quintò. In hoc sensu licitam esse anticipationem applicationis; ut si ex obligatione capellæ, fundationis, &c. teneris certas Missas singulis hebdomadis legere, possit hebdomadâ & tempore antecedente ejusmodi applicationem facere, tunc enim fructus & applicatio non remanent in suspenso, neque præsumi potest, quòd funda-tores ad ejusmodi anticipationem sint inviti. Ita Pe. Ledesma, Diana, Riccius, Barbosa, Salmantic. cit. n. 30. 38.

Quæres secundò. Ad quem perveniat Specialis fructus sacrificii, in casu, quo Sacerdos obliviscitur ejusmodi applicationem facere? 39.

Respondeo cum Layman; illi tunc provenire, cui sacerdos saltem generali & implicitâ intentione fructum Missæ vult applicare, quod objectum, vel erit ipse sacerdos, vel illi, quibus sacerdos, specialiter est affectus & obligatus: *quisque enim* (inquit cit. Layman.) *Sacerdos pius & doctus, si de eâ re interrogaretur, ita animo & voluntate affectum se esse responderet.* Quòd si Sacrificium ne quidem generali intentione foret alicui applicatum, fructus remaneret in thesauro Ecclesiæ secundùm communem DD.

Quæres tertiò. Qualis debeat esse intentio applicativa sacrificii? 40.

Respondeo cum communiori. Non tantùm sufficere virtualem & implicitam, sed etiam habitualem non retractatam, ut si præcedenti die habuisti propositum celebrandi pro Petro! sequenti die tametsi de hoc nihil ampliùs cogites, tamen fructus Petro applicabitur, modò voluntatem non retractaveris: quia applicatio sacrificii non est ipsius confectio, quæ semper requirit intentionem actualem vel virtualem (uti etiam in Sacramentis) sed eandem comitatur: & se habet per modum donationis: Unde si hesternâ die cogitâsti fructum hodierni sacri Petro applicare, æquivalenter idem est, ac si donâsses fructum sub conditione hoc modò; *Dono Petro fructum sacrificii, si cràs celebravero*, quæ deinde dona-

donatio non revocata, impletâ conditione hodierni sacri transit in absolutam, & sortitur effectum. Magnif. P. Wibmperger in Tract. de Sacrific. In praxi suadent DD. cum Layman. loc. cit. ut sacerdos celebrans primariæ suæ intentioni alteram adjungat, in eventu quòd Sacrificium in prima intentione non sortiatur effectum propter incapacitatem subjecti, pro quo offertur, ut illud his, vel illis substitutis applicetur.

ARTICULUS IV.

De obligatione Ministri.

SUMMARIA.

1. *Potest justo titulo sacerdos accipere stipendium.*
2. *Uno sacro non satisfit pro pluribus stipendiis.*
3. *Non licet plura exigua stipendia ad unum conveniens propriâ authoritate redigere Missasque reducere.*
4. *Neque substituto ad sacrum legendum partem stipendii accepti subtrahere.*
5. *Contra justitiam peccat, qui accepto stipendio fructum alteri applicat.*
6. *Quoties sacerdos curatus sit obligatus ad celebrandum?*
7. *Quoties Capellanus obligetur?*
8. *Simplici sacerdoti decorum est quotidie celebrare.*
9. *Probabiliùs peccat mortaliter nisi aliquoties in anno celebret.*
10. *Quibus diebus sit licitum celebrare?*
11. *Quando sit licitum in una die sæpiùs celebrare?*
12. *Quodnam tempus & hora licitè celebrandi?*
13. *Quo in loco sit celebrandum?*
14. *Exponuntur obligationes sacerdotis circa usum sacrarum vestium rituum celebrandi.*
15. *Exponitur obligatio ipsius circa verba & ritus Canonis.*
16. *Quandonam liceat sacrum choatum interrumpere?*

§. I.

Obligatio, Ministri circa stipendium Missæ.

1. QUæres primò. Possitne quilibet sacerdos pro sacro dicendo stipendium accipere?

Respondeo. Potest accipere stipendium, non per modum pretii pro ipsa Missa, vel fructu percipiendo, quod foret Simoniacum; sed per modum sustentationis: *Quia dignus est operarius mercede sua.* Luc. 10. *& qui altari deserviunt, cum altari participant, &c.* Ita S. D. 2. 2. q. 100. a. 2. in c. & ad 2.

Porro justum stipendium esse censetur, quod lege, aut si non sit à legitimo superiore taxatum, id quod ex consuetudine dari solet, aut prudenti judicio sufficit, ad honestam sustentationem unius diei, vel saltem bonam partem ipsius. Unde ultra ejusmodi stipendium sacerdos exigere nihil potest: quamvis infra illud possit accipere, si nulla prohibitio stet in contrarium.

2. Quæres secundò. Quænam sit obligatio sacerdotis juxta accepta stipendia celebrandi?

Respondeo primò. Qui à pluribus diversa stipendia accepit, non satisfacit unicum sacrificium offerendo pro omnibus. Ita communiter DD. Ratio est: quòd dantes stipendium velint inde Sacerdotem sibi obligare ad totum fructum applicandum; atqui totus fructus non applicatur, qui tantò minor efficitur, quantò in plures per sacerdotis applicationem dividitur; atque ita declaratum est ab Alexandro VII. an. 1665. damnante hanc propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unicum offerre: neque est contra fidelitatem, &c.* Ubi pariter altera propositio damnatur, quòd liceat pro eâdem Missa duplicatum stipendium accipere, sub conditione partem specialissimam fructûs sacerdoti propriam relinquendi & applicandi danti stipendium.

Respondeo secundò. Non licet plura stipendia exigua pro pluribus Missis accepta ad unum vel pauciora redigere, ut unum vel pauciora sacra, quàm conventum fuerat, celebrentur: quia est contra obligationem justitiæ à sacerdote contractum per acceptionem minoris stipendii. Estque oposita sententia prohibita à S. Congr. Trid. Interp. 1. Iun. an 1621. cum obligatione restitutionis. Quo tamen non obstante possunt authoritate Episcoporum fundationes in justo stipendio nimiò decrescentes reduci ad minorem numerum. 3.

Respondeo tertiò. Non licet accepto liberaliori stipendio, alteri ad Missam persolvendam substituto accepti stipendii partem subtrahere: quem turpem quæstum condemnavit injustitiæ eadem Congregatio Interp. Trid. & meritò, quia illa pars reservata ad sacerdotem neque titulo donationis, neque oneris suscepti pertinet. Non titulo donationis, quia hanc non donatam, sed titulo oneris in se recepti datam fuisse supponitur. Non titulo oneris suscepti; quia totum onus in alium transtulit, adeoque & totum stipendium transferre debet. 4.

Respondeo quartò. Graviter peccat, qui ex fundatione obligatus, vel accepto stipendio ad sacrificium offerendum primarium fructum alteri applicat: quia illum defraudat fructu ex justitia debito. Similiter peccat, qui sive ex fundatione, sive ex stipendio, vel præcepto obligatus ad sacrum pro aliquo offerendum, illud diu differt: quia illum cui est obligatus, magno fructu privat; multò magis autem peccat, si prorsus omittat, teneturque ad restitutionem. Unde Sacerdos malè agit, si tot accipiat stipendia, ut iisdem non nisi post longum tempus possit satisfacere, & si fortè tam multa accepit, tenetur dato stipendio alios substituere per quos 5.

quos petentibus & stipendia præbentibus satisfiat.

§. I.I

Obligatio Ministri ratione temporis & loci.

6. QUæres primò. Quoties Sacerdos Curatus celebrare sit obligatus?

Respondeo primò. Sacerdos curatus tenetur toties vel per se, vel per alium celebrare, quoties plebs ipsi subdita ex præcepto obligatur audire Sacrum: hoc quippe est ipsius officium, ideoque accipit oblationes & decimas, ut oves pascat, eisque dispenset, quæ ad earum salutem sunt necessaria. Ita omnes.

Respondeo secundò. Quamvis curatus probabiliter non obligetur extra dies festos sæpiùs celebrare in hebdomada (nisi extet specialis fundatio, consuetudo, vel præceptum) est tamen de decentia ut sæpiùs in hebdomade Sacrificet, præsertim ubi reditus sunt pinguiores, & populus numerosior. Layman. c. 3. n. 2.

Respondeo tertiò. Non est gravis obligatio, ut cùm Parochus Missam ex officio celebrat subditis præsentibus, eandem pro ipsis applicet, ut docet Suar. dis. 86. sect. 1. nisi lex Diæcesana, vel consuetudo oppositum præscribat. Ratio est; quòd oblagtio officii pastoralis solùm exigat, ut parochus subditos pascat verbo, & administratione Sacramentorum, sed applicatio Sacrificii est extra hunc actum & munus pascendi ergo ad illam non datur obligatio: quamvis charitatis & æquitatis ratio suadeant, ut Ecclesiarum Pastores saltem aliquoties Missam pro creditis ovibus applicent.

7. Quæres secundò. Quoties Capellanus obligetur ad dicendum Sacrum?

Respondeo primò. Capellano incumbit toties & in eo loco sive per se, sive per alium celebrare Sacrum, quoties & in quo altari litteræ fundationis requirunt. Si obligatio sit quotidiana, subintelligendum esse, quatenùs Capellanus potest salvâ devotione, docent Abbas in *c. significatum. de præbendis.* Azor, Tolet. aliique apud Layman citatum.

Respondeo secundò. Si Capellanus morbo ad breve tempus, putà unam alteramve hebdomadam impediatur à Sacro, ad quod dicendum ter quatérve in hebdomade obligatur, non est obligatus ad compensandum, cùm non videatur Ecclesia, vel Fundator ipsum obligare sub tanto rigore. Sin verò impedimentum, vel morbus diutiùs duret, Vicarius erit substituendus, ne Ecclesia & Fundator suo speciali fructu priventur. Ita DD. citati.

8. Quæres tertiò. Quoties simplex sacerdos celebrare teneatur?

Quamvis valdè consultum & decorum sit sacerdoti quotidiè sacrificare, juxta antiquæ Ecclesiæ consuetudinem cùm ad hunc finem sacerdos in sua ordinatione specialem gratiam acceperit, habeátque suo tempore parata auxilia ad dignè celebrandum; nisi subindè sacerdos minùs dispositum se sentiens ob reverentiam Sacramenti consultiùs judicet à Sacro faciendo, tamen controversum, est an sacerdos mortaliter peccet, si non aliquoties saltem in anno celebret? Non desunt graves Authores, ut Bonav. in 4. d. 13. p. 2. a. 2. Alens. ibid. q. 51. qui docent, cessante scandalo & contemptu non esse peccatum, si sacerdos nunquam celebret, dummodò S. Communionem cum Laicis in paschate sumat. Nihilominùs

Respondeo. Probabiliùs sacerdotem simplicem peccare mortaliter nisi aliquoties in anno, puta ter, quatérve præsertim in festis solennioribus Sacrificium celebret. Ita D. Th. q. 28. a. 10. quem sequuntur Sotus, Azor, Coninck, aliique. 9.

Probatur primò ex Christi verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba præceptum continent, quo Christus Apostolis, *eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit*, inquit Trident. sess. 21. c. 1. adeóque Sacerdotes jure Divino positivo aliquoties offerre tenentur.

Probatur secundò ratione: Cui ex officio incumbit aliquis actus, tenetur eundem exercere; sed sacerdoti ex officio incumbit offerre Sacrificium; neque enim per ordinationem accepit tantùm potestatem, sed etiam officium offerendi; adeoque tenetur, quandoque offerre Sacrificium. Ideo Apostolus Hebr. 5. *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & Sacrificia.* Et ut observat S. Th. in 4. dist. 33. q. 1. a. 2. quæst. 2. ad 2. n. 2. Machab. 2. deploratur ejus temporis infelicitas, eò quòd *sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent; sed contempto templo, & Sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palestræ.*

Quæres quartò. Quò tempore liceat Sacrificare? 10.

Respondeo primò. Omnibus diebus totius anni sacerdoti licitum est celebrare, præterquam feria quinta, sexta, & sabbato majoris hebdomadæ, ut apud omnes est in confesso. Sola tamen feria sexta paracesves est simpliciter excepta; nam privatim & in sacellis separatis à loco Missæ solemnis, à quocunque sacerdote Sacrum fieri posse in feria quinta majoris hebdomaæ est communis DD. quod etiam in Sabbato in Hispania, Gallia & Italia practicari testatur Philibertus, & remoto scandalo licitè fieri docet Sotus, Suarez, Canink apud Salmantic. &c. Consulenda in istis locorum consuetudo, quæ in nostris partibus stat ex opposito.

Respondeo secundò. Non nisi semel in die licet sacrum facere, præterquam in festo Nativitatis *c. sufficit. de consecrat. dist. 1. c. consuluisti. de celebr. Miss. c. Nocte Sancta. de consecr. dist. 1.* & cùm gravis causa, vel necessitas plures Missas ab uno sacerdote exigit celebrari. Ejusmodi. causæ juxta communem DD. sunt primò. Si parochus duas habeat Ecclesias parochiales, nec sit qui commodè possit in una illarum celebrare, tunc enim parochus jejunus in utrâque poterit Sacrùm facere. Secundò, si sacerdos ante sumptam purificationem moneretur de extremo periculo- 11.

riculo ægroti nisi, de novo conferret, sine viatico morituri: tunc enim de novo ante sumptam purificationem sacrum facere posse docent Coninck, Lugo, Palao, aliique plurimi apud Salmant. cit. qui tamen observant, si sacerdos moneatur ante sumptam consecrationem de tali periculo, debere potiùs particulam S. Hostiæ pro moribundo reservare, quàm iteratò celebrare. Tertiò, nimia Catholicorum, vel peregrinorum frequentia, qui forent Sacro cærituri, nisi Sacerdos Missam repetat. Plures aliqui casus & causas agglomerant, ut benedictionem nuptiarum, sepulturam defuncti, adventum Episcopi, quos tamen Authores citati, tanquam insufficientes meritò excludunt.

12. Respondeo tertiò. Tempus legitimum celebrandi est ab aurora ad meridiem, exceptâ nocte Natalis Domini: Plures tamen sunt causæ, è quibus licet anticipare auroram, & subsequi meridiem. Estque primò casus necessitatis, cùm necesse est dari moribundo viaticum, tunc enim statim post mediam noctem licitum est celebrare. Secundò. Dispensatio Episcopi ex justa causa. Tertiò consuetudo rationabiliter introducta: sic enim in nostra Germania hyemis tempore tribus horis ante solis ortum Missæ inchoantur. Quartò. Privilegium, quale habent Regulares (de quo Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 33.) ut in itinere constituti unâ horâ ante auroram, & unâ post meridiem celebrare possint, Quintò. Si sacerdos ratione itineris die festo non potuit ante meridiem celebrare, tunc enim ex recepta consuetudine potest unâ horâ post meridiem Missæ initium facere. De quibus aliisque causis V. Layman, Palao Salmanticenses c. 4. n. 35.

13. Quæres quintò. Quo in loco Sacrificium sit celebrandum?

Respondeo. Jure communi & ordinario absque necessitate non debet celebrari Missa nisi in loco ab Episcopo consecrato, vel benedicto, vel ad celebrandum deputato. Habetur in *c. sicut c. nullus de consecrat. dist. 1.* & apud S. D. q. 38. a. 3.

Dixi: *Jure communi, & ordinario, & absque necessitate*; nam Excipitur primò casus necessitatis, ut si Ecclesiæ sunt alicubi dirutæ, si nimius sit confluxus populi, quem parietes templi non capiunt, si longum iter faciendum per terras infidelium; tunc enim etiam sub dio Sacrum fieri licitè potest per *c. concedimus. de consecr. dist. 1.* Sic pariter in castris militum Missa licitè celebratur sub tentoriis. Excipitur secundò licentia Episcopi, & privilegium: nam Episcopus dare potest licentiam Sacrum celebrandi super altari portatili in loco privato non consecrato, divino tantùm cultui destinato. Summus quoque Pontifex concedere potest & solet aliquibus Religiosis præsertim missionariis privilegium, ut possint *Sacrificium Missæ super altari viatico celebrare ubique gentium etiam in castris militum, modò loca, & si communia & profana, tuta & honesta sint.*

§. III.

Obligatio Ministri ratione cæremoniarum & rituum.

Quæres primò. Quanta sit obligatio sacerdotis circa usum Sacræ supellectilis & paramentorum, quæ requiruntur ad celebrationem Missæ? 14.

Respondeo. Præter Altare, calicem, patenam, Sacri chrismatis unctione consecratam, & benedicta altaris integumenta, de quibus Rubricæ, ex præcepto requiruntur Sacræ vestes, lumen, Crux seu Crucifixus, Missale, Minister: ita ut potiùs Sacrum intermitti, quàm sine vestibus, aut lumine, quamvis urgeat necessitas viatici, celebrari debeat. Ubi tamen adverte I. Urgente aliquâ magnâ necessitate posse licitè Missam celebrari sine aliqua parte leviori Sacrarum vestium, v. g. sine stola, vel manipulo, vel posse stolam converti in manipulum: item sine Crucifixo, de quo non esse grave præceptum docent Suarez, & Vasquez, quos sequuntur Lugo, & Layman c. 6. Palaus & alii II. Minister sit saltem unus, nunquam autem fœmina, ut habetur in *c. 1. de cohabitat. Cleric. c. proposuit, de filiis presbyterorum.* Non tamen prohibentur fœminæ sanctimoniales à longè, & ex Choro respondere celebranti: Nihilominus urgente aliquâ necessitate v. g. dandi viaticum moribundo, vel ne populus Missâ careat in die festo docent Suarez, Sylvius, Dicastillo de Sacrif. Missæ d. 4. dub. 12. n. 234. fieri posse, & in quibusdam pagis consuetudo ab Episcopis tolerata, ut sacerdotes sine ministro respondente celebrent, prout testatur Layman. cit. c. 6. n. 13. Posse etiam sacerdotem Missam cum Ministro inceptam prosequi, si ille abscesserit, præsertim post oblationem docet Dicastillo lo. cit. n. 236. III. Liber Missalis, in quo Canon continetur, est adhibendus sacerdoti, quamvis non sit in morali periculo errandi constitutus: ubi tamen non esset facilis copia Missalis, & sacerdos foret moraliter certus de sua memoria, posse sine Missali celebrare tenent Layman, Suarez, Palao citati. IV. Ad ritus quoque præscriptos pertinet ut sacerdos calceatus accedat Altare, cujus tamen non est magna obligatio; útque detecto capite Missam celebret *c. nullus. de consecrat. dist. 1.* nisi habeat licentiam cooperto capite celebrandi. Non tamen fore grave peccatum, secluso contemptu & scandalo sine venia obtenta id facere, si tempus Canonis excipiatur, censent probabile Pe. Ledesma, Tamburinus l. 1. exped. Sacrif. Diana resol. 58.

Quæres secundò. Quanta sit obligatio sacerdotis circa verba Missæ, & ritus canonis?

Respondeo. Orationes præscriptæ inter vestes induendas non sunt de gravi præcepto: illa quoque verba, quæ in maioribus festis Domini interponuntur in *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* sine mortali peccato omitti docent Diana, Dicastillo, Filliucius, aliique. II. Canone unum, alterúmve nomen alicujus Sancti omittere, solùm esse veniale tradit

Suarez

Suarez. disp. 38. sect. 3. Granadus, Diana, la Crux, aliique, qui pariter docent octo nomina in Canone omittere fore læthale peccatum III. Gloria, vel Credo in Missa omittere, quando dicendum est, non esse peccatum mortale tenent supra dicti Authorés, quibuscum sentiunt Lugo, & Palao, eò quòd non sint partes integrantes Sacrificii absolutè sumpti, sed tantùm istius, vel illius diei, quod consequenter etiam dicendum est de aliis orationibus, quæ nō in omnibus Missis, sed in aliquibus recitantur. Oppositum dicendum est de Epistola, & Evangelio, nempe peccaturum mortaliter, qui epistolam, vel evangelium culpabiliter omitteret, eò quòd istæ sint partes absolutè integrantes Sacrificii Missæ, sine quibus consueta Sacrificii forma non consistit, prout cum Dicastillo, Diana, Palao docent Salmantic. c. 4. n. 116. IV. Ritus porrò propiores Sacrificii, circa proximam vel remotam ipsius materiam adhiberi soliti, eò quòd contineant gravem & mysticam significationem omitti non possunt sine gravi peccato: ita se habent mixtio aquæ cum vino, fractio hostiæ, immissio particulæ in calicem, &c. Vniversalis demum regula est, in celebratione Missæ esse omnia observanda sacerdoti, quæ in Missali Romano præscribuntur, ut constat ex Tride sess. 22. *decreto de observ. in celebr. Miss.* quorum transgressio in gravi materia erit gravis, in levi levis.

Quæres tertiò, Quando licita sit Sacri inchoati interruptio? 16.

Respondeo. Causæ legitimæ Missam inceptam relinquendi, vel intertumpendi recensentur: I. Si ante cæptum Canonem sacerdos recordetur se esse excommunicatum, irregularem; vel superveniat interdictum speciale & cessatio à Divinis. II. Si gravis morbus, aut corporis necessitas superveniat: quo casu, si post consecrationem sacerdos ad peragendum Sacrificium redire nequeat, alius est substituendus *c. nullus de consecr. dist.* S. D. q. 83. a. 6. ad 1. III. Necessitas baptizandi infantem existentem in periculo mortis, IV. Causæ interrumpendi Sacrificium Missæ ante oblationem sunt Concio habenda ad populum, ordinum SS. collatio, Professio Religiosa suscipienda, &c. Hujusque de tremendo & vivifico Altaris tum Sacramento tum Sacrificio, quæ Ejusdem perpetuæ laudi, ac honori consecrata sunto.



TRA-

TRACTATUS XVIII.

DE

POENITENTIA.



CVm militia sit vita hominis super terram Job. c. 7. in quâ tametsi natura humana salutari fonte baptismi regenerata, S. Confirmationis chrismate roboretur & armetur ad pugnam, cælesti quoque Eucharistiæ annonâ reficiatur, facilè tamen inter quotidiana tentationum certamina à multiplici hoste sauciatur, ideò Divina Clementia sanandis peccatorum vulneribus, medendis vitiorum languoribus præstantissimum ordinavit pharmacum, POENITENTIAM, miris semper laudibus à SS. PP. celebratam. Hanc post SS. Ambrosium, & Hieronymum sacra synodus Tridentina sess. 14. can. 2. appellat *secundam post naufragium tabulam*, quæ, ut loquitur Tertullianus l. de pœnit. c. 4. *peccatorum fluctibus mersum prolevat, & in portum Divinæ clementiæ protelat.* Nazianzenus vocat *baptismum Lachrymarum.* August. l. 3. de Trinit. *crucifixionem interioris hominis.* Istius frequens usus uti tam necessarius, quàm utilis est peccatori, sic illius administrandi peritia necessaria est sacerdoti & Pastori. Hanc in sua Summa à q. 84. tradere cæpit Doctor Angelicus, verùm morte præventus integram non absolvit; priùs meritorum terminum, quàm Summæ Theologiæ finem consecutus. Nos Ipsius Doctrinæ inhærentes ita præsentem Tractatum ordinamus, ut primò controversias, quæ circa pœnitentiæ virtutem occurunt; posteà illas, quæ de Sacramento pœnitentiæ disputantur, expendamus.

DISPUTATIO XXXVI.

De Natura & objecto pænitentiæ.

PÆnitentiæ nomen à pænitendo deductum, non nudam quandam *resipiscentiam*, ut volunt sectarii, sed pænæ tenentiam, h. e. retractationem commissi operis cum quadam animi affectione & dolore significat, unde Isidorus illud à pænitendo, vel puniendo derivat, & D. August. de vera & falsa pænit. c. 8: sic eandem describit: *est dolentis vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse.* Istius in præsenti genus & speciem, adeoque & objectum inquirimus, & quæ dicimus de habitu pænitentiæ proportionaliter ad actum pænitendi accommodata volumus; siquidem habitus ab actu, uterque ab objecto specificatur.

ARTICULUS I.

An pœnitentia sit virtus?

1. *Pœnitentia est virtus.*
2. *Variæ objectiones.*
3. *Non est necesse ut omne materiale objectum virtutis sit bonum.*
4. *Pœnitentia appetitur propter se.*
5. *Pœnitentia supponit peccatum, ut à se destruendum.*
6. *Præcipuus actus pœnitentiæ non tendit ad destructionem peccati præteriti.*
7. *Disparitas inter verecundiam, & pœnitentiam.*
8. *Exponitur authoritas D. Gregorii.*
9. *Quo sensu virtus sit dispositio ad optimum.*

1. CONCLUSIO. Pœnitentia est vera virtus. Ita S. D. q. 85. a. 1. éstque communis Theologorum contra quosdam antiquos, qui licèt contra hæreticos docerent, actum pœnitendi esse laudabilem, tamen existimabant non habere omnes conditiones veræ virtutis.

Probatur primò authoritate SS. PP. è quibus D. Chrysostomus hom. 23. in Matth. & Gregor. l. 9. ep. 39. eandem non tantùm virtutem, sed *Magistram virtutum* appellant.

Probatur secundò authoritate & ratione S. D. Habitus electivus secundùm rectam rationem est vera virtus, ut habet Philosophus l. 2. & 6. Ethic. Sed pœnitentia est habitus electivus secundùm rectam rationem. ergo est virtus. Major inde constat, quòd proprius actus virtutis moralis est electio secundùm rectam rationem, à quâ denominatur, bonus, virtuosus, studiosè & laudabiliter operans. Minor probatur: Assumere moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione ea removendi & emendandi est eligere secundùm rectam rationem, *pertinet quippe ad rectam rationem,* (inquit citatus S. D.) *ut aliquis doleat, de quo dolendum est, & modo, & fine, quo dolendum est.* Sed pœnitentia est assumptiva ejusmodi doloris &c, pœnitere quippe est de aliquo à se priùs facto dolere, ergo.

Confirmatur primò. Præcepta legis dantur de actibus virtutum, sed datur divinum præceptum pœnitentiæ, ergo pœnitere est actus virtutis.

Secundò. Actus pœnitentiæ est meritorius, supernaturalis, ex speciali auxilio gratiæ elicitus, ut habetur in Trid. sess. 14. c. 4. facit ex peccatore justum, è malo bonum: sed hæc omnia probant actum virtutis; ergo.

2. Dices primò. Omnis virtus est de bono, sed pœnitentia non est de bono, quia est de peccatis, quæ sunt mala, ergo non est virtus. Secundò. Virtus est propter se appetibilis: pœnitentia non est appetibilis propter se, sed propter peccata: ergo. Tertiò. Virtus opponitur malo; sed pœnitentia non opponitur malo: quia quod pœnitentia in subjecto supponit, illi non opponitur; sed pœnitentia supponit peccatum in proprio subjecto: ergo illi non opponitur. Quartò. Virtus non est circa impossibile; sed pœnitentia; est circa impossibile: quia pœitentia vellet peccatum præteritum nunquam fuisse commissum; sed hoc est impossibile, cùm factum infectum fieri nequeat, ergo. Quintò. Ideò verecundia non est virtus secundum Philosophum 4. Ethic. c. ult. quia supponit turpe factum, propter quod timetur infamia; ergo ob eandem rationem nec pœnitentia est virtus. Sexto. Passio appetitûs sensitivi non est virtus; sed pœnitentia est passio appetitûs sensitivi: quia secundùm D. Gregorium hom. 34. in Evan. *pœnitere est peccata præterita plangere*: ergo. Septimò. Virtus est dispositio perfecti ad optimum: h. e. habitus perficiens & disponens subjectum ad optimam operationem: sed pœnitentia non est talis dispositio vel habitus: ergo. Minor probatur quia pœnitentia disponit ad tristiam, quæ non est optima operatio.

Respondeo ad I. Virtus est de bono tanquam objecto formali & terminativo actûs prosecutionis, concedo; tanquam de objecto materiali, & quoad actus fugæ, sic nego: sed pœnitentia non est de bono, cùm sit de peccatis, tanquam objecto materiali terminante actum fugæ, conc. tanquam objecto formali & terminante actum prosecutionis, sic nego. Hoc enim est jus Divinum peccato læsum & reparandum; ut in sequentibus dicetur. 3.

Ad II. nego minorem, quia ly *propter se* in rigore significat appeti propter finem suum intrinsecum; & sic pœnitentia appetitur propter compensationem DEO pro injuria præstandam. Vel dist. majorem: virtus est propter se appetibilis, h. e. propter suum finem intrinsecum, concedo. nullâ factâ alterius suppositione, nego, sed pœnitentia est appetibilis propter peccatum, h. e. factâ suppositione peccati, conc. h. e. ut rationē appetibilitatis habeat propter peccatum, & non propter alium finem sibi intrinsecum, nego min. & consequentiam. 4.

Ad III. nego min. ejúsque probationem dist. Quod pœnitentia in subjecto supponit, ceu secum compossibile & præsens, illi non opponitur, conc. ceu præteritum, vel à se destruendum, nego. & pariter distinctâ minore, nego consequentiam. 5.

Ad IV. nego min. ejúsque probationem cum S. D. distinguo: pœnitentia vellet non peccâsse, ita ut præcipuus & efficax actus pœnitentiæ tendat ad destruendam præteritionem peccati, nego; ad destruendam sequelam ipsius, quæ est offensa DEI & macula peccati, conc. quamvis ergo pœnitens ex displicentia præsentis maculæ ostensæ habitualis inducatur etiam in displicentiam causæ, videlicet peccati præteriti, & exinde prorumpat in actum inefficacem & conditionatum, quòd vellet nunquam peccâsse, si esset possibile: tamen præcipua, absoluta & efficax voluntas ipsius terminatur ad satisfactionem DEO præ- 6.

præstandam pro peccato præterito, & exinde destruendam offensam ex peccato relictam.

7. Ad. V. nego paritatem rationis: verecundia quippe non est virtus, quia supponit turpe factum, tanquam præsens, & causam alicujus infamiæ, unde non tam est fuga peccati, quàm infamiæ resultantis ex peccato. Pœnitentia verò supponit peccatum, tanquam emendandum & destruendum: quod est objectum per se laudabile & honestum, non item illud,

8. Ad VI. distinguo maj. Passio appetitûs non procedens ex actu virtuoso voluntatis, non est virtus, conc. ex illo procedens, nego. sic enim est actus virtutis, sed pœnitentia est passio appetitûs sensitivi, quatenùs procedit ex actu virtuoso voluntatis (dum nempe dolor rationalis sese etiam in partem sensitivam diffundit, conc. non ex illo procedens nego min. & consequentiam. Unde etiam ad authoritatem D. Gregorii dico: pœnitere esse peccata præterita plangere, per se quidem primariò planctu rationali, secundariò autem & per diffusionem pœnitentiæ ex appetitu rationali in sensitivum, etiam planctu sensibili.

Ad VII. distingo maj. Virtus est dispositio ad optimam operationem, quæ sit absolutè in omni genere optima, nego quæ sit optima in genere hujus virtutis & comparativè ad proprium objectum, concedo, & sic tristitia & dolor pœnitentiæ est optima operatio comparativè ad proprium objectum ipsius, quod est DEO satisfacere pro proprio peccato. 9.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum formale pœnitentiæ?

SUMMARIA.

1. ***Formale objectum virtutis specialis consistit in aliqua speciali honestate.***
2. ***Ex quibus motivis possit procedere detestatio peccati.***
3. ***Diversitas sententiarum.***
4. ***Objectum formale pœnitentiæ non est vindicta peccati.***
5. ***Objectiones diluuntur.***
6. ***Donum pacis non est objectum formale pœnitentiæ.***
7. ***Lugonis fundamenta solvuntur.***
8. ***Motivum formale pœnitentiæ est honestas compensationis Deo præstandæ pro peccato proprio.***
9. ***Dolor satisfactivus est proprius pœnitentiæ.***
10. ***Inæqualitas compensationis in objecto pœnitentiæ intrinsecè reperitur.***

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Sicut objectum formale virtutis in genere est honestas, quâ operans movetur ad operandum, & quæ ab operante per se intenditur ita objectum formale virtutis specialis esse honestatem specialem, quæ per se intenditur. Unde quærimus hoc loco, quænam sit illa honestas quam pœnitentia specialiter ceu finem suum intrinsecum intendit, & à quâ ceu motivo formali & proximo movetur ad suos actus. Ubi

2. Notandum secundò. Detestationem peccati (quam præcipuum esse actum pœnitentiæ infra dicemus) posse ex diversis motivis procedere juxta diversas oppositiones, quas malum peccati habet cum bono. Unde primò peccatum tanquam malum morale opponitur bono rationis generaliter, eaque ratione odium peccati non pertinet ad aliquem habitum, cùm enim amor boni & odium mali oppositi ab eodem fonte procedant, ideò sicuti ad prosecutionem honestati ut sic ipsa voluntas sibi sufficit sic pariter sufficit ad destationem peccati tanquam huic bono oppositi.

Secundò peccatum specialiter consideratum repugnat speciali honestati & bono virtutis, v. g. peccatum intemperantiæ bono temperantiæ: furtum justitiæ &c. Et hâc ratione detestatio peccati pervagatur omnium virtutum habitus, quarum singulæ non minùs per actus fugæ aversantur malum oppositum honestati propriæ, quàm per actus prosecutionis tendant in eandem honestatem.

Tertiò. Peccatum adversatur bono proprio, in quantum nos privat æternâ gloriâ & facit reos æternæ damnationis, sub quâ consideratione detestatio peccat vel pertinet ad virtutem spei, quâ speramus æternam beatitudinem vel virtutem charitatis, quâ nos ipsos diligimus, & nobis volumus nostram beatitudinem.

Quartò Est malum divinum, bonitati divinæ Contrarium, rationem ultimi finis à DEO affectivè intentativè transferens in creaturam; & sub hâc ratione illud detestatur charitas.

Quintò. Est malum oppositum supremo juri, quod DEUS habet tanquam supremus Dominus, & prima regula, ut omnes nostræ operationes in ipsum dirigantur: quod jus cùm per quodlibet peccatum violetur; ideò etiam peccata injuriæ, & injustitiæ, & iniquitates rectè in S. Scriptura vocantur. Et hæc consideratio est pœnitentiæ propria, ut ex sequentibus patebit. Unde

Notandum tertiò. Varias de objecto formali pœnitentiæ esse DD. sententias. Prima est Mastrii q. 2. a, aliorumque Scotistarum: objectum formale & finem intrinsecum pœnitentiæ esse vindictam & punitionem peccati. Secunda est Cardinalis de Lugo d. 2. se. 4. motivum seu objectum formale esse bonum pacis cum DEO. *habere autem bonum pacis*, inquit, *idem significat, ac non habere DEUM rationabiliter aversum*, seu non dare DEO fundamentum rationabile indignationis, seu aversionis. Quod bonum 3.

pacis læditur per peccatum, quatenùs formaliter habet rationem offensæ, offendere quippe est alicujus amicitiam lædere, vel justam & rationabilem causam indignationis & aversionis præbere. Quem etiam sequuntur Suarez. Amic. Esparza, quantumvis in modo loquendi differant. Tertia est communis Thomistarum, objectum formale consistere in honestate recompensandi injuriam DEO illatam.

§. II.

An objectum formale pœnitentiæ sit vindicta peccati?

4. CONCLUSIO est negativa, & communis contra Scotistas:

Ratio est primò, quia vindicta propriè dicta, pertinens ad justitiam vindicativam sumitur de alio & distincto supposito; atqui per pœnitentiam quis seipsum affligit: ergo ipsius objectum non potest esse vindicta peccati.

Secundò. Pœnitentiæ finis intrinsecus est operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est DEI offensa, inquit. S. D. hîc a. 2. atqui vindicta seu pœna non est destructio peccati præteriti, uti patet in damnatis, sed tantùm commensuratio pœnæ actione cum demeritoria peccati, ergo.

Tertiò. Pœnitentia operando ad deletionem seu destructionem peccati, pœnam promeritam semper vel ex toto, vel ex parte extinguit, imò intendit removere reatum pœnæ, ut docet S. D. hîc. a. 1. ad 3. ergo pœna non potest esse ipsius finis intrinsecus.

Quartò. Virtus, quæ per se intendit vindictam, ut est justitia vindicativa, non favet & consulit bono ipsius puniti: atqui pœnitentia favet pœnitenti, & pro movet bonum ipsius: ergo per se non intendit vindictam.

5. Objicies tamen primò authoritatem D. Aug. l. de vera & falsa pœnit. cap. 8. ita definientis pœnitentiam. est *dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse*: ubi nulla fit mentio alicujus pacificationis vel compensationis, sed solius vindictæ.

Secundò. Illud est objectum formale pœnitentiæ, quo virtus pœnitentiæ ab aliis virtutibus per se primò distinguitur; atqui hoc fit per resipiscentiam, seu tenentiam pœnæ, non verò per compensationem, unde etiam pœnitentia dicitur quasi pœnæ tenentia: ergo pœna seu vindicta est objectum formale & specificativum virtutis pœnitentiæ. Minor probatur: nam voluntaria assumptio pœnæ nō respicitur ab alia virtute, bonum verò compensationis etiam respicitur à virtute gratitudinis, vel à justitia commutativa.

Respondeo ad I. *τὸ vindicta* in illa definitione non sumi in rigore prout est actus justitiæ vindicativæ, sed accipi pro ipsa contritione & dolore emendativo seu compensativo injuriæ DEO illatæ.

Ad II. nego min. & probationem, nam pœnitentia ipsam pœnam h. e. dolorem non respicit, præcisè sub ratione pœnæ, vindictæ commensuratæ, gravitati peccati, sed sub ratione cujusdam emendationis & compensationis pro injuria DEO illata. Nec refert, quòd virtus gratitudinis etiam intendat compensationem: intendit quippe compensationem pro beneficiis, at pœnitentia intendit compensationem pro injuriis seu juris læsi quæ sunt specie distinctæ rationes.

§. III.

An objectum formale pœnitentiæ sit bonum pacis?

CONCLUSIO *est negativa* contra Lugonem citatum.

6. Probatur primò authoritate S. D. hîc a. 1. in c. dicentis: *pœnitere est de aliquo à se priùs facto dolere.* & ad 3. *dolor pœnitentis est reprobatio facti præteriti, cum intentione removendi sequelam ejus, scilicet offensam DEI & reatum pœnæ.*

Item in 4. d. 15. q. 1. a. 1. quæst. 4. in c. *Objectum ejus* (id est pœnitentiæ:) est *peccatum commissum, quod intendit expiare.* Ex quibus sic deducitur argumentum. Si bonum pacis esset objectum formale pœnitentiæ, tunc peccatum comissum ut expiabile non esset objectum ipsius, neque dolor & reprobatio facti præteriti foret actus primarius pœnitentiæ. Utrumque repugnat doctrinæ Angelici Doctoris, ergo. Sequela probatur: Quando bonum pacis non habet necessariam connexionem cum actu vel possibilitate peccati, imò potest consistere cum impossibilitate peccandi, tunc habitus tendens in bonum pacis non potest habere pro objecto peccatum expiabile, & pro actu præcipuo dolorem & reprobationem peccati: sed bonum pacis cum DEO nullam habet necessariam connexionem aut connotationem ad peccatum actu vel potentiâ commissum: nam ex mente Adversariorum, illud bonum pacis est DEUM habere placatum, & nullam dare rationabilem causam indignationis, quod ipsum à Christo Domino quantumvis intrinsecè impeccabili efficaciter intenditur.

Confirmatur. Bonum pacis nullo modo pertinet ad objectum justitiæ, uti patet in humanis, neque enim ex eo aliquis justus dicitur, quòd nullam aliis causam præbet indignandi: atqui S. D. pœnitenriam reducit ad justitiam commutativam; ergo pœnitentia secundùm S. D. pro objecto non potest habere bonum pacis.

Probatur secundò. Objectum formale pœnitentiæ non potest esse honestas gratiæ & charitatis, sed bonum pacis cum DEO est ipsamet honestas gratiæ & charitatis, ergo. Major probatur: quia ejusdem virtutis est, amare bonum amicitiæ cum DEO, cujus est amare ipsam bonitatem divinam: siquidem ejusdem virtutis est tendere in suum finem intrinsecum, & in media intrinsecè ac necessario ordinata ad illum finem: amicitia verò includens amorem benevolentiæ intrinsecè ordinatur in bonitatem Divinam. Atqui amare divinam bonitatem pertinet ad virtutem charitatis, ergo etiam amare & prosequi bonum amicitiæ cum DEO pertinet ad virtutem charitatis. Minor etiam probatur: bonum pacis formaliter obtinetur per illam formam,

quâ

quà formaliter DEUS homini fit pacatus, & placatus, sed hoc formaliter fit per infusionem gratiæ & charitatis, uti suppono ex Tract. de grat. ergo bonum pacis formaliter est ipsa gratia & charitas.

Neque dicas: bonum pacis esse honestatem sistentem in non dando causam rationabilem indignationis Divinæ, Contra enim est primò. Quòd bonum pacis tanquam honestas specificativa pœnitentiæ non deberet in aliquo negativo, sed positivo consistere, quod aliud esse non potest quàm ipsa honestas gratiæ & charitatis.

Contra est secundò. Quòd inter esse amicum vel placatum DEO, & inter esse ejus inimicum non datur medium. Unde idem est velle non esse inimicum DEI, ac velle esse amicum, cùm duæ negationes faciant affirmationem.

Confirmatur. Si quis peccaret ex formali intentione pacem & amicitiam cum DEO dissolvendi, non peccaret contra virtutem & præceptum pœnitentiæ, sed charitatis; uti econtrà peccaret contra virtutem & præceptum pœnitentiæ, qui ideò peccaret, quòd peccata sui emendare nollet: ergo objectum pœnitentiæ non potest consistere in bono pacis, sed in bono expiationis & emendationis.

7. Objicies primò authoritatem S. D. hîc. a. 2. in c. dicentis; *pœnitentia tendit in destructionem peccati, inquantum est DEI offensa.* Ex quo sic argumentatur Lugo, Illud est formale motivum pœnitentiæ, quod opponitur peccato, ut est offensa DEI, sed peccato, ut est offensa DEI opponitur pax & amicitia cum DEO: is enim offenditur, cum quo pax & amicitia dissolvitur, tametsi is nullam patiatur injuriam, uti patet in rebus humanis, v. g. si amico librum pro usu petitum sine causâ denegares ipsum offenderes, quantumvis nullam inferres injuriam, eò quòd supponatur nullum habere jus in tuum librum; ergo bonum pacis & amicitiæ cum DEO est formale motivum virtutis pœnitentiæ.

Secundò. Bonum pacis & amicitiæ cum DEO est quoddam motivum honestum, cùm etiam inter homines sit laudabile, nemini dare justam causam aversionis & indignationis, estque speciale, nec potest alterius virtutis quam pœnitentiæ esse proprium; ergo.

Tertiò. Virtus formaliter reconciliativa pro suo objecto habet bonum pacis: sed pœnitentiæ virtus est essentialiter reconciliativa; vnde dicit Ecclesia: DEUS qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris. Sicut & ipsum Sacramentum pœnitentiæ est reconciliativum; ergo.

Respondeo ad I. a. S. D. (ut ex aliis ejusdem authoritatibus satis colligitur) offensam accipi pro injuria; siquidem rationes offensæ & injuriæ in peccato sunt inseparabiles & convertibiles, atque ex eodem fundamento DEUS offenditur & injuriatur. Offendimus DEUM, in quantum ipsius Divinæ voluntati repugnamus, injuriam inferimus in quantum jus ipsius lædimus: sed ipse non minùs habet voluntatem, ut suum jus servetur illæsum, quàm habeat jus ne suæ voluntati quisquam resistat: ergo ex quo offensam, committimus, pariter injuriam inferimus; suntque rationes istæ prorsus inseparabiles. Aliud est in humanis, ubi (veluti probat exemplum adductum) ratio offensæ & injuriæ separari possunt, quia potest alicui dari rationabilis causa aversionis, quin tamen aliquod jus ipsius lædatur. Unde in forma dist. maj. Illud est formale motivum pœnitentiæ, quod opponitur peccato, ut est offensa DEI indistincta ab injuria conc. distincta nego. (sic enim non esset motivum speciale & distinctum à motivo charitatis, ut dictum:) sed peccato ut est offensa DEI distincta à ratione injuriæ opponitur pax & amicitia, conc. indistincta, nego min. & consequentiam.

Ad II. nego min. nam non dare causam indignationis tanùm est motivum laudabile & honestum honestate contentâ intra objectum & motivum charitatis, non autem honestate speciali & distincta.

Dices. Motivum charitatis tanquam virtutis Theologicæ tantùm potest esse increata bonitas DEI: sed bonum pacis & amicitiæ est bonitas creata; non ergo pertinet ad motivum formale charitatis

Respondeo. Motivum charitatis primarium in ordine ad actus directos est sola increata DEI bonitas, conc. motivum secundarium & in ordine ad actus reflexos, nego. Cujus ratio est: quòd etiamsi honestas charitatis Divinæ ejusque actuum sit honestas creata tamen est bonitas essentialiter ordinata ad increatam bonitatem DEI, instar medii necessariò connexi cum suo fine. Unde eâdem facilitate, quâ charitas per actus directos prosequitur ipsam increatam bonitatem DEI, sic per actus reflexos sibi complacet in ipso etiam actu dilectionis, tanquã formli medio tendendi in increatam illam bonitatem.

Ad III. Respondeo. Virtus præcisè reconciliativa habet pro objecto bonum pacis, transeat, quæ est reconciliativa per modum compensationis & satisfactionis, nego: sed virtus pœnitentiæ est reconciliativa per modum compensationis DEO debitæ, conc. præcisè, nego min. & consequentiam.

§. IV.

An formale objectum sit expiabilitas proprii peccati?

CONCLUSIO. *Objectum seu motivum formale pœnitentiæ est expiabilitas peccati proprii, seu honestas compensationis DEO facienda pro offensa & injuria ipsi per proprium peccatum illata.* Ita colligimus non tantùm è textibus S. D. sup. §. adductis, sed etiam ex hâc q. 85. a. 2. ad 2. ubi docet, *quod pœnitentia respicit omnia peccata sub ratione speciali, in quantum sc. sunt emendabilia per actum hominis cooperantis DEO ad suam justificationem.* Et ad 1. docet: *intentio operandi deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate, nempe pœnitentia.* Rursus a. 3. hîc in c. affirmat, pœnitentiam pertinere ad justitiam commutativam, ex eo, quia ad *pœnitentiam pertinet non tantùm cessatio ab offensa, sed ejus quoque emendatio, & quædam recompensatio:* hæc autem est quædam commutatio. Item in 4. d. 14. 8.

q. 1.

q. 1. a. q. 3. *dupliciter*, inquit, *aliquis fit debitor DEO, primò per hoc, quòd ab eo aliquid recipit, & hâc ratione DEO reddit debitum honorem latriæ, sivè religio; alio modo ex hoc, quòd contra DEUM peccavit & sic reddit debitum DEO pœnitentia.*

Probatur secundò ratione: Illud est motivum formale pœnitentiæ, quod est bonum honestum nulli alteri virtuti proprium, voluntatem determinans ad actum primarium & proprium pœnitentiæ: sed hoc est compensatio juris Divini per proprium peccatum læsi, ergo. Minor quoad 1. membrum probatur inductione, cùm enim sit aliquod bonum creatum, non potest esse objectum alicujus virtutis Theologicæ; sed neque est objectum alicujus virtutis moralis: aut enim foret objectum justitiæ specialis & rigorosæ, aut Religionis, ut nonnulli existimant. non justitiæ, quia hujus objectum est æqualitas inter jus rigorosum unius & debitum alterius; atqui inter debitum hominis & jus Divinum nulla intercedere potest æqualitas, ut aliunde suppono: ergo. Non etiam Religionis, quia hujus objectum formale est cultus protestativus divinæ excellentiæ & supremi dominii. Nec alia virtus est assignabilis, ergo.

Quoad 2. quoque membrum minor probatur: Proprius & primarius actus pœnitentiæ; à quo ipsa quoque virtus pœnitentiæ denominatur, est dolor de propriis peccatis commissis; sed ad hunc actum motivum compensationis voluntatem determinat, siquidem ipse dolor & contritio de peccatis est potissima satisfactio, quam exhibemus pro injuria DEO illata; ergo. Major est D. Th. & SS: PP. nam S. D. cit. hic a. 1. in c. docet, *pœnitere est de aliquo a se priùs facto dolere* Et ad 3. *dolor pœnitentis est reprobatio facti præteriti, cum intentione removendi sequelam ejus* &c. D. Gregorius à S. D. allegatus *pœnitere est peccata præterita plangere.* Gregorius Nyssenus in orat. contra eos, qui alios acerbiùs judicant, *quid aliud est pœnitentia, nisi dissolutio & eversio præteritorum; quæ vel re vel cogitatione sunt admissa.* Hier in Ps. 118. *Vera est pœnitentia jugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.* Unde juxta sensum SS.PP. adeoque non tantùm vulgariter (ut quidam existimant) sed etiam Theologicè virtus pœnitentiæ significat habitum inclinantem in dolorem de peccatis, propriis tanquam actum sibi planè proprium, quatenùs in ipso honestas compensationis DEO debitæ specialiter relucet, nam sub aliis considerationibus ad alias virtutes pertinet, ut antè dictum.

9. Objices primò. Tunc bonum compensationis non est motivum formale pœnitentiæ, quando virtus pœnitentiæ potest in actum primarium prodire sine illo motivo, sed hoc potest: ergo. Minor probatur: Potest pœnitens dolere de suis peccatis commissis absque hoc motivo compensandi injuriam DEO illatam; cùm dolor de peccatis sic omninò separabilis ab illo; sed dolor de peccatis est primarius actus pœnitentiæ, ergo.

Confirmatur primò. Sit aliquis qui invincibiliter ignoret, in peccato contineri rationem injuriæ, is certè vel dolebit de suis peccatis absque motivo compensandi injuriam; vel erit destitutus remedio justificationis cùm pœnitentia sit necessaria ad salutem. Confirmatur secundò. Potest actus pœnitentiæ fieri super peccata jam remissa & extincta; sed tunc motivum compensationis non habet locum; ergo datur actus pœnitentiæ absque motivo compensationis. Cònfirmatur tertiò. Dolemus actu pœnitentiæ de peccatis venialibus; sed illa non sunt injuriæ contra DEUM; ergo.

Respondeo negando minorem, cujus probationem dist. Potest pœnitens dolere absque motivo compensandi, dolore qualicunque, conc. dolore satisfactivo & proprio pœnitentiæ, nego. Sed dolor compensativus & satisfactivus est proprius actus pœnitentiæ, conc. alius quicunque nego min. & consequentiam. Igitur dolor ut sic est quidem separabilis à motivo compensandi injuriam DEO illatam, non autem dolor satisfactivus, qualis est dolor pœnitentiæ, tanquam virtutis specialis.

Ad 1. Confirmationem respond. In illo casu dato, non concesso, posse elici dolorem ex solo motivo, v. g. charitatis propter oppositionem peccati cum bonitate divina; qui tamen actus non erit elicitus pœnitentiæ ut est specialis virtus, sed ut generalis, & prout significat habitum detestativum peccati sub quacunque ratione naturali.

Ad 2. Respond. Posse actum pœnitentiæ cadere super peccata jam remissa, quando pœnitens non est certus de perfecta illorum compensatione, ut plerúmque in hâc vita contingit, tunc enim adhuc locum habet motivum pœnitentiæ: Si tamen esset certus de illorum remissione, non ex motivo pœnitentiæ, sed alterius virtutis haberet eorundem displicentiam.

Ad. 3. Respond. Peccata venialia non sunt injuriæ simpliciter & strictè tales, conc. secundùm quid & saltem compensabiles, nego.

Objices secundò. Ejusdem virtutis est reparare jus læsum alterius, cujus est jus conservare illæsum sed conservare jus illæsum pertinet ad virtutem justitiæ; ergo ad eandem pertinet reparare jus læsum: & consequenter reparatio juris divini per peccatum læsi non constituit motivum speciale pænitentiæ. Confirmatur. In Christo D. fuit efficax intentio reparandi jus Divinum peccato læsum, nec tamen fuit virtus pænitentiæ, ut ipsi dicemus; ergo reparatio juris Divini per peccatum læsi non potest esse adæquatum motivum pœnitentiæ. 10.

Respond. permissa maj. dist. min. conservare jus illæsum ad perfectam æqualitatem (quod esse formale objectum justitiæ suppono aliunde) conc. sine æqualitate, nego min. ergo jus læsum reparare ad æqualitatem pertinet ad virtutem justitiæ, conc. sine tali æqualitate, nego hanc alterámque consequentiam.

Instas primò. Qui solvit 50. cùm debeat centum, facit actum justitiæ, si hîc & nunc non possit centum solvere, sit tamen paratus solvere, si posset: ergo etiam qui DEO inæqualiter satisfacit pro injuria peccati, facit actum justitiæ, dummodò faciat quod potest, & sit paratus

tus etiam satisfacere ad æqualitatem, si esset possibile.

Secundò. In paupere datur virtus liberalitatis; quia licet de facto non possit facere liberales expensas, potest tamen habere intentionem illas faciendi, si posset, & haberet pecunias: ergo datur quoque virtus justitiæ in pœnitente; qui licèt non possit DEO ad æqualitatem satisfacere, habet tamen intentionem ita satisfaciendi, si posset.

Respondeo ad I. instantiam, disparitatem esse; quòd inæqualitas illa in solvente 50. non est intrinseca, per se, & ex parte objecti; sed extrinseca, per accidens & ex parte subjecti; unde non impedit actum justitiæ, præsertim cùm ille actus sit justus propter commensurationem redditionis cum jure creditoris ad 50. non verò ad centum. Jus enim creditoris propter solventis impotentiam hic & nunc non se extendit nisi ad 50. quos potest solvere: atqui inæqualitas satisfactionis ex parte pœnitentis est ex parte objecti, intrinseca & per se, cùm simpliciter sit impossibile, ut pro offensa peccati homo DEO æqualem præstet satisfactionem. Quo eodem modo satisfit secundæ instantiæ; cùm enim impossibilitas faciendi liberales expensas pauperi tantùm sit secundùm quid & per accidens impossibilis, non impedit, quò minùs affectu efficaci liberalem elargitionem pecuniarum, tanquam sibi intrinsecè & simpliciter possibilem, possit appetere; dum econtra impossibilitas divinum jus ad æqualitatem resarciendi, cùm sit intrinseca, impedit, quò minùs hoc objectum possit efficacem intentionem Pœnitentis terminare.

Ad confirmationem respondeo. In Christo fuit efficax intentio reperandi jus divinum alieno peccato læsum, concedo; proprio actuali, vel possibili, nego primum membrum anteced. & consequentis.

ARTICULUS III.

Quodnam sit objectum materiale Pœnitentiæ?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Adæquatum objectum materiale Pœnitentiæ esse peccata personalia propria præterita, probatur è SS. PP.*
3. *Mens Angelici Doctoris ostenditur.*
4. *Ratio assertionis.*
5. *Venialia sunt objectum minùs principale Pœnitentiæ.*
6. *Peccata ut vitanda pertinent ad objectum secundarium.*
7. *Aliena peccata ad objectum Pœnitentiæ tantùm reductivè pertinent.*
8. *Disparitas inter justitiam & pœnitentiam.*
9. *Detestabilitas non est ratio, cur peccatum sit objectum materiale Pœnitentiæ, sed emendabilitas.*
11. *Objectum adæquatum quod, vel attributionis est peccatum proprium ut expiabile per actum peccatoris.*
12. *Objectum cui est jus divinum.*

§. I.

Sententia Thomistica.

1. NOtandum, Objecti materialis nomine intelligi id, circa quod virtus occupatur per actum suum primarium, & in quod cadit formalis ratio objecti; sicuti objectum materiale justitiæ sunt res, & actiones, circa quas justitia intendit inducere æqualitatem. De quo

Sunt duæ sententiæ. Prima Argentinatis in 4. d. 14. quem sequuntur Suarez d. 2. s. 1. & Amicus d. 1. sect. 5. dicentes: Pœnitentiam sumi posse adæquatè, vel inadæquatè. Si sumatur inadæquatè pro habitu tantùm retractativo, correctivo & emendativo peccati, sic objectum materiale esse sola & omnia peccata propria personalia, & hoc modo vulgariter accipi Pœnitentiam. Si verò sumatur adæquatè pro habitu inclinante tam ad jus divinum illæsum servandum per actus conformes primæ regulæ, quàm ad detestandum malum divino juri contrarium, sic objectum materiale ipsius esse omnes actiones morales, quatenus conformabiles cùm prima regula.

Altera est D. Thomæ (ut etiam fatetur Amicus loc. cit.) in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. quæst. 2. & 5. hic a. 1. in c. & communis Thomistarum, objectum materiale Pœnitentiæ esse sola peccata à proprio supposito commissa: Cum quo sit

CONCLUSIO I. *Adæquatum objectum materiale Pœnitentiæ sunt peccata propriâ voluntate comissa.* 2.

Probatur primò ratione & authoritate tum S. Doct. tum SS. PP. Illud est objectum materiale Pœnitentiæ, ad quod terminatur actus primarius Pœnitentiæ, qui est pœnitere: sed hic juxta præfatam authoritatem tantùm terminatur ad peccata propriâ voluntate commissa: ergo. Minorem habet S. Doctor loc. cit. in 4 dicens: *Tantùm pœnitere debemus eorum, quæ ex nostrâ voluntate pendebant. Et hic a. 1. in c. Pœnitere est de aliquo à se priùs facto dolere.* & ad 3. *Dolor pœnitentis est reprobatio facti præteriti.* S. Aug., l. 50. hom. ho. 50. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO per Pœnitentiæ dolorem &c. Et ep. 5. Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod malè fecerit, impunitum esse non sinat.* S. Ambros. serm. 1. Quadrages. *Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit.* Sic S. Gregorius M. paulò ante citatus docet, *Pœnitere esse peccata præterita plangere.* Et Nyss. pœnitentiam vocat *eversionem peccatorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa.*

3. Inquis, D. Thomam & SS. PP. hic loqui de Pœnitentia inadæquatè sumpta pro habitu retractativo & deletivo peccati. Sed contra est; quòd D. Th. & SS. PP. nunquam aliter accipiant Pœnitentiam, quàm pro habitu retractativo & deletivo peccati: ergo ex mente & fundamento D. Th. & SS. PP. Pœnitentia adæquatè sumpta est habitus retractativus, & consequenter pro objecto adæquato habet peccatum quatenus expiabile. Ita se ipsum clarissimè explicat S. D. In 4. dist. 4. q. 1. a. 1. q. 3. in c. dicens: *Dicendum, quòd Pœnitentia accipiat specialem rationem* (adeòque adæquatam) *objecti ex hoc, quòd respicit peccatum à se commissum, ut expiabile per pœnitentes actum &c.* Et mox ad 1. *Habet*, inquit, *peccatum expellendum pro materia, & operatur contra ipsum, ut expellatur.*

4. Probatur secundò. Illud est objectum materiale, supra quod cadit formalis ratio Pœnitentiæ: sed hoc convenit peccato personali, propriâ voluntate commisso: ergo. Minor probatur: Formalis ratio Pœnitentiæ juxta S. D. sæpe cit. est emendabilitas, & expiabilitas: sed hoc cadit supra peccatum personale præteritum: ergo.

5. CONCLUSIO II. *Ad objectum Pœnitentiæ minùs principaliter pertinent peccata venialia: (2) item peccata ut vitanda non nisi secundariò: (3) aliena quoque tantùm indirectè ad objectum Pœnitentiæ reducuntur.*

Ratio primæ partis est: Illud est objectum minùs principale Pœnitentiæ, quod minùs principaliter participat rationem offensæ expiabilis: sed peccatum veniale minùs principaliter hanc rationem participat; siquidem juxta communem Theologorum tantùm est injuria & offensa secundùm quid: ergo.

Ratio secundæ partis est: Quod est objectum actûs secundarii Pœnitentiæ, tantùm secundariò pertinet ad objectum Pœnitentiæ: sed peccata ut vitanda sunt objectum actûs secundarii Pœnitentiæ, qui est propositum non peccandi de cætero: ergo. Minor constat, quia propositum non peccandi est quid secundarium consequens dolorem de peccatis, & convenit Pœnitentiæ non ex propria formali ratione, sed quatenus sequitur directionem prudentiæ, ad quam pertinet cautio de futuris, quod est ipsi secundarium, & commune cum cæteris virtutibus moralibus. 6.

Ratio tertiæ partis est: Illud tantùm indirectè reducitur ad objectum Pœnitentiæ, ad quod actus Pœnitentiæ non nisi per quandam extensionem & connaturalitatem pertingunt; sed aliena peccata non pertingunt nisi per quandam extensionem & connaturalitatem: ergo. Minor ostenditur: cùm enim peccata aliena per proprium pœnitentis actum expiari non possint (ut suppono ex Tract. de Incar.) directè non sunt capacia formalis objecti Pœnitentiæ, i. e. expiabilitatis: nihilominùs indirectè & propter connaturalitatem quandam terminant actus quosdam Pœnitentiæ minùs perfectos; quia Pœnitentia adinstar aliarum virtutum hoc efficit, ut voluntas ad actus perfectivos proprii suppositi assuefacta complacentiam habeat de similibus actibus & perfectis in alieno supposito animadversis, & contra tristetur de oppositis; sic justus virtuti justitiæ assuefactus gaudet etiam de aliena justitia, & displicentiam concipit de injustitia, & hoc modo pœnitens quoque gaudet de alterius Pœnitentia, dolet verò de peccato & impœnitentia. 7.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Illud non est adæquatum objectum materiale Pœnitentiæ, quod non adæquat omnem actum primarium ipsius: sed peccatum proprium non adæquat omnem actum primarium ipsius: ergo. Minor probatur: Sicuti Justitia non tantùm petit reparare jus læsum, sed etiam servare illæsum; ita Pœnitentia, ceu species quædam justitiæ non tantùm petit satisfacere pro injuria DEO illata seu restituere jus divinum peccato læsum, sed etiam cupit illud servare illæsum: ergo sicuti propterea objectum materiale adæquatum justitiæ non sunt injuriæ, sed res & actiones 8.

qua-

quatenus adæquabiles cum jure alterius, ita etiam objectum materiale adæquatum pœnitentiæ non est peccatum proprium, sed actus humani quatenùs adæquabiles cum jure Divino, & conformabiles primæ regulæ.

Confirmatur: Quælibet virtus electiva pro suo actu primario habet electionem & actum persecutionis; sed pœnitentia est virtus electiva: ergo actus primarius ipsius est electio & prosecutio: Atqui prosecutio & electio non habet pro objecto malum peccati: ergo non omnis actus primarius pœnitentiæ habet pro objecto peccatum.

Respondeo negando min. Ad cujus probationem nego paritatem à justitia petitam: nam cùm formale objectum ipsius sit justum, h. e. æqualitas inter unius debitum & jus rigorosum alterius, quæ non tantùm reperitur in reparatione injuriæ, sed etiam in redditione debiti, aliisque actibus, quibus jus proximi servatur illæsum, mirum non est quòd objectum adæquatum materiale non sint injuriæ sed res & actiones ut adæquabiles cum jure alterius. E contra cùm pœnitentia non possit pro objecto formali respicere æqualitatem debiti cum jure Divino, utpote impossibilem, sed tantùm honestatem emendationis pro offensa peccati DEO exhibendæ, ideo peccatum in ratione offensæ & injuriæ est objectum adæquatum materiale ipsius, conservatio verò juris Divini, quæ non aliter fit, quàm per observantiam mandatorum DEI, pertinebit ad illam virtutem, è cujus motivo elicitur.

Ad confirmationem dist. majorem. Virtus electiva pro suo actu primario habet electionem & actum prosecutionis, nisi ille per se referatur ulteriùs ad actum retractationis, concedo; si ulteriùs referatur, nego. Sed pœnitentia est electiva ipsius retractationis peccati, utque mediante electione per se tendat in illam retractationem, concedo; secus, nego min. & consequentiam. Esto igitur, quòd pœnitentia ex genere suo sit electiva, cùm tamen ex specifica ratione sit virtus destructiva & emendativa peccati, primarius ipsius actus erit ipsa destructio peccati, & consequenter objectum materiale peccatum, ut destruendum.

Respondeo secundò. Concesso toto primo syllogismo, distinguo subsumptum: Electio non habet pro objecto formali malum peccati, concedo; pro materiali, negò subsumptum & consequentiam. Nam actus electionis ita terminatur ad bonum compensationis, quod est objectum formale, ut compensatio tamen connotet peccatum compensandum, adeòque illud sit objectum materiale.

Objicies secundò. Illud omne peccatum pertinet ad objectum pœnitentiæ, quod est detestabile tanquam oppositum juri Divino, sed omne peccatum etiam originale, alienum, & futurum est detestabile tanquam oppositum juri Divino: ergo illud omne pertinet ad objectum justitiæ. 9.

Respondeo negando vel distinguendo maj. quod est detestabile modo expiatorio & destructivo concedo; alio quocunque modo, nego. & pariter distinctâ minore, nego consequentiam.

Colliges ex dictis primò. Adæquatum objectum *quod* pœnitentiæ ex formali & materiali constitutum, quod etiam in philosophicis appellamus objectum *attributionis*, esse injuriam & offensam peccati proprii, quatenus expiabilem & emendabilem per actum pœnitentis: ut enim hactenus ostensum, formale motivum est expiabilitas, objectum materiale est peccatum proprium subjectum expiabilitati; sed hoc ipsum appellamus objectum adæquatum, quod ex utroque constituitur: ergo. 10.

Colliges secundò. Objectum *cui* Pœnitentiæ esse jus divinum, cui fit satisfactio. Illud quippe dicimus objectum *Cui* in aliqua virtute, ad quod per se refertur finis intrinsecus & immediatus alicujus virtutis, sicuti objectum *Cui* justitiæ commutativæ est jus activum creditoris, vel quasi creditoris, quia illi juri per actum justitiæ commutativæ, v. g. debiti solutionem consulitur. Objectum *Cui* Religionis est divinæ Majestatis eminentia, quæ per cultum, religiosum innotescit: atqui emendatio & satisfactio pro injuria peccati per se refertur in gratiam divini juris peccato læsi: ergo illud ipsum jus est objectum *Cui* virtutis pœnitentiæ. 11.

ARTICULUS IV.

Qualis virtus sit Pœnitentia?

SUMMARIA.

1. *Pœnitentia est virtus specialis.*
2. *Non est species justitiæ distributivæ, vel vindicativæ.*
3. *Est species justitiæ commutativæ non subjectiva, sed potestativa.*
4. *Neque potest DEO reddere æquale pro illatâ injuriâ.*
5. *Distinguitur à timore filiali.*
6. *Exponitur mens Doct. Angelici contra Contensonum.*
7. *Pœnitentia est virtus supernaturalis infusa, & moralis.*

8. *Datur etiam habitus naturalis & acquisitus pœnitentiæ.*
9. *Ejus definitio.*
10. *Est virtus reflexiva super actus peccaminosos.*

§. I.

Sitne Pœnitentia virtus specialis, & pars justitiæ?

1. CONCLUSIO I. *Pœnitentia est virtus specialis distincta ab omni alia.* S. D. hic a. 2. in c.

Ratio est ex dictis: Virtus quæ habet speciale motivum, & specialem difficultatem superandam, est specialis: sed pœnitentia habet speciale motivum, superiùs explicatum, & habet difficultatem specialem superandam in imponenda sibi ipsi retractatione peccati: ergo.

Dices: Quot sunt peccata specie distincta, tot sunt diversæ difficultates superandæ per oppositos habitus virtutum; ergo non datur unus habitus specialis pœnitentiæ destractivus peccati; sed pœnitentiæ virtus nil aliud erit, quàm collectio diversarum virtutum peccata destruentium.

Respondeo, dist. antecedens. Tot sunt diversæ difficultates ortæ ex inhonestate speciali repugnante motivo certæ virtutis, concedo; ortæ ex ratione injuriæ & offensæ, nego. Nam omnes illæ speciales difficultates comparatæ ad rationem injuriæ non se habent formaliter, sed materialiter; atqui habitus non multiplicantur propter difficultates solùm materialiter, sed formaliter diversas.

2. CONCLUSIO SECUNDA. *Pœnitentia non est species justitiæ distributivæ vel vindicativæ.* S. D. a. 3.

Ratio primæ partis est: quia justitia distributiva est superioris ad inferiores, est inter plures, ut sonat vox ipsa distribuendi, neque respicit jus rigorosum in dominio aut quasi dominio fundatum, conservandum aut reparandum secundùm arithmeticam æqualitatem dati & accepti; sed respicit jus minùs rigorosum & distributivum fundatum in proportionali congruitate personarum; Atqui pœnitentia est inferioris ad superiorem, creaturæ ad creatorem, absque pluralitate personarum & comparatione proportionum; & respicit jus rigorosum supremi dominii divini: ergo.

Ratio secundæ partis est; quia ut primò insinuatum, justitia vindicativa non tam intendit reparationem læsi juris, quàm commensurationem pœnæ cum delicto, neque est subjectivè in reo, qui pœnam sæpe invitus patitur, & magis præstat satispassionem quàm satisfactionem pro suo delicto; dum econtra pœnitentia subjectatur in pœnitente, qui voluntariè satisfactionem subit in ordine ad reparandum jus divinum suo peccato læsum.

3. CONCLUSIO TERTIA. *Pœnitentia est species justitiæ commutativæ non subjectiva, sed potestativa S. D. cit. a. 3.*

Ratio primæ partis est ex eodem S. D. Virtus ad alterum, quæ pro suo objecto formali habet compensationem juris rigorosi, est aliquo modo species justitiæ: sed pœnitentia est virtus ad alterum, nempe hominis ad DEUM, & pro objecto formali habet compensationem juris Divini & dominii rigorosissimi: ergo.

Ratio secundæ partis est; quia species subjectiva illa dicitur, quæ omnes conditiones & prædicata generica participat, illa verò dicitur potestativa, quæ in una alterave conditione & prædicato essentiali generis deficit; & ita tantùm retinet similitudinem & analogiam cum illo: atqui pœnitentia deficit à virtute justitiæ commutativæ in essentiali prædicato & conditione justitiæ commutativæ, videlicet in perfectâ æqualitate, & alteritate jurium (ut suppono ex Tract. de Justitia, & habet S. Doctor hic loc. cit.) ergo pœnitentia non est species subjectiva, sed potestativa justitiæ commutativæ.

Objicies: Pœnitentia DEO reddit æquale pro injuria per peccatum illatâ: ergo est species perfecta justitiæ commutativæ. Antecedens probatur: Tunc compensatio reddit æquale, quando exhibet parti læsæ; quod ipsi tantum placeat, quantum displicuit offensa peccati: sed satisfactio, quæ per pœnitentiam DEO exhibetur, tantum illi placet, quantum displicuit offensa peccati; ergo. 4

Confirmatur. Non minùs per contritionem homo convertitur in DEUM ut ultimum finem, quàm per peccatum fuerit aversus à DEO ultimo fine: ergo non minùs per pœnitentiam restituitur DEO intentativè ratio finis ultimi, quàm eadem ratio fuerit intentativè ablata per peccatum: atqui tantum restituere, quantum fuit ablatum, est reddere æquale: ergo per pœnitentiam DEO redditur æquale.

Respondeo neg. antecedens; ejusque probationem distinguo. Quando compensatio exhibet, quod parti læsæ tantum placeat in ratione satisfactionis, quantùm displicuit offensa etiam in ratione offensæ & injuriæ, concedo; quod tantum placeat in ratione bonitatis & honestatis moralis, quantum displicuit offensa etiam in ratione malitiæ & deformitatis moralis, nego maj. Sed satisfactio pœnitentiæ tantum DEO placet in ratione bonitatis moralis, quantum displicuit offensa peccati in ratione malitiæ moralis, cócedo; tantum placet in ratione satisfactionis, quantum displicuit offensa in ratione offensæ & injuriæ, nego min. & consequentiam. Nam, ut ex Tract. de Incarn. suppono, injuria ut sic, quæ in peccato distinguitur à ratione malitiæ, debet compensari satisfactione, non potest autem à pura creatura exhiberi DEO æqualis satisfactio pro offensa peccati, cùm offensæ magnitudo ex dignitate personæ offensæ quæ est infinita, quantitas verò satisfactionis à dignitate personæ satisfacientis, quæ est finita, accipiatur.

Ad confirm. concesso antec. distinguo consequens: Non minùs intentativè DEO restituitur ratio finis ultimi, quantùm ad rationem conversionis oppositæ aversioni, concedo; quantum ad rationem satisfactionis oppositæ & comparatæ ad offensam seu injuriam peccati, nego conseq. Et ad subsumpt. tantum restituere formaliter, quantum fuit ablatum, est reddere æqua-

æquale, concedo; tantum materialiter, nego subsumptum & consequentiam. Ratio ex dictis est, quia in satisfactione, quæ fit pro læsione honoris, non tantùm spectatur quantitas operis, quæ est quasi pars materialis ipsius, sed vel maximè quantitas seu dignitas satisfacientis, quæ est forma moralis tribuens valorem satisfactioni; ita subditus non satisfacit Superiori, quem per denegationem debitæ reverentiæ inhonoravit, si illam reverentiam alia vice exhibeat, quamvis illa actio secundùm se spectata sit tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est actio opposita, sed insuper debet aliquo modo subjicere suam personam & se humiliare.

§. II.

Sitne pœnitentia virtus distincta à dono timoris filialis.

5. CONCLUSIO IV. *Pœnitentia distinguitur ab habitu, & dono timoris filialis.* Est contra Contenson, cap. 1. Coroll. 1. in fi.

Ratio est primò. Quòd timor filialis & pœnitentia habeant motiva formaliter diversa. Nam motivum pœnitentiæ est bonum compensationis & emendationis, pro injuria peccati, econtra motivum timoris filialis est honestas reverendi DEUM tanquam justum vindicem potentem peccantibus infligere malum, ejusque proinde actus primarius est reverentia in Dominum DEUM sub prædicta ratione, actus secundarius est fugere peccatum ceu subductionem à Domino DEO, ut habet S. D. 2. 2. q. 10. a. 9. Unde ratio est secundò. Si pœnitentia nō distingueretur à timore filiali, tùnc daretur in Christo D. sed in in ipso non datur, ut ex S. D. mox dicemus: ergo ab illo distinguitur. Sequela probatur. Donum timoris filialis datur in Christo D. quia in ipso est actus primarius ipsius, videlicet reverentia summa erga DEUM ut potentem infligere malum. Unde si timor filialis non distinguatur à pœnitentia, etiam necesse est in Christo dari virtutem pœnitentiæ.

6. Opponit Contensonus authoritatem S. D. q. 85. a. 5. dicentis, quòd post varios actus, qui interveniunt in justificatione peccatoris & concurrunt ad pœnitentiam, succedat *motus timoris filialis, quo propter reverentiam DEI aliquis emendam DEO voluntarius offert* Et concludit; *sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut primo motu affectûs ad hoc ordinato, à timore autem filiali si ut ab immediato & proximo principio.* Infert citatus Author: ergo virtus pœnitentiæ ex D. Thoma non distinguitur à timore filiali, cùm exertè doceat, timorem filialem nedum imperare pœnitentiæ actus, sed esse eorum immediatum & proximum principium.

Respondeo ex hoc loco S. D. nihil contra nos probari; loquitur enim D. Th. expressè de principiis tantùm dispositivis ad actum pœnitentiæ, h. e. de actibus variarum virtutum, prævijs ad actum pœnitentiæ; actus verò præviè dispositivi sunt principia extrinseca actui, ad quem disponunt. Inter illa igitur principia (inter quæ numerat gratiam excitantem, motum fidei, motum timoris servilis, & actum charitatis) ultimo loco ponit timorem filialem, quia reverentia DEI, ex qua procedit timor filialis, est motivum proximè accedens ad motivum satisfactionis pœnitentiæ proprium, unde actus pœnitentiæ proximè solet imperari à timore filiali; non tamen est unum idémque motivum, cùm actus primarius timoris filialis nequaquam sit emendatio peccati, sed reverentia erga DEUM, econtra actus primarius pœnitentiæ sit detestatio, & emendatio peccati proprii. In forma Respond. Timor filialis est proximum principium actus pœnitentiæ actuale & imperativum concedo; habituale & elicitivum, nego.

§. III.

Corollaria ex dictis.

COlliges primò. Pœnitentiam esse virtutem (1.) supernaturalem (2.) infusam, (3.) non tamen theologicam, sed moralem. 7.

Ratio primæ partis est: Virtus habens motivum supernaturale, est supernaturalis: sed pœnitentia habet motivum supernaturale, videl. compensationem pro læsione juris Divini, quod habet supra nostras actiones non tantùm ut author & finis ultimus naturalis; sed etiam supernaturalis: sed hoc est motivum supernaturale; ergo. Præterea, actus pœnitentiæ est supernaturalis; quia ordinatur, & disponit ad gratiam, ac procedit ex auxilio supernaturali: ergo etiam virtus pœnitentiæ tanquam proximum principium elicitivum ipsius est supernaturalis. Ratio secundæ partis est: quia virtutes supernaturales sunt divinitus infusæ, nec habent aliam causam efficientem, quàm DEUM, qui illas ex potentia obedientiali animæ educit, ut aliunde suppono: sed pœnitentia est virtus supernaturalis: ergo.

Ratio tertiæ partis est. In hoc distinguuntur virtutes Theologicæ, & morales, quòd illæ pro objecto immediato habeant ipsum DEUM, seu quandam perfectionem increatam DEI; econtra virtutes morales immediatè respiciant quandam perfectionem & honestatem creatam, ita charitas v. gr. proximè specificatur à Divina increata bonitate; religio verò ab honestate creata cultûs Divini; atqui pœnitentia licèt pro objecto mediato *cui* respiciat DEUM, sicut & religio, tamen pro motivo formali proximo habet bonum creatum compensationis pro offensa peccati: ergo non est virtus theologica, sed moralis.

Colliges secundò. Præter habitum pœnitentiæ supernaturalem & infusum posse etiam dari naturalem & acquisitum, velut indicat S. D. q. 84. a. 7. in c. dicens: *Hominem ex naturali ratione moveri ad pœnitendum de malis, quæ fecit.* Ratio est: Tunc potest dari habitus naturalis & acquisitus pœnitentiæ, quando voluntas naturali lumine instructa potest per frequentatos actus detestari peccatum tanquam DEO authori legis naturalis injurium, & conari ad expiationem illius: sed voluntas ductu luminis naturalis hoc potest; cùm & gentiles hoc agnoverint, è quibus 8.

bus Seneca: *Quem pœnitet peccati, penè est innocens.* Et Poëta de Diis loquens:

Sæpe levant pœnas ereptaq; lumina reddunt,
Dum bene peccati pœnituisse vident.

9. Colliges tertiò. Pœnitentiæ virtutem ita ex hactenùs dictis rectè definiri, quod sit *virtus moralis inclinans voluntatem ad expiandam injuriam DEO per peccatum illatam*: in hac quippe definitione exprimitur tum genus proximum, tum motivum formale specificativum ipsius, quod est expiatio peccati. Unde

Colliges ultimò. Virtutem pœnitentiæ esse formaliter reflexivam supra peccaminosos actus, actu vel potentia commissos; siquidem objectum formale, nimirum emendatio & expiatio pro peccato proprio, illos connotat & præsupponit, vel ut actu commissos, vel ut committi possibiles. 10.

DISPUTATIO XXXVII.

De subjecto virtutis Pœnitentiæ.

SUbjectum alicujus virtutis, vel est proximum, vel remotum. Proximum est illa potentia, cujus actus à tali virtute proximè rectificatur; & quæ per suos actus elicitivos objectum talis virtutis attingit. Subjectum remotum est illud suppositum vel persona, in quâ habitus virtutis subjectatur. De utroque institutâ quæstione, sit.

ARTICULUS I.

Quodnam sit subjectum proximum Pœnitentiæ?

SUMMARIA.

1. *Proximum Pœnitentiæ subjectum est voluntas.*
2. *Non est in appetitu sensitivo.*
3. *In quo tamen potest generari habitus subordinatus Pœnitentiæ.*

NOnnulli apud Alensem in 4. p. q. 12. existimabant pœnitentiæ virtutem residere in intellectu tanquam proximo subjecto, alii verò præter habitum pœnitentiæ inexistentem voluntati requirebant alium residentem in appetitu sensitivo, contra quos est communis Theologorum, & nostra.

1. CONCLUSIO. *Proximum subjectum Pœnitentiæ est voluntas.* S. D. a. 4.

Ratio est. Illa potentia est proximum subjectum Pœnitentiæ, cujus actus per Pœnitentiam rectificatur, quæque per suos actus objectum Pœnitentiæ attingit: sed hoc habet sola voluntas: ergo. Minor probatur primò. Intentio compensandi injuriam DEO illatam, & dolor satisfactivus pro injuria: sunt actus eliciti voluntatis: sed isti rectificantur per pœnitentiam, cùm sint proprii & præcipui actus illius: ergo.

Secundò. Objectum formale Pœnitentiæ est bonum compensationis, quatenus est aliquod extrinsecum bonum DEI: sed sola voluntas attingit bonum tanquam proprium objectum: ergo Pœnitentiæ objectum à voluntate attingitur.

Confirmatur. Omnis virtus ad alterum est in voluntate: Pœnitentia est virtus ad alterum: ergo est in voluntate. Minor constat, eò quòd pœnitentia sit ad DEUM, & pars potentialis justitiæ. Major probatur. Sola voluntas patitur difficultatem circa bonum alterius; nam ratio non est circa bonum sed circa verum; appetitus sensitivus est circa bonum sensibile proprium: ergo virtus, quæ est circa bonum alterius, est in voluntate.

2. Inferes ex dictis primò. Virtutem pœnitentiæ & actum ipsius non esse in appetitu sensitivo: tum quia nullus habitus simul potest esse in duabus potentiis tanquam subjectis: tum quia objectum pœnitentiæ tanquam spirituale est extra sphæram & objectum appetitûs sensitivi.

Inferes secundò. Licèt ad virtutem & actum pœnitentiæ nullus requiratur habitu, vel actus appetitûs sensitivi, tamen posse generari aliquem habitum & inclinationem in appetitu sensitivo, ad concipiendum dolorem sub apprehensione rei corporeæ, qui tamen dolor non est aliâ ratione honestus & virtuosus, quàm quatenus derivatur & regulatur à virtute pœnitentiæ.

Ratio primæ partis est, quia perfecta contritio obtineri potest independenter à dolore sensibili, & ab ipso dolore sensibili præsupponitur.

Ratio secundæ partis est; quia experientia docet, ex frequentatis actibus appetitus sensitivi generari proclivitatem & habitum ad sensibiles actus; cùm igitur appetitus sensitivus soleat subsequi voluntatem in eliciendo dolore sensibili, nihil obstat, quo minùs ex frequentatis ejusmodi actibus habitus aliquis generetur.

Ratio tamen tertiæ partis est, quia bonum honestum est extra objectum appetitûs sensitivi; unde non nisi denominativè propter subordinationem ad actum & virtutem pœnitentiæ, à qua regulatur & imperatur, virtuosus & honestus dici potest.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quodnam sit subjectum remotum Pœnitentiæ?

SUMMARIA.

1. *Triplex modus, quo virtus potest esse in subjecto.*
2. *Ubi repugnat actus primarius, ibi non potest virtus consistere.*
3. *Potest tamen reperiri virtus absque actu primario.*
4. *In nullo peccatore reperitur habitus pœnitentiæ.*
5. *Neque in Christo, vel Angelis.*
6. *Est in omni puro homine justo.*
7. *Adeoq; in infantibus baptizatis.*
8. *In primis parentibus in statu innocentiæ, in B. Virgine & Beatis.*
9. *Cur in peccatore maneat fides, non autem pœnitentia?*
10. *Christi satisfactio pro peccatis non fuit actus pœnitentiæ.*
11. *Cur intrinseca impeccabilitas in Christo impediat virtutem pœnitentiæ, non item in Beatis?*
12. *Cur Beati amittant fidem, & spem, non autem pœnitentiam?*
13. *Cur habitus Pœnitentiæ non sit frustraneus in infantibus, & statu innocentiæ?*

§ I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò, Triplici modo fieri posse, ut aliqua virtus sit in subjecto. Primò ut sit tantùm quoad habitum, h. e. ut quidem habitus virtutis sit in subjecto, nunquam tamen in actum prodeat; quomodo charitas aliæque virtutes supernaturales infusæ sunt in infantibus post gratiæ infusionem. Secundò, ut sit in subjecto quoad habitum & actum primarium, h. e. ut habitus simul in actum primarium procedat, aut possit procedere; qui modus est quotidianus & extra controversiam, sic enim justi habent virtutem & actum charitatis. Tertiò, potest virtus inesse alicui subjecto quoad habitum, & actum secundarium, non autem quoad actum primarium, ut in Beatis remanet virtus fortitudinis non tantùm quoad habitum sed etiam quoad actum aliquem secundarium, qui est v. g. gaudium de periculis fortiter superatis, non tamen quoad actum primarium; quia sicut à statu Beatorum absunt pericula, quod est objectum materiale fortitudinis, ita neque Beati possunt fortiter pericula aggredi, & sustinere adversa, qui est actus primarius ipsius.

2. Notandum secundò. Habitum virtutis non posse consistere in illo subjecto, in quo repugnat actus primarius & motivum formale ipsius. Ratio est: quod nulla detur inclinatio intrinseca in aliquid impossibile: ergo, si actus primarius sit alicui subjecto intrinsecè impossibilis, etiam non poterit habere inclinationem in illum actum: atqui habitus virtutum sunt intrinsecæ inclinationes in actum primarium: ergo si actus primarius virtutis alicui subjecto repugnet, non potest habere virtutem & habitum intrinsecè inclinativum in talem actū. Rursus: Virtutes dicunt intrinsecum ordinem & habitudinem erga motivum formale: sed in subjecto incapaci talis motivi non possunt dicere intrinsecum ordinem ad illud; repugnat quippe intrinsecè ordinari ad aliquid simpliciter impossibile; ergo.

Notandum tertiò. Ut habitus virtutis in aliquo subjecto reperiatur, non esse necessarium, ut ibidem reperiatur etiam actus primarius illius, sed poterit iste ex aliquo statu & conditione subjecti impediri, & fieri extrinsecè impossibilis. Patet in exemplis adductis: nam in infantibus nulla virtus procedit in ullum actum sive primarium sive secundarium, & tamen secundùm communem Theologorum iisdem unà cum gratia sanctificante non solùm infunduntur virtutes theologicæ, sed etiam morales, ut fortitudinis & temperantiæ. In Beatis verò reperiuntur quarundam virtutum actus secundarii tantùm; non verò primarii; quia ex conditione status beatifici abest materia, circa quam versantur actus primarii illarum virtutum, ut pericula respectu fortitudinis, & passiones respectu temperantiæ, nec tamen iisdem denegantur habitus illarum virtutum, juxta S. D. in q. 5. de virtut. a. 4. in c. tum quia per modum proprietatum consequuntur ad infusionem gratiæ sanctificantis, nisi per intrinsecam repugnantiam subjecti impediantur; tum etiam, quia in patria sunt principia quorundam actuum, qui licèt sint secundarii, sunt tamen perfectiores actibus hujus vitæ, eosque perficiunt. His positis diversa sunt subjecta, de quibus quæstio potest institui: sunt nimirum Christus, Angelus, Beatissima Virgo, alius quicunque homo, isque vel beatus, vel damnatus, vel viator; Viator vel in statu innocentiæ, vel extra hunc statum; vel habens, vel non habens usum rationis; vel justus, vel peccator; ubi pro varietate opinionum de objecto formali Pœnitentiæ, etiam de subjecto diversæ sunt Authorum sententiæ. 3.

§ II.

Assignantur subjecta Pœnitentiæ.

CONCLUSIO I. *In nullo peccatore, sive sit damnatus, sive viator, reperitur habitus Pœnitentiæ.*

Ratio primæ partis est: quia homo obstinatus & impœnitens non est subjectum Pœnitentiæ; cùm repugnet, in eodem subjecto simul consistere habitum Pœnitentiæ, & impœnitentiæ; sed damnati sunt obstinati & impœnitentes; ergo. Neque refert, quòd in I. Sapientiæ c. 5. dicantur esse *pœnitentes & præ angustia spiritûs gementes*: nam ly *pœnitentes* eo loco non significat 4.

effi-

efficacem retractationem peccati ex motivo honesto, sed solummodò naturalem ipsius detestationem propter experientiam pœnarum & dolorum à peccato causatorum. Unde etiam in Græco textu legitur μεταγνόντες h. e. serò & cum Phrygibus sapientes. Ratio deinde universalis utriusque partis est. Pœnitentia adinstar aliarum virtutum moralium infusarum sequitur gratiam, sicut proprietates essentiam, eamque priùs naturâ supponit: sed in nullo peccatore est gratia: ergo nec habitus vel virtus Pœnitentiæ.

5. CONCLUSIO. *In Christo & Angelis non est vel erat virtus Pœnitentiæ.*

Ratio utriusque est; Cui subjecto intrinsecè repugnat actus primarius virtutis, in illo virtus subjectari non potest, uti dictum in Not. 2. sed retractatio peccati proprii, quæ est actus primarius Pœnitentiæ, repugnat tam in Christo, quàm in Angelis; in Christo, quia est & erat ab intrinseco impeccabilis; in Angelis, quia sunt inflexibilis arbitrii, ut, quod semel plena deliberatione elegerunt, retractare non possint, prout suppono ex tr. de Incarn. & de Ang. ergo in Christo & Angelis virtus Pœnitentiæ subjectari non potest.

6. CONCLUSIO III. *In omni puro homine justo reperitur virtus Pœnitentiæ.* Ita communiter Thomistæ.

Ratio ex dictis in 2. Not. est. Ubicunque reperitur gratia sanctificans, ibidem reperiuntur virtutes morales infusæ, ceu quædam proprietates ipsius, nisi sit intrinseca incapacitas subjecti; atqui nullus purus homo justus est intrinsecè incapax Pœnitentiæ, cùm hoc ipso, quòd sit intrinsecè peccabilis, neque motivum formale, neque actus primarius eidem repugnet, sit insuper gratiâ sanctificante instructus: ergo quilibet homo justus habet virtutem Pœnitentiæ. Unde

7. Sequitur primò. Pœnitentiæ virtutem esse in infantibus baptizatis: quia sunt instructi gratiâ sanctificante, adeóque etiam ornatu virtutum moralium; quòdque defacto non possint elicere aliquem actum Pœnitentiæ, id non est ex perpetuo objectivo & intrinseco impedimento, eò quòd organa nondum sint disposita ad usum rationis.

8. Sequitur secundò. Eadem virtute primos parentes in statu Innocentiæ, & Beatissimam Virginem, & homines beatos esse præditos; Ratio est; quia licèt in nullo istorum reperiatur retractatio peccati, qui est actus primarius Pœnitentiæ: id tamen non contingit propter intrinsecam repugnantiam & impossibilitatem peccandi, sed propter extrinsecam vel ratione status, ut in Adamo & Beatis, vel ratione protectionis extrinsecæ & auxiliorum efficacium, quibus Beatissima Virgo ab omni etiam veniali peccato custodiebatur; unde poterant ex motivo satisfactionis pro peccato proprio DEO exhibendæ moveri ad quosdam actus secundarios, e. g. ad voluntatem conditionatam dolendi de peccatis, si illa commisissent, vel ad gaudium de peccato non commisso, aut debitè expiato &c.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem. Virtutes fidei & spei remanent in peccatore post gratiam per peccatum deperditam: ergo similiter remanet virtus Pœnitentiæ. Consequentia probatur: Ideò remanent fides & spes, quia actus istarum virtutum sunt necessariæ dispositiones ad gratiam recuperandam; sed etiam actus Pœnitentiæ est necessaria ad justificationem dispositio, cùm absque Pœnitentia nullum peccatum remittatur in hâc vita, ut dicetur: ergo. 9.

Respondeo neg. consequentiam. Disparitas est, quòd fides & spes ordine generationis præcedant gratiam, ideoque cùm priùs non pendeat à posteriori, possunt absque gratia subsistere, & tunc dicuntur virtutes informes, h. e. nondum perfectæ & conjunctæ cum gratia & charitate. Virtus verò pœnitentiæ juxta naturam aliarum virtutum moralium infusarum ordine naturæ & generationis subsequitur gratiam, ceu proprietas essentiam & radicem: ideoque post gratiæ amissionem informis remanere non potest. Ad probationem Respondeo: Actum fidei & spei majori necessitate requiri ad justificationem peccatoris, quàm actum Pœnitentiæ, ut est virtus specialis. Nam omnis actus motus supernaturalis necessariò à fide incipit, quem actus quoque spei connaturaliter sequitur: atqui Pœnitentia ad justificationem necessariò requisita, non nominat pœnitentiam, ut est virtus specialis, sed generalis; quia ad consequendam gratiam justificationis extra Sacramentum sufficit aliquando Pœnitentia virtualis inclusa in actu dilectionis DEI super omnia, vel dolor de peccato ex præciso motivo charitatis. In Sacramento autem sufficit dolor supernaturalis elicitus; nec est necesse, ut procedat ab habitu infuso, sed sufficit, si procedat ab auxilio speciali.

Objicies secundò contra secundam conclusionem. Ubi reperitur motivum formale pœnitentiæ, ibi & virtus: sed in Christo motivum formale Pœnitentiæ modo perfectissimo reperitur: ergo & pœnitentia. Minor probatur: Motivum formale hujus virtutis est jus divinum læsum, ut reparabile per satisfactionem: sed hoc motivum perfectissimo modo fuit in Christo, siquidem voluit satisfacere & satisfecit plenissimè pro omnibus omnium hominum peccatis, quatenùs sunt injuriæ & offensæ DEI. 10.

Respondeo negando min. ejusque probationem dist. Motivum Pœnitentiæ est jus Divinum læsum ut reparabile per satisfactionem emendativam & retractativam, concedo; per qualemcunque satisfactionem, nego: sed Christus satisfecit pro nostris peccatis, ut sunt injuriæ & offensæ, satisfactione præcisè tali, concedo; modo emendatorio & retractatorio, nego min. & consequentiam. Illa satisfactio necessariò connotat peccatum proprium sive commissum, sive committi possibile; non item illa.

Dices;

Dices: Non est assignabilis alia virtus, ad quam pertineat Christi dolor & satisfactio pro peccatis quàm Pœnitentia. Respondeo. Si mecum admittas perfectam & rigorosam justitiam in Christo, potuisse esse actum perfectæ justitiæ. Si nolis admittere, dicendum erit, pertinuisse vel ad religionem & zelum divini honoris, vel ad quandam virtutem innominatam, quæ sit species imperfecta justitiæ. Non verò fuit actus Pœnitentiæ; an enim filius pœnitere dicitur, quando dolet & offert suam operam pro reparandis alienis injuriis & damnis suo patri illatis?

11. Objicies tertiò. Christus, ut dictum, non habet virtutem Pœnitentiæ, quia ab intrinseco impeccabilis: ergo similiter neque animæ beatæ habent virtutem Pœnitentiæ, quia sunt ab intrinseco impeccabiles; ut dicitur in Tract. de Act. hum.

Respondeo. Disparitatem esse, quòd impeccabilitas Christi dicitur talis intrinsecè, quia ipsi convenit, absolutè absque suppositione & pro omni statu: econtra impeccabilitas Beati dicitur talis intrinsecè tantùm ex suppositione statûs & formæ beatificæ, quæ non excludit peccabilitatem vel ipsum peccatum subjecti pro alio statu, & absolutè secundùm se considerati. Prior impeccabilitas, quia excludit omnem connotationem peccati præteriti, vel possibilis, ideo destruit motivum Pœnitentiæ; posterior impeccabilitas quia relinquit connotationem peccati non tantùm possibilis, sed etiam præteriti, ideo non destruit motivum Pœnitentiæ.

12. Dices: Tametsi Beati in statu viæ fuerint fide & spe dotati, tamen utramque virtutem amittunt in patria, eò quòd beata visio pro statu beatitudinis repugnet cum utriusque objecto: ergo, quia similiter beata visio repugnat cum peccabilitate & consequenter cum objecto Pœnitentiæ, etiam virtutem Pœnitentiæ Beati amittunt in patriâ.

Respondeo: Disparitatem esse; quòd motivum fidei connotet actualem obscuritatem, cui de præsenti substat objectum revelatum. Pariter motivum formale spei connotat præsentem objecti absentiam & arduitatem. Unde, cùm repugnet, beatificam visionem cum sui privatione, h. e. obscuritate, item beatitudinem possessam cum carentia suæ possessionis componi, impossibile est, motivum fidei & spei consistere cum actuali & clarâ visione DEI. Secùs est in motivo formali Pœnitentiæ, quod cùm sit honestas emendationis & compensationis pro peccato proprio, habet peccati proprii connotationem indifferentem, sive illud sit in præsenti, vel alio statu commissum, sive sit actu commissum, sive potuerit aliquando committi. Unde per actum visionis non destruitur.

Objicies quartò contra tertiam conclus. 13. Frustraneus est habitus, qui non reducitur in actum: sed Pœnitentia nec in infantibus, qui ante usum rationis decedunt, in actum deducitur, nec deducta fuisset in statu innocentiæ: ergo fuisset frustranea. Minor quoad 1. partem constat: quia infantes nec ante usum rationis, nec post mortem dolere possunt de peccatis propriis, quæ nunquam commiserunt, neque post hanc vitam committere possunt. Quoad secundam quoque partem: vel enim habitus Pœnitentiæ fuisset utilis pro statu innocentiæ ante peccatum, vel extra statum innocentiæ post peccatum: non primum, quia nondum peccatum erat commissum; non secundum, quia per peccatum habitus Pœnitentiæ fuisset destructus, nec proinde in actum prodiisset.

Respondeo negando minorem, & ad 1. partem probationis respondeo. Etsi illi infantes non possint dolere de peccatis, tamen animam ipsorum exornari per habitum Pœnitentiæ, & inclinari ad quosdam actus secundarios.

Ad secundam p. probationis dico; habitum Pœnitentiæ fuisse proximè utilem pro statu innocentiæ, quatenùs exornabat animam & inclinabat ad quosdam actus conditionatos & secundarios; pro statu verò peccati erat utilis remotè, in quantum intellectus assuefactus ad rectum judicium ferendum de compensatione facienda pro peccato, etiam in ipso statu peccati, amisso jam habitu Pœnitentiæ, tantò minùs erat impeditus ad rectum judicium formandum & dictandum de resipiscentia.

DISPUTATIO XXXVIII.

De

Remissione peccatorum mortalium ad q. 86.

Post traditas causas Pœnitentiæ; efficientem, dum dix. esse habitum infusum; formalem, dum explicuimus essentiam & objectum; finalem, dum declaravimus motivum; materialem, dum assignavimus subjectum, nunc ad

ad effectum ipsius, qui est remissio peccatorum, progredimur, qui equidem tam Sacramento quàm virtuti Pœnitentiæ nec tantùm speciali, sed generali potest esse communis. Unde nunc de remissione mortalium, postea agemus de remissione venialium.

ARTICULUS I.

An omnia peccata remitti possint per Pœnitentiam?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Non dantur in hac vita magna, aut multa peccata, quæ deleri non possint per pœnitentiam.*
3. *Peccata dæmonum & damnatorum sunt simpliciter irremissibilia.*
4. *Est simpliciter impossibile, dari peccatum ex natura rei irremissibile.*
5. *Scriptura ab hæreticis objecta*
6. *Exponuntur.*

§. I

Veritas Catholica.

1. DUobus modis, ut notavit S. Doctor hîc a. 1. intelligi potest, quòd peccata per pœnitentiam remitti non possint. Primò, quia aliquis ex denegatione divinorum auxiliorum veram pœnitentiam habere non potest. Secundò, quia ipsa Pœnitentia ad delenda peccata non est sufficiens. Prima quæstio pertinet ad Tract. de gratia. ubi ex instituto hanc quæstionem resolvimus, utrùm omni homini dentur auxilia sufficientia ad salutem? Circa secundam triplex fuit error hæreticorum; primus de quo, teste Suarez meminerunt SS. PP. Basil. de Pœnit. & Chrysost. ho. 10. ad Hebr. eos, qui semel à virtutis viâ aberrâssent, pœnitendo corrigi non posse. Secundus fuit Montani dicentis, pœnitentiam sufficere ad tollenda primitùs peccata, non tamen sæpiùs, ideoque relapsis non relinqui remedium. Tertius Novatianorum dicentium, licèt ad remittenda peccata regulariter Pœnitentia sufficiat, aliqua tamen esse peccatorum genera, quæ per pœnitentiam remitti non possint, ut apostasia à fide, Christi in tormentis negatio &c. Contra quos sit

2. CONCLUSIO. *Nulla datur tam enormis multitudo, vel gravitas peccatorum, quæ in hâc vita per veram pœnitentiam deleri non possit.* S. D. hîc a. 1. Est de fide definita in Conc. Later. *c. firmiter de sum. Trinit.* in Nicæno can. 8. Trid. sess. 6. c. 14. & can. 19. sess. 14.

Constat primò ex plurimis S. Scripturæ testimoniis, in quibus homines invitantur ad pœnitentiam, illisque indefinitè sine limitatione remissio peccatorum promittitur. Ut Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet & non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Eadem habentur v. 30. & Ps. 50. *Cor. contritum &c.* Zach. 4. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos.* Is. c. 55. Hier. 18. Et specialiter de Sacramento Pœnitentiæ habetur Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Constat secundò authoritate SS. PP. è quibus D. Chrys. ho. 2. in ps. 50. *Peccâsti? pœnitere; iterum peccâsti? iterum pœnitere; millies peccâsti? millies pœnitere.*

Constat tertiò hâc ratione: Siqua peccata remitti non possent per pœnitentiam, id fieret vel ex defectu divinæ voluntatis, nolentis omnia peccata dimitti, vel ex insufficientia Pœnitentiæ, tum in ratione virtutis, tum in ratione Sacramenti: sed nihil horum dici potest: ergo. Non ex defectu divinæ voluntatis, quæ ex allegatis S. Scripturæ testimoniis sufficienter innotescit, & quia (ut hîc inquit S. D.) hoc repugnat divinæ Misericordiæ, *vinceretur enim quodammodo DEUS ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod DEUS delere non vellet*: cùm tamen Joël. 2. dicatur: *Benignus & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Non ex insufficientia Pœnitentiæ, quia hujus efficacia tam in ratione Sacramenti, quàm virtutis fundatur in virtute passionis & meritorum Christi, quæ est infinita, unde 1. Jo. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solùm nostris, sed etiam totius mundi.*

Dixi in conclusione, *in hac vita*: quia peccata dæmonum & damnatorum remitti non posse, certum est; idque non tantùm propter denegationem omnium auxiliorum sufficientium internorum, quæ peccatores in via constituti per pias inspirationes & excitationes tum intellectûs tum voluntatis recipiunt; damnatis verò, ceu in viæ termino constitutis in perpetuum denegantur; sed etiam quia externa beneficia & auxilia gratiæ in communi pro omnibus hominibus præparata, videlicet merita passionis Christi, & Sacramenta novæ legis pro ipsis non sunt oblata, vel præparata, ideoque ipsorum peccata verè secundùm præsentem DEI legem sunt irremissibilia. 3.

Ex

4. Ex dictis inferes, Absolutè impossibile esse in omni statu, ut detur aliquod peccatum ab intrinseco & ex natura rei irremissibile. Primò, quia implicat, infinitum, & id quod est ordinis superioris, exhauriri per id, quod est ordinis inferioris: sed peccatum saltem in ratione malitiæ est finitum, in ratione verò offensæ vel est finitum (quæ est nostra sententia) vel saltem est ordinis inferioris quàm infinita DEI Misericordia: ergo ista per malitiam & offensam peccati exhauriri non potest. Secundò, Implicat, DEUM ab aliqua creatura impediri in actionibus suis liberis; sed remissio peccati est actio DEI libera; fit quippe per infusionem gratiæ & charitatis: ergo implicat, DEUM à creatura per peccatum impediri, ne possit remittere offensam. Tertiò. Quia sequeretur, alicujus divinæ personæ satisfactionem non esse valoris simpliciter infiniti: quia, si daretur peccatum intrinsecè irremissibile non posset satisfactio personæ divinæ esse sufficiens pro illo: sed hoc ipso non est infiniti valoris, si non sit sufficiens pro omnibus peccatis possibilibus in infinitum.

§. II.

Scripturæ objectæ exponuntur.

5. Objiciunt hæretici quædam S. Script. loca. Primò ex ep. D. Pauli Hebr. c. 6. dicentis: *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibi metipsis Filium DEI.* Et c. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii.* Et c. 12. quòd *Esau non invenit Pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Secundò, in l. 2. Machab. c. 9. dicitur de Antiocho: *Orabat scelestus DEUM, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Tertiò Matth. 12. *Omne peccatum remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quartò. 1. Jo. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut oret quis.* Sed si peccatum remitti posset, utique etiam pro illo posset orari: ergo.

Quintò. In antiquis decretis & canonibus sæpe dicitur, pœnitentiam tantùm semel esse concedendam, ut habetur *de pœnit. dist.* 3. ergo relapsis peccata remitti non possunt per pœnitentiam.

Respondeo ad hæc testimonia objecta ex D. Paulo, & quidem ad 1. & 2., sensum esse, eos, qui post baptismum peccaverunt, non posse per iteratum baptismum consequi tam liberalem culpæ & pœnæ remissonem, qualis conceditur in baptismo. quod significatur *per verbum renovatur.* Item pro iisdem relapsis *non relinqui aliam hostiam*, h. e. aliam Christi mortem, quæ per iteratum baptisma repræsentetur. Hoc modo Apostolum exponit D. Th. hîc q. 84. a. 10. ad 1. cum SS. PP. Chrysost. Ambros. Aug. citatis à Suar. d. 8. se. 1. n. 10. Et ad ultimum locum ex eod. S. D. Respond. quòd Esau non habuerit veram pœnitentiam, quia dolebat tantùm de jactura benedictionis & primogenituræ, eodémque tempore statuerat suum fratrem Jacobum occidere, cùm diceret: *Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* 6.

Eadem est responsio ad II. Antiochus enim dolebat (inquit citatus S. D.) non propter offensam DEI, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Ad III. Respondeo cum eodem: sensum esse, tale peccatum in Spiritum S. non remitti de facili, propter obstinationem & excæcationem peccantis, qui de tali peccato nullam habet causam excusationis.

Ad IV. Respond. per peccatum ad mortem intelligi finalem impœnitentiam, quæ cùm includat instans extrinsecum mortis, adeòque extendatur ad statum alterius vitæ, utique juxta præsentem DEI legem est irremissibilis, nec proinde pro illo orari debet.

Ad V. Respond. Canones & SS. PP. loqui de Pœnitentia solenni antiquis temporibus publicè imponi solita, quæ vel scandali vitandi, vel majoris terroris causâ non iterabatur.

ARTICULUS II.

An peccatum secundùm legem DEI ordinariam sine Pœnitentia remitti possit?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *De lege ordinaria nullùs adultus justificatur sine proprio actu.*
3. *Extraordinariè extra Sacramentum ad remissionem peccatorum sufficit Pœnitentia virtualis.*
4. *Occurrente verò memoriâ peccatorum necessaria est Pœnitentia formalis.*
5. *Testimonia S. Scripturæ ab hæreticis objecta solvuntur.*
6. *Inter requisita ad DEUM appretiativè amandum super omnia est præparatio voluntatis ad amovenda omnia impedimenta amicitiæ divinæ.*
7. *Pœnitentia est necessaria necessitate medii ad salutem.*

§. I.

Doctrina Thomistica.

1. NUnc de actu Pœnitentiæ sermo, & sensus est: utrùm adultus peccator (nam infantes & perpetuò amentes, utpote incapaces talis actûs per solum Sacramentum baptismi justificari certum est) justificari possit absque aliqua propria detestatione peccati; ubi primò quæstio potest intelligi vel de potentia ordinaria, quæ nimirum est juxta præsentem DEI legem, & dispositionem caussarum, vel de potentia extraordinaria & absoluta, quæ se extendit in omnia objecta, quæ non implicant contradictionem. In præsenti art. potentiam ordinariam accipimus; in sequenti extraordinariam. Secundò potest intelligi de actu vel formali, vel virtuali. Formalis est actus, quo peccata detestamur & de iis dolemus: virtualis est ipsa dilectio & actus charitatis, quo DEUM super omnia amamus, qui dicitur contritio virtualis, quia dolorem peccati eminenter continet, & ex natura rei ita determinat voluntatem, ut sit parata omnia impedimenta abjicere, & aversari, quæ divinæ bonitati & amicitiæ repugnant: quamvis defacto forsitan illa formaliter non aversetur, eò quòd talia peccata memoriæ non occurrant. De quo sit

2. CONCLUSIO I. *Nullus adultus à peccatis mortalibus absque aliquo actu pœnitentiæ justificatur.* S. D. a. 2. Est de fide, definitæ in Trid. sess. 14. c. 1. iis verbis: *Fuit pœnitentia universis hominibus qui se mortali peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria.* Et c. 4. ad remissionem peccatorum in nova lege requirit necessariò Sacramentum Pœnitentiæ, in re vel in voto: sed Sacramentum Pœnitentiæ in re includit actum Pœnitentis, tanquam partem intrinsecam; Sacramentum in voto est ipsa contritio perfecta: ergo ex mente Trid. nunquam remittitur peccatum sine aliquo actu Pœnitentiæ.

Constat primò ex pluribus S. Script. testimoniis quibus homines jubentur Pœnitentiam agere, præsertim, verò Ezech. 18. *Convertimini & agite Pænitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Luc. 13. *Nisi Pænitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Constat secundò potissimùm ex voluntate & institutione divina, quæ nobis è S. Script. & Conciliis jam citatis innotescit.

Constat tertiò hâc ratione S. D. in 1. 2. q. 113. a. 3. in c. *DEUS quodlibet movet secundùm modum suum, homo autem adultus secundùm propriam naturam est liberi arbitrii:* ergo DEUS hominem movendo ad justitiam (quod fit infusione gratiæ & remissione peccatorum) non movet absque motu liberi arbitrii. DEUS quippe secundùm legem ordinariam, quâ sese in supernaturalibus accommodat ad modum & naturam agentium naturalium, formam supernaturalem non inducit in subjectum sine præviis & debitis dispositionibus; quæ in ordine ad gratiam juxta Trid. sess. 6. c. 7. sunt actus Pœnitentis; nec tantùm actus fidei, & spei, sed etiam detestatio & retractatio peccati commissi.

Confirmatur secundò. Inter homines nemo censetur seriâ & efficaci voluntate cum homine offenso redire in gratiam, quamdiu non retractat & ex sua parte conatur tollere offensam: ergo neque homo cum DEO seriò redit in gratiam per justificationem, quamdiu non retractat injuriam & offensam eidem pro peccato illatam.

CONCLUSIO II. *Quamvis extra Sacramentum regulariter & ordinariè ad peccatorum remissionem semper sit necessaria Pænitentia formalis, tamen extraordinariè potest sufficere etiam virtualis.* 3.
Ita comm. DD. Prior pars conclusionis liquet ex probatione præcedentis; Posterior pars probatur: Habito actu dilectionis DEI super omnia gratia justificationis infunditur: sed potest contingere, quòd quis habeat actum dilectionis DEI super omnia, qui actu & formaliter non dolet de suis peccatis, eò quòd derepente Spiritûs S. gratiâ rapiatur in excessivum DEI amorem, antequam subeat memoria peccatorum: ergo fieri potest, ut quis justificetur, & consequenter remissionem peccatorum accipiat absque formali actu Pœnitentiæ & doloris de suis peccatis. Major suppon. ex Tract. de grat. dilectio quippe est ultima dispositio ad gratiam, eandem connaturaliter exigens, unde 1. Pet. 4. dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et 1. Jo. 4. *qui manet in charitate, in DEO manet.* Minor ex eo patet, quòd non sit necessaria connexio inter repræsentationem divinæ bonitatis super omnia amabilis, & inter ipsam recordationem peccatorum; unde posito casu, quo quis excitetur subitò ad amorem divinæ bonitatis, tempore quo nulla est obligatio pœnitendi, aut memoria peccatorum, vel subitò raptus ad mortem, non habet spatium & tempus pœnitendi, poterit prorumpere in ferventem actum charitatis, & per ipsum consequi remissionem peccatorum. Quo casu dicitur habere contritionem virtualem, quia, ut dictum, actus charitatis in se virtualiter continet contritionem.

Dixi tamen *extraordinariè*: quia extra præmemoratum casum invincibilis inconsiderationis & præoccupationis vix fieri potest, ut peccator DEUM super omnia diligens, non cogitet de suis peccatis, & per consequens ab ipsa dilectione determinetur ad formalem dolorem de suis peccatis. Sed

Quæres 1. Utrùm homo possit justificari per solum actum dilectionis DEI super omnia tanquam contritionem virtualem, tametsi actu de peccatis suis cogitet, quando non urget speciale præceptum formalis Pœnitentiæ vel confessionis? 4.

Respondet affirmativè Gonet d. 3. a. 2. n. 15. Cùm enim dilectio ex se sit efficax ad justificandum, neque adsit præceptum speciale Pœnitentiæ, nihil adest, quod impediat justificationem. Verùm negativa quam tenent Suar. Esparza, Mastrius, Jo. à S. Th. & Clariss. Collega. P. Maurus Liechtnhaim de Pœnit. disp. 2. a. 1. multò est veri; imò abstrahendo in præsenti ab obligatione pœnitendi, adhuc ista propositio vide-

videtur eſſe de ſubjecto non ſupponente, quòd dilectio DEI ſit efficax ſuper omnia & virtualis contritio, nec tamen occurrente memoria peccatorum determinet voluntatem ad formalem & efficacem deteſtationem peccati. Ideo enim dilectio DEI ſuper omnia eſt & dicitur contritio virtualis, quia in ſe continet virtutem deteſtatiam peccati, & ita determinat voluntatem, ut, niſi per accidens abeſſet memoria peccati, hoc ipſo illud averſatur: ergo ſi occurrente memoria peccati voluntas non ſit determinata ad illud averſandum, jam non erit efficax dilectio DEI ſuper omnia.

Et ulterior ratio eſt primò. Ejuſdem virtutis & efficaciæ eſt motivum divinæ bonitatis, ut moveat voluntatem ad actus fugæ circa malum ſibi oppoſitum, quando iſtud eſt debitè repræſentatum, quàm ut moveat ad actus proſecutionis erga ſeipſum; ſed ubi eſt actualis memoria peccatorum in intellectu, malum culpæ oppoſitum divinæ bonitati eſt ſufficienter propoſitum in intellectu: ergo tunc non minùs habet efficaciam ad provocandum actum fugæ (qui eſt deteſtatio peccati) circa malum peccati ſibi oppoſitum, quàm ad actum proſecutionis circa ſeipſum. Unde S. D. hîc q. 85. a. 6. *In juſtificatione impii*, inquit, *ſimul eſt motus liberi arbitrii in DEUM per fidem charitate formatam, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus Pœnitentiæ.*

Secundò. Inter homines ridiculum foret, ſi quis diceret, ſe habere ſincerum amicitiæ affectum erga alterum, qui tamen diſſimularet abſque ullo animi ſenſu graviſſimas injurias, quas actu cogitat à ſe ipſi illatas. Requirit enim charitas, ait S. D. q. 84. a. 5. ad 2. *quòd homo doleat de offenſa in amicum commiſſa, & quòd amico homo ſtudeat ſatisfacere*; ergo nec ille habebit veram amicitiam erga DEUM, conſiſtentem in actu dilectionis, qui actu cogitans de mortali peccato, quo DEUM ſuper omnia amabilem quodammodò infinitè offendit, nec tamen tali injuriâ afficitur, ſed eandem frigidè diſſimulat.

Tertiò argumentò ad hominem. Si non obſtante memoriâ peccatorum homo ſine formali contritione poſſet juſtificari, non tantùm extraordinariè fieri poſſet remiſſio peccatorum ſine Pœnitentia formali: ſed hoc eſt contra Gonet: ergo. Sequela probatur. Ideo enim virtualis contritio extraordinariè & per accidens & in caſu extraordinario contingit, quòd efficacem dilectionem DEI ſuper omnia comitetur naturalis inconſideratio peccatorum: ergo à contrario, ſi etiam cum actuali recordatione illorum Pœnitentia virtualis ſufficit ad juſtificationem, non ampliùs per accidens & extraordinariè juſtificat.

Ad fundamentum Gonetti patet reſponſio: negatur quippe ſuppoſitum, quòd in iſto caſu, quo homo recordatur gravis peccati à ſe commiſſi, habeat efficacem dilectionem, niſi formaliter doleat de ſuo peccato: unde tota ratio, cur tunc non juſtificetur, non eſt obligatio pœnitendi, ſed defectus efficacis dilectionis appretiativæ DEI ſuper omnia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primò hæretici contra 1. concluſionem duo Scripturæ loca, primò Lucæ 5. Ubi Chriſtus paralytico peccata dimiſit, non priùs requiſitâ, vel præmiſſâ pœnitentiâ, dicens: *Remittuntur tibi peccata tua.* Et Jo. 8. ad mulierem in adulterio deprehenſam abſque pœnitentiæ mentione dixit: *Nec ego te condemnabo, vade & jam ampliùs noli peccare.* Quibus verbis mulieri peccata fuiſſe remiſſa, dicit Ambroſius ep. 52. *Non damnat, quaſi redemptio; corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit.* 5.

Reſpondeo. In utroque loco aliquam Pœnitentiæ diſpoſitionem implicitè ſubintelligi, quamvis non fiat explicia ipſius mentio. Et in primo quidem cùm Chriſtus præmiſit illa verba: *Confide fili*, ſignificat fidem & ſpem obtinendi remiſſionem peccatorum, quam comitatur etiam deteſtatio peccatorum. In ſecundo quoque actum aliquem Pœnitentiæ agnoſcit Ambroſ. l. cit. dicens. *Meruit & mulier illa abſolvi, quæ recedentibus Judæis remanſit ſola cum Chriſto*: non enim meruit abſolvi, niſi in latiori ſenſu meriti, ponendo aliquam congruam diſpoſitionem: ſed hæc eſt actus Pœnitentiæ: ergo.

Objicies ſecundò contra ſecundam concluſionem. Poteſt quis cum actuali memoria peccatorum habere omnia requiſita ad DEUM amandum ſuper omnia, ut tamen formalis Pœnitentia non ſit neceſſaria, ergo poteſt actum dilectionis DEI ſuper omnia conjungere cum actuali memoria peccatorum abſque formali Pœnitentia. Antecedens probatur. Tempore, quo nulla eſt obligatio Pœnitentiæ, non eſt neceſſaria formalis Pœnitentia: ſed poſſunt in homine unà cum actuali memoria peccatorum ſtare omnia requiſita ad DEUM amandum ſuper omnia, tempore, quo nullum urget præceptum Pœnitentiæ: ergo. 6.

Reſpondeo negando maj. & min. probationis: nam inter potiſſima requiſita amandi DEUM ſuper omnia eſt efficax præparatio voluntatis ad amovenda omnia impedimenta divinæ obſiſtentia; unde impoſſibile eſt, DEUM ſuper omnia amari, & occurrente memoria peccati tanquam eſſentialis impedimenti iſtius amicitiæ, non ſimul illud odio haberi, ejuſquæ deſtructionem à voluntate intendi.

Confirmatur. Voluntas in hâc hypotheſi conſtituta vel habet motivum retrahens à contritione, vel non habet. Si non habet, elicit contritionem; quia, ut ſuppono ex ſententia Adverſ. in Tract. de Act. hum. voluntas tanquam potentia cæca ſequitur illam partem, in quam trahitur à potentiori motivo; ſi habet, jam non amat DEUM ſuper omnia, & convincitur habere interpretativam ſaltem complacentiam in ſuis peccatis; ſic enim DEUS non amatur ſuper omnia, quando non ita appretiatur ſuper omnia bona creata, ut ipſius amore deſtruantur idola creatæ vanitatis, ad quæ per contritionem deſtruenda voluntatem exſtimulat bonitas divina

vina: sed si adest motivum bonum & creatum ab illa contritione potentiùs retrahens, quàm divina bonitas ad illam incitet, hoc ipso DEUS non appretiatur super omnia bona creata, adeòque non diligitur efficaciter super omnia.

7. Colliges ex dictis, Necessitatem expositam Pœnitentiæ esse necessitatem medii, quia sine illa vel formali vel virtuali homo adultus remissionem peccatorum simpliciter obtinere non potest: quæ de necessitate præcepti dicenda sunt, infrà commodiùs tractabuntur, ubi de actu contritionis.

ARTICULUS III.

An per absolutam DEI potentiam peccata adulto remitti possint sine proprio actu?

SUMMARIA.

1. *Supponitur, peccatum habituale consistere in privatione gratiæ.*
2. *Peccata per absolutam potentiam remitti possunt sine actu peccatoris.*
3. *Præter authoritatem S. Doctoris probatur ratione.*
4. *Testimonia objecta exponuntur.*
5. *Gratia infusio sufficienter opponitur peccato habituali, quamvis non connotet retractationem.*
6. *Disparitas inter moralem permanentiam intentionis & peccati habitualis.*
7. *Disparitas inter peccatum actuale, & habituale.*
8. *Cur possit homo ad DEUM converti sine actu proprio, cùm tamen ab ipso non possit averti sine actu proprio?*
9. *Cur non possit infundi gratia homini actualiter peccanti?*

§. I.

Resolutio affirmativa.

1. HUjus quæstionis (in quâ Sotus & Amicus negativam, alii tam Thomistæ, quàm RR. communiter affirmativam tenent) resolutio dependet ex doctrina, tradita in Tract. de peccatis, & gratia. Ex qua proinde suppono, remissionem seu expulsionem peccatorum, esse formalem effectum gratiæ sanctificantis, quatenus ista privationem sui ipsius à præterito actu peccati causatam, in quâ macula peccati mortalis, sive peccatum habituale formaliter consistit, ipsâ sui infusione formaliter destruit, quemadmodum omnis privatio ab opposito habitu formaliter expellitur. Quo proinde supposito sit

2. CONCLUSIO. *Possunt adulto remitti peccata propria per absolutam DEI potentiam absque omni suo actu.* Ita communiter Thomistæ, & ex nostris Salisburgés. Reverendiss. Rosler, & Oberascher, Clariss. P. Liechtenhaim, aliique.

Probatur primò Author. S.D. in 1.2.q.5.a.8.ad 1. dicentis: quòd possit Deus per absolutam potentiam peccatori antecedenter ad omnem ipsius actû infundere lumen gloriæ, & sic eundē admittere ad beatificā Visionem: cujus rationem dat his verbis: *Operatio enim hominis non præexigitur ad consecutionem beatitudinis propter insufficientiam divinæ virtutis beatificantis, sed ut servetur ordo in rebus.* ergo etiam potest homo antecedenter ad proprium actum justificari, quia operatio hominis etiam non præexigitur propter insufficientiam divinæ virtutis justificantis, sed ut servetur ordo in rebus, h. e. ut justificatio fiat juxta modum connaturalem causarum secundarum, quod tamen pertinet ad potentiam ordinariam. Consequentia patet ex paritate rationis, quæ non est major in uno, quàm altero: præsertim cùm homo elevatus ad statum beatificum hoc ipso deberet justificari, tum quòd beatitudo sit gratia consummata; tum quod lumen gloriæ sit essentialiter radicatum in gratia sanctificante, ut aliundè suppono.

Probatur secundò ratione. Non est assignabilis implicantia, cur DEUS non possit peccatori dormienti infundere gratiam sanctificantem, quemadmodum illam infundit infanti, vel amenti baptizato: sed hoc casu peccator dormiens justificaretur, siquidem est impossibile formam tribuī sine suo formali primario effectu, qui est expellere privationem oppositam. Ergo non est assignabilis implicantia, cur DEUS non possit justificare peccatorem dormientem, & per consequens absque prævio actu Pœnitentiæ. Major constabit ex solutione objectionum. 3.

Probatur tertiò. Actus Pœnitentiæ non aliter prærequiritur ad infusionem gratiæ, quàm veluti dispositiones præviæ ad gratiam: sed potentia DEI absoluta est independens à præviis dispositionibus, & potest introducere formam in subjectum præviè indispositum: ergo DEUS per potentiam absolutam potest infundere gratiam adulto absque prævio & proprio actu Pœnitentiæ. Major est certa ex S. D. in 1.2. q. 113. a. 3. ad 3. dicente: *In infusione gratiæ justificantis requiri motum proprium animæ humanæ, ut anima moveatur secundùm modum suum.* h. e. ut moveatur seipsam liberè disponendo. Minor est æquè certa: quia potentia obedientialis non exigit prævias dispositiones: atqui virtus divinæ omnipotentiæ respicit puram potentiam obedientialem, nec proinde exigit præviam dispositionem: atqui ita tum in amentibus, tum in infantibus patet, gratiam iisdem infundi absque prævia dispositione.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò authoritatem S. D. hîc in c. 4 dicentis: *Impossibile esse, peccatum remitti sine Pœnitentia,* Deinde Trid. sess. 6. c. 7. dicit: *justi-*

justificationem esse quandam renovationem interioris hominis per voluntariam receptionem gratiæ: sed impossibile est dari voluntariam receptionem absque actu voluntatis: ergo.

Respondeo. Utrobique sermonem esse de justificatione, prout de facto secundùm legem ordinariam fieri potest & solet, non autem secundùm legem extraordinariam.

5. Objicies secundò. Privatio essentialiter connotativa actûs præteriti, non potest formaliter tolli nisi per formam etiam connotativam actûs proprii: sed peccatum habituale est privatio gratiæ essentialiter connotans actum præteritum peccati, à quo causatur: ergo formaliter non potest tolli nisi per gratiam sanctificantem quà connotativam proprii actûs pœnitentis. Major inde constat: quia privatio non tollitur nisi per formam oppositam: atqui privationi quà connotanti actum proprium non opponitur gratia, nisi etiam quatenus connotans actum proprium retractativum: ergo.

Confirmatur primò. Aversioni voluntariæ & liberæ foamaliter opponitur tantùm conversio libera: sed peccatum est aversio libera, infusio gratiæ sine proprio actu non est voluntaria & libera conversio ad DEUM: ergo ista formaliter non opponitur peccato, nec proinde illud expellit.

Confirmatur secundò. Privatio moralis non nisi per formam moralem formaliter pellitur: sed gratia sanctificans ut independens à proprio actu pœnitentis, non est forma moralis, sed physica: ergo ut sic formaliter non expellit peccatum.

Respondeo negando maj. & min. probationis: nam peccatum habituale in recto tantùm dicit privationem, ipsum verò actum peccati tantummodò connotat in obliquo. Cùm ergo oppositio attendatur secundùm id quod importatur in recto, sufficiens & formalis oppositio erit inter gratiam & peccatum, quando gratia erit habitus formaliter oppositus peccato, ut est sui privatio; sed, sive connotet sive non connotet actus pœnitenits dispositivos, semper est habitus formaliter oppositus peccato in ratione privationis: ergo. Neque est paritas inter connotationes, quâ peccatum habituale connotat actum præteritum, & quâ gratia connotat actus pœnitentis; nam peccatum habituale connotat actum præteritum, tanquam essentialem sui causam, à qua in fieri & esse dependet; econtra gratia connotat actus pœnitentis tanquam dispositiones ex parte subjecti, à quibus in esse & fieri non necessariò dependet, sed illas tantùm prærequirit secundùm connaturalem & ordinarium modum causandi.

Ad 1. confirmationem dist. maj. Aversioni, quæ est formaliter in se voluntaria & libera, formaliter tantùm opponitur conversio voluntaria & libera, concedo; aversioni quæ est voluntaria solùm terminativè & libera in causa, sic nego: sed peccatum habituale est aversio voluntaria & libera terminativè & in causa, concedo; formaliter, & in se, nego min. & consequentiam. Voluntarium terminativum illud dicimus, quod per se sequitur ad voluntarium formale, & actum liberè elicitum; idque ipsum est liberum in causa, quia ipsa causa, in quâ prævidetur, liberè ponitur. Et ita se habet peccatum habituale, tam originale, quàm personale, quia formaliter consistit in aliqua privatione, quæ etsi intrinsecè non sit capax libertatis, per se tamen necessariò sequitur ad positionem actûs peccaminosi formaliter liberi; unde non habet pro suo directè opposito aliquem actum formaliter liberum & voluntarium, sed qualitatem & formam, cujus est privatio.

Ad 2. confirmationem nego min. Nam gratia sanctificans, etiam præcisè à dispositionibus moralibus, est per essentiam forma physico moralis animam moraliter habitualiter convertens in DEUM, eamque mediantibus virtutum supernaturalium habitibus rectificans, ut possit per actus supernaturales moraliter honestas in finem supernaturalem tendere.

Objicies tertiò. Tamdiu peccata non remittuntur, quamdiu homo manet aversus à DEO; 6.
sed quamdiu peccata non retractantur, tamdiù peccator manet aversus à DEO: ergo quamdiu peccata non retractantur, non remittuntur. Major est certa, quia implicat hominem simul esse efficaciter conversum ad DEUM, & aversum à DEO remissio autem peccatorum & infusio gratiæ facit hominem efficaciter esse conversum in DEUM. Minor probatur: Intentio aliquid operandi tamdiu habitualiter perseverat, donec retractetur; & voluntas contrahendi tamdiu habitualiter durat, quousque retractetur: ergo etiam aversio peccati, quâ peccator à DEO ultimo fine avertitur, tamdiu habitualiter durat, donec per actum pœnitentis retractetur.

Confirmatur. Uti peccatum actuale formaliter conservatur ab actu libero de præsenti, ita etiam peccatum habituale ab actu & consensu præterito non retractato: ergo sicuti peccatum mortale actuale tamdiu durat quamdiu durat actus & consensus de præsenti, sic tamdiu durat peccatum habituale, quamdiu durat non retractatio peccati præteriti.

Respondeo. Minorem, quamvis secundùm legem & viam ordinariam sit vera, falsam tamen esse de lege & via extraordinaria; siquidem gratia sanctificans per semetipsam potens est tollere habitualem aversionem à DEO. Ad probationem nego paritatem: quia intentio & voluntas non remanet moraliter & habitualiter in aliquo effectu privativo à se relicto; unde neque habent qualitatem sibi habitualiter oppositam, sed remanent in sola sui non retractatione, quæ proinde moralis permanentia per solum actum oppositum destruitur: at peccatum mortale cùm in privatione gratiæ sanctificantis à se causata habitualiter permaneat, ac proinde directè sibi oppositam habeat gratiam sanctificantem, ipsius permanentia per ejusdem gratiæ infusionem destruitur.

Ad confirmationem nego paritatē antecedentis; quia peccatum actuale actum præsentem includit in recto, nec tam dependet ab ipso, quàm est ipse actus voluntatis de præsenti; econtrà pecca-

Peccatum habituale actum peccati præteriti tantummodò connotat in obliquo, tanquam sequela ab ipso causata, & in recto dicit solam privationem, quæ proinde expellitur à gratia opposita.

8. Instabis primò. Nemo potest averti à DEO nisi per actum proprium: ergo neque converti in DEUM potest nisi per actum proprium. Secundò. Malum voluntarium non potest tolli nisi mutatâ voluntate: sed voluntas non mutatur nisi per proprium actum.

Respondeo ad 1. negando consequentiam & paritatem; quia aversio, utpote mortaliter & moraliter defectuosa in esse & fieri, aliunde dependere non potest, quàm à voluntate per actuale peccatum deficiente à prima regula: econtra conversio habitualis huic aversioni opposita in genere causæ physicè efficientis dependet à solo DEI influxu.

Ad 2. Respondeo. Malum voluntarium terminativum, quale est peccatum, non potest tolli, nisi mutatâ voluntate vel habitualiter vel actualiter, concedo; tantùm actualiter, nego. Sed voluntas actualiter non mutatur nisi per actum proprium, concedo; habitualiter, nego min. & consequentiam.

Objicies quartò. Ex nostra sententia sequi, quòd DEUS posset infundere gratiam homini actualiter peccanti. Nam non minùs divinæ gratiæ repugnat peccatum actuale, quàm habituale: ergo sicuti non obstante repugnantia peccati habitualis peccatori à DEO infunditur gratia; ita etiam potest infundi non obstante repugnantia peccati actualis. 9.

Respondeo negando sequelam & paritatem in consequente illatam: quia si DEUS habenti peccatum habituale infundat gratiam sanctificantem, eodem instanti destruit privationem repugnantem & oppositam; adeòque primum esse gratiæ sanctificantis componitur cum primo non esse peccati habitualis, quod nequaquam repugnat: atqui si DEUS infunderet gratiam homini actu peccanti, non posset destruere privationem gratiæ, sed primum esse privationis gratiæ & ipsa gratia, h. e. primum non esse & esse gratiæ sanctificantis, componerentur in eodem instanti: siquidem in instanti, quo quis peccat, indispensabiliter ponitur aversio seu primum esse aversionis à DEO, quod ipsum est primum non esse gratiæ sanctificantis: hæc autem componi manifestè implicat.

ARTICULUS IV.

An unum peccatum remitti possit sinè altero?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Impossibile est, in statu naturæ elevatæ unum peccatum remitti sine altero.*
3. *Variæ objectiones.*
4. *Disparitas inter humana debita & offensas, & inter offensam DEI.*
5. *DEUS non potest impedire omnem effectum secundarium.*
6. *Disparitas inter remissionem peccati venialis & mortalis.*
7. *Etiam in statu puræ naturæ probabiliter non posset unum peccatum remitti sine altero.*

§. I.

Statuitur sententia negativa.

1. Certum est de fide, de potentia ordinaria, & de facto non posse unum peccatum mortale remitti sine altero: quia de fide certum est ex Trid. sess. 6. c. 7. & 15. & can. 11. nullum peccatum de facto remitti sine infusione gratiæ & charitatis, cum qua saltem naturaliter pugnat quodcunque peccatum mortale. Unde tantùm est quæstio de potentia absoluta, ubi Scotistæ & RR. ex majori parte tenent affirmativam, tum quia docent justificationem fieri per absolutionem à reatu pœnæ, ad quam peccator ex divina voluntate ordinatur, & posse DEUM per potentiam absolutam absolvere ab una pœna peccato debita, non absolvendo ab altera; tum quia sentiunt, gratiam se solâ & secluso favore DEI extrinseco non delere peccatum, & esse simpliciter compossibilem cum illo: ac posse peccatum per solam condonationem extrinsecam etiam in hoc statu naturæ elevatæ remitti. Negativa est S. D. hîc. 3. p. q. 86. a. 3. cum quo sit

CONCLUSIO. *Implicat, unum peccatum remitti sine altero in statu naturæ elevatæ.* Ita S. D. cit. dicens: *Impossibile est, per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti.* Et 2.

Ratio ipsius, non tantùm de ordinaria, sed etiam de absoluta potentia probans, est: Tunc unum peccatum remitti non potest sine altero, quando forma per quam simpliciter necesse est in statu naturæ elevatæ remitti peccata, æquè & simpliciter repugnat cum uno, quàm cum altero: sed forma, per quam necesse est peccata remitti, est gratia sanctificans, quæ simpliciter repugnat cum quolibet peccato: ergo simpliciter impossibile est unum peccatum mortale à DEO remitti sine altero. Minorem suppono ex Tract. de gratia, ubi ex professo ostendimus, gratiam esse unicam causam nostræ justificationis etiam de potentia absoluta; & inter gratiam ac peccatum esse repugnantiam essentialem indispensabilem, neque posse per solam condonationem extrinsecam divinitùs remitti peccatum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Creditor potest debitori remittere unum debitum non remisso altero. 3.
Se-

Secundò. Potest quis pluribus injuriis offensus condonare unam non condonatâ alterâ: ergo etiam poterit unum peccatum à DEO remitti non remisso altero.

Tertiò. Potest DEUS impedire effectum secundarium alicujus formæ, sed expulsio peccatorum est effectus secundarius gratiæ: ergo potest illum DEUS impedire, si non quoad omnia, saltem quoad aliqua peccata.

Quartò. Unum veniale remitti potest sine altero: ergo etiam mortale.

4. Respondeo ad I. negando paritatem: quia debitum illud est debitum rei extrinsecæ, non oppositum alicui formæ intrinsecæ, ac proinde absque talis formæ intrinseca receptione extrinsecùs remitti potest; at contrà debitum peccati opponitur gratiæ & amicitiæ DEI, tanquam formæ intrinsecæ, ideoque nonnisi per intrinsecam gratiæ receptionem deleri potest, quæ cùm non minùs cum uno, quàm cum altero debito peccati repugnet, omnia debita simul remitti oportet.

Eadem est responsio ad II. Nam etiam remissio offensæ inter homines non ponit amicitiæ formam aliquam intrinsecam offensæ repugnantem, sicuti ponit remissio peccati.

5. Ad III. dist. maj. Potest DEUS impedire effectum, qui sit tam materialiter, quàm formaliter secundarius, concedo; tantùm formaliter secundarius, nego: sed remissio peccati est effectus secundarius gratiæ, formaliter concedo; materialiter, nego min. & conseq.

Ratio & sensus distinctionis est: quòd remissio peccati in genere causæ formalis concipiatur quidem posterior, quàm introductio gratiæ, cùm ipsa gratia sit formalis causa expellendi peccatum, nihilominus quia entitativè hic ipse effectus non distinguitur ab introductione gratiæ, imò in genere causæ materialis priùs concipitur remissio peccati, quàm infusio gratiæ, & ab eodem influxu dependet remissio peccati, à quo pendet infusio gratiæ, idcirco à DEO impediri non potest.

Responderi potest secundò. Effectus secundarius positivus, utpote distincto influxu conservabilis, impediri potest à DEO, concedo; effectus secundarius privativus, utpote eodem influxu conservabilis, & essentialiter consequens formam, nego maj. Exemplum habetur in philosophicis, ubi expulsio alterius formæ substantialis est effectus secundarius formæ substantialis ab ipsa inseparabilis.

Ad IV. nego paritatem, quia peccatum veniale tantùm habet oppositionem cum fervore charitatis, qui non habet indivisibilem repugnantiam cum omni veniali, econtra peccatum mortale opponitur ipsi gratiæ & chatitati habenti indivisibilem repugnantiam cum omni mortali. 6.

Colliges ex dictis. Probabiliter in omni statu etiam puræ naturæ unum peccatum non posse remitti sine altero: quia, ut loc. cit. in Tract. de gratia ostendimus, peccatum etiam in statu naturæ puræ nonnisi per gratiam sanctificantem tanquam formam oppositam probabiliter deleri potuisset: sed est forma æquè uni quàm alteri peccato opposita: ergo. 7.

ARTICULUS V.

An remissâ culpâ mortali defacto maneant reatus pœnæ æternæ, vel temporalis?

SUMMARIA.

1. *Remissâ culpâ deletur reatus pœnæ æternæ.*
2. *Non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis.*
3. *Variæ objectiones*
4. *Diluuntur.*
5. *Contritio perfecta potest delere totum reatum pœnæ temporalis.*
6. *Commutatio pœnæ æternæ in temporalem est ex vi justificationis & pœnitentiæ.*
7. *Nunquam remittitur culpa sine remissione alicujus pœnæ.*
8. *Remissâ culpâ non statim tolluntur omnes reliquiæ peccati.*

§. I.

Resolutio utriusque quæstionis.

1. CONCLUSIO prima. *Defacto & lege ordinariâ remissâ culpâ mortali etiam deletur reatus pœnæ æternæ tam quoad pœnam damni, quàm quoad pœnam sensûs.* Est de fide definita in Trid. sess. 6. de justific. c. 14.

Ratio est: Esse hæredem vitæ æternæ, seu habere jus & ordinationem ad vitam æternam, & habere obligationem ad pœnam æternam inter se repugnant: sed defacto quotiescunque homini per infusionem gratiæ peccata remittuntur, toties efficitur hæres vitæ æternæ: ergo toties etiam deletur reatus pœnæ æternæ.

CONCLUSIO secunda. *Remissâ culpâ per pœnitentiam non semper remittitur tota pœna temporalis, uti remittitur in Baptismo.* Est de fide definita in eodem Trid. sess. 6. can. 3. & sess. 14. c. 8. & can. 12. 2.

Constat primò ex S. Script. Ubi Aaron & Moyses, antequã ingrederentur terram promissionis, morte à Deo puniti sunt, eò quòd DEUM non glorificaverunt ad petram. Num. 20. & Deut. 32. quamvis illa levis culpa jam ipsis fuerit remissa. Sic Davidi 2. Reg. 12. post remissum peccatum homicidii & adulterii, tamen in pœnam mortuus est filius ex adulterio natus.

Constat secundò ex ratione adductâ à Trid. citato: tum quia per hujusmodi pœnas à peccato magis revocamur & in futurum cautiores efficimur: tum quia per actus pœnales & satisfactorias reliquias peccatorum, ac vitiosos habitus malè vivendo contractos tollimus.

Constat tertiò hâc ratione. Ille reatus pœnæ tollitur per pœnitentiam, cum quâ pœni-

tentia habet repugnantiam: sed cum reatu pœnæ temporalis non habet repugnantiam, qualem tamen habet cum reatu pœnæ æternæ: ergo non semper tollit reatum pœnæ temporalis: unde cùm effectus gratiæ sanctificantis, juxta præsentem ordinationem divinam conferatur juxta dispositionem pœnitentis, quantò virtuosior & perfectior erit contritio, tantò plus remittetur etiam de pœna temporali, quantò imperfectior, tantò minùs; ut hâc ratione inordinatio culpæ ad ordinem justitiæ reducatur: *quia inordinatio culpæ* (inquit S. D. hîc in c.) *non reducitur ad ordinem justitiæ, nisi per pœnam, justum est enim, ut qui voluntati suæ plus indulsit, quàm debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur, sic enim erit æqualitas.* Unde Apoc. 18. dicitur: *quantum glorificavit, se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum & luctûs.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

3. Objicies primò. Ezech. 33. promittitur pœnitenti; *Impietas impii non nocebit ei*: sed noceret utique, si post conversionem haberet reatum pœnæ.

Secundò. Satisfactio Christi non esset superabundans, nisi cum culpa deleretur etiam pœna.

Tertiò. Facilior est remissio pœnæ temporalis, quàm æternæ: sed per pœnitentiam remittitur pœna æterna: ergo temporalis.

Quartò. Remotâ causâ etiam tollitur effectus: sed culpa est causa pœnæ: ergo, cùm remittitur culpa, etiam remittitur pœna.

Quintò. Major est efficacia gratiæ Christi, quàm peccati: sed per peccatum tota simul culpa & pœna incurritur: ergo per gratiam Christi utraque simul remittitur.

Sextò. Christus non legitur injunxisse aliquam pœnitentiam vel satisfactionem iis, quorum peccata remisit: ergo signum est, per remissionem peccatorum auferri etiam omnem reatum pœnæ.

4. Respondeo ad I. Sensum propheticum esse, quòd impietas post conversionem non noceat impio in ordine ad vitam æternam; quod fit, quantumvis debeat adhuc aliquam pœnam temporalem.

Ad II. nego seq. quia satisfactio Christi quoad sufficientiam est superbundans tam quoad pœnam, quàm culpam delendam; quòd autem actu pœnam non deleat, non est ex defectu sufficientiæ, sed applicationis liberi arbitrii, per cujus dispositionem & applicationem illa sufficientia efficaciam sortitur, & in actum exercitum redigitur.

Ad III. nego consequentiam, vel distinguo majorem: facilior est remissio pœnæ temporalis, quàm æternæ, quantum ad pluralitatem mediorum, quæ plura sunt & faciliora pro remissione pœnæ temporalis, quàm æternæ, concedo; quoad majorem repugnantiam pœnitentiæ cum pœnâ temporali, quàm æterna, nego majorem: sed pœnitentia remittit pœnam æternam propter repugnantiam cum illa, concedo; ex alio capite, nego min. & consequentiam.

Ad IV. vel nego, vel distinguo maj. Remotâ causâ, quæ est causa tam in fieri, quàm conservari, tollitur effectus, concedo; tantùm causa in fieri, nego. Sed culpa est causa pœnæ temporalis in fieri, concedo; in conservari, nego min. & consequentiam.

Ad V. concedo totum, si homo debitæ cooperetur. Unde si tota pœna non auferatur, defectus est, ut dictum, in cooperatione liberi arbitrii: gratia quippe deletiva pœnæ, ut inquit S. D. spectat ad gratiam cooperantem.

Ad VI. Resp. Quòd Christus per potestatem excellentiæ potuerit non tantùm culpam, sed etiam pœnam liberaliter indulgere, quo tamen non obstante etiam approbavit lacrymas Magdalenæ & opera satisfactoria à Zachæo pœnitente promissa.

§. III.

Corollaria.

Colliges ex dictis primò. Posse aliquando contritionem esse tam perfectam & excellentem, ut tollat omnem pœnam etiam temporalem: quia tunc potest tollere omnem pœnam etiam temporalem, quando potest adæquare in ratione satisfactionis pœnam omnem temporalem: sed hanc potest adæquare, cùm enim poena temporalis sit simpliciter finita, aliquando major aliquando minor, etiam satisfactio contritionis poterit ita crescere, ut omnem poenæ quantitatem adæquet. 5.

Colliges secundò. Pœnam æternam in hominis justificatione commutari in temporalem, non ex mera ordinatione divina, sed etiam ex vi justificationis & Pœnitentiæ. 6.

Ratio est: Ex vi gratiæ infusæ & præviæ dispositionis provenit, quòd non maneat reatus pœnæ æternæ propter repugnantiam cum illa; & tamen quòd propter imperfectionem dispositionis & Pœnitentiæ non hoc ipso auferatur tota obligatio ad pœnam temporalem: ergo etiam ex vi pœnitentiæ & justificationis provenit mutatio pœnæ æternæ in temporalem.

Colliges tertiò. Quotiescunque per contritionem remittitur culpa, toties remitti etiam aliquam partem pœnæ temporalis plùs, vel minùs juxta dispositionem pœnitentis; quia per actum satisfactorium de condigno remittitur pœna temporalis: sed contritio est actus satisfactorius de condigno, quatenus nimirum informatur per gratiam, adeòque per ipsum semper remittitur pœna temporalis juxta proportionem intensionis. 7.

Colliges quartò. Remissâ culpâ non statim tolli omnes reliquias peccati, ut habet S. D. a. 5. nam reliquiæ peccati sunt dispositiones & inclinationes in malum; sed istæ non statim tolluntur, partim quia constat experientia, illas remanere post remissionem peccati, sicuti fomes concupiscentiæ remanet post remissionem peccati originalis; partim quia non habent oppositionem cum gratia, quamvis ut notat S. D. per remissionem peccati debilitentur ac diminuantur, ut non possint ampliùs ita dominari, & subjicere hominem, sicut ante justificationem. 8.

ARTI-

ARTICULUS VI.

An per absolutam potentiam possit DEUS remittere culpam mortalem non remisso reatu pœnæ æternæ?

SUMMARIA.

1. *DEUS non potest remittere culpam, quin simul remittat reatum pœnæ æternæ.*
2. *Responsio & fundamenta Amici*
3. *Impugnantur.*
4. *Et solvuntur.*
5. *Instantia de satisfactione Christi depellitur.*
6. *Disparitas de reatu pœnæ temporalis debito pro peccato reali.*

§. I.

Statuitur sententia negativa.

SUarez disp. 10. se. 2. Conink, Amicus, pluresque Recentiores supposità possibilitate condonationis extrinsecæ docent, posse condonari à DEO culpam, non remisso reatu pœnæ æternæ; saltem prout ista dicit pœnam sensûs. Opposita principiis Thomisticis est conformior, eámque præter Scotum in 4. dist. 14. q. 1. a. 1. docent Alensis, Medina, Vasq. ex diversis quidem principiis. Nostra sit

1. CONCLUSIO. *DEUS non potest per absolutam potentiam remittere peccatum quoad culpam, quin simul remittat reatum pœnæ æternæ.* Ita communiter Thomistæ, nostrique Salisburgenses.

Ratio est primò. Implicat, hominem simul esse dignum vitâ & morte æternâ: sed remissâ culpâ per infusionem gratiæ, hoc ipso est dignus vitâ æternâ, non remisso reatu pœnæ æternæ, hoc ipso est dignus morte æternâ; ergo implicat remitti culpam peccati, & non remitti reatum pœnæ æternæ.

Secundò ex S. D. hîc. a. 4. Reatus pœnæ æternæ essentialiter radicatur in peccato, quatenùs formaliter est aversio à DEO: sed per remissionem peccati necessariò tollitur aversio à DEO: ergo eadem necessitate tollitur reatus pœnæ æternæ.

Tertiò. Implicat, remissâ culpâ mortali per gratiam, manere in DEO voluntatem infligendi pœnam æternam: ergo implicat, remissâ culpâ non remitti reatum pœnæ æternæ. Consequentia patet: quia non aliter posset remanere reatus ad pœnam æternam, nisi quatenùs homo adhuc ordinaretur ad sustinendam pœnam æternam. Antecedens probatur. Voluntas infligendi pœnam æternam est *voluntas reprobativa*, ipsumque odium DEI quo peccatores reprobos persequitur: sed implicat hominem justificatum à DEO odio haberi; siquidem per gratiam & charitatem amatur à DEO ac fit amicus DEI: ergo.

Confirmatur. Sicut amare amore benevolentiæ est velle amico bonum simpliciter, ita odio habere, est velle alicui malum simpliciter; & ideo DEUS infundendo gratiam effectivè hominem amat, quatenùs in ipso semine & radice charitatis ac gratiæ eidem vult beatitudinem æternam, deputando verò ad pœnam æternam dicitur eundem odio habere, quia hoc est malum extremum hominis: ergo si DEUS simul infundit gratiam, & deputat ad pœnam æternam, simul amat & odit, simul vult ipsi summum bonum & summum malum, beatitudinem & misericordiam, quod implicat.

§. II.

Responsio Adversariorum convellitur.

2. REspondebis cum Amico: Quamvis justæ rationes probent, non posse in homine justificato remanere reatum & debitum pœnæ æternæ, prout est pœna damni consistens in privatione visionis beatificæ, non tamen probare, quòd non possit remanere debitum pœnæ æternæ, quatenùs est pœna sensûs; cùm istud debitum non videatur esse incompossibile cum divina amicitia, hoc enim debitum contrahitur per respectum ad publicam justitiam, cui per obligationem pœnæ satisfit; non repugnat autem aliquem manere cum obligatione ad satisfaciendum publicæ justitiæ & simul esse amicum Principi, à quo fuit ad pœnam propter offensam damnatus. Confirmatur primò exemplo Christi, qui fuit obligatus ad pœnam mortis non obstante internâ amicitiâ & visione DEI. Unde si in Christo ex præcepto Patris potuit ad tempus stare obligatio ad pœnam sensûs, cur non possit in aliquo justificato talis obligatio stare in æternum? siquidem æternitas obligationis ad pœnam sensûs ex parte subjecti nullam addit repugnantiam. Confirmatur secundò. Cum remissione peccati venialis potest stare obligatio ad totam pœnam peccato debitam; ergo etiam cum remissione mortalis potest consistere obligatio ad totam pœnam peccato debitam; sed hæc est pœna æterna, ergo.

3. Sed contrà est, quòd nostræ rationes efficaciter probent tam de pœna sensûs, quàm damni. Primò, quia per gratiam remissivam peccati confertur jus & dignitas ad vitam æternam adæquatè & integraliter acceptam: atqui hæc dignitas repugnat cum intrinseca dignitate ad pœnam æternam, cùm, stante æternitate pœnæ sensûs, adæquata beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, obtineri simpliciter non possit. Secundò. æternitas pœnæ convenit peccato mortali quatenùs est aversio irreparabilis à DEO: sed peccato jam remisso & restitutâ charitate nec restat aversio, neque irreparabilitas culpæ mortalis; ergo neque condignitas ad æternitatem pœnæ: cùmque sit impossibile, ut Deus velit pœnam infligere supra demerentis condignitatem, etiam est impossibile, quòd possit remisso peccato deputare ad pœnam æternam sensûs. Tertiò. Implicat ex parte DEI, ejusque divinarum perfectionum voluntas inordinata: sed voluntas infligendi pœnam æternam sensûs homini justificato foret voluntas inor-

inordinata: quia hæc est voluntas inordinata, quâ eligitur impedimentum essentialiter impeditum finis intenti: sed voluntas deputans hominem justificatum ad pœnam æternam sensûs eligeret impedimentum essentiale consequendi beatitudinem perfectam, quæ est finis in justificatione intentus: ergo est voluntas inordinata. Unde vides implicantiam esse tam ex parte DEI, quàm ex parte subjecti.

4. Ad rationem in oppositum respond. Incompossibilitatem hujus reatûs cum remissione peccati satis constare ex dictis. Contrahitur quidem reatus pœnæ per ordinem ad justitiam publicam, sed nego, quòd justitia publica possit exigere illam pœnam ab homine recepto in amicitiam DEI, quæ ex natura rei tantùm est debita & à DEO intenta homini inimico & averso à DEO. Et ad instantiam de principe dico: Principem posse fieri amicum affectivè optando alicui bonum distinctum à remissione pœnæ per legem taxatæ; item in ipso habere locum distinctionem personæ publicæ & privatæ, unde quatenùs privata persona potest nolle illam pœnam, quàm tamen infert, quatenùs est persona publica. Econtra DEUS fit homini amicus effectivè infundendo intrinsecam formam gratiæ & amicitiæ, repugnantem cum æternitate pœnæ ut dix. item per eandem infusionem vult homini bonum suæ æternæ felicitatis essentialiter exclusivum æternæ miseriæ, quæ est in pœna sensûs. Nec in ipso habet locum distinctio personæ publicæ & privatæ: sicut enim per peccatum læditur jus divinum, quod est præstantius omni bono publico totius universi, & radix totius justitiæ, ita DEUS per gratiæ sanctificantis infusionem remittit prætensionem illius supremi juris in hominem, ut inimicum DEI, hæc autem prætensio erat, quòd (ut inquit S. D. l. c.) *qui contra æternum bonum peccavit, in æternum sit puniendus.*

Ad 1. confirmationem Respondeo: Instantiam non esse ad rem: primò quia obligatio Christi ad subeundam mortem erat ex præcepto, non ex demerito proprio & condignitate ad pœnam, sicut est reatus pœnæ: unde secundò ipsius passio & mors formaliter loquendo & respectu ipsius non erant pœnæ, sed satisfactiones, cùm pœna sit essentialiter connotativa proprii peccati. Tertiò. Ipsius passio & mors erant meritoriæ & ordinabiles non tantùm ad felicitatem æternam totius generis humani, sed etiam ad augmentum accidentale gloriæ ipsius Christi; dum econtra pœna æterna non est ullo modo in ipsam ordinabilis, nec proinde compossibilis cum amicitia divina. 5.

Similiter ad confirm. 2. Resp. Totam pœnam peccati venialis esse ordinabilem in bonum & beatitudinem illius, cui culpa venialis dimittitur, nec habere repugnantiam cùm beatitudine & amicitia cum DEO: at reatus pœnæ æternæ est inordinabilis & incompossibilis cum utraque. 6.

ARTICULUS VII.

An peccata semel dimissa redeant per subsequens peccatum?

SUMMARIA.

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Certum esse contra Amicú hîc disp. 7. se. 2. quòd idem numero actus peccati per nullam potentiam redire possit: non ideo tantùm, quia implicat ens successivum vel transiens idem numero reproduci, sed maximè, quia effectus reproductus non potest ab alia causâ principali & speciali, quàm à DEO dependere, cùm ad reproductionem in nulla creatura detur virtus propria principalis: sed implicat, quòd actus peccati à DEO tanquam causa speciali principali & supernaturali dependeat aut procedat, hâc quippe ratione DEUS constitueretur author peccati: ergo. Quærimus ergo de reditu peccatorum quoad esse morale, in hoc sensu, utrùm peccata semel remissa propter subsequens peccatum de novo incipiant imputari in culpam, vel pœnam (nam quæstio accipi potest de utroque reditu) ac si rursus commissa fuissent. Ubi

Notandum secundò. Reditum peccatorum posse accipi in duplici sensu: primò simpliciter & formaliter, qualiter peccata tunc redire dicuntur, si subsequens peccatum saltem virtualiter & æquivalenter contineat totam malitiam culpæ & reatum pœnæ præcedentium delictorum. Secundò accipitur secundùm quid, cùm videlicet vel per peccatum subsequens inducitur effectus similis illi, quem præcedentia peccata priusquam remitterentur, causaverant; quem ad- 2.

admodum dicimus redire eadem tempora, quando veniunt similia jam elapsis: vel cùm culpa præsens ex præcedentium peccatorum remissione accipit graviorem circumstantiam ingratitudinis, ratione cujus meretur graviorem pœnam.

3. Notandum tertiò. Quæstionem præsentem disputari tam de ordinaria quàm absoluta DEI potentia. Et in prima parte quæstionis, pro sententia simpliciter affirmante reditum peccatorũ, universaliter citantur quidam antiqui, Hugo Victorinus, Guilielmus, Ockamus & alii. Contraria est S. D. hîc q. 88. a. 1. & Scholasticorum communiter, tantùm admittentium reditum secundùm quid. In secunda parte quæstionis, posse peccata per absolutam potentiam redire quoad culpam, & consequenter quoad pœnam, docent Scotus ejusque interpretes. Valentia, Amicus disp. 7. se. 2. Ysambertus, & Gonett hic d. 5. a. un. §. 2. Non posse nec quoad culpam nec quoad pœnam redire sentiunt Sotus in 4. d. 16. q. 1. a. 1. Vasq. Dicastillo, Noster Clarissimus Rassler in tr. de pœnit. c. 3. §. 25. Posse quoad pœnam æternam redire, non quoad culpam, tradunt Suarez, Conink, Labat, disp. 1. dub. 6. §. 2. Pro cujus decisione sit

§. II.

Resolutio de potentia ordinaria.

4. CONCLUSIO I. *Defacto peccata semel remissa nunquam simpliciter redeunt per subsequens peccatum, neque quoad culpam, neque quoad pœnam simpliciter redire possunt.* Ita S. D. hic q. 88. a. 1. & cum eo communiter DD. neque oppositam sine temeritatis nota sustineri posse censet Ysambertus.

Probatur primò authoritate S. Script. ex omnibus iis testimoniis in quibus pœnitenti absolutè promittitur remissio peccatorum, ut Is. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Probatur secundò authoritate SS. PP. Ita S. Prosp. l. 1. resp. de baptizato in peccata relapso sic loquitur: *non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur.* Et Gelas. Papa c. *fin. de pœnit. dist.* 4. *DEI clementia dimissa peccata in ultionem ulteriùs redire non patitur.* Ex quorum utroque patet, saltem juxta legem ordinariam peccata non redire non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam; quod per ly *ultionem* significatur.

Probatur tertiò ratione: Si per subsequens peccatum redirent peccata præterita jam remissa, tunc DEUS illa non absolutè, sed sub hâc conditione condonâsset, *nisi homo de novo DEUM peccata offenderit*: sed DEUS peccata absolutè remittit, tum quia peccata remittuntur per infusionem gratiæ, quæ est forma absolutè destructiva omnis peccati; tum quia in Script. absolutè promittit remissionem peccati; & per absolutionem sacramentalem absoluta non conditionata eorundem remissio significatur.

Probatur quartò ab absurdis. Nam sequeretur primò baptismum esse iterabilem; nam si rediret peccatum Originale semel remissum, non alio modo erit expiabile, quàm baptismo. Secundò. Quòd esset necessitas confitendi denuo peccata semel remissa; quia omnia peccata mortalia hominis baptizati, quibus ligatur, & à cœlo excluditur, sunt subjicienda clavibus. Tertiò. Quòd quis per peccatum fornicationis posset fidem amittere, si nimirum per subsequens peccatum fornicationis rediret peccatum infidelitatis antea remissum, quod cum fide stare non potest. Sequelæ autem absurditas inde constat; quia fides nonnisi discredendo amittitur: sed per fornicationem nemo discredit alicui articulo fidei: ergo.

CONCLUSIO II. *Peccata remissa per subsequens peccatum redire possunt secundùm quid.* S. D. l. cit. 5.

Ratio est primò: quia per subsequens peccatum inducitur effectus similis illi, quem præcedentia peccata causabant, videlicet amissio gratiæ & reatus pœnæ æternæ. Unde B. Jacob. ep. 2. dixit: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omniũ reus.* Sensus enim est, qui unum præceptum legis per peccatum mortale transgreditur, non minùs amittit gratiam & vitam æternam, quàm si nullum præceptum servâsset.

Secundò: quia per circumstantiam ingratitudinis potest aggravari delictum, & consequenter etiam pœna: sed potest in subsequenti peccato reperiri circumstantia majoris ingratitudinis propter exhibitum priùs maximum DEI beneficium in peccatorum remissione: ergo.

Dixi *posse aggravari, & reperiri circumstantiam majoris ingratitudinis &c.* non autem semper actu reperiri. Nam ex S. D. a. 3. est observandum, ingratitudinem in peccato triplici modo reperiri posse. Primò, simpliciter faciendo contra beneficium; & hoc modo in omni peccato ingratitudo per modum conditionis generalis & transcendentalis includitur: sicque in subsequenti peccato non semper tantus consurgit reatus, quantus erat in præcedenti jam remisso, si nimirum ingratitudo conjungatur cum peccato notabiliter leviori, quàm fuerit peccatum præcedens: neque enim quantitas ingratitudinis præcisè accipitur ex quantitate beneficii, sed etiam ex intensione vel gravitate culpæ contra benefactorem commissæ, ut advertit S. D. l. cit. contingit enim (sunt verba S. D.) *quòd contra idem beneficium unus est multùm ingratus, vel secundùm intensionem contemptûs beneficii, vel secundùm gravitatem culpæ contra benefactorem commissæ; alius autem parùm, vel quia minùs contemnit, vel quia minùs contra benefactorem agit.* Secundò. Committitur ingratitudo, quando peccatur etiam contra formam beneficii, h. e. contra modum specialem quo beneficium confertur, sive ex parte dantis, estque benevolentia ipsius; sive ex parte recipientis remissionem debiti, estque motus fidei, Pœnitentiæ, & propositum confessionis; unde hæc ingratitudo fit quadrupliciter, primò per odium fraternum, 6.

 quo

quo quis fratri petenti veniam non remittit. Secundò per apostasiam à fide. Tertiò, per dolorem, quo quis dolet, se de peccato pœnituisse. Quartò, per contemptum confessionis & Sacramenti Pœnitentiæ. Et per hanc circumstantiam ingratitudinis semper aggravatur peccatū, ideoque præterita peccata secundùm quid redire dicuntur, juxta illum antiquum versiculum;

Fratres odit, apostata fit, spernitq; fateri,
Pœnituisse piget, pristina forma redit.

Tertiò potest committi ingratitudo ex singulari intentione contemnendi accepta à DEO beneficia. Et tunc haud dubiè aggravatur peccatum per malitiam & circumstantiam ingratitudinis specie distinctum à specie peccati, ut suppono ex Tract. de peccatis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

7. Objicies primò authoritatem S. Script. & SS. PP. Nam Ps. 108. dicitur: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.* Quæ verba de Juda exponens D. Augustinus, *Quia*, inquit, *non tenuit adoptionem in familia DEI, sed iniquitatem vetusti generis, rediit iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipse puniretur.* Item Matth. 18. postquam servo nequam omne debitum à Domino fuisset dimissum, tamen deinde auditâ ipsius crudelitate in conservum dominus revocavit omnem condonationem, & tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum: ergo per subsequens peccatum debitum peccati jam remissi revixit.

Respondeo S. Scripturam loqui de reditu secundùm quid propter similitudinem & æquivalentiam pœnæ contractæ per subsequens peccatum.

8. Objicies secundò. Merita justi per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam: ergo etiam peccata per pœnitentiam remissa possunt redire post peccatum. Consequentia probatur. Etiamsi DEUS Ezech. 18. comminetur: *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerit, non recordabuntur,* tamen illæ justitiæ redeunt per pœnitentiam: ergo tametsi DEUS promittat ibidem condonationem peccati, dicens: *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor,* tamen illæ iniquitates remissæ quoad culpam & pœnam redire poterunt per subsequens peccatum.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas potest assignari primò, quòd DEUS sit pronior ad miserendum quàm puniendum; Secundò, quòd favores sint ampliandi, odia verò restringenda: Tertiò, quòd peccata extinguantur absolutè, merita verò conditionatè, nisi videlicet quis resipiscat. Quartò, ut inquit S. D. in 4. d. 21. q. 1. a. 1. ad 6. *Quòd homo suâ actione bene possit evacuare quod per ipsum factum est:* cùm igitur ipse peccando mortificaverit sua merita, poterit per pœnitentiam eandem mortificationem tollere: *at verò sua actione non potest evacuare simpliciter opus DEI:* ergo per subsequens peccatum illud evacuare non potest. Quinta tandem & fundamentalis disparitas est: quia datur in DEO unde possint in ejus acceptatione manere merita mortificata, non autem datur in DEO, unde peccata & demerita maneant in ejus indignatione. Datur in DEO, unde merita maneant in ejus acceptatione, primò, quia Christus D. à quo omnis bonorum operum valor meritorius defluxit, est objectum infinitæ DEI complacentiæ, & habet jus ut sui intuitu illa opera remoto per pœnitentiam obice præmientur. Secundò: quia gratia sanctificans continetur in virtute divinæ omnipotentiæ secundùm omnem gradum tam præsenti dispositioni, quàm meritis mortificatis respondentem: unde si DEUS velit (prout velle ex S. Script. seq disp. colligemus) gratiam infundere non tantùm juxta illum gradum, qui commensuratur præsenti dispositioni, sed etiam secundùm illum, qui respondebat meritis per peccatum deperditis, hoc ipso merita mortificata reviviscent. Econtra non datur in DEO unde demerita maneant in ejus indignatione, quia homine per pœnitentiam in gratiam recepto, nullum manet objectum divinæ indignationis; nec proinde ipsa indignatio, neque culpa, & ex consequenti reatus pœnæ æternæ ullatenus vel in fieri vel conservari continetur intra virtutem potentiæ divinæ; unde peccata in indignatione divinâ remanere non possunt.

Ad probationem ex Propheta Ezech. adductam Resp. DEUM ibidem loqui tam de peccatore Pœnitente, quàm justo peccante, sub conditione si in tali statu perseveret usque in finem; prout significant adjuncta verba de impio *in prævaricatione sua & in peccato suo morietur*; de justo quoque & Pœnitente: *Vita vivet, & non morietur.* Ita exponit l. citat. D. Hier. *Sicut*, inquit, *justum non prægravant antiqua delicta, sic peccatorem, qui priùs justus fuerit, non juvant veteres justitiæ; unusquisque enim, in quo invenitur, in eo judicabitur.* Adde quòd ista paritas nimium probet, probat enim quòd sicuti de facto per pœnitentiam reviviscunt merita mortificata; ita etiam per subsequens peccatum redirent peccata, quod est communiter rejectum.

Objicies tertiò. Potest pœna temporalis ex peccato jam remisso remanens per subsequens peccatum commutari in pœnam æternam: ergo potest peccatum jam remissum redire quoad reatum pœnæ æternæ. Consequentia est clara, hoc est enim redire peccatum quoad reatum pœnæ, quod est hominem debere modò illam pœnam, quam priùs habebat priusquam remitteretur peccatum. Antecedens probatur: si peccator moriatur nondum plenè expiatis illis pœnis temporalibus, quæ solvendæ restant ex peccatis olim per pœnitentiam remissis, non poterit illas ampliùs expiare in omnem æternitatem; *in inferno enim nulla est redemptio*: ergo mutantur illæ pœnæ temporales in æternas. Confirmatur à paritate pœnæ pro venialibus debitæ; si enim istæ (ut communiter docent Thomistæ) aliquando per accidens fiunt æternæ, quando 9.

pec-

peccator moriens secum venialia defert in infernum; quantò magis pœnæ debitæ pro mortalibus?

Respondeo negando antecedens, & dico, peccatorem, nondum plenè exsolutis pœnis pro remissis peccatorum culpis decedentem, in inferno tantùm ad tempus subire pœnam pro talibus peccatis residuam, quousque non quidem satisfaciendo sed satispatiendo illam exsolverit; non enim videtur consentaneum divinæ justitiæ, ut velit æternùm punire illud peccatum, cujus nulla ampliùs culpa est. Ita expressè docet S. D. in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. ad 5. ubi rejectis aliorum sententiis hanc statuit, simulque amolitur probationem objectionis, his verbis: *Ideo alii dicunt, quòd pœna, cujus aliquis est debitor, post culpam remissam in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quòd in inferno sit redemptio; quia pœna quæ solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens, quòd quantùm ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.* Hæc S. D.

Ad confirmationem Resp. Pœnas venialium peccatorum tunc solummodo fieri per accidens æternas, quando peccator secum culpas nondum remissas defert ad infernum; justum enim est, culpam puniri quamdiu durat: sed tunc culpa etiam venialis durat in æternum, cùm nullùs planè sit resipiscentiæ & Pœnitentiæ locus: ergo & pœna. Non est autem justum, ut culpæ jam remissæ & condonatæ pœna sit æterna.

10. Objicies quartò. Potest homo homini offensam sub hâc conditione remittere, ut si se rursus offenderit, tam novæ, quàm præcedentium offensarum causâ satisfactionem velit exigere, quo casu per posteriorem offensam innovantur priores offensæ: ergo simili ratione & conditione poterit DEUS cum peccatore redire in gratiam.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Quia DEUS remittit offensam effectivè per intrinsecæ gratiæ & amicitiæ infusionem, ac totalem intrinsecæ maculæ deletionem, quæ à sola peccantis voluntate dependet. At homo homini remittit offensam affectivè non per offendentis, sed per sui affectûs à se dependentis mutationem, quam limitate potest, atque per cessionem extrinsecam sui juris quod habet ad instituendam querelam contra offendentem; quisque autem potest conditionatè cedere suo jure.

11. Objicies quintò. Post ablationem formæ hoc ipso succedit privatio: sed peccata remissa consistebant in privatione gratiæ sanctificantis: ergo remota per subsequens peccatum gratiâ sanctificante redeunt peccata remissa.

Respondeo dist. maj. Succedit privatio secundùm rationem genericam privationis, concedo; secundùm specificam vel numericam, nego: ut sic enim pendet à quibusdam connotatis, videlicet actu peccati ejusque objecto, quemadmodum sublatâ luce Solis redit quidem nox secundùm rationem genericam noctis & tenebrarum, non tamen redit nox hesterna, quia ut sic connotat determinatum tempus & motum primi mobilis, qui sicut ipse non redit, sic neque nox hesterna.

§. IV.

Resolutio de potentia absoluta.

CONCLUSIO III. *Peccata semel remissa quoad culpam per nullam potentiam simpliciter redire possunt.* 12.

Probatur primò. Si peccata remissa possent redire quoad culpam, etiam posset redire idem numero actus peccati jam præteritus: sed iste nec per absolutam potentiam redire potest, ut suppono ex Not. 1. ergo. Sequela probatur. Culpa remissa est habitualis & privativa deordinatio à fine ultimo & lege æterna, terminativè voluntaria, quæ proinde in esse & conservari essentialiter pendet ab actu defectuoso voluntatis: sed ista redire non potest, nisi redeat essentialis causa & radix ipsius, nempe defectuosus actus voluntatis: ergo.

Confirmatur. Illa culpa rediens vel esset moralis & voluntaria per actum præteritum jam remissum, vel per præsentem & subsequentem actum peccati. Non per præteritum, quia ille per retractationem desiit esse voluntarius; non per præsentem, quia ex præsenti peccato actuali non resultat alia inordinatio, quàm quæ continetur intra objectum & speciem illius actûs. Unde

Probatur secundò ab absurdis: quia sequeretur, quòd una species peccati posset constitui per aliam speciem non tantùm disparatam, sed etiam oppositam, quia non tantùm posset redire peccatum fidelitatis per subsequens peccatum disparatæ speciei, v.g. fornicationis, sed etiam posset redire peccatum remissum avaritiæ per subsequens peccatum prodigalitatis, quæ est species contraria. Confirmatur. Implicat redire essentiam sine suo essentiali specificativo: sed abesset essentiale specificativum peccati, quod est actus præteritus: ergo implicat redire peccatum secundùm essentiam.

Probatur tertiò. Si peccata remissa ullatenus redire possent, etiam deberent manere in indignatione divina; sicuti proptereà redeunt merita mortificata, quia manent in acceptatione divina: sed impossibile est illa manere: ergo. Minor probatur. Implicat manere indignationem divinam destructo totaliter objecto ipsius: sed per absolutam remissionem peccati necesse esse totaliter destrui objectum indignationis divinæ, ac proinde nec indignatio divina nec aliquid in indignatione divina remanere potest. Major est certa: quia istæ denominationes sunt extrinsecæ in DEO, nec proveniunt à mutatione actûs, quæ in DEO est impossibilis; sed ex mutatione objecti. Minor est æquè certa in principiis Thomisticis: quia est impossibile, peccatum mortale non totaliter destrui per infusionem gratiæ: sed hoc est totale objectum indignationis divinæ: ergo est impossibile, non destrui totaliter objectum indignationis divinæ.

CONCLUSIO IV. *Quamvis per absolutam potentiam peccata redire possint secundùm reatum pœnæ temporalis, non tamen secundùm reatum pœnæ æternæ.* 13.

Ratio

Ratio primæ partis est: quia ille reatus pœnæ redire potest, qui est separabilis à culpa & potest pendere à sola ordinatione Judicis; tunc enim judex potest pœnam conditionatè remittere, & dicere: *Condono tibi pœnam*, vel *accepto pœnam in satisfactionem, nisi iteratò deliqueris.* Sed reatus pœnæ temporalis est separabilis à culpa, ut patet, & potest pendere in conservari à sola ordinatione judicis infligentis & remittentis pœnam, uti defacto fit in pœna peccati venialis: ergo.

Ratio secundæ partis est: quia implicat tum ex parte hominis esse simul dignum vitâ seu beatitudine æternâ, & simul dignum pœnâ æternâ; tum ex parte DEI, quòd homini velit summam felicitatem, & simul summam miseriam; summum bonum, & summum malum ipsius; ipsum diligat ut amicum, & odio habeat ut inimicum: atqui utrumque sequeretur, si peccata redirent quoad pœnam æternam, uti deducitur ex dictis in art. præced.

Confirmatur. Implicat, tolli & remitti peccatum quoad culpam, quin simul remittatur quoad pœnam æternam: ergo etiam implicat, redire quoad pœnam, quin redeat quoad culpam: antecedens cit. art. probatum est. Consequentia patet: quia ex quibus causis implicat unum subsistere & conservari sine aliquo, etiam implicat de novo poni sine illo

14. Inferes ex dictis, esse simpliciter impossibile, ut DEUS homini remittat peccata sub conditione, quòd si rursus peccaverit, tantam inde culpam & pœnæ reatum contrahere debeat, quantam contraxisset, si prius peccatum non fuisset remissum, ut proinde in tali casu culpa remissa deberet redire quoad esse morale. Nam primò quantitas culpæ consistit in majori difformitate contra regulam rectæ rationis, nec potest ulla ratione vel in fieri vel in conservari dependere à DEO: unde tamdiu peccatum non crescit quoad culpam, quamdiu non crescit quoad malitiam: atqui peccatum subsequens non crescit quoad difformitatem moralem (aliàs enim non propter peccata remissa sed propter specificam suam differentiam fieret gravius) ergo etiam non crescit quoad culpam. Minor constat, quia vel intelligitur difformitas actualis, vel habitualis: si actualis, vel differt specie à difformitate præcedentis peccati, vel non. Si differt, tunc speciem distinctam vel oppositam continere non potest: si non differt, tunc peccatum remissum tantùm redit secundùm similitudinem & secundùm quid. Si intelligas difformitatem habitualem, tunc essentialiter dependet ab actuali, & consequenter sicut illa non crescit, sic nec ista.

Objicitur duplex paritas, prima est ex meritis mortificatis, ad quam, sicut & alia quæ objici possent, responsum est §. præcedenti. Secunda est ex peccato originali. Potuit DEUS facere, ut peccante Adamo, omnes posteri ipsius peccarent: ergo etiam potuit DEUS facere, ut homine post actam semel pœnitentiam peccante, omnia ejus peccata redirent. Sed negatur consequentia & paritas: nam ut culpa ab Adamo commissa ipsius posteris imputari posset, sufficiebat, quòd eorum voluntas in voluntate Adami tanquam Capitis esset comprehensa, quod fieri utique potuit; ut autem peccata jam remissa imputarentur de novo post subsequens peccatum, deberet subsequens peccatum in se continere malitiam præcedentium peccatorum, quod fieri non potest. 15.

DISPUTATIO XXXIX.

De Reviviscentia meritorum ad q. 89. a. 5.

REmissionem peccatorum comitatur alius insignis Pœnitentiæ effectus, videlicet restitutio amissarum virtutum & reviviscentia meritorum. Uti significatur in illa parabola filii prodigi Luc. 15. quem revertentem pius pater non solùm recepit in amplexum & osculum, depulsâ prioris offensæ maculâ, sed insuper jussit proferri *stolam primam, & dari annulum in manu ejus*, quia ut Chrysol. serm. 3. *Paterna pietas contenta non est, innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem.* Hunc igitur effectum Pœnitentiæ in præsenti examinabimus

ARTICULUS I.

An merita mortificata per peccatum reviviscant per Pœnitentiam

SUMMARIA.

1. *Quadruplex differentia nostrorum operum.*
2. *Exponitur status quæstionis.*
3. *Merita mortificata reviviscunt per Pœnitentiam ad præmium essentiale.*
4. *Probatur authoritate S. Script. & Tridentini.*
5. *Probatur ratione.*
6. *Objectiones diluuntur.*
7. *Merita mortificata habent permanentiâ moralem.*

8. *Cum*

8. *Cum quali conditione DEUS promittat remunerationem meritorum?*
9. *Quatuor diverſæ ſententiæ in præſenti materia.*
10. *Sententia prima communis Recent. ejusq; fundamentum.*
11. *Impugnatur.*
12. *Sententia ſecunda, aſtruens totius gratiæ reditum tantùm in eſſe gratiæ.*
13. *In qua ſupponitur diſtinctio gratiæ in gratiam in eſſe qualitatis, & in eſſe gratiæ.*
14. *Probatur authoritate,*
15. *Ratione,*
16. *Et impugnatione oppoſiti fundamenti.*
17. *Tertia ſententia ponens reviviſcentiam juxta diſpoſitionem exponitur & ex S. D. probatur.*
18. *Evaſiones Adverſariorum præcluduntur.*
19. *Probatur neceſſitas diſpoſitionis ad gratiam in eſſe gratiæ.*
20. *Ad oppoſita fundamenta reſpondetur.*
21. *Quarta ſententia, ejusq; fundamenta ex S. D. proponuntur.*
22. *Fundamentum ex ratione,*
23. *Impugnatur.*
24. *Reſponſio depellitur.*
25. *Cur in merito Chriſti locum habeant plures tituli?*
26. *Expoſitio S. Doctoris.*
27. *Quando & quomodo detur adulto gratia juxta proportionem diſpoſitionis.*
28. *Inſtantiæ objectæ depelluntur.*
29. *Judicium de veritate priorum ſententiarum.*
30. *Per pœnitentiam reviviſcit prima gratia juſtificationis.*
31. *Item gratia ſacramentalis, 32. & quidem in eſſe qualitatis.*
32. *Reviviſcunt etiam omnes virtutes infuſæ juxta quantitatem gratiæ.*
33. *Juſtitia originalis juxta effectum primarium fuit ab Adamo recuperata per pœnitentiam.*
35. *Meritorum reviviſcentia eſt partim ex miſericordia, partim ex juſtitia.*

§. I.

Aſſertio communis Catholica.

1\. NOtandum primò. Quadruplex eſſe genus noſtrorum operum, juxta quadruplicem habitudinem ad gratiam ſanctificantem tanquam vitam ſupernaturalem & ſpiritualem animæ. Itaque primò aliqua ſunt & dicuntur *opera viva*, h. e. quæ ex gratia & charitate procedunt, ac proinde ſunt vitæ æternæ acta meritoria, ſeu quod idem eſt, habent actu vim & efficaciam hominem perducendi in vitam æternam. Secundò his oppoſita ſunt *opera mortua*, quæ ſunt facta in ſtatu peccati mortalis, licet ex ſuo genere ſint bona, ut dare eleemoſynam; ideoque tamen ceu vitæ ſpiritualis principio & radice deſtituta, nullam habent vim gloriæ æternæ meritoriam. Tertiò dicuntur aliqua *mortifera*, & ſunt peccata mortalia, quæ inferunt mortem animæ privando ipſam gratiâ & charitate. Tandem ſunt *opera mortificata*, quæ quidem in ſtatu gratiæ & charitatis facta habebant virtutem & efficaciam hominem perducendi in vitam æternam; illa tamen virtus per ſubſequens peccatum fuit impedita: de quibus hoc loco quæritur (nam de mortuis certum eſt, ea, cùm nunquam fuerint informata & vivificata per gratiam, reviviſcere non poſſe) an vel quomodo illa bona opera reviviſcant, quando peccatum, per quod fuerunt mortificata, per pœnitentiam & juſtificationem peccatoris deſtruitur? De quo

Notandum ſecundò. Merita reviviſcere juxta S. D. hic q. 89. a. 5. in c. nil aliud eſſe, quàm merita recuperare efficaciam hominem perducendi in vitam æternam; h. e. quòd DEUS propter bona opera olim in charitate facta, iterum velit dare gloriam, quàm antea per peccatum mortale impeditus non dediſſet. Et quæritur inprimis: An hoc modo bona opera per peccatum mortificata reviviſcant ad gloriam & præmium eſſentiale vitæ æternæ? cùm enim aliud ſit præmium gloriæ eſſentiale conſiſtens in viſione & fruitione beatifica, aliud accidentale, v. g. gaudium (ut explicat S. D.) de bonis operibus, non deſunt ex antiquis PP. qui docent, merita mortificata tantùm reviviſcere ad præmium accidentale, non autem ad eſſentiale. Contra quos eſt communis & noſtra 2.

CONCLUSIO. *Merita mortificata reviviſcunt per pœnitentiam ad præmium eſſentiale vitæ æternæ.* S. D. hic a. 5. 3.

Probatur primò authoritate S. Script. & Tridentini, quod ſeſſ. 6. c. 16. ita inquit: *Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim eſt injuſtus DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri boni & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* ubi Concilium oſtendit, hunc locum conſolatorium Apoſtoli Hebr. 6. non tantùm ad eos pertinere, qui gratiam perpetuò ſervârunt, ſed etiam qui per pœnitentiam recuperârunt, quòd eorum bona opera non ſint in oblivione, ſed in memoria & acceptatione apud DEUM, ut DEUS velit ipſis ex juſtitia ſuo tempore præmium retribuere; quod ſanè non fieret, niſi merita peccato mortificata ad vitæ æternæ præmium eſſentiale reviviſcerent: ſicut hunc ipſum locum etiam exponit D. Th. c. 3. gloſſa ord. & SS. PP. citati apud Gonet hic. Secundò. Idem Trid. cit. ſeſſ. can. 32. docet: *Juſtificationem bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem*: ſed has omnes conditiones habent merita mortificata: ergo, ſi homo in gratia deceſſerit, per illa meretur vitæ æternæ conſecutionem, adeòque merita reviviſcunt ad præmium eſſentiale. Tertiò. In eundem ſenſum à SS. PP. exponitur locus Joelis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, & reddam vobis annos, quos comedit locuſta &c.* quem locum gloſſa interlin. ex Hieronymo deſumpta exponit de ubertate bonorum operum, quæ priùs erant in charitate facta. Plures SS. PP. authoritates 4.

vide apud Vasq. 1. 2. d. 221. n. 8. & Suar. in opusc. de reviviſc. merit. d. 1. ſect. 1, n. 12.

5. Probatur ſecundò ratione. Cauſa ex ſe potens conferre aliquem effectum, illum ablato impedimento, quo impediebatur, ſtatim confert: ſed merita mortificata habent ex ſe virtutem tribuendi jus ad gloriam æternam & præmium eſſentiale, & ab hoc effectu per accidens impediuntur propter obſtaculum peccati mortalis, neque enim ſunt mortua, ſed mortificata: ergo hoc obſtaculo per pœnitentiam remoto ſtatim conferunt jus ad præmium.

Probatur tertiò. Eſt inconveniens divinæ bonitati, ut peccata jam remiſſa & condonata velit adhuc afficere & punire aliquâ pœnâ æternâ: ſed carentia præmii pro bonis operibus aliquando in charitate factis eſt quædam pœna peccati ſubſequentis: ergo ſi illud fuerit remiſſum, eſt inconveniens divinæ bonitati, ut velit, illam carentiam eſſe perpetuam, & conſequenter redibit jus ad præmium eſſentiale bonis operibus debitum ante peccatum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

6. Objicies primò. Ezech. 18. dicitur: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur:* ergo bona opera poſt peccatum non remanent in memoria & acceptatione divina, nec proinde reviviſcunt.

Secundò. Cauſa non cauſat effectum, cùm non exiſtit: merita poſt peccatum non exiſtunt: ergo non cauſant præmium.

Tertiò. Demerita per gratiam ſemel deleta non redeunt poſt peccatum: ergo nec merita mortificata per peccatum redeunt poſt pœnitentiam.

Quartò. Deficiente conditione ruit contractus conditionatus; ſed DEUS cum homine juſto quodammodo contrahens conditionatè paciſcitur retributionem meritorum, ſi nempe non poſuerit objcem: ergo, poſito obice per peccatum, aufertur & ruit contractus; nec proinde merita mortificata reviviſcunt ad præmium eſſentiale vitæ æternæ.

7. Reſpondeo ad 1. juxta ſuperiùs dicta, ſermonem eſſe de peccato finali, in quo quis moritur, & ſubintellectâ conditione, ſi manſerit in iniquitate uſque ad mortem.

Ad II. Reſpondeo. Ut cauſa moraliter cauſet, ſufficere quòd exiſtat moraliter: atqui merita, quamvis mortificata & impedita à conſequendo effectu, adhuc exiſtunt moraliter in acceptatione DEI.

Ad III. Reſpond. ex dictis ſuper. art. Ideo enim demerita remiſſa redire non poſſunt; quia non poſſunt manere in indignatione DEI, neque in eſſe & conſervari aliunde, quàm ab hominis voluntate liberè deficiente dependent; at valor meritorius bonorum operum pendet etiam ab acceptatione divina, quæ non deſtruitur per peccatum.

8. Ad IV. diſting. min. DEUS cum homine paciſcitur retributionem meritorum ſub conditione ſi non poſuerit obicem perpetuum, h. e. ſi non fuerit mortuus in peccato, concedo; temporaneum, quem iterum removeat per pœnitentiam, nego.

Et hæc quidem in plano ſunt; ardua tamen & in præſenti materia valde celebris eſt difficultas, quomodo merita mortificata reviviſcant? cùm enim Script. & Concilium Trid. abſolutè & illimitatè loquantur de obtentione vitæ æternæ, videtur dicendum, quòd merita mortificata reviviſcant ad totum præmium eſſentiale; aliunde verò, cùm gloria nunquam conferatur niſi juxta menſuram gratiæ, gratia verò in ſententia Aug. Doct. infundatur juxta menſuram diſpoſitionis, pœnitentiæ videlicet & charitatis quæ ſubinde eſt intenſior, ſubinde remiſſior, quàm charitas in qua opera mortificata fuerunt facta, magnum dubium eſt an homini juſtificato detur gloria & infundatur gratia major, quàm ſit exigentia & menſura præſentis diſpoſitionis, vel utrùm homo acceptetur ad majorem & totam gloriam abſque infuſione majoris gratiæ? vel utrùm detur utraque, ſed tamen non præcisè ſecundùm intenſionem meritorum, ſed etiam juxta menſuram præſentis diſpoſitionis? Ut quantò diſtinctiùs tantò clariùs procedamus, 4. celebres in hoc puncto ſententias & noſtrum de ſingulis judicium referemus.

§. III.

Proponitur & impugnatur ſententia affirmans reviviſcentiam meritorum ad totam gratiæ entitatem.

Sunt duæ opiniones è diametro oppoſitæ, quarum prima docet, hominem reſurgere per pœnitentiam ad totam gloriam præcedentibus meritis debitam; altera negat. Utraque rurſum dividitur in duas. Prima eſt Suarezii & communis RR. pœnitentem non tantùm reſurgere ad eandem gloriam, quam habuerat ante peccatum, ſed etiam ad eandem gratiam, ita ut præter illos gradus gratiæ ſanctificantis, quos accipit intuitu præſentis diſpoſitionis, recipiat omnes illos gradus gratiæ, quos ante peccatum obtinuerat; e. gr. ante peccatum habuit gratiam ut 10. à peccato reſurgit cum pœnitentia ut 6. tunc gratia ipſi infundetur ut 16. ita ut 6. gradus per ſe reſpondeant præſenti merito, vel diſpoſitioni, cæteri per accidens proveniant intuitu præcedentium meritorum. Secunda eſt Scoti in 4. diſt. 22. q. un. a. 2. quam docet etiam Labat, aliique Thomiſtæ, licèt ex diverſis fundamentis, reſtitui quidem pœnitenti totum jus ad gloriam, quod habebat antequam fuerint merita per peccatum mortificata, non tamen reſtitui totam entitatem ſeu phyſicam perfectionem & intenſionem gratiæ præhabitæ. Altera & oppoſita ſententia pariter in duas ſcinditur, quarum prima ab antiquioribus Thomiſtis tradita, docet intuitu præcedentium meritorum nullum novum gradum gloriæ & gratiæ tribui, qui excedat intenſionem præſentis diſpoſitionis: ſed ex eo ſolùm capite merita mortificata reviviſcere ad præmium eſſentiale; quia gloria, quæ datur

tur

titulo præſentis diſpoſitionis & meriti, eadem datur titulo præcedentium meritorum. Altera eaque communior inter RR. Thomiſtas docet, dari intuitu præcedentium meritorum aliquos gradus gloriæ, ultra illos, qui præſenti diſpoſitioni debentur, non ſemper tamen omnes, ſed plures vel pauciores, prout præſens diſpoſitio fuerit intenſior aut remiſſior. His ita poſitis

10. Dicit igitur prima ſententia: *Merita mortificata per pœnitentiam reviviſcere non tantùm ad totam gloriam, ſed etiam ad totam intenſionem & augmentum phyſicum gratiæ ante peccatum obtentæ.*

Ratio eſt: Gloria creſcit juxta menſuram & quantitatem gratiæ, quam ceu ſemen & radicem eſſentialiter ſupponit: ergo merita non reviviſcunt ad gloriam & præmium eſſentiale, niſi pariter reviviſcant ad gratiam: atqui merita mortificatà reviviſcunt ad totum præmium eſſentiale; ergo pariter reviviſcunt ad totam intenſionem & augmentum gratiæ præhabitæ. Nec eſt, quòd iſtud augmentum gratiæ debeat differri uſque in finem vitæ; tum quia jus ad gloriam meritis debitam fundatur in gratia: ergo ſicuti in reviviſcentiâ meritorum jus ad gloriam ſtatim recuperatur, ſic ſtatim recuperatur & gratia; tum quia gratia præcedentibus meritis mortificatis debita, reſpicit illa merita tanquam moralem diſpoſitionem ſubjecti: ergo, cùm illa merita per pœnitentiam redeunt, ſubjectum fit ſatis diſpoſitum ad recuperationem gratiæ deperditæ, Subſumptum de reditu totius gloriæ ſequenti §. deducetur.

11. Hæc ſententia uti communis apud RR. ita tam à ratione, quàm authoritate valde probabilis eſt; in Thomiſticis tamen fundamentis non poteſt ſubſiſtere.

Nam contra eſt primò aperta, ut fatetur Amicus d. 8. ſe. 3. S. Doctoris authoritas hîc q. 89. a. 2. in c. dicentis: *Secundùm quod motus liberi arbitrii in Pœnitentia eſt intenſior & remiſſior, ſecundùm hoc pœnitens conſequitur majorem, vel minorem gratiam.* Et poſt pauca: *Ideo pœnitens quandoque ſurgit in majori gratia, quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* Rationem addit: *Quia motus liberi arbitrii in juſtificatione impii eſt ultima diſpoſitio ad gratiam.* Et in reſponſ. ad 2. *Pœnitentia*, inquit, *quantum eſt de ſe, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum, ſed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſiùs movetur in DEUM, & in deteſtationem peccati*: Atqui in ſententia Adverſariorum pœnitens ſemper ſurgeret in majori gratia, ſiquidem præter gratiam debitam præſenti diſpoſitioni acciperet omnem illam, quam habuit ante peccatum: neque ex parte hominis remiſſior motus in DEUM impediret perfectam reparationem defectuum: ergo hæc ſententia Adverſariorum eſt contradictoria menti & doctrinæ D. Th.

Contra eſt ſecundò: quòd in expreſſa doctrina S. D. 2. 2. q. 24. a. 6. in c. habitus charitatis, adeòque & gratiæ actu non augetur, niſi per actus intenſiores. Cujus ratio eſt: quia cùm DEUS ſecundùm legem ordinariam operando introducat formam & augeat juxta conditionem & diſpoſitionem ſubjecti, etiam phyſicè non intendit habitum gratiæ, niſi inveniat in ſubjecto phyſicam diſpoſitionem ad augmentum gratiæ: atqui actus remiſſiores non ſunt phyſica diſpoſitio ad intenſiorem, ſed potiùs ad remiſſiorem habitum gratiæ: ergo gratia phyſicè non augetur per actus remiſſiores, qui, ut ſuppono, diſpoſitivè deberent concurrere ad augmentum gratiæ & charitatis. Iam verò, qui reſurgit in remiſſiori & minori pœnitentia, non habet phyſicam diſpoſitionem proportionatam priori gratiæ: ergo is nunquam recipit habitum gratiæ in ea intenſione, in qua illam priùs habuerat.

Contra eſt tertiò. Quòd non tantùm S. D. primò citatus, ſed etiam Script, Concilia, & PP. conſtanter affirment, charitatem & gratiam infundi juxta menſuram, & capacitatem ſubjecti, Unde Apoſt. 2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, Cypr. l. 2. ep. 2. *Quantum fidei & capacitatis afferimus, tantum gratiæ haurimus.* Unde etiam pro cauſa præparatoria & diſpoſitiva ad gratiam juſtificationis à Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & 7. requiritur actus pœnitentis & *ſecundùm ſuam menſuram* (inquit c. 7.) *quam Spiritus S. partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem ab unoquoque recipitur.*

Ad fundamentum hujus ſententiæ reſpondebit ſequens

§. IV.

Refertur ſecunda ſententia affirmans reviviſcentiam meritorum ad totam gratiam tantùm in eſſe gratiæ.

Altera ſententia admittit totalem reviviſcentiam meritorum non in ordine ad phyſicam entitatem gratiæ ſtatim poſt juſtificationem conferendam, ſed in ordine ad totum præmium eſſentiale debitum ante ſtatum peccati. Unde 12.

Notandum, diſtingui à Thomiſtis communiter gratiam in gratiam in eſſe phyſico habitûs & qualitatis, ſecundò in eſſe morali gratiæ conſideratam. Quæ diſtinctio non eſt commentitia & gratis conficta contra mentem S. Doctoris, ut poſt RR. ſibi imaginatur Contenſonus; ſed habet fundamentum in ipſo S. D. Qui Primò hîc 3. p. q. 7. a. 11. in gratia Chriſti diſtinguit rationem entis, ſeu qualitatis, & propriam rationem gratiæ, ſecundùm quam habet effectum gratificandi, & ſub prima conſideratione docet gratiam Chriſti fuiſſe finitam, ſub poſteriori verò infinitam. Secundò. Idem S. D. in 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. & a. 6. ad 1. admittit, quòd juſtus per quemlibet, adeòque etiam remiſſiorem actum charitatis mereatur augmentum gratiæ & charitatis, & tamen ibidem a. 8. expreſsè docet: gratiam *non ſtatim augeri, ſed ſuo tempore; cùm ſcilicet* 13.

quis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum, quod non contingit eo statim tempore, quo quis elicit actum charitatis, remissiorem habitu: quæ verba cùm videantur in speciem contraria, fundamentum præbuerunt interpretibus S. Doctoris modo præfato distinguendi gratiam & docendi, quòd quidem per actum remissiorem homo mereatur augmentum gratiæ, sed illud in esse physico non statim consequatur; consequatur verò in esse moris & gratiæ. Cur? quia statim gratificatur & acceptatur à DEO non tantùm ad majorem gloriam, sed etiam gratiam pro eo tempore conferendam, pro quo habuerit physicam dispositionem commensuratam physico augmento gratiæ, quam dispositionem de facto non habere supponitur. Sic pariter in præsenti materia docent, merita reviviscere & hominem per pœnitentiam recuperare gratiam priùs deperditam in esse gratiæ, non in esse qualitatis & habitûs, h. e. hominem pœnitentem à Deo acceptari & recuperare jus non tantùm ad illam gloriam & gratiam, quæ correspondet præsenti dispositioni, sed etiam præteritis & mortificatis meritis, ita tamen ut gratiæ physicum augmentum priùs non infundatur, quàm actu intensiori & ferventiori sese ad illius augmentum recipiendum disposuerit, quod tunc, inquiunt, futurum, cùm homo in ipso ingressu beatitudinis vel purgatorii prorumpet in ferventissimum actum charitatis, quæ tunc non habebit rationem meriti, sed dispositionis, prout dixi in Tract. de grat. Porrò, si per reviviscentiam meritorum homo resurgit ad gloriam præcedentibus meritis debitam, etiam resurgit ad gratiam, cùm gratia sit semen gloriæ: vel ergo ad gratiam in esse physico, vel in esse moris spectatam? Non in esse physico, quia per S. D. gratia in esse physico non crescit nisi crescat dispositio, quæ non crescit, cùm homo per remissiorem pœnitentiam resurgit. Restat igitur, ut crescat in esse gratiæ, in quantum homo justificatus acceptatur ad majorem gratiam propter præcedentia merita suo tempore infundendam. Quo posito docent ipsi Adversarii, per pœnitentiam reviviscere merita ad totum augmentum gloriæ & gratiæ (in esse gratiæ) præcedentibus meritis debitum. Et

14. Probatur primò authoritate Concilii Trid. Script. & SS. PP. allatâ in fronte hujus articuli, quibus indefinitè & universim adstruitur reviviscentia meritorum absque restrictione ad minorem gradum, & dispositionem pœnitentis; unde cùm aliàs favores sint ampliandi, non est, quòd illâ meritorum reviviscentiam ad præsentis dispositionis mensuram restringere debeamus

Probatur secundò authoritate D. Th. in 4. dist. 14. q. 2. a. 3. qc. 3. ubi docet: *Dicendum, quòd opera in charitate facta, Etsi transeant actu, manent tamen quantum ad meritum in DEI acceptatione; & secundùm quod sic manent, habent efficaciam, quantum in ipsis est, inducendi facientem ad vitam æternam, & sic dicuntur viva manere. Sed quòd hunc effectum in peccatore non habeant, est per accidens propter peccatum, quod facit peccatorem indispositum ad percipiendum effectum præcedentium meritorum, non autem quòd ab ipsis operibus aliquid demat ur, cùm in suo fieri prædictam efficaciam obtinuerint, hoc ipso, quòd ex charitate sunt elicita, quod eis sequens peccatum auferre non potest: & ideo remotâ indispositione a peccatore per pœnitentiam opera illa præcedentia effectum suum in ipso iterum habere incipiunt, & secundùm hoc vivificari dicuntur.* Ex quibus verbis S. D. ratio deducitur &

Probatur tertiò. Causa per accidens impedita, remoto impedimento producit totum effectum, quem potest producere: sed merita per peccatum mortificata habent valorem & efficaciam hominem perducendi ad totum præmium essentiale sibi debitum, isque effectus per accidens fuit impeditus per peccatum: ergo hoc impedimento peccati sublato, perducit hominem ad totum præmium essentiale, & non tantùm ad partem ipsius. Minor probatur: merita reviviscentia non habent suam efficaciam ex gratia & charitate noviter infusa sed ex gratia ante peccatum habitâ, aliàs non reviviscerent, sed potiùs de novo gignerentur; sed ex illa gratia habent virtutem perducendi ad totum præmium essentiale. 15.

Probatur quartò impugnatione fundamenti contrarii. Si qua foret causa, cur merita mortificata non semper reviviscerent ad totum præmium essentiale, foret defectus dispositionis ex parte pœnitentis: sed iste non est: ergo. Minor probatur authoritate Trid. cit. sess. 6. c. 16. & can. 32. Ubi conditiones, ut bona opera æternam mercedem sibi proportionatam mereantur, sunt primò, ut sint facta in statu gratiæ. Secundò per Christum, sive ex auxilio Christi. Tertiò, ut quis decedat in statu gratiæ: sed has conditiones habent merita reviviscentia, sive præsens dispositio & actus pœnitentiæ sit intensus, sive remissus: ergo etiam independenter à mensura & intensione præsentis dispositionis merita reviviscentia perducunt hominem ad præmium vitæ æternæ sibi proportionatum. 16.

Confirmatur primò. Remoto per pœnitentiam obice Sacramenta fictè suscepta non reviviscunt ad effectum præsentis Pœnitentiæ intensioni commensuratum, sed ad illum quem debuissent producere pro illo instanti, quando fuerunt validè recepta, nisi obex peccati fuisset positus: ergo etiam merita reviviscunt ad effectum non debitum præsentis dispositionis intensioni, sed illi tempori & dispositioni, in qua primitus eliciebantur.

Confirmatur secundò. Reviviscere est ad eandem numero vitam resurgere: sed vita meritorum est eorundem jus & condignitas ad totum præmium vitæ æternæ: ergo merita mortificata reviviscere, est, illa jus & condignitatem ad totum præmium vitæ æternæ iteratò acquirere.

Probatur quintò. Si actus pœnitentiæ non solùm esset removens prohibens, sed etiam dispositio ad reviviscentiam meritorum, & mensura ipsius, vel esset dispositio physica, vel moralis? Non physica: quia merita non reviviscunt secundùm aliquod esse physicum gratiæ præ-

præhabitæ, ut ſupponitur contra ſententiam præcedenti §. relatam. Non etiam moralis: quia illa eſt ſufficiens diſpoſitio moralis ad reviviſcentiam meritorum, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam & gloriam ad quam merita reviviſcunt: ſed ipſa bona opera mortificata ad hanc ſunt ſufficiēs moralis diſpoſitio: ergo. Minor probatur: quia illa bona opera, antequam fuerunt mortificata, erant ſufficiens moralis diſpoſitio ad gratiam & gloriam, quia habebant condignitatem & acceptabilitatem moralem ad hanc gratiam & gloriam; ergo etiam, cùm per pœnitentiam removetur peccatum, ſunt ſufficiens diſpoſitio moralis ad eandem gratiam & gloriam; ſiquidem illa condignitas & acceptabilitas non extinguitur ſed tantùm mortificatur & ad tempus impeditur, remanet autem in acceptatione divina.

Confirmatur primò. Etiamſi gratis detur, quòd actus pœnitentis ſit diſpoſitio moralis ad gratiam meritis mortificatis debitam, tamen ſolummodo obtinent, quatenus conjunguntur cum meritis mortificatis: ſed ex illa conjunctione non magis habet, quòd ad partem gratiæ, quàm ad totam gratiam diſponat, cùm illorum meritorum condignitas non partem gratiæ & gloriæ, ſed totam reſpiciat: ergo.

Confirmatur ſecundò. Præſens diſpoſitio pœnitentis, quæ eſt in gradu intenſiori, quàm præcedentia merita mortificata, non poteſt iis tribuere, ut reſurgant in majori intenſione, quàm quæ fuerit ipſis debita ante peccatum; E. gr. ſi merita præcedentia fuerunt intenſa ut 4. & præſens pœnitentia ſit intenſa ut 8. non ſequitur, quòd merita reviviſcant in gradu ut 8. ergo etiam præſens diſpoſitio remiſſior, quàm fuerint merita mortificata, non poteſt impedire, quò minùs reviviſcant in gradu intenſiori ſibi debito ante peccatum.

Probatur ſextò. Debitum, quod per ſupervenientem injuriam fuit impeditum, reviviſcit & redit in totum, quamprimùm per gratuitam condonationem injuriæ removetur impedimentum; E. gr. debeo tibi centum, ſed propter injuriam totidem nummis æſtimabilem, quam mihi intuliſti, ſuſpenditur illa obligatio, donec illam per gratuitam condonationem remiſero; tunc enim poſt condonationem injuriæ confeſtim de novo incipio obligari, ac ſi debitum nunquam fuiſſet impeditum: atqui totum præmium eſſentiale debetur pro merito hominis juſti, idque debitum impeditur per offenſam peccati: ergo ſublatâ offenſâ peccati per juſtificationem peccatoris rurſus incipit deberi totum præmium eſſentiale priùs illis debitum, quâ de cauſa Apoſt. Heb. 6. dixit: *Non enim injuſtus eſt DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri.* Adeòque merita mortificata reviviſcunt ad totum præmium eſſentiale.

Ad fundamentum prioris ſententiæ §. præced. relatum, Reſpond. Merita non reviviſcunt ad gloriam, niſi pariter reviviſcant ad gratiam, vel in eſſe habitûs & qualitatis, vel in eſſe gratiæ acceptam, concedo; tantùm in eſſe habitûs & qualitatis acceptam, nego. Cujus diſtinctionis neceſſitas patet ex dictis.

Cæterùm hæc ſententia magnum habet fundamentum tam in authoritate, quàm ratione; patitur nihilominus difficultatem in authoritate D. Thomæ §. ſequenti mox proponendam.

§. V.

Tertia ſententia admittens reviviſcentiam meritorum juxta proportionem præſentis diſpoſitionis, defenditur.

Tertia ſententia, eaque altera Thomiſtarum docet, merita mortificata ſemper reviviſcere ad aliquod augmentum gloriæ & gratiæ (in quo convenit cum utraque præcedenti opinione) non tamen ad augmentum phyſicum gratiæ, (in quo differt à prima) neque ſemper ad totam gloriam & gratiam in eſſe gratiæ, ſed juxta proportionem præſentis diſpoſitionis. Ex. gr. ſi ante peccatum habuiſti decem merita, quorum quodlibet erat intenſum ut decem, ſi deinde reſurgas per pœnitentiam intenſam ut duo, omnia illa merita reviviſcunt ad gratiam in eſſe gratiæ ut duo, ſicque computatis utrinque gradibus gratiæ, gratia erit intenſa ut viginti duo. Si pœnitentia & diſpoſitio ſit intenſa ut 10. merita reviviſcent in gradu præhabito, ſicque omnibus computatis præſens gratia habebit gradus 100. & decem, & in hac parte præſens ſententia differt à ſecunda, fundaturque in triplici ſuppoſito; primò, quòd meritis reviviſcentibus detur gloriæ & gratiæ gradus ultra illum, qui debetur præſenti diſpoſitioni & pœnitentiæ. Secundò, quòd ille gradus & augmentum gratiæ ſit in eſſe gratiæ, non in eſſe qualitatis. Tertiò, quòd actus pœnitentis non ſit tantùm diſpoſitio ad gratiam juſtificationis, ſed etiam ad gratiam reviviſcentem ex præcedentibus meritis. Et 17.

Probatur primò, ac potiſſimùm ratione & authoritate S. Doctoris hic a. 2. in c. Formæ intenſibiles, quæ recipiunt magis & minus, intenduntur & remittuntur ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjecti: ſed motus pœnitentis (h. e. contritio) qui in juſtificatione impii eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, eſt quandoque major & intenſior, quandoque minor & remiſſior: ergo etiam homo quandoque reſurgit in majori, quandoque in minori gratia, quam habuerat. Item in reſp. ad 2. quod *pœnitentia, quantum eſt de ſe, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum: ſed hoc quandoq; impeditur ex parte hominis, qui remiſſiùs movetur in DEUM &c.*

Reſpondent primò Authores primæ ſententiæ: S. Doctorem loqui de gratia, quatenus eſt gratia prima juſtificationis, quæ per ſe infunditur juxta menſuram præſentis diſpoſitionis; non autem de gratia quæ quaſi per accidens confertur intuitu præteritorum meritorum. 18.

Contra tamen eſt, quòd, ſicuti ex natura rei ad infuſionem gratiæ ſimpliciter requiritur diſpoſitio ſimpliciter, ita ad intenſiorem gratiam requi-

requiritur dispositio intensior: ergo ut gratia physicè intensior conferatur, sive sit prima sive secunda; requiritur dispositio physicè intensior.

Respondent secundò secundæ sententiæ Authores. Illas authoritates esse intelligendas de augmẽto gratiæ in esse qualitatis & habitûs, non autem in esse gratiæ. Contra tamen est, quòd si merita mortificata reviviscerent ad totam gratiam in esse gratiæ, homo pœnitens semper consequeretur gloriam secundùm quantitatem priorum operum; sed hoc expresse negat S. D. hic a. 5. ad 8. ubi postquam sibi hanc ipsam sequelam objecisset, ita respondet: *Ad 3. dicendum, quòd ille, qui resurgit in minori charitate, habebit quidem præmium essentiale, secundùm quantitatem charitatis, in qua invenitur, habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Ubi docet præmium essentiale proportionandum fore quantitati præsentis charitatis, non primæ charitatis, in qua ante lapsum opera mortificata eliciebantur.

19. Probatur secundò. In sententia D. Thomæ contritio non minùs est moralis dispositio ad gratiam in esse moris & gratiæ acceptam, quàm sit dispositio physica ad gratiam physicè & in esse habitûs ac qualitatis acceptam: ergo, sicut physicè accepta augetur secundùm proportionem contritionis in esse physico, sic moraliter accepta etiam crescit secundùm proportionem contritionis in esse moris acceptam. Antecedens patebit ex dicendis de contritione. Consequentia & paritas probatur: eò quòd gratia in esse habitûs recipiat magis & minus ideo proportionatur præsenti dispositioni physicæ; ergo, quia eadem in esse gratiæ & juris ad gloriam recipit magis & minus, proportionatur præsenti dispositioni morali.

20. Ad fundamenta præcedentis §. & quidem ad 1. & 2. ab authoritate petitum Respond. Rationem sufficientem requirendæ dispositionis ad reviviscentiam meritorum esse tum allegatam authoritatem D. Thomæ, tum etiam quòd SS. Canones hortentur pœnitentes ad ferventiores actus, quibus sese reducant & restituant ad gradum peccato deperditum.

Ad 3. Respondeo. Causa impedita remoto impedimento tam directo quàm indirecto producit totum effectum, concedo maj. remoto tantùm impedimento directo, nego; sed peccatum est impedimentum totius effectûs meritorii directum, concedo; indirectum, nego min. & consequentiam; hoc enim impedimentum indirectum est defectus dispositionis in subjecto, siquidem, ut loquitur S. D. *homo per peccatum factus est alter*: & ideo indiget dispositione, ut reparetur in pristinum statum.

Ad 4. nego min. & ad probat. ex Trid. ℞ ibidem solummodò determinari conditiones necessarias ad præmium vitæ æternæ simpliciter acquirendum, non autem ad quantitatem præmii, de qua hîc disputatur.

Ad 1. Confirmationem est disparitas, quòd sacramentalis gratia reviviscens confertur ex opere operato, & ex meritis Christi, secundùm potentiam extraordinariam; unde nec alligatur ad præsentem dispositionem, neque tantùm infunditur moraliter, sed etiam physicè: at gratia meritorum est ex opere operantis, & secundùm potentiam ordinariam, adeòque proportionatur præsenti dispositioni.

Ad 2. Confirm. R. Sufficere ad reviviscentiam meritorum, quòd redeant ad eandem condignitatem & jus vitæ æternæ secundùm substantiam, quamvis non redeant secundùm eandem quantitatem.

Ad 5. ℞. Merita mortificata sunt sufficiens dispositio ad gratiam & gloriam, non variato statu subjecti, concedo; illo variato, nego: tunc enim secundùm præsentem DEI legem debet subjectum proprio conatu renovari in pristinum statum. Item, merita reviviscentia habent suum valorem non ex præsenti sed præcedenti intensione, in qua primitùs fuerunt elicita, cum dependentia tamen à præsenti dispositione, concedo; sine illa dependentia, nego.

Ad 1. Confir. ℞. Quamvis actus pœnitentis tantùm sit dispositio ad gratiam pro meritis mortificatis debitam, propter conjunctionem cum illis, tamen ipsorum meritorum vigorem restringi & limitari juxta vigorem præsentis dispositionis.

Ad 2. Confirm. disparitas est, quòd gloria & gratia, quæ excedit intensionem meritorum, est extra virtutem meritoriam ipsorum, neque possunt merita resurgere ad vitam, quam nunquam habuerunt, econtra gloria & gratia remissior continetur intra virtutem meriti intensioris.

Ad 6. dist. maj. Debitum reviviscit in totum per extrinsecam condonationem injuriæ, concedo; per intrinsecam, nego. Hæc enim fit per infusionem formæ quæ recipit magis & minus, ideoque proportionatur & commensuratur dispositioni subjecti.

Hæc sententia magnam quoque habet probabilitatem, & D. Th. authoritatem cum authoritate Concilii Trid. subtiliter concordat; patitur tamen aliquam difficultatem in ipsamet authoritate S. D, quâ alias sententias impugnat, neque difficulter ipsius fundamentum à ratione petitum solvitur.

§. VI.

Quarta sententia exponens reviviscentiam meritorum secundùm plures titulos.

Quarta & prædictis opinionibus opposita sententia, quam tenent Ferrar. Bannez, noster Clarissimus D. Rassler, & Contensonus, est, quòd non propterea merita mortificata reviviscant, quia propter merita mortificata pœnitenti accrescit novus gradus gloriæ & gratiæ, præter illum quem habet intuitu præsentis dispositionis, sed quia gratia & gloria præsenti dispositioni commensurata incipit etiam deberi propter merita per peccatum mortificata. 21.

Fundamentum ex rigore litteræ D. Th. petitum consistit in rejectione aliarum sententiarum. Aut merita reviviscunt ad ampliorem gloriam & gra-

gratiam, quàm quæ debetur præſenti diſpoſitioni, vel ad eandem. Non ad ampliorem; ergo ad eandem. Subſ. probatur. Si reſurgerent ad gratiam ampliorem, tunc vel ad totam phyſicè, aut moraliter ſpectatam, vel ad partem gratiæ. Non ad totam gratiam phyſicè, quod cum Nominalibus dicunt Authores primæ ſententiæ; ſic enim inprimis homini daretur gratia ultra menſuram propriæ diſpoſitionis; ſecundò pœnitens ſemper reſurgeret in majori gratia, quàm priùs habuerat; tertiò, pœnitentia nunquam impediretur ex parte hominis, ne ipſum promoveret in ulteriorem ſtatum. Quartò, pœnitens reciperet effectum priorum meritorum non tantùm quoad præmium accidentale, ſed etiam eſſentiale; item conſequeretur præmium eſſentiale non tantùm ſecundùm quantitatem charitatis in quâ invenitur, ſed etiam charitatis antecedentis, quam perdidit per peccatum. Sed hæc omnia ſunt contraria doctrinæ D. Thomæ. Prima quidem ſequela iis quæ docet hîc a. 2. in c. *Manifeſtum eſt autem, quòd formæ, quæ poſſunt recipere magis & minus, intenduntur & remittuntur ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjecti, ut in 2. parte habitum eſt. Et inde eſt, quòd, ſecundùm quod motus liberi arbitrii in pœnitentia eſt intenſior vel remiſſior; ſecundùm hoc pœnitens conſequitur majorem vel minorem gratiam.* Secunda ſequela repugnat ejuſdem verbis ibidem immediatè ſequentibus: *Contingit autem, intenſionem motûs pœnitentis quandoque proportionatam eſſe majori gratiæ, quam fuerat illa, à quâ ceciderat per peccatum, quandoque verò minori. Et ideo pœnitens quandoque reſurgit in majori gratia, quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali; quandoque etiam in minori.* Tertia ſequela repugnat eidem S. D. ibidem ad 2. quòd, *ne pœnitentia hominem promoveat in ulteriorem ſtatum, hoc quandoque impeditur ex parte hominis, &c.* Quarta ſequela eſt contra eundem S. D. loco ſup. cit. a. 5. ad 3. & in 3. d. 31. q. 1. a. 4. ad 4. ubi docet: *Quia homo per peccatum factus eſt alter, & non plenariè ad priſtinum gradum reſtituitur; ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum; niſi quantùm ad præmium accidentale.*

Sed neque dici poteſt, quòd pœnitens reſurgat ad totam gratiam in eſſe gratiæ; primò quia hæc diſtinctio non reperitur in S. D. & gratia in eſſe gratiæ nihil aliud eſt, quàm jus ad gloriam, jus verò ad gloriam fundatur in ipſa entitate gratiæ, & juxta ejuſdem phyſicam quantitatem creſcit atque decreſcit. Secundò. Quia ſequelæ contra D. Thomam ex priori ſententia deductæ, etiam huic opinioni ſunt ſolvendæ, præſertim quarta: nam ſi merita reviviſcunt ad totam gratiam in eſſe gratiæ, reviviſcunt ad totam gloriam & præmium eſſentiale, quod expreſſè negat S. Doctor locis præallegatis. Neque tertiò dici poteſt, quòd merita reviviſcant ad majorem gratiam & gloriam ſecundùm aliquam partem proportionatam præſenti diſpoſitioni; nam præſens diſpoſitio comparata ad merita præcedentia tantùm eſt removens prohibens; unde ſi merita reviviſcunt ad gratiam & gloriam ampliorem, quàm quæ debetur præſenti diſpoſitioni, non eſt major ratio, cur reſurgant ad partem gratiæ, quàm ad totam gratiam.

Fundamentum à ratione eſt ſecundò. Gratia habitualis adultis nunquam infunditur, niſi juxta voluntatis cum auxilio DEI ſeſe diſponentis conatum, ut habetur in Trid. & S. D. ſup. cit. ergo ſi conatus pœnitentis ſit remiſſior, quàm charitas præcedentium meritorum, etiam non infundetur intenſior gratia, nec proinde dabitur majus præmium eſſentiale. Reſtat ergo, ut ſolùm merita mortificata reviviſcant ad illud præmium, quod etiam debetur præſenti diſpoſitioni; nihil enim eſt novi, quòd idem præmium poſſit reſpondere duobus titulis; ita enim de facto Chriſtus gloriam corporis ſibi titulo connaturalitatis debitam etiam meruit per ſuam paſſionem; & gloria, quæ puero ante uſum rationis juſtificato debetur purè titulo hæreditatis, poſt uſum rationis accedente opere meritorio incipit etiam deberi titulo mercedis & præmii. Sic igitur etiam in præſenti, gloria quæ pœnitenti incipit deberi propter præſentem actum contritionis, eadem quoque debetur titulo præcedentium meritorum, eaque propterea reviviſcere dicuntur. 22.

Hæc ſententia, quamvis à Suare, & quibusdam aliis RR. immeritò damnetur improbabilitatis; ſiquidem habet ſibi valde faventem litteram S. Th. nititur non levi ratione; & habet pro ſe graves Doctores ex Schola Thomiſtica; non tamen videtur admittenda; quia præſtat, vigorem litteræ D. Th. mitigare & juxta ſenſum ipſius alibi inſinuatum accommodare ad proportionem verborum S. Script. & Conciliorum, quàm ad apicem litteræ D. Th. pertinaciter & rigidè explicandum verba S. Script. & Conciliorū à ſua proprietate in alienum detorquere. Atqui allegata initio hujus articuli S. Script. & Conciliorū verba in proprietate ſignificant talem reviviſcentiam meritorum, in quâ recuperetur præmium amiſſum, reſarciantur damna præterita, redeat meritis mortificatis ſua vis & efficacia perducendi hominem in vitam æternam; quæ ſanè vix nomine tenùs ſalvantur; ſi iiſdem meritis nihil de gratiâ & gloria olim deperditâ tribuatur. Nec merita mortificata diſtinguerentur à mortuis; tam parùm enim de gloria pœnitens acquireret propter merita mortificata, quàm propter mortua. 23.

Imò, inquis, acquireret illam gloriam, quam acquirit propter præſentem diſpoſitionem; hæc enim duplici titulo acquiritur, quod ad meritum ſufficere inſinuat S. D. in 3. diſt. 18. q. 1. a. 2. ad 4. & a. 5. dicens; *Meritum contingere tripliciter. Primò cùm quis præmium de non debito facit ſibi debitum. Secundò, quando facit magis debitum, quod erat minùs debitum. Tertiò quando facit ſibi debitum uno modo; quod debebatur antea alio modo.* Sed contrà eſt; quòd iſte titulus eſt planè inanis ſine re; quia reipſa Beatus plus præmii eſſentialis non acciperet propter merita præcedentia, quàm ſi illa nullatenus præceſſiſſent. Certè peccata remiſſa non propriè & ſimpliciter ſed tantùm impropriè & ſecundùm quid redeunt, dum pœna pro peccatis 24.

remiſſ-

remissis olim debita, nunc infligitur propter peccata sequentia. Imò beatus inde magis pœnam acciperet quàm præmium; siquidem esset propter mortificationem meritorum perpetuò privatus omni præmio priùs obtento, & duplici titulo tam pœnitentiæ, quàm plurimorum præcedentium meritorum nihilo plus acciperet, quàm alius cum simili actu contritionis vel dilectionis absque illis omnibus meritis: quod ipsum videtur repugnare justitiæ distributivæ DEI unicuique dantis præmium juxta opera sua.

25. Tertius ille modus merendi à S. Doctore insinuatur propter meritum Christi, quod cùm esset infinitum, ideò quidquid Christus merebatur, merebatur titulo omnium suorum operum, nec poterat uno plus mereri, quàm altero. Hæc autem ratio cessat in merito finito.

26. 6. Ad I. fundamentum & præsertim ad 4. locum hujus a. 5. ad 3. ex S. Doctore propositum respondet Suarez ibidem in Comment. n. 6. & 7. se fateri, non satis intelligere, quid D. Th. in hac solutione sibi voluerit; cæterùm sufficere, quòd alibi reditum præmii essentialis satis clarè docuerit, ut colligitur ex corp. tum a. 2. tum hujus art. 5. & præsertim ex quodlib. 5. q. 12. a. 1. ubi docet, quòd *pœnitentia restituit homini præmia priùs habita*, & quòd præmium accidentale præsupponat essentiale, adeòque si merita reviviscant ad præmium accidentale, colligitur debere etiam reviviscere ad præmium essentiale. Cùm verò S. D. cum Concil. ad infusionem gratiæ exigit mensuram dispositionis, id, inquiunt, esse intelligendum de gratia, prout est gratia prima justificationis, qualis non est gratia, in quantum respondens meritis reviviscentibus.

Respondent secundò secundæ sententiæ Authores: S. D. plerumque loqui de reditu gratiæ in esse qualitatis. In ultimo verò tantùm velle, quòd merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscant tum ad præmium essentiale, quod correspondet charitati, tum ad accidentale, quod est gaudium de iisdem meritis reviviscentibus; in quo autem gradu merita reviviscant, à S. Doctore indeterminatum relinqui.

Respondent tertiò tertiæ sententiæ Authores, mentem S. Doctoris iisdem verbis expressam esse, quòd merita ad præmium essentiale reviviscant solummodo secundùm illum gradum, qui respondet præsenti dispositioni, secundùm reliquos verò gradus reviviscere ad præmium accidentale.

27. Ad II. fundamentum responderi potest primò: Gratia nunquam datur adulto, nisi juxta proportionem dispositionis, quæ est gratia prima & justificationis, ideòque per actum pœnitentis per se dispositivè causatur, concedo; quæ est gratia reviviscens, ad quam actus pœnitentis tantùm est causa per accidens & removens prohibens, nego.

Responderi potest secundò: Datur gratia juxta proportionem dispositionis, ita tamen, ut aliquid de gratia saltem in esse gratiæ etiam detur intuitu meritorum, concedo; secus, nego. Illud enim evincunt claræ authoritates S. Script. & Tridentini.

Ad duplicem instantiam de Christo merente gloriam corporis, & de puero veniente ad usum rationis resp. non esse ad rem; nam utrobique sunt tituli diversæ rationis: in Christo quidem sunt duo tituli connaturalitatis & præmii, in puero veniente ad usum rationis sunt tituli hæreditatis & mercedis, sub quibus vita æterna debetur. Atqui si pro merito mortificato & pro merito præsentis contritionis daretur idem gradus gloriæ, esset utrobique titulus ejusdem rationis, nempe titulus meriti & mercedis: implicat autem etiam in Philosophia Adversariorum, ut plures causæ adæquatæ finitæ ejusdem ordinis & rationis producant eundem effectum. 28.

Colliges ex hactenus dictis, primam sententiam Nominalium maximè quidem favorabilem in via tamen & doctrina Thomistica de augmento gratiæ & charitatis non posse subsistere; Secundam sententiam ex ratione esse magis probabilem; ex authoritate tamen S. Doctoris minùs probabilem. Tertiam sententiam ex authoritate ejusdem S. D. magis probabilem, minùs tamen probabilem esse ex ratione. Quartam sententiam ex authoritate ejusdem S. D. & gravium Thomistarum habere magnam probabilitatem, minimam verò ex ratione & authoritate S. Script. & Concil. Tridentini. 29.

§. V.

Corollaria.

COlliges primò, Per Pœnitentiam redire primam gratiam, seu gratiam justificationis antè per peccatum deperditam. Ratio est: quia per pœnitentiam redit jus ad primam gloriam aliquando promeritam; sed hoc redire non potest sine prima gratia, in qua fundatur, & quæ est semen illius; ergo. Ex quo capite etiam Adamus recuperavit primam gratiam in paradiso per peccatum perditam. 30.

Colliges secundò. Redire etiam gratiam sacramentalem, h. e. illam, quæ priùs per usum Sacramentorum ex opere operato fuit obtenta. Ratio est primò: E S. Script. constat, per pœnitentiam redire pristinam gratiæ ubertatem: sed hæc non solùm consistit in gratia ex opere operantis obtenta, sed vel maximè etiam in illa gratia, quæ ex opere operato & meritis Christi per usum Sacramentorum obtinetur: ergo. Secundò: Si illa gratia non rediret, sequeretur, hominem post unum peccatum commissum perpetuò destituendum fructu Sacramentorum; item illum, qui frequentissimè & dignissimè recepit Sacramenta, in fine vitæ non fore melioris conditionis, quàm alium, qui ferè nunquam illa recepisset, si uterque cum æquali pœnitentia resurgeret: atqui utrúmque videtur inconveniens & contrarium tum institutioni Sacramentorum, tum justitiæ & misericordiæ Divinæ: ergo. Tertiò: Merita Christi æquè manent in acceptatione Divina, habentque virtutem suum effectum obtinendi, quàm propria merita hominis: ergo si propria merita remoto obice peccati recu- 31.

recuperarent amiſſam gratiam, multò magis merita Chriſti; ſed gratia ſacramentalis eſt ex meritis Chriſti: ergo. Quartò. Sacramenta cum fictione ſeu obice ſuſcepta, eo remoto conferunt gratiam: ergo etiam Sacramenta per peccatum à ſuo effectu ſuſpenſa, remoto impedimento, eundem rurſus producunt.

32. Colliges tertiò. Gratiam ſacramentalem non tantùm redire in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe qualitatis. Ratio eſt: quia ipſa entitas gratiæ, quæ datur ex opere operato & ex meritis Chriſti, ſemper datur in gradu excedente propriam diſpoſitionem adulti, adeòque in ipſa ſua entitate non ita dependet à diſpoſitione adulti, ſicuti gratia quæ datur ex opere operantis: unde nihil obſtat, quò minùs remoto per pœnitentiam obice infundatur intenſior gradus gratiæ ex ipſis meritis Chriſti. Confirm. Redeunte gratiâ ſacramentali redit jus ad ſpecialia auxilia pro fine Sacramenti obtinendo debita; ſed illud jus in recto dicit ipſam entitatem gratiæ: ergo redit ipſa phyſica entitas gratiæ.

Si petas. An gratia ſacramantalis tota redeat, vel tantùm ſecundùm proportionem ad diſpoſitionem præſentem? ut ſi v. gr. pœnitens ſit contritus ut quatuor, an etiam gratia Sacramenti redeat intenſa ut quatuor?

Reſpondeo, probabiliùs totam redire. Quia gratia, quæ datur ex meritis Chriſti, non adſtringitur legi ordinariæ gratiæ, quæ datur ex opere operantis: ſed gratiam commenſurari præſenti diſpoſitioni pertinet ad legem ordinariam ejus gratiæ, quæ datur ex opere operantis, ergo. Nec refert, quòd Sacramenta producant ampliorem gratiam in ſubjecto magis diſpoſito: id quippe intelligendum eſt de diſpoſitione concomitante receptionem Sacramenti: tunc enim Sacramenta ad modum cauſarum naturalium in ſubjecto magis diſpoſito ampliorem producunt effectum: non autem de diſpoſitione concomitante reviviſcentiam Sacramenti & gratiæ ſacramentalis, quæ ſe tantùm habet ut removens prohibens efficaciam Sacramentorum.

33. Colliges quartò. Virtutes morales infuſas redire cum gratia, & in ea quidem intenſione, in quâ redit ipſa gratia; ſequuntur enim gratiam tanquam proprietates ipſius. Dubium moveri poſſet de amiſſa Virginitate, quæ videtur eſſe irrecuperabilis, juxta illud D. Hier. ep. ad Euſtoch. *Audenter loquar, cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare Virginem non poteſt poſt ruinam.*

Dicendum igitur cum S. Doctore. 2.2.q.152. a. 3. ad 3. Hanc virtutem reparari poſſe quantùm ad formale, h. e. quantùm ad propoſitum virtutis, non autem quantum ad materiale, h. e. integritatem carnis, quam connotat de materiali; nam etiam amiſſâ per peccatum carnis integritate dari poteſt propoſitum, in futurum nullam voluntariam veneream voluptatem admittendi, quod eſt motivum formale hujus virtutis. Nihilominus tamen perfecta virginitas, (cui in gloria reſpondet aureola virginitatis) poſt carnis integritatem voluntariè perditam, recuperari nunquam poteſt, eò quòd de materiali importet omnimodam excluſionem venereæ delectationis voluntariæ.

Colliges quintò. Iuſtitiam originalem ab Adamo fuiſſe recuperatam, quantum ad id quod dicit primariò in recto: ſic enim docet ipſum habitum gratiæ ſanctificatis; non autem ſecundùm id, quod dicit ſecundariò & in obliquo; ſic enim dicit donum integritatis ſeu efficaciam ſubjiciendi vires inferiores ſuperioribus, & ſenſus rationi, quam efficaciam Adamus poſt pœnitentiam non recuperavit. Pariter dici poteſt, per pœnitentiam recuperari innocentiam baptiſmalem, nempe quantum ad gratiam ſanctificantem, quam ipſe dicit in recto, non autem quantùm ad continuationem ſeu negationem interruptionis, quam connotat in obliquo. 34.

Colliges ſextò. Meritorum reviviſcentiam non ex ſola fidelitate & miſericordia, ut vult Scotus; neque ex ſola juſtitia, ut Vaſquez; ſed partim ex miſericordia, partim ex juſtitia provenire, ut communiter docent Thomiſtæ: & quidem primò ex miſericordia, quia nulla eſt in DEO obligatio merita per peccatum mortificata denuo acceptandi ad gloriam; neque peccator jus habet ad talem gloriam repetendam; ſiquidem peccatum ratione infinitæ malitiæ meretur extinctionem omnis meriti; ipſamque gratiam, quæ eſt radix & fundamentum totius juris ad gloriam, extinguit. Unde ut merita mortificata manerent in acceptatione divina, opus erat libero decreto DEI, quo ipſe, non obſtante peccati mortificantis malitiâ, vellet illa bona opera poſt pœnitentiam ad priorem valorem miſericorditer aſſumere. Dicimus ſecundò, illam quoque reviviſcentiam ex juſtitia provenire: quia ſuppoſito decreto gratuito acceptationis divinæ, meritis ex valore & condignitate ſua intrinſecâ ad gloriam jus acquiritur, eaque proinde veluti corona & merces retribuitur, quâ de cauſa dixit Apoſtolus l. cit. *Non eſt injuſtus DEUS, & ut obliviſcatur operis veſtri.* 35.

DISPUTATIO XL.

De Remiſſione peccatorum venialium. ad q. 87.

Naturam peccati venialis explicui in fine Tractatûs de peccato perſonali, cujus doctrinam præſens Diſputatio ſupponit. Porrò veniale remittitur vel intra, vel extra Sacramentum de utraque remiſſione per 4. ſequentes articulos diſſeremus.

ARTICULUS I.

Qualis Pœnitentia sit necessaria ad remissionem venialium extra Sacramentum?

SUMMARIA.

1. *Veniale habituale consistit in privatione fervoris extensivi charitatis.*
2. *Fervor charitatis alius intensivus, alius extensivus.*
3. *Habitualis Pœnitentia insufficiens ad remissionem venialis.*
4. *Sufficit tamen contritio formalis aut virtualis.*
5. *Opera naturaliter honesta non sufficiunt ad remissionem venialium.*
6. *Non quodlibet opus meritorium sufficit ad remissionem peccati venialis.*
7. *Objectiones,*
8. *Diluuntur.*
9. *Sufficit semper attritio formalis supernaturalis.*
10. *Extra Sacramentum non sufficit attritio virtualis.*
11. *Quid & quotuplex sit attritio virtualis?*
12. *Duplex ratio assertionis.*
13. *Intra Sacramentum Pœnitentiæ potest sufficere attritio virtualis.*
14. *Objectiones solvuntur.*
15. *Adhæsio ad peccatum veniale impedit ejus remissionem.*
16. *Cur unum veniale possit remitti sine altero?*
17. *Quomodo remittantur venialia in fine vitæ?*

§. I.

Præsupposita.

1. SUppono primò ex Tractatu de peccato personali: Sicut ex actu peccati mortalis (quod est peccatum & offensa DEI simpliciter) relinquitur macula simpliciter, quod etiam dicitur peccatum habituale, ita ex actu peccati venialis (quod est peccatũ & offensa secundùm quid) relinqui maculam secundùm quid, quæ non consistit in privatione gratiæ & charitatis, sed in carentia fervoris extensivi charitatis. De quo

2. Suppono secundò: Fervorem charitatis dividi in intensivum & extensivum: ille est gradualis perfectio, quæ reperitur in habitu vel actu charitatis. Extensivus est habilitas & promptitudo charitatis, quâ per actus sive elicitos, sive imperatos facilè moveri possit in DEUM, ut insinuat S. D. q. 7. de mal. a. 1. ad 17. & a. 12. in c. peccatum veniale actuale sicuti non diminuit intensionem sed solùm extensivam illam perfectionem charitatis, sic veniale habituale non potest consistere in carentia illius nitoris, quem anima percipit ex intensione charitatis, verùm ex carentia nitoris illius, quem anima reciperet à charitatis extensione ad plures tum suos, tum virtutum subjectarum actus.

3. Suppono tertiò. Habitualem pœnitentiam & charitatem non sufficere ad remissionem peccati venialis: quia id non sufficit ad istius peccati remissionem, quod nullam habet incompossibilitatem & propinquam oppositionem cum illo: sed pœnitentiæ & charitatis habitus non habent incompossibilitatem & propinquam oppositionem cũ illo; siquidem simul possunt consistere: ergo Quæritur ergo, quinã actus sint sufficientes aut necessarii ad venialium remissionem? Ubi

Suppono quartò. Ad remissionem venialis semper sufficere contritionem vel formalem vel virtualem inclusam in actu dilectionis, quia actus sufficiens ad destruendum mortale, multò magis sufficit ad destruendam veniale: sed uterque ex prædictis sufficit ad destruendum peccatum mortale; ergo. 4.

Suppono quintò contra Durandum. Opera bona solùm bonitate seu honestate naturali non sufficere ad remissionem venialium peccatorum. Nam primò à Concilio Arauf. can. 7. definitur: *Nihil, quod ad salutem pertineat, posse nos cogitare, aut agere absque inspiratione Spiritûs S.* Et: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs S.* (h. e. auxilio supernaturali) *hæretico fallitur spiritu.* Similia habentur à Trid. sess. 6. can. 3. Atqui remissio venialium pertinet ad salutem & vitam æternam: ergo viribus naturæ absque supernaturali auxilio, & consequenter absque actu & motu supernaturali (ad quem solum dantur auxilia supernaturalia) remitti non possunt. Secundò. Sicuti peccatum veniale est quidam recessus & deviatio, quanquam levis, à fine supernaturali, ideoque retardat dilectionem supernaturalem; sic remissio peccati venialis est quidam accessus ad DEUM ut finem supernaturalem; sed non nisi per actum supernaturalem ad DEUM ut finem supernaturalem acceditur: ergo. 5.

His positis prima opinio est Scoti cum Gabriele docentis sufficere ad remissionem peccati venialis quodlibet opus bonum & meritorium, quod DEO magis placeat, quàm displicuerit peccatum veniale. Secundò Durandus ex opposito ad remissionem venialis requirit formalem actum Pœnitentiæ. Tertiò aliqui volunt sufficere etiam attritionem virtualem. Quartò alii ex Thomistis & RR. attritionem virtualem extra Sacramentum excludunt, cum Sacramento sufficientem esse volunt.

§. II.

An ad remissionem venialium sufficiat quodlibet opus supernaturale meritorium?

CONCLUSIO. I. *Ad remissionem venialium non sufficit quodlibet opus supernaturale & meritorium.* Ita S. D. hîc a. 1. 6.

Probatur primò. Remissio peccati secundùm legem ordinariam fit per formalem vel virtualem retractationem ipsius; sicut enim per quod-

quodlibet peccatum homo voluntariè recedit aliquo modo à DEO ad creaturam, ita ut se disponat ad remissionem peccati, debet à creatura inordinatè quæsita recedere & accedere ad DEUM, quod non fit nisi per retractationem formalem, aut virtualem: sed quodlibet bonum opus non est formalis aut virtualis retractatio peccati, siquidem potest stare cum complacentia ipsius; ergo. Unde

Probatur secundò. Actus, per quem tollitur peccatum veniale, debet habere aliquam oppositionem cum ipso: sed quodlibet opus bonum & meritorium non eoipso habet oppositionem cum veniali: ergo.

Probatur tertiò. Si per quodlibet bonum opus remitteretur veniale, non esset ratio, cur magis unum, vel aliqua, quàm omnia remitterentur, præsertim si actus ille sit virtutis præstantis, qui DEO magis placet in ratione meriti, quàm veniale displicet in ratione demeriti, consequens autem est falsum, cùm etiam actus charitatis possit consistere cum actuali complacentia peccati venialis; ergo.

7. Dices I. Unde quis meretur finem, inde etiam meretur auferri impedimenta illius finis: sed per quodlibet opus bonum meremur finem vitæ æternæ: ergo etiam per quodlibet opus bonum meremur auferri impedimenta vitæ æternæ, inter quæ sunt peccata venialia, cùm nihil coinquinatum possit intrare in regnum cœlorum.

Secundò. Qui potest mereri majus præmium, potest etiam mereri minus: sed remissio peccati venialis est minus præmium, quàm vita æterna: ergo, cùm per quodlibet opus meritorium mereamur vitam æternam, possumus etiam mereri remissionem peccati venialis.

Tertiò. Per quodlibet opus meritorium possumus satisfacere pro pœna: ergo etiã pro culpa.

Quartò. Si ad remissionem venialium necessaria foret formalis aut virtualis retractatio ipsorum, tunc, qui sine tali retractatione baptismum, aut martyrium suscepisset, non consequeretur plenariam absolutionem à culpa & pœna, quod est contra mentem SS. PP.

8. Respondeo ad I. dist maj. Meretur auferri impedimenta essentialia illius finis, concedo; accidentalia, nego. Sed peccata venialia sunt impedimenta vitæ æternæ accidentalia (quia hominem retardant ab ultimo fine) concedo; essentialia, nego min. & consequentiam.

Ad II. nego, vel distinguo maj. Qui potest majus, potest etiam mereri minus, si sit ejusdem ordinis rationis concedo; si diversi, nego. Sed remissio venialis peccati est alterius rationis, quàm præmium gloriæ, estque potiùs objectum satisfactionis, quàm meriti.

Ad III. nego paritatem: Quia satisfactio pro offensa & injuria non fit sine aliqua retractatione: pro pœna verò fit etiam satispatiendo vel exhibendo aliquod opus onerosum.

Ad IV. Respond. Ad divinam providentiam pertinere, ut Martyr talem actum charitatis aut Pœnitentiæ ante mortem eliciat, quo fiat dispositus ad remissionem omnis culpæ venialis & pœnæ eidem debitæ. Si verò homo baptizatus non habuisset attritionem tam universalem, quæ se ad omnia venialia extenderet, quàm primùm post Baptismum illam eliceret, remoto obice consequeretur omnem illius culpæ & pœnæ remissionem.

§. III.

Quanam attritio sufficiat ad remissionem venialium?

CONCLUSIO II. *Ad remissionem venialium tam intra, quàm extra Sacramentum sufficit attritio formalis*: h. e. *dolor supernaturalis detestans peccata propter aliquam honestatem creatam.* 9.

Ratio primæ partis est primò: Quia dolor, qui in Sacramento est sufficiens dispositio ad remissionem mortalium, est etiam sufficiens dispositio ad remissionem venialium, cùm ista tanquam leves offensæ requirant multò minorem retractationem: sed attritio supernaturalis sufficienter in Sacramento disponit ad remissionem mortalium: ergo etiam ad remissionem venialium.

Secundæ partis ratio est primò. Minor dispositio requiritur ad remissionem venialium, quàm mortalium; ergo, cùm mortalia extra Sacramentum deleantur per pœnitentiam & contritionem perfectam, poterunt extra Sacramentum venialia deleri per pœnitentiam imperfectam, h. e. per attritionem.

Secundò. Ad deletionem peccati venialis plus non requiritur, quàm satisfactio supernaturalis eidem opposita: sed attritio formalis est actus satisfactorius supernaturalis, *& quidem de condigno* supponitur enim esse actus hominis justi) & habet oppositionem cum illo, quia tollit inordinatam adhæsionem ad creaturam: ergo

CONCLUSIO III. *Ad remissionem venialium extra Sacramentum non sufficit mera virtualis attritio.* Ita Amicus d. 6. se. 3. 10.

Nota: Sicuti contritio virtualis dicitur actus dilectionis ita efficienter determinans voluntatem, ut actu detestaretur peccata, si memoriæ occurrerent; sic attritionem virtualem dici, actum alicujus virtutis, qui ex vi sui motivi determinat voluntatem, ita ut haberet actualem displicentiam de venialibus, si illa memoriæ occurrerent, cum hac tamen differentia, quòd contritio contineatur in actu dilectionis non tantùm virtute æquivalentiæ, sed eminentiæ, dum econtra attritio formalis in virtuali continetur magis virtute æquivalentiæ, in quantum removet inordinatam adhæsionem ab aliqua creatura, quàm removeret attritio formalis si adesset. Unde non quilibet actus virtuosus, nec circa quodlibet veniale dicitur attritio virtualis, sed ille tantùm actus, & in ordine ad illud veniale dicitur virtualis attritio, qui voluntatem ita liberam reddit ab inordinato affectu & adhæsione ad aliquod objectum, ut actu displicerent venialia circa illud commissa, si hîc & nunc inciderent, e. g. si quis pio affectu religionis ita feratur in cultum divinum, ut negligentias, distractiones, levitates, quibus ab illo retardatur, actu retractaret, si de ipsis cogitaret. 11.

Cæterùm hæc ipsa attritio virtualis potest esse absoluta, vel comparativa. Absoluta est, quan-

quando de nullo veniali est formalis displicentia, sed est actus merè prosecutivus alicujus virtutis, ut in exemplo allato. Comparativa est, quando est formalis displicentia de uno alterove peccato, ut tamen ex virtute & efficacia sui motivi etiam se extenderet ad plura venialia, si illorum foret recordatio, ut si ex motivo cultûs DEO devotè exhibendi doleas de distractionibus admissis, non verò de levitatibus, de quibus tamen æquè doleres, tanquam motivo religionis oppositis, si de ipsis cogitares. His positis

12. Ratio est primò. Si virtualis attritio extra Sacramentum sufficeret ad remissionem peccati venialis, tunc per Sacramentum pœnitentiæ nunquam ex opere operato venialia remitterentur: sed hoc est absurdum; primò, quia, cùm Trid. sess. 14. c. 5. docet, peccata venialia multis aliis remediis, quàm per Sacramentum pœnitentiæ expiari posse, supponit, illa per Sacramentum pœnitentiæ expiari posse. Secundò. Quia perpetuus usus fidelium obtinet, ut confiteantur venialia pro obtinenda eorum remissione. Tertiò. Ut mortalia virtute Sacramenti ex opere operato remittantur, datur dispositio sufficiens in Sacramento, videl. attritio, quæ extra Sacramentum non est sufficiens: ergo pariter, ut virtute Sacramenti ex opere operato remittantur venialia, debet admitti dispositio intra non extra Sacramentum sufficiens, quæ alia esse non potest quàm attritio virtualis. Sequela constat, quia venialia ante susceptionem Sacramenti jam supponerentur remissa per attritionem virtualem, quâ minor dispositio dari non potest.

Ratio est secundò. Remissio peccati ex opere operantis extra Sacramentum juxta præsentem legem requirit satisfactionem pœnitentis: sed attritio virtualis non est satisfactio: ergo.

Dices: esse sufficientem satisfactionem, quia est retractatio virtualis: aliàs neque dilectio DEI super omnia deleret peccatum veniale; cùm etiam sit solummodò satisfactio & retractatio virtualis. Sed contra est: quòd dilectio DEI dicatur virtualis attritio, non tantùm quia vi ipsius sequeretur detestatio peccati si illa menti occurrerent, sed etiam quia vi sui objecti formalis, quod est DEUS propter se ipsum super omnia diligibilis, eminenter continet omnem honestatem creatam referibilem in DEUM, adeòque honestatem attritionis & satisfactionis formalis: econtra attritio virtualis tantùm ideo dicitur talis, quia est actus qui determinaret etiam ad satisfaciendum formaliter pro aliquibus venialibus suo motivo oppositis, si illa menti occurrerent; neque formalem honestatem satisfactionis eminenter continet.

13. Porrò dixi notanter, *extra Sacramentum*: nam in Sacramentis sufficere attritionem virtualem absolutè, & in Sacramento pœnitentiæ virtualem comparativè, infra dicemus; eò quod dolor formalis de aliquo saltem peccato confesso sit pars essentialis hujus Sacramenti; unde, si cum solo dolore virtuali absolutè quis reciperet absolutionem, non reciperet totum Sacramentum Pœnitentiæ.

Objicies primò. Authoritatem S. D. hîc a. 1. dicentis: *unde sequitur, quòd requiratur quædam virtualis displicentia, putà cùm aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in DEUM & res divinas, ut, quidquid sibi occurreret, quòd eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret, se hoc commisisse, &c.* 14.

Secundò. Nihil deest ejusmodi actibus, quò minùs per ipsos venialia deleantur: nam inprimis habent oppositionem saltem virtualem cum ipsis, nec minùs habent efficaciam determinandi voluntatem ad attritionem formalem de venialibus, quàm dilectio DEI ad contritionem de mortalibus. Secundò: Sicuti sunt de condigno meritorii, ita etiam sunt de condigno satisfactorii pro peccato veniali, ut supp. ex Tract. de Incar.

Neque dicas: Satisfactio debet fieri per retractationem: nam distinguo, vel formalem, vel virtualem, concedo; tantùm formalem, nego.

Respondeo ad I. S. Doctorem loqui de ferventi actu dilectionis DEI, qui eminenter continet dolorem de peccato.

Ad II. Resp. Deesse sufficientem retractationem: quia offensa peccatori non dimittitur, nisi quis pro illa satisfecerit, nemo autem satisfacit, nisi formaliter retractet peccatum, aut eminentissimo actu dilectionis ex sua essentia reconciliativo offensam destruat.

§. IV.

Corollaria.

Colliges primò. Illud veniale, ad quod quis habet sive actualem, sive habitualem adhæsionem & complacentiam, de facto non remitti. 15.

Ratio: est quòd talis affectus sit dispositio incompossibilis cum displicentia & retractatione peccati: sed hoc non remittitur, nisi quatenus formaliter aut virtualiter retractatum: ergo.

Colliges secundò. Cur unum veniale remitti possit sine altero, non item mortale? Ratio est, quòd mortalia remittantur dispositivè per cōtritionem, formaliter per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ repugnat cum omni mortali; venialia verò remittuntur per actus virtutum, & fervorem charitatis qui non repugnat cum omni veniali; unde potest aliquis etiam cum excellenti actu charitatis hærere in aliquo genere & affectu peccatorum venialium. 16.

Sed quæres. Quid si homo justus cum solis venialibus nondum in hac vita remissis (ut in iis qui repentinâ morte abripiuntur, facillimè contingit) moriatur, quomodo obtinebit remissionem illorum peccatorum? Resp. cum S. D. q. 7. de malo a. 11. in c. Peccata venialia quoad culpam in tali casu remitti in primo instanti intrinseco & ingressu alterius vitæ, seu instanti extrinseco mortis, quo tempore anima separata per ferventem actum contritionis & dilectionis ad illorum remissionem disponetur. Ratio est: quia justo habenti jus ad cælestem gloriam debetur remedium, quo possit amovere peccatum veniale tanquam impediens assecutionem ipsius, quod fieri non potest, nisi auxilio efficaci gratiæ excitetur ad retractationem formalem, aut 17.

virtualem ipsius. Vel ergo justus divinâ gratiâ adjutus retractat sua venialia ante separationem animæ à corpore, vel post illam? Non ante; quia supponimus, illum in peccatis venialibus mori, & experientia, id fieri posse, satis monstrat; si post separationem, tunc certè in ipso instanti separationis per actum charitatis in DEUM repugnantem venialibus in hâc vitâ commissis, quia tunc anima perspicuè cognoscit, se præteritarum culparum paucitate differri à summo suo bono, & detrudi ad acerbam purgatorii pœnam; ex quo fit, ut summo amore & desiderio prosequatur summum bonum, simulque detestetur culpam retardativam illius.

Nec obest primò, quòd in illa altera vita non sit locus merito & satisfactioni. Secundò, quòd per illum actum dilectionis non remittatur pœna pro peccatis venialibus debita.

Ad I. enim respond. Venialia non tolli per illum actum contritionis & dilectionis, tanquam per actum meritorium aut satisfactorium, sed tanquam per dispositionem incompatibilem cum culpa.

Ad II. Resp. Quòd pœna in altera vita exsolvi & deleri possit satispatiendo in igne purgatorii, culpa verò non nisi per voluntariam retractationem expiari & remitti potest. Item si pœna per actum dilectionis remitteretur, deberet remitti tanquam per satisfactionem, neque enim alio modo pœna deletur, quàm satisfaciendo, vel satispatiendo; actus autem dilectionis in altera vita non est satisfactorius: econtrà culpa per actum dilectionis remitti potest, quatenus est dispositio incompatibilis cum illa.

ARTICULUS II.

An ad remissionem venialium requiratur infusio gratiæ?

SUMMARIA.

1. *Triplex comparatio gratiæ ad remissionem venialis.*
2. *Semper requiritur ad remissionem ven. antecedenter, nunquam formaliter.*
3. *Objectiones solvuntur.*
4. *Gratia semper confertur concomitanter cum remissione venialium.*

1. SErmo est non de gratia actuali, hoc est auxilio gratiæ, quod ad omnis peccati remissionem necessarium esse ex dictis patet, sed de gratia habituali & sanctificante, cujus necessitas ad remissionem venialis peccati tripliciter comparari & considerari potest; primò antecedenter, h. e. ut homo sit in priori temporis aut naturæ constitutus in gratia, priusquam veniam peccati venialis consequatur. Secundò concomitanter, ut, quoties aliquis obtinet remissionem venialis, toties simul infundatur aliquis gradus gratiæ. Tertiò formaliter, h. e. ut per ipsam gratiam infusam tanquam per formam oppositam deleatur veniale peccatum.

2. CONCLUSIO. I. *Gratia habitualis infusio ad remissionem venialium semper requiritur antecedenter, (2) nunquam verò formaliter.*

Primæ partis, quæ est S. D. a. 4. Ratio est primò. Non potest restitui fervor charitatis, quin per priùs supponatur restitutio ipsius charitatis & gratiæ, cùm fervor sit perfectio accidentalis charitatis, & ipsa familiaritas cum DEO: ergo per priùs supponitur infusio charitatis & amicitiæ cum DEO.

Secundò. Actus satisfactorius supponit gratiam, quâ dignificatur; sed venialia delentur per actum satisfactorium: ergo remissio venialium supponit gratiæ infusionem. Unde cùm homo recenter justificatus intra vel extra Sacramentum acquirit non tantùm mortalium sed etiam venialium peccatorum remissionem: tamen remissio mortalium & infusio primæ gratiæ præsupponitur naturâ prior, quàm remissio venialium.

Secundæ partis ratio est: Per illud formaliter non deletur veniale, quod ipsi formaliter non opponitur, nec est incompatibile cum illo: sed gratia formaliter non opponitur peccato veniali, neque est incompatibilis cum illo: ergo per illam formaliter non deletur.

Dices primò. Gratia habitualis est participatio divinæ naturæ: ergo, sicut ista pugnat cum omni etiam veniali peccato, sic gratia sanctificans formaliter pugnabit cum peccato veniali. Secundò. Gratia patriæ formaliter opponitur omni peccato veniali: ergo etiam gratia viæ, cùm sint ejusdem rationis. 3.

Respondeo ad I. primò: inde probari, quòd gratia non possit consistere cum peccato veniali, imò neque cum ulla imperfectione morali, siquidem natura divina pugnat cum utroque.

Respondeo secundò. Est participatio accidentalis & analoga divinæ naturæ, concedo; univoca & substantialis, nego anteced. & consequentiam.

Ad II. vel nego, vel dist. antec. Gratia patriæ, quatenus gratia est, sic opponitur veniali, nego; quatenus est consummata & conjuncta cum visione & amore fruitivo, cujus fervor formaliter opponitur omni peccato veniali, sic transeat antec. & nego consequentiam. Non enim ex specifica ratione gratiæ oritur hæc oppositio, sed ex complemento amoris fruitivi, quod non habet in via.

CONCLUSIO II. *Quoties remittitur veniale, toties confertur concomitanter nova gratia sive in esse physico, sive in esse moris.* 4.

Ratio est: Quoties veniale remittitur, aut remittitur ex opere operantis extra Sacramentum virtute actûs meritorii & satisfactorii, aut in Sacramento ex opere operato sine actu meritorio. Si primum, tunc ille actus vel est inten-

sior habitu gratiæ præexistente, & tunc per se confertur augmentum gratiæ in esse qualitatis; vel est æquè aut minùs intensus, & tunc confertur augmentum gratiæ in esse gratiæ, uti ostendi in Tract. de charit. In Sacramento autem dignè recepto semper unà cum remissione peccatorum infunditur gratia ex opere operato, quamvis tunc attritio non sit meritoria, nec à gratia, sed auxilio transeunte procedat. Quâ notatâ distinctione, non est quod efficaciter opponatur.

Colliges: Peccatum veniale conjunctum mortali, nunquam remitti sine isto: quia priùs naturâ supponit infusionem gratiæ, cum qua mortale nequit consistere.

ARTICULUS III.

Quomodo venialia remittantur per Sacramenta?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Venialia per Sacramenta remittuntur immediatè.*
3. *Dummodo adsit attritio virtualis extra Sacramentum Pœnitentiæ.*

1. Notandum. In hoc DD. communiter convenire cum S. Doctore hîc a. 3. & q. 7. de malo a. 11. Quòd venialia remittantur ex opere operato per Sacramenta novæ legis, nam inprimis Pœnitentiæ Sacramentum virtute clavium remittit omnia peccata confessa, inter quæ ex perpetuo usu fidelium sunt etiam venialia: Baptismus significat totalem regenerationem & renovationem interioris hominis, quod non fit sine omnis peccati etiam venialis quoad culpam & pœnam remissione: Extrema unctio tollit reliquias peccatorum: Eucharistiæ secundarius effectus est minuere venialia & augere fervorem charitatis. Nihilominus dissentiunt Authores in modo illa remittendi & requisitâ dispositione. Nam quod ad modum attinet, Petrus Soto, Gonet cum quibusdam aliis hîc a. 3. docent, venialia per Sacramentum nonnisi mediatè remitti, quatenus videlicet in eorum susceptione excitatur fervor seu actus charitatis & devotiones ad res divinas, per quos venialia immediatè remittuntur. Alii econtra cum communiori docent, per se immediatè remitti. Quoad dispositionem Vasquez exigit formalem attritionem. Suarez docet, sufficere actualem non complacentiam ad illa. Nunnez requirit talem virtualem retractationem, quæ saltem sit desiderium obtinendi remissionem venialium peccatorum. Nostra sit

2. CONCLUSIO I. *Peccata venialia per Sacramenta immediatè ex opere operato remittuntur.*

Ratio est primò. Illud conferunt Sacramenta ex opere operato immediatè, ad quod conferendum sunt divinitus instituta: sed sunt à Christo instituta saltem secundariò ad conferendam remissionem venialium peccatorum: ergo. Minor probatur: Sunt instituta ad perfectam sanctificationem fidelium & gloriæ consecutionem: sed hæc involvit remissionem venialium peccatorum: ergo.

Ratio est secundò. Est contra experientiam, quòd in omni suscipiente Sacramentum producat & excitet ferventes actus in DEUM & res divinas, præsertim si quis recipiat absolutionem vel extremem unctionem, postquam in phrenesin inciderit, vel si sit distractus &c. at si Sacramenta ex opere operato mediatè conferrent remissionem venialium, semper deberent excitare tales actus, quòd enim Sacramenta ex opere operato producunt, semper (saltem regulariter & in plerisque Sacramentis) producunt ad instar causæ naturalis, quotiescunque ritè sunt applicata.

CONCLUSIO II. *Ut venialia remittantur per Sacramentum, non sufficit sola non complacentia de ipsis, neque secundò requiritur semper formalis attritio, sed extra Sacramentum Pœnitentiæ sufficit etiam virtualis. Unde illa tantùm venialia peccata delentur ex opere operato, supra quæ cadit attritio virtualis.* 3.

Primæ partis ratio ex dictis est: Peccata de præsente DEI lege non remittuntur, nisi sint aliquatenus retractata; sed per solam non complacentiam nullatenus retractantur: ergo. Secundò. Sequeretur in cujuslibet Sacramenti susceptione omnia venialia remitti, modò quis non haberet actualem complacentiam in aliquo: Quod etsi Suarez & Henriquez concedant, non esse absurdum, alii tamen cum Amico ut improbabile negant. Et meritò: quia per solam non complacentiam nemo recedit à creaturæ inordinatâ dilectione, nec proinde removetur inordinata adhæsio ad objectum venialis peccati; quamdiu autem hæc non removetur, tamdiu homo non habet majorem familiaritatem cum DEO & fervorem charitatis expeditum ad operandum circa motivum illi peccato veniali oppositum; adeòque ipsi veniale peccatum non remittitur.

Secunda pars probatur primò. Cùm Sacramenta proximè operentur in virtute meritorum Christi, minor dispositio requiritur ad remissionem venialium in Sacramento, quàm extra Sacramentum (uti suppono ex Tract. de Sacr. in gen.) sed extra Sacramentum sufficiens dispositio ad remissionem venialium est formalis attritio: ergo in Sacramento minor dispositio sufficit; & hæc est attritio virtualis.

Probatur secundò. Si semper requireretur attritio formalis, peccata venialia nunquam remitterentur ex opere operato virtute ipsius Sacramenti, sed ex opere operantis semper remissa supponerentur: consequens est inconveniens, & dissonum S. Doctori hic. a. 3. in c. ergo. Minor probatur. Inconveniens est, ut merita & satisfactio Christi non operentur effectum per illa media, ad quem per illa media præstandum sunt ordinata: sed Sacramenta sunt ordinata ad remis-

remissionem peccatorum etiam venialium saltem secundariò per applicationem meritorum Christi tribuendum: ergo est inconveniens, ut merita Christi per ipsa Sacramenta non sint applicabilia ad peccatorum venialium remissionem: non autem essent applicabilia, si Sacramenta nunquam possent per se ex opere operato conferre remissionem venialium. Dissonantia quoque cum S. Doctore ostenditur: nam loco cit. docet: *Triplici ratione aliqua causare remissionem venialium. Uno modo*, inquit, *in quantum in eis infunditur gratia; quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata. Et hoc modo per Eucharistiam & Extremam unctionem & universaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.* Sed in sententia opposita Sacramenta per infusionem gratiæ sibi competentem non remitterent peccata venialia: ergo.

Dixi notanter, *extra Sacramentum Pœnitentiæ*: hoc quippe cùm intrinsecè constituatur per formalem dolorem de peccatis tanquam partem essentialem & intrinsecam, ideo nunquam per illam remittuntur venialia, nisi pœnitens habeat vel attritionem formalem de iis omnibus, vel saltem de aliquibus formalem, de cæteris virtualem, quam sup. etiam comparativè virtualem appellavimus, ut, si confiteatur 10. venialia, & habeat attritionem quæ formaliter se extendit tantùm ad unum, ad novem verò virtualiter, omnia 10. venialia remittuntur, si verò de nullo illorum haberet attritionem formalem, nullum quoque remitteretur propter obicem indispositionis.

ARTICULUS IV.

Quomodo venialia remittantur per sacramentalia?

SUMMARIA.

1. *Quid sint Sacramentalia?*
2. *Sacramentalia tantùm remittunt veniale peccatum ex opere operantis,*
3. *Excitando internum animæ motum.*
4. *Quomodo sacramentalia differant à SS. imaginibus.*
5. *Et à sacramentalibus antiquæ legis.*

1. NOtandum, sacramentalia vocari quasdam res, aut cæremonias sacras, ab Ecclesia institutas, quæ vel in usum Sacramentorum & Sacrificii deserviant, ut altaria, sacræ Vestes &c. Vel ut serviant in remedium venialium peccatorum tum quoad culpam, tum quoad pœnam, inter quæ præcipuè numerantur usus aquæ benedictæ institutæ à temporibus Apostolorum, sacra unctio Sacerdotum & Regum, benedictio Episcoporum & Abbatum, confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio dominica hoc versu contineri solita: Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. De quibus est quæstio, an ex opere operato remittant venialia, quo modo per ipsa Sacramenta tum mortalia tum venialia remittuntur?

2. CONCLUSIO est *negativa*, & communis DD. contra Gonet & quosdam paucos.

Probatur primò ex S. D. a. 3. in c. *Per sacramentalia remittuntur venialia, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis*; Sed hâc ratione venialia tantùm remittuntur ex opere operantis: ergo. Si dicas: Illum ipsum motum Pœnitentiæ causari per sacramentalia ex opere operato, contra est experientia, quâ constat, nos non semper sentire illos motus, quoties sacramentalibus utimur.

Probatur secundò ratione. Ad illius tantùm potestatem pertinet instituere signa sensibilia ex opere operato remissiva peccatorum, qui habet potestatem remittendi peccata; quia ille habet in sua potestate media efficaciter conducentia ad finem, qui in sua potestate habet ipsum finem: sed remissio peccatorum, sicut etiam infusio gratiæ, continetur intra potentiam solius DEI. *Quis enim remittit peccata, nisi solus DEUS?* Ergo instituere signa practica ex opere operato remissiva peccatorum etiam venialium non ad Ecclesiæ, sed ad DEI & Christi potestatem pertinet. Adde quòd nullum vel ex S. Script. vel SS. PP. sit fundamentum, talem potestatem asserendi Ecclesiæ.

Unde colliges. In tantum venialia peccata per sacramentalia remitti, in quantum per illa excitantur pii motus in anima, per quos illa ex opere operantis delentur. Et hoc modo esse intelligendas illas voces, cùm per sacramentalia dicimur sanctificari & mundari ex benedictione Ecclesiæ, ut in c. *aquam sale. de consecr. dist.* 3. 3.

Dices primò. Si per sacramentalia tantùm ex opere operantis remitterentur venialia, etiam inter illa sacræ imagines deberent numerari; quis enim nescit, etiam per illas excitari pios animi motus? atqui hoc est contra communem sensum Ecclesiæ. Secundò. Sacramenta novæ legis in hoc differunt à Sacramentis antiquæ legis, quòd ista nonnisi ex opere operantis, illa verò conferant gratiam & remissionem peccatorum ex opere operato: ergo similiter sacramentalia novæ legis differunt à sacramentalibus antiquæ legis, quòd illa conferant remissionem peccatorum venialium ex opere operato, saltem mediatè; illa verò tantùm contulerint illam ex opere operantis. 4.

Respondeo ad 1. negando sequelam. Ratio est: quòd sacræ imagines communiter tantùm habeant vim objectivam pias species & bonas cogitiones excitandi; sacramentalia verò ex institutione & precibus totius Ecclesiæ habent vim moralem (non tamen infallibilem) à DEO impetrandi auxilia pro piis motibus eliciendis.

Ad 2. concesso antecedente (alii quidem hanc assignant differentiam, quòd Sacramenta antiquæ 5.

tiquæ legis ex opere operato passivè, novæ verò conferant gratiam ex opere operato activè) nego consequentiam. Nam sacramentalia antiquæ legis non ordinabantur ad internam animæ, sed ad externam legalem sanctificationem, & emundationem carnis, ex quo sufficienter differunt à nostris sacramentalibus, quæ ordinantur ad internam animæ sanctificationem.

DISPUTATIO XLI.

De existentia Sacramenti Poenitentiæ. ad q. 84.

HOc loco adversùs hæreticos declaranda est veritas Catholica, quòd quando, & in qua forma Pœnitentia in vim Sacramenti à Christo Domino adæquatè, & immediatè sit instituta; proximè ipsius Sacramenti necessitatem designabimus.

ARTICULUS I.

An, & quando Sacramentum Pœnitentiæ à Christo sit institutum?

SUMMARIA.

1. *Opiniones hæreticæ de Sacramento Pœnitentiæ.*
2. *Pœnitentia est Sacramentum à Christo institutum.*
3. *Distinctum à Baptismo.*
4. *Adæquatè institutum*
5. *In forma judicij.*
6. *Tempus institutionis post resurrectionem.*
7. *Variæ hæreticorum objectiones*
8. *Solvuntur, & testimonia objecta explicantur.*

§. I.

Veritas Catholica.

1. TRipliciter circa Sacramentum Pœnitentiæ errârunt hæretici. Montanistæ imprimis negabant superesse ullum remedium reconciliationis homini lapso post baptismum. Novatiani quamvis non negarent, homines post baptismum lapsos à Deo veniam peccatorum consequi posse, negabant tamen in Ecclesia esse potestatem peccata remittendi, vel jus peccatores recipiendi. Nostri tandem hæretici admittunt quidem dari in Ecclesia remedium pro peccatis post baptismum commissis, negant tamen esse istud Sacramentum Pœnitentiæ ex confessione peccatoris & ministri absolutione per modum judicii constitutum, sed dicunt vel consistere in ipso baptismo adhuc perseverante, aut in memoria ejusdem baptismi cum fide recipiendi remissionem peccatorum. Inter Catholicos verò Doctores quidam existimârunt, Sacramentum tantùm inadæquatè & quoad formam absolutionis immediatè à Christo fuisse institutum, quoad reliquas partes mediatè, quatenus confessio primùm per Apostolos fuerit Ecclesiæ promulgata, & quidem per Jacobum c. 5. dicentem: *Confitemini alterutrum pe cata vestra.*

2. CONCLUSIO prima. *Pœnitentia est Sacramentum immediatè à Christo institutum.*

Est de fide, definita à Concilio Florent. in Decreto Eugenii, & Trid. sess. 14. Can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Probatur hac ratione. Tunc Pœnitentia est verum Sacramentum à Christo institutum, puando in ipsa reperitur signum sensibile à Christo stabiliter in Ecclesia institutum, ad significandam & conferendam gratiam remissivam peccatorum post baptismum commissorum; sed hoc reperitur; ergo. Major supponitur ex Tract. de sacr. in genere, Minor probatur: quando Christus Apostolis tradidit potestatem peccata remittendi, vel tradidit, ut illam potestatem exercerent per actum internum, vel externum? Non internum; quia sic remissio peccatorum non esset accommodata mori, naturæ, utilitati hominum; loquimur enim & certificamur de effectibus per signa sensibilia: unde nec debitum à creditore remissum censetur, nisi talem remissionem aliquo signo externo debitori significet; nec ipse Christus, quantumvis uteretur potestate excellentiæ, solitus fuit absque aliquo signo externo peccata remittere. Ergo data fuit Apostolis potestas signo externo peccata remittendi, idque stabiliter absque nulla temporis adjectione & limitatione.

Confirmatur ratione congruentiæ: Christus Baptismi Sacramentum instituit pro remittendis peccatis infidelium: ergo etiam erat congruum, ut institueret aliud Sacramentum pro remittendis peccatis fidelium: nam primò fideles non debent esse pejoris conditionis, quàm infideles: & ad suavem Dei providentiam spectat, in lege gratiæ perfectissima providere de remedio istorum peccatorum, in quæ humana imbecillitas facillimè & quotidie labitur. Ex quibus etiam statuitur

CONCLUSIO secunda. *Pœnitentia est Sacramentum distinctum à Baptismo.* 3.

Est pariter definita à Tridentino loc. cit. can.

can. 2. dicente: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, anathema sit.*

Probatur primò authoritate S. Script. & SS.PP. Nam in Scriptura peccantes post Baptismum non remittuntur ad memoriam Baptismi, sed ad Pœnitentiam; ita enim Act. 8. Simon Magus, & 1. Cor. 5. incestuosus jubentur agere Poenitentiam. Ex PP. verò, D. August. l. 1. de adult. conjug. c. 16. *Si à catechumeno factum homicidiũ, Baptismate abluitur; si à baptizato, Pœnitentiâ & reconciliatione sanatur.* Et ep. 23. *Si parvulus baptizatus grandævus factus, propria inceperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed alia curatione resarciri possunt.* D. Leo ep. 91. *Multiplex misericordia DEI ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Poenitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.*

Probatur secundò ratione: Illa Sacramenta distinguuntur, quæ habent diversos fines, materias, formas; sed Baptismus & Poenitentia ita se habent; nam finis Baptismi est totalis regeneratio per remissionem peccati tum originalis, tum omnium personalium, & ingressum in Ecclesiam Dei. Econtra finis poenitentiæ est remissio peccatorum post Baptismum commissorum; illius materia est aqua & ablutio, istius sunt peccata & actus poenitentis; istius forma est absolutio, non item Baptismi; Poenitentia est aliquod judicium, non verò Baptismus.

4. CONCLUSIO tertia. *Sacramentum poenitentiæ est adæquatè institutum à Christo in forma judicii.*

Prior pars constat primò ex Trid. antè citato, ubi dicit, Sacramentum poenitentiæ esse à Christo institutum: atqui Sacramentum Poenitentiæ non est tantùm aliqua pars, sed totum ex qualibet parte componente constitutum: ergo. Secundò. Instituere signa productiva gratiæ est divinæ virtutis, & potestatis excellentiæ: sed quælibet pars Sacramenti est quoddam signum productivum gratiæ: ergo non nisi per divinam virtutem & potestatem excellentiæ ipsius Christi fuit institutum, prout latiùs ostendimus in præcedenti Tract. de Sacr. in gen.

5. Secunda pars, asserens, poenitentiam institutam in forma judicii, est de fide definita in Trid. cit. sess. 14. c. 3. & can. 7. ubi Minister Poenitentiæ *judex*, & absolutio ipsius *actus judicialis* esse dicitur. Ita etiam affirmant PP. è quibus Chrysost. l. 3. de Sacerd. c. 5. *Pater*, inquit, *omne judicium dedit Filio suo, cæterùm video ipsum omne judicium à Deo Filio Sacerdotibus traditum esse, & suorum sententiam Deus confirmat, cùm dixit: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Ratio est. Tunc Sacramentum Poenitentiæ est à Christo institutum in forma judicii, quando potestas remittendi peccata à Christo Sacerdotibus tradita, est potestas judiciaria: sed hæc est potestas judiciaria: ergo. Sequela probatur. Potestas judiciaria exercetur in forma judicii, ita ut præcedat accusatio & confessio rei, sequatur cognitio & tandem sententia judicis; ergo si potestas à Christo Sacerdotibus tradita ad remittenda peccata in Sacramento poenitentiæ est potestas judiciaria, eadem quoque ex institutione Christi est exercenda in forma judicii, præcedente videlicet confessione & dolore pœnitentis, subsequente absolutione Sacerdotis. Hæc ipsa potestas solet communiter appellari potestas clavium, quia sub hac metaphora fuit designata à Christo Matth. 18. ad Petrum dicente: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Minor principalis præterquam quòd sit perpetuâ traditione, doctrinâ PP. & Conciliorum firmata, probatur hâc ratione: Potestas reũ in vinculis detinendi, vel absolvendi, est judiciaria: sed potestas remissiva peccatorũ data Sacerdotibus est potestas non tantùm solvendi, sed etiam retinendi in peccatorum vinculis: ergo est vera potestas judiciaria. 6.

CONCLUSIO quarta. *Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, cùm post resurrectionem insufflando in Apostolos, dixit: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Est pariter definita in Trid. sess. 6. de justif. Et ratio est: tunc fuit hoc Sacramentum institutum, quando Apostolis actu fuit tradita potestas judiciaria absolvendi peccata; sed hæc fuit actu tradita Jo. 20. cùm Christus insufflando in Discipulos dixit: *Accipite Spiritũ S. &c.* nec potest aliud tempus assignari. Non cùm Matth. 18. Christus ad Petrum dixit: *Quicquid ligaveris &c.* nam tunc potestas absolvendi non fuit data, sed promissa: *Tibi dabo claves &c.* neque tunc Apostoli adhuc erant Sacerdotes ordinati, unde non erant capaces, ut reciperent judiciariam potestatem in corpus Christi mysticum. Neque secundò potest esse tempus, quo Christus Apostolos misit ad prædicandum Evangelium Matth. ult. dicens: *Docete omnes gentes &c.* quia actus prædicandi & baptizandi tunc commissus Apostolis non est judicialis & remissivus peccatorum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò. Confessio primùm fuit introducta ab Innocentio III. in *c. omnis utriusq. sexûs*; nec proinde est divinitus instituta. 7. II. Chrysost. ho. 2. in Ps. 50. insinuat sufficere, ut quis peccata sua coram Deo confiteatur: *Si*, inquit, *confundaris alicui dicere, quæ peccâsti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut confitearis ea conservo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.* III. Juxta D. August. Sacramentum fit per hoc, quòd verbum accedit ad elementum, sed in Pœnitentia nullum est elementum: ergo nec fit Sacramentum. IV. Idem S. P. l. 1. de nupt. & concupisc. c. 33. indicat, Baptismum esse efficacem ad remittenda peccata non tantùm anteriora, sed etiam posteriùs admissa; *Non ut Baptisma*, inquit, *quoties peccatur, toties repetatur, sed quia eo ipso, quod semel datur, fit, ut non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.*

Respondeo ad I. Ab Innocentio III. tantùm fuisse determinatum tempus annuæ confessionis; 8. ipsam verò confessionẽ divinitus institutam agnoscunt SS.PP. magno numero relati à Bellarmino.

Ad II. Respondeo, D. Chrysost. loqui de publica confessione, quæ tunc temporis in Ecclesia vigebat, & solebat fieri à publicè pœnitentibus.

Ad III. Resp. D. August. loqui de Sacramento Baptismi

Baptismi; unde addit: *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?* quòd si ly *elementum* latiùs accipias pro re quapiam sensibili à Christo elevata ad gratiam practicè significandam, nil vetat, quin in Sacramento Pœnitentiæ *confessio* possit habere rationem elementi, sicuti consensus contrahentis in matrimonio.

Ad IV. Mentem S. Patris, quæ ex pluribus aliis testimoniis sufficienter constat, aliam non esse, quàm per Baptismum fideles effici capaces, ut Baptismo non repetito per Sacramentum Pœnitentiæ veniam consequantur; unde subjungit: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?*

ARTICULUS II.

Quæ & quanta sit necessitas Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Sacramentum Pœnitentiæ est omnibus post Baptismum necessarium;*
3. *Idque necessitate tam medii,* 4. *quàm præcepti,*
5. *Vel in re vel in voto suscipiendum.*
6. *Sufficit Pœnitentiæ votum.*
7. *Objectioni de Martyrio occurritur.*
8. *Non sequitur, Eucharistiam esse aquè in voto necessariam, quam sit Pœnitentia.*
9. *Non ideo majus est Ecclesiæ onus in lege gratiæ, quam veteris.*

§. I.

Resolvitur quæstio.

1. NOtandum primò. Quæstionem procedere tam de necessitate medii, quâ illud necessarium dicimus (sine quo etiam invincibiliter ignorato salus æterna simpliciter obtineri nequit) quàm etiam de necessitate præcepti, quâ illud est necessarium, sine quo licèt absolutè finis possit obtineri, si moralis impossibilitas, difficultas & ignorantia excuset, illud tamen sine peccato voluntariè omitti non potest.

Notandum secundò. Sacramentum Pœnitentiæ posse suscipi in re vel in voto. In re, cùm ponitur materia & forma Sacramenti cum aliis requisitis. In voto, cùm præter contritionem vel amorem Dei super omnia habetur voluntas & propositum ipsum Sacramentum suo tempore recipiendi. Quod votum potest esse vel explicitum, vel implicitum. Explicitum est formale desiderium vel propositum illud recipiendi conjunctum contritioni. Implicitum & virtuale est ipsa contritio vel dilectio Dei super omnia, propter inculpabilem inconsiderationem vel oblivionem peccatorum non habens conjunctum formale propositum confitendi. Dicitur autem votum Sacramenti, vel Sacramentum in voto, primò, quia præstat effectum Sacramenti hominem transferendo in statum gratiæ. Secundò: quia constituit hominem in ea animi dispositione, ut formale propositum haberet confitendi peccata, si illorum recordaretur; ac tandem, quia hominem relinquit in habitudine & obligatione ad peccata clavibus seu Sacramento Pœnitentiæ subjicienda, eaque cum dependentia quadam ab ipso Sacramento, ceu unico medio à Christo ad remittenda peccata post Baptismum instituto, remittit. Quo posito sit

2. CONCLUSIO. *Sacramentum Pœnitentiæ omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis est necessarium ad salutem, necessitate tam medii,* II. *quàm præcepti;* III. *vel ut in re, vel ut in voto saltem implicito recipiendum.* S. D. q. 84. a. 5.

Est de fide definita in Trid. sess. 14. c. 2. dicente: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Atqui Baptismus non regeneratis est necessarius necessitate medii in re, vel in voto. Item c. 5. *Universalis Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.* Et can. 6. *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino &c. anathema sit.*

Prima pars specialiter probatur. Illud est ad salutem necessarium necessitate medii, sine quo prima gratia justificationis obtineri non potest: sed sine Sacramento Pœnitentiæ prima gratia justificationis & remissionis pro peccatis post Baptismum commissis obtineri non potest: ergo. Minor probatur ex verbis Christi Matth. 18. & Jo. 20. Sine quo retinentur peccata, & manet occlusus cœli ingressus, sine illo non obtinetur prima gratia: sed peccata post Baptismum commissa absque pœnitentiali absolutione manent retenta & ingressus cœli occlusus: ergo. Minor probatur: Nam Christus promisit Petro claves regni cœlorum, addens: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis:* non autem essent datæ claves cœlorum, si extra potestatem clavium daretur ingressus cœlorum, & solutio criminum. Item Discipulis frustrà daretur potestas peccata retinendi, si illa non petitâ vel obtentâ absolutione deleri possent: quid est enim retinere peccata, quàm denegatâ absolutione facere, ut illa maneant insoluta & irremissa. 3.

Secunda pars conclusionis sequitur ex præcedenti. Quod enim est ex institutione divina, etiam est jure & præcepto divino necessarium: sed ex dictis Sacramentum Pœnitentiæ est ex institutione divina necessarium, hoc ipso quòd Christus illud voluerit esse medium necessarium ad consequendam peccatorum remissionem: ergo. Atque ita habetur decisum in Trid. cit. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: *Integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* 4.

Tertia pars traditur à Trid. cit. sess. 14. c. 4. his verbis: *Docet præterea (S. Synodus) etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Unde Ratio est: Tunc Pœnitentiæ Sacramentum est necessarium vel in re vel in voto, quando peccator post Baptismum reconciliari non potest, nisi per susce- 5.

susceptionem Sacramenti, vel contritionem includentem votum Pœnitentiæ: sed nemo aliter reconciliari potest ex adductis Trid. verbis: ergo.

6. Porrò quòd istud Pœnitentiæ votum non necessariò debeat esse explicitum, sed sufficiat implicitum, videtur inprimis indicari per ipsum Trid. cùm dicit, votum Pœnitentiæ in contritione includi; quibus significatur, contritionem ejus esse naturæ, ut nunquam sit sine Pœnitentiæ voto, quod de explicito proposito Sacramenti verificari non potest, siquidem per naturalem inconsiderationem aliquando contingit, ut contritus de Sacramento Pœnitentiæ nihil cogitet. Et ratio est primò: Votum implicitum Sacramenti est, cùm per contritionem formalem aut virtualem voluntas ita efficaciter determinatur ad amplectenda omnia media salutis & reconciliationis, ut illa actu formali vellet amplecti, si hic & nunc occurreret illorum memoria: sed talis contritio sufficit ad justificationem, cùm sit ultima dispositio ad primam gratiam: ergo & votum implicitum Sacramenti Pœnitentiæ. Et constat à paritate Baptismi, de quo in sup. Tract. dictum est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. Objicies primò. Martyrium unà cum sola attritione non est Sacramentum Pœnitentiæ nec in re, nec in voto: sed potest quis justificari per martyrium cum sola attritione: ergo potest quis justificari absque Sacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto.

Respondeo primò. Martyrium cum attritione non est Sacramentum Pœnitentiæ &c., ita ut sit medium salutis extraordinarium, concedo; ordinarium, nego. Ergo potest quis peccator justificari absque Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto, medio extraordinario, transeat; medio ordinario, nego consequentiam. Imò, ut in Tr. de Baptismo dixi, per accidens in raro casu contingere potest, ut quis per Martyrium cum sola attritione justificetur; ordinariè enim debet saltem conari ad actum contritionis, si sit sibi gravis peccati conscius. Responderi potest secundò negando majorem. Quia in casu, quo quis attritus tantùm martyrio afficitur, illa attritio generalis uti propter conjunctionem cum martyrio elevatur, ut sit sufficiens dispositio ad primam gratiam, ita etiam ut sit implicitum votum Sacramenti Poenitentiæ.

Objicies secundò. Si votum implicitum Poenitentiæ inclusum in contritione sufficit ad salvandam necessitatem & receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, tunc istud non erit majoris necessitatis, quàm Sacramentum Eucharistiæ; quia etiam istius votum continetur in perfecta contritione, quâ homo determinatur ad servanda omnia præcepta Dei, inter quæ etiam continetur præceptum divinum Eucharistiæ. 8.

Respondeo negando sequelam: quia Sacramentum Eucharistiæ non est per se ordinatum ad conferendam primam gratiam, uti Sacramentum Pœnitentiæ; neque contritio potest esse pars Eucharistiæ, sicuti potest esse & est pars Pœnitentiæ; unde pœnitens per contritionem non ita ordinatur ad eucharistiam, sicut ordinatur ad Poenitentiam.

Objicies tertiò. Si Sacramentum Poenitentiæ adultis lapsis foret necessarium necessitate medii, Ecclesiæ majus onus pateretur in lege gratiæ, quàm habuerit in lege Mosaica, ubi fideles absque Sacramento & voto Sacramenti per solam contritionem salvari poterant. 9.

Respondeo negando sequelam: quia facilius est remedium confessionis sacramentalis cum sola attritione, quàm perfecta contritio quæ tunc erat necessaria: neque requiritur votum Sacramenti explicitum, sed sufficit implicitum.

DISPUTATIO XLII.

De essentia Sacramenti Poenitentiæ.

Suppono, Sacramentum Pœnitentiæ, secundùm compositionem & essentiam metaphysicam spectatum, esse & rectè definiri *signum practicum & effectivum gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi.* Metaphysica quippe essentia constituitur ex genere & differentia: sed genus Pœnitentiæ est, quòd sit signum practicum, & quidem (ut est Sacramentum novæ legis effectivum gratiæ; differentia verò est, significatio practica remissionis peccatorum post Baptismum commissorum: ergo in hoc rectè essentia metaphysica Pœnitentiæ constituitur, ideoque contractiori definitione à SS. PP. appellatur *Sacramentum reconciliationis.* In præsenti quærimus de physica compositione Sacramenti ex rebus & verbis tanquam materia & forma, qualem in omnibus Sacramentis, uti in compositis physicis & arte factis reperiri ostendimus in Tr. de sacr. in gen. neque agimus de forma & materia Pœnitentiæ speciatim, sed generatim. Ubi primò Scotistæ complures à Mastrio relati d. 5. q. 11. a. 1. existimant, essentiam hujus Sacramenti consistere in absolutione Sacerdotis; ita ut actus pœnitentis tantùm sint conditiones ad valorem Sacramenti necessariò requisitæ. Secundo alii essentiam in actibus pœnitentis connotatâ solùm absolutione: Durandus in confessione & absolutione; communis DD. cum S. Thoma simul in actibus pœnitentis tanquam materia, & absolutione Sacerdotis tanquam forma collocat. Unde fit

ARTICULUS I.

Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

1. *Definitio metaphysica Sacramenti Pœnitentiæ, & status quæstionis exponitur.*
2. *Ostenditur forma Sacramenti.*
3. *Objectiones*
4. *Solvuntur.*

2. CONCLUSIO. *Forma Pœnitentiæ sunt illa verba absolutionis à Sacerdote prolata: Ego Te absolvo à peccatis tuis.* Ita definitum est à Florent. in Decr. un. dicente: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cùm dicit: Ego Te absolvo &c.* Et in Trid. sess. 14. c. 3. his verbis: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, Ego Te absolvo &c.*

Ratio est: Illud habet rationem formæ in composito, quod se habet per modum determinativi & complementi essentialis; sed ita se habent verba absolutionis; quia sententia judicis est ultimum determinativum & complementum judicii: sed Sacramentum Pœnitentiæ est quoddam sacramentale judicium: ergo absolutio sacerdotis tanquam sententia judicis est ultimum determinativum in illo.

Confirmatur. Cùm omne Sacramentum novæ legis constet rebus & verbis, res se habent per modum materiæ, & verba per modum formæ, ut dictum de sacr. in gen. sed actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ sunt res, absolutio sacerdotis sunt verba: ergo hæc habent rationem formæ.

Unde inferes. Totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ non posse consistere in sola absolutione sacerdotis aut in solis actibus pœnitentis; quia tota essentia rei non salvatur in sola forma, aut in sola materia: sed absolutio est forma Sacramenti Pœnitentiæ ex prædictis, & actus pœnitentis sunt materia, ut dicetur; ergo.

3. Dices primò. Sacramentum Pœnitentiæ denominatur ab actibus pœnitentis: ergo illi soli constituunt essentiam hujus Sacramenti. Secundò. Judicium consistit essentialiter & adæquatè in actu seu sententia judicis: hoc Sacramentum est judicium: ergo consistit essentialiter & adæquatè in actu sive sententia absolutoria sacerdotis tanquam judicis. Tertiò. Sacerdos confert Sacramentum Pœnitentiæ: sed ille solam absolutionem confert: ergo hoc Sacramentum essentialiter consistit in sola absolutione.

Respondeo ad I. negando consequentiam: 4. nam Sacramenta sæpe denominantur tantùm à parte materiali aut formali, quandoque etiam materia remota; ut patet in Sacramento Extremæ Unctionis, Baptismi, Confirmationis, quod etiam à materia remota appellatur Sacramentum chrismatis: imò hoc ipsum Sacramentum à parte formali rectè etiam appellatur Sacramentum reconciliationis, & à confessione tanquam parte notiori Sacramentum confessionis.

Ad II. nego majorem, nam judicium licèt principaliter (uti etiam loquitur Trid.) consistat in sententia judicis, videlicet tanquam in parte formali & determinativa; tamen etiam accusatio & confessio rei sunt partes intrinsecæ judicii, & non tantùm circumstantiæ vel conditiones prærequisitæ.

Ad III. Distinguo majorem. Sacerdos confert Sacramentum Pœnitentiæ in hoc sensu, quòd conferat omnes partes Sacramenti, nego, quod conferat præcipuam & formalem, ex cujus morali conjunctione cum reliquis resultat totum Sacramentum Pœnitentiæ, concedo. Constat autem, quòd causa producens formam, eamve subjecto uniens dicatur attingere & producere totum unitum; & sic etiam minister Pœnitentiæ rectè dicitur conferre Sacramentum Pœnitentiæ, quia, conferendo absolutionem ceu partem formalem, facit, ut resultat tota adæquata essentia hujus Sacramenti.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia hujus Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Aliæ partes essentiales, aliæ integrales.*
2. *Actus pœnitentis esse materiam proximam pœnitentiæ, docent Concilia.*
3. *Et probat ratio.*
4. *Satisfactio tamen est tantùm pars integralis.*
5. *Satisfactio in voto continetur in aliis actibus pœnitentis.*
6. *Objectiones contra contritionem.*
7. *Contritio est dispositio ad gratiam, & simul pars Sacramenti.*
8. *Est sensibilis per actum confessionis.*
9. *Minister actus pœnitentis efficit in esse uniti.*
10. *Non sequitur, quòd pœnitens sit minister Sacramenti.*
11. *Objectiones contra satisfactionem.*
12. *Verba Ministri imponentis pœnitentiam determinant satisfactionem in esse obligatoriæ, non in esse sacramentalis.*
13. *Materia remota Pœnitentiæ sunt omnia & sola peccata personalia.*
14. *Necessaria materia quidem sunt mortalia nondum subjecta clavibus.*
15. *Materia sufficiens, & libera sunt venialia & mortalia jam confessa.*

16. Obj-

§. I.

Determinatur materia proxima Pœnitentiæ.

1. NOtandum. Inter partes, quæ ad constituendam integram materiam alicujus compositi concurrunt, aliquas dici essentiales, aliquas tantùm integrales. Illæ sunt, quæ non solùm sunt de integritate, sed etiam de essentia compositi; ita ut unâ illarum ablata tueret ipsa rei essentia: istæ sunt quæ tantùm sunt de integritate compositi, ita ut quidem rei substantiam intrinsecè integrent, possit tamen absque iis essentia talis compositi consistere. Ita manus & pes in homine sunt partes tantùm integrales, quia sine illis physica hominis essentia salvari potest, non tamen integritas; cor autem & caput sunt partes etiam essentiales, quia sine his nec essentia quidem hominis potest consistere. His positis sit

2. CONCLUSIO. *Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ intrinsecè constituitur & integratur ex actibus pœnitentis, qui sunt contritio, confessio, satisfactio: (2) actualis tamen satisfactio non est Sacramenti pars essentialis, sed tantùm integralis.* Ita communis DD. cum S. D. q. 84. & 90. a. 1. & 2.

Probatur primò ex Florentino in Decr. Eugenii, ubi dicitur: *Hoc Sacramentum quasi materiam hujus Sacramenti esse actus pœnitentis, cujus partes sint contritio, & satisfactio; formam verò esse absolutionem Sacerdotis &c.* Ex Tridentino sess. 14. c. 3. & can. 4. definiente: *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, & tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* Neque refert, quòd Concilia istos actus non simpliciter materiam, sed *quasi materiam* appellent: causam enim & sensum luculenter exposuit Catechismus Romanus de Sacram. Pœnit. n. 14. dicens: *Non ideo hi actus quasi materia à S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quid eius generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur; ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.* Confirmatur primò; Concilium in Sacramento Pœnitentiæ agnovit veram formam: ergo & veram materiam: cùm materia & forma inter se sint correlativa. Secundò. Concilium hos actus vocat partes Sacramentis; vel ergo formales, vel materiales. Non formales; ergo materiales.

3. Probatur secundò ratione. Omne judicium præter sententiam Judicis etiam includit actus se tenentes ex parte rei: sed Sacramentum Pœnitentiæ est quoddam judicium; ergo includit præter absolutionem Sacerdotis etiam actus se tenentes ex parte Rei sive pœnitentis. Sed isti sunt confessio; & quia confessio non debet esse historica, sed dolorosa in ordine ad impetrandam favorabilem & reconciliativam sententiam, etiam contritio, ac tandem quædam mulcta & vindicta, quæ est satisfactio; cùmque isti actus non possint includi tanquam pars formalis utpote determinabilis per formam absolutionis, includuntur tanquam pars materialis.

Probatur tertiò ratione S. D. q. 90. a. 2. Tot convenienter assignantur actus ad constituendam materiam hujus Sacramenti, quot requiruntur ad faciendam compensationem offensæ tam secundùm voluntatem offendentis, quàm offensi; siquidem hoc Sacramentum est institutum ad quandam reconciliationem cum DEO: sed isti sunt contritio & confessio; quibus pœnitens exprimit voluntatem compensandi offensam, & subjectionem ad ipsum offensum, & denique satisfactio, quam minister pœnitentiæ DEI vice & nomine imponit: ergo.

Secunda pars probatur: Illa pars est tantùm integralis, sine qua præcipuus & essentialis effectus Sacramenti obtineri potest (neque enim effectus Sacramenti confertur priusquam completa sit essentia Sacramenti) non autem omnis perfectio illius effectus: atqui sine satisfactione actuali potest obtineri essentialis effectus Sacramenti, qui est remissio peccatorum (hæc quippe datur per ipsam absolutionem, cujus effectus non potest pendere à conditione de futuro) non autem obtinetur omnis perfectio illius effectûs, quæ est remissio culpæ etiam quoad reatum pœnæ: ad hunc enim effectum satisfactio præcipuè ordinatur, eumque confert ex opere operato; ergo actualis satisfactio tantùm est Sacramenti pars integralis, non etiam essentialis. 4.

Dixi: Satisfactio *actualis & in re*: nam satisfactio in voto & proposito, quæ est ipsa voluntas, saltem implicita satisfaciendi, videtur vel in intentione recipiendi hoc Sacramentum prout à Christo institutum, vel in actibus contritionis & confessionis, quatenus à tali intentione derivatis, sufficienter includi. 5.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicitur primò contra primam partem conclusionis primò: Quod se habet ut dispositio, non est pars Sacramenti: sed contritio in Sacramento Pœnitentiæ se habet ut dispositio: ergo non est pars Sacramenti. Minor probatur: quia juxta majorem, vel minorem contritionem pœnitentis infunditur major vel minor gratia Sacramenti. Secundò. Partes Sacramenti debent esse sensibiles: sed dolor non est sensibilis, cùm sit actus internus animæ: ergo. Tertiò. Sequeretur, quòd Sacerdos non efficeret hoc Sacramentum; quia istud consisteret in actibus pœnitentis: sed actus pœnitentis Sacerdos non efficit: ergo. Imò verò quartò sequeretur, quòd pœnitens esset minister Sacramenti, & justifica- 6.

ret se ipsum, siquidem poneret signum saltem inadæquatum productivum gratiæ remissivæ peccati.

7. Respondeo ad I. Dispositio ad ipsum Sacramentum (ut est intentio illud recipiendi) non est pars ipsius, concedo; dispositio ad rem & effectum Sacramenti, nego. Sed contritio est dispositio ad rem, hoc est gratiam Sacramenti, concedo; ad ipsum Sacramentum, nego minorem & consequentiam. Igitur contritio est simul dispositio ad gratiam Sacramenti percipiendam, & simul ipsius causa ex opere operato.

8. Ad II. distinguo majorem: partes Sacramenti debent esse sensibiles in se, vel in alio, concedo; semper in se, nego. sed dolor pœnitentis non est sensibilis in se, concedo; in confessione, nego minorem & consequentiam.

9. Ad III. nego sequelam majoris, & ad probationem distinguo majorem: consistit in actibus pœnitentis quatenus determinatis per formam, eique moraliter unitis, concedo; seorsim spectatis, nego. sed minister Sacramenti non efficit actus pœnitentis seorsim spectatos, concedo; in esse unito & determinato per formam, nego minorem & consequentiam.

10. Ad IV. nego primam partem sequelæ: non enim is est minister hujus Sacramenti, qui quomodocunque concurrit ad productionem gratiæ sacramentalis; sed qui formam applicat, & judicialem sententiam absolutionis proferendo alias partes ad esse Sacramenti determinat, quod soli convenit Sacerdoti. Porrò, si per *justificare se ipsum* nil aliud velis, quàm aliquo modo concurrere ad effectivam productionem gratiæ remissivæ proprii peccati, non erit absurda altera pars sequelæ, quòd pœnitens justificaret seipsum: si autem sit iste sensus, quòd primariò & consummativè determinetur causa productiva hujus gratiæ, sic erit falsa: hoc enim proprium est ministri proferentis absolutionem.

11. Objicies contra secundam partem conclusionis primò: Id quod est posterius Sacramento, non potest esse pars integralis ipsius; sed satisfactio est posterior Sacramento, quia est posterior absolutione: ergo non potest esse pars integralis ipsius. Major probatur: quod supervenit Sacramento ultimatè completo, non est pars integralis ipsius, sed quod est posterius absolutione, supervenit ipsi jam ultimatè completo, quia ex S. Th. q. 84. a. 1. ultimum completum hujus Sacramenti est absolutio Sacerdotis: ergo. Secundò. Pars materialis est essentialis in quocunque composito, sed satisfactio non est essentialis Sacramento Pœnitentiæ: ergo nec est pars materialis. Tertiò. Si satisfactio esset pars intrinseca pœnitentiæ, tunc deberet esse ex opere operato remissiva pœnæ: sed non est, quando pœnitens illam exequitur in statu peccati: ergo. Quartò. Si satisfactio esset partialis materia Pœnitentiæ, deberet eidem respondere sua partialis forma, sic enim in sacra Ordinatione & Extrema Unctione cuilibet partiali materiæ respondet partialis forma: sed hoc non fit, cùm in Sacramento Pœnitentiæ non detur alia forma præter absolutionem.

Respondeo ad primum, negando majorem: cùm Sacramentum Pœnitentiæ, (uti & alia præter Eucharistiam) non sit Sacramentum permanens, ideoque non requirat partes simultaneè existentes. Ad probationem distinguo majorem: quod supervenit Sacramento ultimatè completo complemento tantùm formali, seu in genere causæ formalis, non est pars ipsius, nego; ultimo complemento tam formali quàm materiali, concedo. Sed quod est posterius absolutione sacramentali, supervenit Sacramento ultimatè completo complemento formali, seu in genere causæ formalis, concedo; in genere causæ materialis, nego minorem & consequentiam. Ad secundum nego majorem: nam in ipsis partibus materialibus dantur aliquæ tantùm integrales, aliæ simul essentiales, uti sunt partes viventis, quæ per augmentationem producuntur, & constitutionem essentialem viventis præsupponunt. Ad tertium distinguo majorem: deberet esse ex opere operato remissiva pœnæ per se, & nisi per accidens impediatur, concedo; in quibuscunque circumstantiis, nego; sic enim ipsa Sacramenta fictè & cum obice suscepta amittunt rationem practici signi gratiæ. Ad quartum nego sequelam. nam ex Christi institutione nobis per Ecclesiam indicata sufficienter constat, in hoc Sacramento unicam formam absolutionis cadere supra actus pœnitentis, eosque moraliter actuare, ac determinare ad rationem unius adæquati signi gratiæ: in aliis autem Sacramentis alia est Christi institutio.

Neque dicas: Verba, quibus minister imponit pœnitentiam seu satisfactionem, potiùs significant & determinant satisfactionem, quàm verba absolutionis: ergo illa potiùs habent rationem formæ per ordinem ad satisfactionem. Nam Resp. Magis determinant in ratione obligatoriæ, quatenus videlicet per illa pœnitenti manifestatur obligatio ad satisfaciendum, concedo; magis illam determinant in ratione sacramentalis, & expiatoriæ ex opere operato, quatenùs nempe accipiunt virtutem remittendi pœnam temporalem ex opere operato, sic nego. 12.

§. III.

Assignatur materia remota Pœnitentiæ.

CONCLUSIO. *Materia remota hujus Sacramenti sunt omnia & sola peccata personalia post Baptismum commissa* (2) *& materia necessaria quidem sunt peccata mortalia nondum subjecta clavibus* (3) *sufficiens autem & libera etiam peccata venialia, & mortalia jam confessa.* Ita communis cum S. D. a. 2. & Trid. sess. 14. c. 5. & 7. 13.

Ratio primæ partis est: Illa est & dicitur materia remota alicujus Sacramenti, circa quam versatur materia proxima, & de qua verificatur forma Sacramenti: sed actus, pœnitentis dolor, confessio, satisfactio versantur circa peccata, & quidem personalia post Baptismum commissa, forma quoque absolutionis de iisdem verificatur: ergo. Minor probatur. Peccatum vel est originale, vel personale. Si personale, vel est commissum ante, aut post Baptisma: De originali

quip-

quippe alienâ voluntate commisso non datur dolor, accusatio, absolutio; de personali ante Baptismum commisso non datur & verificatur absolutio; hæc quippe est sententia judicialis ab habente jurisdictionem prolata supra subditum: sed peccata antè commissa non sunt peccata hominis Ecclesiæ subditi, in quam non nisi per Baptismum intratur: ergo supra peccata ante Baptismum commissa cadere, aut de iis verificari non potest forma absolutionis. Restat igitur, ut sola peccata hominis baptizati sint materia remota hujus Sacramenti, & quidem omnia, ut dicit, &c.

14. Probatur secunda pars conclusionis. Materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ sunt illa peccata, quæ extra hoc Sacramentum in re, vel voto susceptum dimitti non possunt: sed ita se habent peccata mortalia post Baptismum commissa, ut patet ex præced. art. ergo.

15. Probatur tertia pars. Materia sufficiens est, quæ, si subjiciatur clavibus, facit validum Sacramentum; libera est, quam nullo præcepto confiteri adstringimur, eaque aliis modis extra Sacramentum extingui potest. Atqui, venialia & mortalia jam semel ritè confessa si subjiciantur clavibus, fit validum Sacramentum: nam de iis verè possumus dolere, confiteri, absolvi, satisfacere. Rursus nullum extat præceptum divinum illa confitendi, hoc enim solùm est de iis, quibus homo simpliciter ligatur, & ab ingressu cœli excluditur: dantur quoque multa media extra Sacramentum venialia delendi, & pœnam mortalibus jam remissis debitam tollendi: ergo hæc peccata sunt materia sufficiens & libera hujus Sacramenti.

16. Dices primò. Pro novo Sacramento requiritur nova materia: sed peccata jam confessa non sunt nova materia: ergo ex illorum confessione non potest constitui novum Sacramentum, ac proinde non sunt materia sufficiens ad valorem hujus Sacramenti. Secundò. De iis peccatis non verificatur forma absolutionis, à quibus pœnitens jam est absolutus: sed jam est absolutus à peccatis ritè confessis: ergo.

Respondeo ad primum, distinguendo majorem: pro novo Sacramento requiriritur nova materia proxima, concedo; remota, nego. (quod maximè verum est, quando eadem materia potest sæpius objici diversis actibus, sicuti distinctis actibus contritionis & confessionis objici possunt eadem peccata,) sed peccata jam confessa non sunt nova materia, ut tantùm sint materia remota, concedo; proxima, nego minorem & consequentiam. Ad secundum nego Majorem, ut enim in seqq. speciatim dicemus, forma absolutionis verificatur de peccatis, sive per antecedentem absolutionem sacramentalem, sive contritionem remissis. Sensus enim formæ est: *Confero tibi gratiam, quantum est de se, remissivam tuorum peccatorum.*

§. IV.

Corollaria.

17. Inferes ex dictis primò. Peccatum fictionis in Baptismo, hoc est, peccatum, quod in ipsa susceptione Baptismi committitur, & ante ipsius consummationem non retractatur, ita ut exinde Baptismus quantumvis validè susceptus impediatur, ne suum effectum conferre possit, esse necessariam materiam Pœnitentiæ. Ratio est, quia omnia peccata mortalia hominis baptizati necessariò subjicienda sunt clavibus; sed illud peccatum fictionis est peccatum hominis baptizati: ergo. Minor probatur: Illud est peccatum hominis baptizati, quod est naturâ posterius ipsâ susceptione Baptismi: sed peccatum fictionis est naturâ posterius: quia licèt cum, vel in ipsa susceptione Baptismi inchoetur; continuatur tamen usque ad instans terminativum ipsius Baptismi, in quo verum est dicere, Baptismum transiisse & esse completum.

Confirmatur: Omne peccatum mortale aut per Baptismum aut per Pœnitentiam expiari debet: hæc quippe sola sunt Sacramenta mortuorum: sed istud peccatum Baptismo expiari non potest, cùm peccatum sit ipso natura posterius; ergo est expiandum per Pœnitentiæ Sacramentum.

Neque dicas: Hinc sequi, quod per Sacramentum Pœnitentiæ remittatur peccatum originale, & peccata personalia ante Baptismum commissa; si enim per Pœnitentiam tollitur peccatum fictionis, etiam necesse est tolli alia peccata mortalia, cùm unum sine altero remitti non possit: sed inter illa sunt peccatum originale & personalia ante Baptismum commissa: ergo etiam ista per Pœnitentiam deberent remitti. Nam Respondeo, negando sequelam; quia in eodem reali instanti, in quo per Sacramentum Pœnitentiæ remittitur peccatum fictionis, etiam Baptismus antea illicitè quidem, sed validè susceptus, remoto obice operatur suum effectum, & tollit tam originale quàm personalia peccata ante Baptismum commissa; ita ut eadem entitas gratiæ sanctificantis, quatenus remissiva fictionis, sit effectus Pœnitentiæ, & quatenus remissiva peccatorum antecedentium Baptismum, sit effectus Baptismi. Vide, quæ de hoc in Tract. de Baptismo pluribus dixi.

Inferes secundò. Neque intentionem pœnitentis, neque Ministri absolutionis, multò minùs ipsum Ministrum ejusque potestatem ordinis & jurisdictionis, intrinsecè ingredi constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ; hæc quippe omnia sunt solummodo conditiones extrinsecæ ex parte causæ efficientis requisitæ; unde illas Florentinum in Decr. Eugenii à partibus Sacramenti notanter distinxit, dicens: *Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Multò minùs peccata pœnitentis, eorumque prætеritio pertinet ad intrinsecam constitutionem, cùm ea solùm de causa sint materia remota Pœnitentiæ, quia sunt objecta, & connotata necessaria actuum pœnitentis. Vide, quæ de intentione Ministri in genere dixi in Tract. de Sacram. in gen. 18.

Inferes tertiò: Non minùs in Sacramento Pœnitentiæ, quàm aliis Sacramentis requiri hæc tria. Sacramentum tantùm, h. e. aliquid, quod 19.

quod tantùm significet gratiam, vel aliquem effectum Sacramenti, & non vicissim significetur; hoc enim est totum aggregatum ex actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis. Secundò: Rem Sacramenti, quæ tantùm significatur & non significat; hæc enim est gratia remissiva peccati tanquam effectus hujus Sacramenti; ac Tertiò rem & Sacramentum simul, quæ & significat & significatur; hæc enim ex mente S. D. hîc a. 1. ad 3. & in 4. d. 22. q. 2. a. 1. q. 2. est interior Pœnitentia seu Contritio, quæ partim significatur per exteriorem & sensibilem confessionem peccatoris, partim practicè significat gratiam remissivam peccati, quatenus ipsa quoque veluti compars ipsius Secramenti ad gratiæ remissivæ productionem concurrit.

20. Inferes quartò. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ secundùm varias appellationes modo principaliùs significet actus pœnitentis, modò formam absolutionis, ut antè adverti, propriè tamen in recto supponere nec pro solis actibus pœnitentis, nec pro sola absolutione Sacerdotis, sed pro utrisque; supponit quippe pro adæquato signo gratiæ sanantis & remissivæ peccatorum: sed adæquatum signum aggregatur simul ex actibus pœnitentis, & absolutionis Sacerdotis: ergo.

Inferes quintò. Sacramentum Pœnitentiæ duplici modo rectè definiri, primò metaphysicè, uti initio hujus disputationis, vel breviùs, quòd sit *Sacramentum reconciliationis judicialis.* Secundò physicè, quòd sit *exterior confessio peccatorum post Baptismum commissorum ab interno dolore proveniens, sub præscripta absolutionis forma.* Prior namque definitio partes metaphysicas genus nimirum in ly *Sacramentum*, & differentiam in ly *judicialis reconciliationis*; posterior verò physicas omnes partes Sacramenti complectitur. 21.

DISPUTATIO XLIII.

De forma Sacramenti Poenitentiæ, ad q. 84. a. 3.

SUpponimus ex definitione tum Florentini tum Tridentini sess. 4. c. 3. ad formam Sacramenti Pœnitentiæ juxta institutionem Christi non minùs requiri verba formalia, quàm ad formam Baptismi: dicit enim: Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, &c. unde tantùm inquirimus primò, in quibus verbis salvetur essentia formæ absolutionis. Secundò, quænam sit eorum significatio & effectus: quomodo verò sit à Sacerdote impertienda, infrà commodiùs referemus, ubi tum de dispositione pœnitentis, tum de obligatione Ministri agetur.

ARTICULUS I.

In quibus verbis essentialiter consistat forma absolutionis?

SUMMARIA.

1. *Variæ opiniones DD.*
2. *Verba* absolvo te *sunt forma essentialia.*
3. *Solùm* absolvo *non sufficit.*
4. *Neque circumstantia personæ satis determinat significationem formæ.*
5. *Invocatio SS. Trinitatis non est de valore formæ.*
6. *Disparitas de Baptismo.*
7. *Accidentarium est formæ* Tò *Ego.*
8. *Illa*, à peccatis tuis, *sunt de præcepto.*
9. *Superfluum est* Tò omnibus.
10. *Effectus Sacramenti confertur in instanti terminativo verborum*: Absolvo Te.
11. *Nulla est absolutio data sub conditione de futuro.*
12. *Verba absolutionis non debent esse deprecativa.*
13. *Probabiliter valet hæc forma:* Absolvat te Deus.
14. *Variæ objectiones ponuntur.*
15. *Disparitas à Sacramento Extremæ Unctionis.*
16. *Disparitas de judicio humano.*

§. I.

Determinantur verba essentialia formæ.

FOrma absolutionis ab Ecclesia Latina usurpata profertur his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quam præcedunt illæ duæ orationes: *Misereatur tui* &c. & *Indulgentiam, absolutionem* &c. subsequitur illa: *Passio D. N.* &c. De hisce precibus certum est, illas non pertinere ad essentiam formæ ex præfatis Conciliis. Solùm ergo dubitatur de verbis in ipsa forma absolutionis inclusis, quænam sint, vel non sint de essentia & valore Sacramenti, dum Aureolus & Durandus apud Amic. disp. 11. sc. 1. n. 5. existimant præter illa verba: *Ego te absolvo*, necessariam esse aliquam expressionem Deitatis, sicut in forma Baptismi & Confirmationis. Aliqui quatuor verba requirunt: *Absolvo te à peccatis tuis*, ut Gabriel, & Angelus v. Confessio. Paludanus hæc tria 1. *Absol-*

Absolvo te à peccatis. Arriaga disp. 49. s. 4. n. 23. probabile existimat sufficere hoc unum: *absolvo.* D. Th. hîc a. 3. cum communi affirmat, sufficere hæc sola duo: *Absolvo Te.* Cum quo sit

2\. CONCLUSIO. *Hæc sola duo verba seu voces: Absolvo Te, vel eorundem synonyma & æquivalentia constituunt essentialem formam hujus Sacramenti.*

Probatur primò authoritate Conciliorum: è quibus institutio Christi nobis innotescit; hæc autem tantùm istarum vocum faciunt expressam mentionem. Nec refert, quòd Concilia adjunxerint particulam & cætera, quasi reliqua etiam verba deberent pertinere ad essentiam: hæc enim ideo addunt, vel quia volunt abstrahere ab hac Theologorũ controversia; vel quia volunt significare, etiã alia verba sequentia ex consuetudine & præcepto Ecclesiæ esse addenda essentialibus.

Probatur secundò ratione. In iis solis verbis tota formæ continetur essentia, quæ sola primarium Pœnitentiæ effectum adæquatè sufficienter significant: sed hæc sola verba, *absolvo te*, principalem Pœnitentiæ, effectum adæquatè & sufficienter significant: ergo. Minor probatur: Principalis effectus Pœnitentiæ est remissio peccatorum: sed hæc sola verba in debitis circumstantiis prolata sufficienter significant remissionem peccatorum: quamvis enim hæc verba absolutè considerata sint indifferentia, ut possint significare absolutionem à pœna, censura, vel peccato, tamen supposità præsentià & prævià accusatione pœnitentis sufficienter determinantur, ut cuiuslibet prudentis existimatione absolutionem à peccatis significent.

§. II.
Corollaria.

3\. Deduces primò. Solum verbum *Absolvo* omissa expressione personæ absolvendæ non sufficere ad valorem formæ. Ratio potissima est Christi institutio significata in Conciliis & perpetua Ecclesiæ traditione. Præterea non est major ratio, cur in generatione spirituali per Baptismum debeat exprimi distinctio inter generantem & genitum, baptizantem & baptizatum, quàm in judicio pœnitentiali debeat exprimi distinctio inter judicem & reum: sed ibi requiritur distinctionis expressio, ut suo loco ostensum: ergo & hîc. Formæ quoque Sacramentorum debent significare & exprimere actionem sacramentalem quatenus exercitam in individuo: sed ut sic actio est applicata determinato subjecto: ergo debent illam quatenus determinato subjecto applicatam significare & exprimere: quod non fit absque expressione personæ.

4\. Dices: Hæ voces, *Absolvo te*, per circumstantiam personæ præcisè se accusantis sufficienter determinantur ut significent potiùs absolutionem à peccatis, quàm censuris. Ergo etiam per eandem circumstantiam hæc vox *Absolvo* sufficienter determinatur ad significandam absolutionem istius potiùs, quàm alterius personæ.

Respondeo negando consequentiam: quia ex traditione perpetuâ Ecclesiæ & paritate Baptismi constat, Christum ita hæc Sacramenta instituisse, ut personam recipientis Sacramentum, non tantùm per circumstantias, sed per vocabulum ex sua impositione ad talem personam significandam determinatum voluerit exprimi.

5\. Deduces secundò. Invocationem Sanctissimæ Trinitatis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* non esse de valore formæ: tum quòd in institutione hujus Sacramenti Christus nullam fecerit mentionem Sanctissimæ Trinitatis; tum quòd ante istorum verborum prolationem adæquata significatio Sacramenti sit sufficienter completa. Nec desunt, qui cum Gonet hîc q. 84. a. 3. ad 3. probabile dicant; nullum etiam veniale peccatum committi in istarum vocum omissione; siquidem S. D. hîc a. 3. ad 3. dicit: relinqui invocationem Trinitatis arbitrio Sacerdotis: ubi tamen rectè monet Reverendissimus D. Maurus Oberascher de sacr. pœnit. c. 2. §. 4. in praxi ratione scandali, quod inde oriri posset, nullatenus esse omittendam.

Dices. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis est essentialis in forma Baptismi & Confirmationis. Ergo etiam in forma absolutionis. Respondeo, disparitatem esse, quod per Sacramenta Baptismi & Confirmationis homo specialiter ordinatur ad profitendam fidem, quod non fit in Sacramento Pœnitentiæ. 6.

Deduces tertiò: ly *ego* esse penitùs accidentarium huic formæ: Siquidem prima persona absolutionis in ipso verbo *Absolvo* sufficienter exprimitur, ut patet ex paritate Baptismi. Nec refert, quod Concilia etiam hujus particulæ faciant mentionem: solummodo enim indicant, in forma Sacramenti indicari debere personam Ministri, prout de Baptismo dictum. 7.

Deduces quartò, Illas particulas *à peccatis tuis* non quidem esse de valore formæ; esse tamen de præcepto, nec sine gravi peccato omitti posse. Ratio primæ partis est primò: quia ex subjecta materia & circumstantiis jam sufficienter determinatur forma ad significandam remissionem peccatorum. Secundò: Quia neque in judiciis humanis sententia judicis necessariò exprimit materiam judicii. Tertiò: quia nec alia omnia Sacramenta explicitè exprimunt materiam remotam. Ratio secundæ partis est: quia non licet aliquid omittere in administratione Sacramentorum, de cujus necessitate ad valorem Sacramenti est controversia inter Authores: sed est saltem aliquale dubium, an illa verba *à peccatis tuis* pertineant ad valorem formæ, quamvis utique probabilius sit non pertinere. Ergo. 8.

Deduces quintò: ly *omnibus*, quod ex libris quibusdam formam absolutionis referentibus Confessarii non rarò addunt, dicentes: *Te absolvo ab omnibus peccatis tuis*, non esse necessarium, siquidem in Rituali Romano jussu Pauli V. edito atque in nostro Salisburgensi omissum est. Imò graves quidam DD. nostri Clariss. Antecessores in hac Cathedra Maurus & Desiderius in suis Tractatibus de Pœnitentia rectè monent, illud incongruè addi: quia ly *omnibus* propter suam amplitudinem etiam se extendit ad venialia; de quibus tamen omnibus pœnitens non semper absolvitur; quòd si tamen intelligatur de mortalibus, tunc inprimis est superfluum, cum nemo possit ab uno peccati mortali absolvi, quin absol- 9.

vatur ab omnibus: Deinde si quis simul confiteretur mortalia & venialia, non haberet satis amplam significationem.

10. Deduces sextò. Gratiam Sacramenti istius statim conferri in instanti terminativo & perfectivo, in quo complentur illa verba: *Te absolvo*; quia tunc Sacramenta conferunt suum effectum, quando completur adæquata significatio ipsorum: sed ista completur in instanti terminativo istorum verborum; ergo. Unde falsò sibi persuadet Amicus hîc d. 11. se. 1. n. 17. per intentionem ministri differri posse effectum hujus Sacramenti non tantùm usque in finem istorum verborum *à peccatis tuis*, sed etiam cæterorum: non enim intentio Sacerdotis mutare potest institutionem Christi; sed institutio Christi est, ut Sacramenta operentur effectum, quàm primùm completur illorum significatio, quam post illa verba *Te absolvo*, compleri probavimus: ergo privata intentio ministri non potest facere, ut hujus Sacramenti effectus suspendi debeat usque ad finem cæterorum verborum; quemadmodum neque Sacerdos Græcus erroneè existimans, ad validam consecrationem Eucharistiæ in forma panis pertinere illa verba, *quod pro vobis traditur*, non potest facere suâ privatâ intentione, ut consecratio Corporis Christi differatur usque in finem illorum verborum.

11. Deduces septimò. Nullam esse absolutionem datam sub conditione de futuro, v. g. *si restitueris, si te emendaveris*; quia est contra naturam Sacramenti efficaciter operativi, ut suspendat suum effectum producendum, quo tempore non existit; potest tamen aliquando ex rationabili causa absolutio habere oppositam conditionem de præsenti, ut si dubium sit de dispositione pœnitentis v. g. in puero, *si habes sufficientem dolorem de peccatis*, de moribundo, *si es dispositus, te absolvo &c.* Vide, quæ dixi in tr. de sacr. in genere.

12. Deduces octavò. Verba absolutionis non debere proferri modo deprecatorio, sed authoritativo, quod fit indicativo vel imperativo modo. Probatur primò ex Trid. sess. 14. c. 6. Absolutio Sacerdotis est actus judicialis; quo Sacerdos profert sententiam judiciariam: sed sententia judiciaria, ut patet etiam in humanis judiciis, profertur authoritativè & non deprecativè: ergo etiam absolutio Sacerdotis est tali modo proferenda. Secundò, ut argumentatur S. D. op. 22. Christus in institutione hujus Sacramenti non dixit, *quorum peccata remitti petieritis*, sed *remiseritis, remissa sunt*, ut significaret, Sacerdotis in hoc Sacramento munus esse, non deprecari, ut peccata remittantur, sed illa traditâ sibi potestate authoritativè remittere. Tertiò. Verba deprecativa non significarent effectum Sacramenti, h. e. infallibilem remissionem peccatorum, quatenus à se causandam, quia pro quo aliquis rogat, illud ipse non confert infallibiliter: ergo non sufficiunt ad valorem Sacramenti. Quartò. Pœnitens posset esse absolutus à peccatis & habere effectū Sacramenti, priusquam pronnnciata esset forma absolutionis: quia priusquam verba absolutionis proferantur, fundit preces pro tribuenda pœnitenti remissione peccatorum per illa verba: *Misereatur tui &c. Indulgentiam &c.*

Deduces nonò. probabiliter validam esse hanc formam absolutionis: *Absolvat te Deus*, quia potest habere sensum imperativum, in quo Sacerdos exprimat voluntatē ex potestate sibi traditâ determinandi Deum ad restituendam homini gratiam remissivam peccati. Item hanc formam *absolvaris*, vel *Petrus absolvitur*. Nam ex tali forma conjuncta cùm accusatione Petri sufficienter videtur significari persona absolutionis, sicuti hæc forma Græcorum *baptizatur servus Christi*, conjuncta cum physica ablutione baptizantis sufficienter exprimit personam baptizantis: & si Judex accusato coram se Petro diceret: *Reus es mortis*: vel *liber es à reatu*, nulli dubium foret, hanc esse sententiam à judice prolatam. 13.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. In Sacramento Extremæ Unctionis, quo tolluntur reliquiæ peccatorum adhibentur verba deprecatoria, cur non etiam in Sacramento Pœnitentiæ? Secundò Ecclesia Orientalis utitur forma deprecatoria in hoc Sacramento. Et tertiò D. Leo M. ep. 99. relatus in *can. multiplex; de Pœnitentia d. 1.* dicit, *indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum obtineri non posse.* Quartò absolutio ab excommunicatione non est adstricta determinato modo verborum: ergo nec absolutio à peccatis. Quintò. Quamvis Apostoli à Christo acceperint potestatem sanandi infirmos, tamen ad patranda miracula quandoque utebantur deprecatione: ergo quamvis acciperent à Christo potestatem absolvendi, tamen potuerunt uti verbis deprecatoriis. 14.

Respondeo ad primum. Formam Extremæ Unctionis esse institutam per modum orationis, ut patet ex verbis Jacobi c. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum*, non item formam Pœnitentiæ. Ratio congruentiæ est, quòd in illo Sacramento etiam corporis petatur salus, quæ cùm non semper expediat, nec proinde infallibiliter confertur, idcirco deprecatio adhibetur: at verò in Sacramento Pœnitentiæ remissio peccatorum per actum & sententiam judicialem confertur. 15.

Ad secundum respondet Contensonus, falsò hoc ab Adversariis Græcæ Ecclesiæ imponi, & complures formas ex Arcudio & Guare refert, quæ omnes cum Latina in authoritativo absolvendi modo conveniunt, & Ecclesiastici Græci passim eâ formâ utuntur: *Habeo te solutum*, vel *veniâ donatum*, quod in Græco idiomate idem sonat, ac absolvo te, condono tibi peccata.

Ad tertium respondeo. Pœnitentiæ Sacramentum subinde à SS. PP. *supplicationes* appellari non à forma, sed circumstantiis, eo quòd semper à sacerdotibus preces aliquæ ante vel post absolutionem pro pœnitente fundantur, sicut etiam Eucharistiæ mysterium gratiarum actionem, & divini Numinis invocationem quandoque appellant, & ipsum hoc Sacramentum aliquando manuum impositio à simili ad idem tali ritu fuit nominatum. Mens certè D. Leonis abundè constat ex hom. de Transfig. ubi inter alia: *Nec in solvendis & ligandis quorumcunque causis aliud ratum esset in cælis, quam quod Petri sedisset arbitrio.*

Ad quartum disparitas est, quòd judicialis absolutio ab excommunicatione determinationem accipere possit ab homine & judicis intentione: nec refert, quibus verbis aliquis intentionem suam explicet; sacramentalis autem absolutio accipit determinationem ex institutione Christi.

Ad quintum respondeo. Apostolos non accepisse a Christo potestatem authoritativam & habitualem patrandi miracula, quâ possent uti, quoties vellent; bene autem accepisse habitualem & authoritativam potestatem, tametsi instrumentariam & ministerialem absolvendi à peccatis; ideo patrando miracula utebantur (non tamen semper, cùm aliquando etiam ex potestate illa operarentur, ut cùm Petrus dixit, surge & ambula) aliquando deprecatione.

ARTICULUS II.

Quem sensum habeant verba absolutionis?

SUMMARIA.

1. *Status difficultatis exponitur.*
2. *Sententia Magistri confutatur.*
3. *Reprobatur sententia Nominalium.*
4. *Rejicitur sententia Victorini.*
5. *Refutatur sententia Alexandri Alensis.*
6. *Expositio Medinæ rejicitur.*
7. *Oppugnatur doctrina Cajetani.*
8. *Responsio Coninck improbatur.*
9. *Exponitur sensus verborum absolutionis.*
10. *Respondetur ad rationem dubitandi.*
11. *Duplex instantia depellitur.*

§. I.

Variæ opiniones relatæ refutantur.

1. RAtio dubitandi est, quòd, cùm Sacramenta sint signa practica & efficacia, debeant efficere, quod significant: Verba verò absolutionis non videntur semper efficere quod significant: quia significant absolutionem à peccatis: sed sæpe poenitens non absolvitur à peccatis per sacramentalem absolutionem; quoties nimirum per præviam contritionem ipsi peccata sive mortalia sive venialia fuerunt remissa, priusquam absolutionem receperit. Unde difficultas est in salvanda veritate & sensu verborum absolutionis; & magna est varietas opinionum.

2. Respondet & docet primò Magister sent. in 4. d. 18. sensum verborum esse: *Ego declaro, tua peccata esse remissa* sed contra est primò expressa definitio Tridentini sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata, anathema sit.* Secundò ex verbis Christi & eod. Trid. c. 3. Res & effectus Sacramenti est reconciliatio cum Deo, ergo non declaratio reconciliationis, quæ est naturâ posterior. Neque tertiò judicis sententia est declaratio rei judicatæ: nec quartò quisquam bene declarat, quod sibi non constat: non constat autem Confessario remissa esse peccata, nisi ipse remittat.

3. Respondet & dicit secundò Marsiliensis cum Nominalibus sensum esse, *absolvo & libero te ab obligatione tua peccata denuo confitendo.* Sed & hoc falsum est: quia potestas clavium, quæ consistit in potestate remittendi peccata, hac ratione penitùs evacuaretur. Secundò, quia potest sacramentaliter absolvi, qui habet sola venialia, nec proinde obligatus est peccata subjicere clavibus. Tertiò, quia non minor efficacia inest Sacramento in re, quàm in voto: sed Sacramentum in voto liberat verè hominem à peccatis: ergo etiam Sacramentum in re.

Respondet tertiò, & dicit Hugo de S. Vict. Sensum esse, *remitto tibi pœnam æternam.* Sed contra est primò, quòd Sacerdos absolvit à peccatis: sed poena non est peccatum. Secundò, quòd poena præsupponat remissionem culpæ, & cum remissione peccati etiam remittatur pœna æterna. Tertiò, quòd in confessione solorum venialium nullus sit reatus poenæ æternæ. 4.

Respondet quartò Alensis, sensum esse; *Remitto tibi pœnam temporalem peccatis tuis debitam.* Sed contra est primò, quòd etiam poena temporalis non sit culpa, ejusque remissionem præsupponat. Secundò, quòd contritio præcedens possit esse tanta, ut per ipsam omnis quoque poena temporalis remittatur. 5.

Respondet quintò Medina, significari; *Aperio tibi januam regni cœlestis.* Sed contra est primò: quòd nihil aliud sit aperire januam regni coelestis, quàm remittere poenam æternam. Secundò, quòd habenti mera venialia vel per præviam contritionem justificato non est occlusa janua cœli, de quo tamen verificari debet forma absolutionis. 6.

Respondet sextò Cajetanus to. 1. opusc. tr. 5. q. 4. ad 2. In casu quo quis confitetur peccata jam confessa vel remissa, significari per absolutionem, *ablationem reliquiarum peccati*, quales sunt pravæ inclinationes ex culpa relictæ. Sed contra est primò, quòd istæ reliquiæ non sint peccata; unde falsa redderentur verba absolutionis. Secundò, quòd istæ inclinationes sæpe remaneant post absolutionem, & remissionem tam culpæ, quàm pœnæ, & quandoque prosint ad majus meritum. 7.

Respondet septimò Coninck d. 4. dub. 8. n. 1. & seqq. significari vago modo liberationem à qualicunque vinculo peccati, sive culpæ, sive pœnæ, sive obligationem confitendi, sive indignitatis ad accipienda Dei beneficia. Sed contra est: quòd possit contingere, ut absolutio de nullo mem- 8.

membro in disjunctione posito verificetur: quando nimirum pœnitens tam est perfectè dispositus, ut non modò omnis culpa & pœna, sed etiam qualiscunque indignitas à peccato causata ante Sacerdotis absolutionem auferatur: neque enim major ratio est de tali indignitate, quàm de ipsa culpa. Sit ergo

§. II.

Resolutio difficultatis.

9\. CONCLUSIO. *Sensus & significatio absolutionis sacerdotalis est: Confero tibi hac judiciali sententia, quantum est ex me, gratiam per se remissivam peccatorum a te commissorum.* Quòd concidit illa S. D. hîc ad 5. *Ego tibi, quantum est ex me, Sacramentum absolutionis* (hoc est, Sacramentum collativum gratiæ reconciliativæ) *impendo.* Ita communior DD. & nostrorum Salisburgensium.

Et probatur primò inductione seu refutatione aliarum explicationum: vel enim sensus esset quòd per absolutionem sacerdotalem conferatur actualis liberatio à peccatis, vel esset alius sensus ex primùm enumeratis: sed non significatur actualis liberatio, quæ sæpissimè jam facta supponitur, nec aliud ex enumeratis: ergo.

Probatur secundò. Illa est verus sensus absolutionis, quo & significatur & efficitur primarius effectus Sacramenti: sed iste significatur & efficitur modo exposito in conclusione: ergo. Minor probatur: Sicut Sacramenti in genere primarius effectus significativus est gratia sanctificans, ita specificus cujusque Sacramenti est eadem gratia, quatenùs ex institutione Christi determinata ad certum finem: & quidem in Sacramento Pœnitentiæ gratia est determinata ad remissionem peccatorum commissorum post Baptismum: sed hæc & significatur & efficitur per absolutionem: ergo sensus absolutionis est conferre gratiam per se ex fine specifico remissivam peccatorum: nec opus est, ut significet actualem, sed radicalem reconciliationem & remissionem peccatorum, videlicet contentam in virtute gratiæ sanctificantis ad hunc finem specialiter ordinatæ.

Confirmatur. Forma Baptismi, quæ est: *Baptizo Te,* in subjecto jam antea per contritionem justificato verificatur per hunc sensum: *Confero tibi gratiam de se regenerativam,* quamvis tunc actu non regeneret: ergo etiam per similem sensum verificatur forma absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ.

Ex dictis patet responsio ad rationem dubitandi: Sacramentum Pœnitentiæ significat absolutionem à peccatis formalem vel radicalem, hoc est gratiam ex se remissivam peccati, concedo; tantùm formalem, hoc est, actualem semper remissionem peccati, nego &c. Ita semper verificatur forma absolutionis, sive peccata confessa jam sint antecedenter remissa, sive non sint; quia semper verificatur, produci gratiam per se seu ex institutione Sacramenti remissivam istorum peccatorum: quamvis actualem peccati remissionem hîc & nunc per accidens non conferat. Sed 10.

Dices: Sequeretur hinc primò. Posse quempiam absolvi à peccatis merè dubiis, quia adhuc verificaretur produci formam ex se remissivam talium peccatorum, quamvis per accidens, & ex hypothesi, quòd commissa non sint, illa peccata non remittantur. Secundò, quòd Sacramentum matrimonii validè contractum posset iterari circa eosdem contrahentes per novum consensum super eadem corpora, sicuti potest iterari Sacramentum Pœnitentiæ per repetitam confessionem & absolutionem super eadem peccata, quorum utrumque est absurdum. 11.

Respondeo negando utramque sequelam: & ad primam Resp. defectum esse, quòd de peccatis non detur certus & absolutus dolor, confessio, & absolutio; debet autem materia proxima Pœnitentiæ esse absoluta & certa, ut sit capax formæ absolutionis gratiam absolutè remissivam significantis. Ad secundam respondeo. Materiam proximam matrimonii non esse iterabilem, quia est traditio mutua corporum in perpetuum: materia verò Pœnitentiæ proxima est suapte natura iterabilis, quia est dolor & confessio, quæ de eodem peccato centies iterari possunt.

DISPUTATIO XLIV.

De contritione & attritione generatim ad 1. q. suppl. D. Th.

1\. PRima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ est dolor de peccatis, qui contritio dicitur, eò quòd per illum cor pectoris antea obduratum, quodammodo discindatur & resolvatur ad recipiendas divinorum instinctuum & præceptorum impressiones, quemadmodum materia dura & solida per contritionem materialem comminuitur & resolvitur in exiguas partes. Cujus metaphoræ fundamentum præbet S. textus Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Joël. 2. *Scindite corda vestra &c.* Hæc contritio generatim sumpta dividitur in perfectam & imperfectam. Perfecta antonomasticè & specificè contritio dicitur; imperfecta verò attritio nominatur. Hâc disputatione primùm contritionem genericè, sequenti specificè

ficè acceptam, tandem etiam attritionem tam seorsim, quàm intra Sacramentum considerabimus.

ARTICULUS I.

Quid sit contritio genericè sumpta?

2. Contritio generatim accepta definitur à Tridentino sess. 24. c. 4. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*: Ubi cùm trium distinctorum actuum fiat mentio, detestationis, doloris, & propositi, oritur quæstio, &

§. I.

In quonam actu formaliter consistat contritio?

3. Non consistere formaliter contritionem in actu propositi, sive seorsim, sive conjunctim cum cæteris actibus accepto, facilè consentiunt DD. Siquidem ille actus videtur per modum proprietatis primùm consequi dolorem efficacem de peccatis, ideoque in definitione Tridentini tantùm importatur in obliquo, nec semper homini converso in Deum occurrit recordatio vitæ præteritæ, sine qua non est formale propositum. De cæteris duobus actibus major est difficultas. Et inprimis Coninck tr. de pœn. D. 1. dub. 2. Lugo hîc D. 4. n. 6. ex nostris meisque Colendissimis Professoribus Christ. Rassler in tr. de pœn. c. 4. §. 1. August. Reding. in M. S. docent consistere in utroque actu, detestatione videlicet & dolore de peccatis. Cajetanus, Suarez, Ysambertus, Sangallenses volunt consistere in sola detestatione seu odio peccati, dolore per modum passionis connaturaliter consequente. Gonett, Labat, & ex nostris Doctoribus Clarissimi Antecessores Maurus Oberascher & Desiderius Schapperger, Magnif. quoque P. Gregorius in suis Tract. de pœnit. docent consistere in solo dolore de peccatis, ita ut detestatio peccati tantùm præsuppositivè connotetur & importetur. Cum quibus sit

4. CONCLUSIO. *Essentia contritionis non consistit in aggregato ex detestatione & dolore*; (2) *neque in sola detestatione*; *sed* (3) *in dolore de peccatis commissis.*

5. Prima pars probatur: Actus primarius alicujus virtutis non est aggregatum ex pluribus, sed unus simplex actus: sed contritio est actus primarius virtutis Pœnitentiæ; ergo non potest aggregari ex pluribus, sed est unus simplex actus. Minor est D. Th. à nobis superiùs abundè probata. Major probatur: quando virtus specificata est una simplex qualitas, etiam specificativum debet esse simplex: sed virtus Poenitentiæ specificatur ab actu contritionis: ergo, cùm ipsa sit una simplex qualitas, etiam contritio eidem tribuens specificam unitatem debet esse una & simplex qualitas in genere dispositionis, sicut ipsa est talis in genere habitûs.

Probatur secundò. Essentia beatitudinis non consistit formaliter in aggregato ex visione & amore fruitivo: ergo nec essentia contritionis in aggregato ex detestatione & dolore. Consequentia probatur: eò quòd inter actum visionis & amoris detur ordo prioris & posterioris, ideo non possunt concurrere ad constituendam indivisibilem essentiam beatitudinis: ergo cùm similiter detur ordo prioris & posterioris inter detestationem & dolorem (nam detestatio rectè infertur ex dolore, tanquam aliquid necessariò præsuppositum & radix ex suo radicato) ideo non potest ex utrisque simul indivisibilis essentia contritionis conflari.

Secunda pars probatur inprimis exinde, quòd 6. odium & detestatio peccati locum habere possit, ubi locum non habet contritio & actus primarius: ergo contritio ceu actus primarius Poenitentiæ non potest formaliter consistere in odio & detestatione peccati. Antecedens probatur: nam detestationem & odium peccati habent etiam Sancti in Cœlo, Beatissima Virgo, imò Christus ipse; nec tamen in ipsis reperitur contritio vel actus primarius Poenitentiæ. Neque satisfacis dicendo, quòd illa solùm detestatio peccati sit actus Poenitentiæ, ex qua sequitur aut sequi potest dolor de peccato: si enim essentia contritionis in detestatione reperitur, jam priùs naturâ quàm dolor sequatur, contritio reperitur, adeòque sive ille dolor sequatur, sive non, essentia contritionis subsistit: sicuti non minùs est vera gratia in Christo, quàm aliis hominibus, quamvis ex ipsius gratia, fides, spes, & Poenitentia non emanent. Deinde ulteriùs tam ista, quàm

Tertia pars probatur primò ex omnibus Scri- 7. pturæ testimoniis, in quibus contritio & actus Poenitentiæ appellatur *gemitus* ut Ps. 6. *Spiritus contribulatus*. Ps. 50. *Tribulatio cordis*. Ps. 33. *Scissio & compunctio cordis*. Ioel. 2. *Amaritudo animæ*. Is. 38. *Tristitia secundùm Deum*. 2. Cor. 7. quæ omnia loca non meram peccati detestationem, sed animi dolorem significant.

Probatur secundò authoritate D. Th. & SS. PP. quos superiùs retuli. Nam S. Doctor hîc q. 85. a. 1. in c. dicit, quòd *pœnitere est de aliquo à se priùs facto dolere*; & inde probat, quòd Poenitentia sit virtus, quia est *secundùm rectam rationem, ut Pœnitens assumat moderatum dolorem de*

de peccatis præteritis. Et hic in suppl. q. 1. a. 1. definit actualem pœnitentiam, seu contritionem in genere, quòd sit *dolor voluntarius pro peccato, puniens in se, quod dolet commisisse.* D. Ambros. serm. 1. quadragesimæ: Pœnitentia vera est *dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit.* D. Gregorius à S. Doctore citatus dicit: *Pœnitere est peccata præterita plangere*, &c. quæ sanè de detestatione peccati verificari non possunt, nisi velis admittere, quòd in Beatis detur dolor, tristitia &c.

8. Probatur tertiò. In illo actu consistit essentia contritionis, in quo relucet honestas specifica virtutis pœnitentiæ: sed ista relucet in solo dolore: ergo. Major inde constat, quòd eadem debeat esse honestas in actu primario virtutis, quæ competit ipsi virtuti; virtus quippe ab actu primario specificatur: sed contritio est actus primarius virtutis pœnitentiæ: ergo. Minor probatur: specifica honestas pœnitentiæ est honestas compensationis seu satisfactionis pro injuria DEO per peccatum irrogata: sed ista honestas reperitur in solo dolore, quo quis se ipsum internè affligit & coram DEO humiliat: nam sicuti homo peccando ex inordinato amore proprii commodi DEO intentativè honorem abstulit, ideoque injuriam intulit, sic in se ipsum humiliationem sui & quandam tristitiam voluntariè suscipiendo DEO satisfacit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

9. Dices primò: Essentia rei consistit in eo, quod primò est & intelligitur tanquam radix cæterorum: sed quod primum in contritione intelligitur & radix aliorum, est detestatio peccati, quippe ex qua oritur ipse dolor: ergo.

Secundò: In illo consistit essentia contritionis, quod per se primò peccato opponitur: sed huic per se primò opponitur odium & detestatio peccati: ergo.

Tertiò: Si DEUS per suspensionem sui concursûs impediret, ne dolor emanaret ex efficaci detestatione propter DEUM amatum super omnia, tamen etiam in illo priori per solam detestationem peccati homo consequeretur remissionem ipsius: ergo essentia contritionis salvatur in solo actu detestationis.

Quartò: Illud est essentia contritionis, quod in definitione contritionis ponitur in recto: sed in definitione contritionis à Tridentino tradita non minùs detestatio peccati quàm dolor de ipso in recto ponitur: ergo non minùs detestatio peccati erit de essentia contritionis.

Quintò: Contritio, cùm sit meritoria, debet constare in actu formaliter libero, sed dolor de peccato non est actus liber formaliter; quia necessariò sequitur ex efficaci detestatione peccati, ac proinde omnem suam honestatem ex illa derivat.

Respondeo ad primum: Essentia rei consistit in eo, quod primum intrinsecè in illa re intelligitur, concedo; primum extrinsecè, nego. Sed detestatio est, quæ in contritione primo intelligitur extrinsecè per modum essentialis prærequisiti, concedo; primùm intrinsecè per modum constitutivi, in quo reluceat honestas satisfactionis erga DEUM, nego minorem & consequentiam. 10.

Ad secundum nego majorem, neque enim essentia contritionis dicit primam oppositionem cum peccato, sed oppositionem destructivam ipsius per modum satisfactionis.

Ad tertium respondeo, quòd in illo casu non adesset formalis, sed virtualis contritio, quæ tunc esset sufficiens dispositio ad justificationem.

Ad quartum respondeo, majorem esse veram, si sit definitio purè essentialis; non si descriptiva, qualis est definitio contritionis à Tridentino tradita.

Ad quintum respondeo primò, idem argumentum solvendum esse Adversariis, cùm ipsum odium peccati necessariò consequatur ad efficacem amorem boni, cui peccatum opponitur. Respondeo secundò negando minorem. Nam supposita etiam detestatione peccati, sequitur primùm libera electio doloris tanquam destructivi & satisfactivi pro peccato. Adde, quòd etiamsi dolor necessariò sequeretur ad detestationem peccati; cùm tamen hæc necessitas tantùm foret consequens, & ex suppositione liberæ determinationis, nequaquam officeret libero virtuali sufficienti ad rationem meriti.

ARTICULUS II.

An & quale propositum requiratur ad efficacem dolorem?

SUMMARIA.

1. *Requiritur propositum non peccandi de cætero.*
2. *Quod licèt ordinariè sit formale, potest tamen per accidens esse virtuale.*
3. *SS. PP. loquentes de necessitate propositi bene explicantur vel de formali vel virtuali proposito.*
4. *Disparitas de dolore.*
5. *Propositum formale non includit dolorem virtualem.*
6. *Quid evincat praxis Confessariorum.*

§. I.

Determinatio quæstionis.

CONCLUSIO. *Ut dolor sit efficax ac proinde utilis ad remissionem peccatorum sive intra sive extra Sacramentum, necessarium est propositum non peccandi de cætero,* (2) *ordinariè quidem formale,* (3) *per accidens sive extraordinariè etiam virtuale.* Ita communiter DD.

Prima pars probatur primò authoritate S. Script. & Conciliorum. Nam Concilium tam

tam Florentinum quàm Tridentinum loc. cit. ad contritionem requirunt *propositum non peccandi de cætero.* S. Scriptura quoque insinuat mutandæ vitæ propositum. Is. 1. *Quiescite agere perversè, discite benefacere.* Et Ezech. 18. *Facite vobis cor novum*, &c.

Probatur secundò ratione: Motivum præsentis doloris vel ita determinat voluntatem pœnitentis, ut vi istius motivi respuat vel sit paratus respuere omne peccatum, quod se imposterum offerret, vel non est ita determinatus? Si primum, habet formale vel virtuale propositum non peccandi (hoc quippe aliud non est, quàm ejusmodi efficax determinatio voluntatis, per quam actu & formaliter diceret, se nolle peccare, si de hoc interrogaretur, vel memoriam haberet) Si secundum; non adest seria displicentia & efficax dolor de peccato, sed potiùs virtualis & interpretativa complacentia peccati.

Probatur tertiò. Actus virtutum, quæ à prudentia regulantur, ordinariè & regulariter habent adjunctam cautionem de futuris: sed contritio est actus virtutis à prudentia regulatæ: ergo regulariter habet adjunctam cautionem de futuris, quæ aliud esse non potest, quàm propositum non peccandi. Minor probatur: quia actus proprius prudentiæ tanquam virtutis consultativæ est cautio de futuris. Unde

2. Secunda & tertia pars conclusionis probatur: Eo tantùm casu sufficit ad conversionem peccatoris virtuale propositum, quando is impeditur, ne cogitet de vita vel peccatis futuris: sed hoc per accidens & in casu extraordinario contingit: nam regulariter loquendo extra Sacramentum quoties homo perfectè contritus cogitat de sui perfecta conversione in DEUM, toties juxta prudentiæ regulam etiam fert judicium de vita deinceps instituenda: ad dolorem verò intra Sacramentum Pœnitentiæ per se requiritur examen & distincta discussio peccatorum in ordine ad reconciliationem cum DEO ineundam, quæ rursus cùm à prudentia dirigatur, absque status futuri recordatione haberi vix possunt. Major verò probatur: Si quis cogitans de peccatis futuris non haberet propositum formale illa vitandi, non haberet efficacem detestationem peccati: ergo tunc solùm sufficit virtuale propositum, quando nihil cogitat de peccatis futuris. Antecedens probatur: Voluntas à motivo virtutis efficaciter determinata ad detestationem peccati tanquam mali oppositi est æquè determinata ad illud fugiendum sub ratione futuri, quando repræsentatur sub circumstantia futuri, quàm sit determinata ad illud fugiendum & odiendum sub ratione præteriti, quando repræsentatur sub ratione præteriti: quia malum sub circumstantia futuritionis est æquè idoneum terminare actum fugæ, quàm sub circumstantia præteritionis: ergo si voluntas efficaciter movetur ad detestanda peccata, quando repræsentantur præterita & commissa, per formalem actum doloris etiam moveri debet ad propositum illa vitandi, quando repræsentantur, ut in futurum committi possibilia; aliàs signum erit, dolorem non esse efficacem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Concilia & PP. non possunt intelligi de proposito virtuali: ergo explicandi sunt de proposito formali. Antecedens probatur: Si loquerentur de proposito implicito & virtuali, tunc secundùm ipsorum mentem contritio non majori necessitate requireret propositum non peccandi, quàm propositum jejunandi: nam contritio pœnitentem etiam reddit dispositum, ut vellet servare omnia & singula præcepta, si de ipsis cogitaret: sed hoc est inconveniens: ergo. 3.

Respondeo negando antecedens, & sequelam probationis: nam propositum jejunandi continetur in contritione solùm remotè & indirectè, quatenus est aliquid particulare contentum in universali proposito servandi omnia præcepta DEI; & propositum formale proximè continetur in contritione, tanquam in aliquo æquivalenti, & causa per se inductiva ad propositum formale non peccandi.

Objicies secundò: Concilia ad Sacramentum 4. Pœnitentiæ non minùs requirunt propositum non peccandi, quàm dolorem de peccatis: ergo sicuti in hoc Sacramento necessarius est dolor formalis; sic pariter necessarium erit propositum formale.

Respondeo negando consequentiam: nam Concilia loquuntur de dolore tanquam parte Sacramenti, de proposito verò tanquam de aliquo cōsequenti ad dolorē: constat autem compositū actu & formaliter existens constitui ex partibus actu & formaliter nō virtualiter existētibus.

Objicies tertiò: Dolor virtualis inclusus in 5. proposito formali non sufficit ad justificationem: ergo nec propositum virtuale inclusum in dolore formali sufficit ad justificationem.

Respondeo negando suppositum antecedentis, quòd propositum formale includat dolorem virtualem. Inquis: Ideo dolor formalis est propositum virtuale, quia pœnitentem facit dispositum, ut actu proponeret peccata, si de iis in futurum cogitaret: ergo similiter propositum formale est dolor virtualis, quia proponentem ita reddit dispositum, ut actu doleret de peccatis commissis, si illa in memoriam venirent.

Respondeo negando causalem consequentis; nam illa dispositio, quâ firmiter proponens non peccare, doleret de suis peccatis, si illorum recordaretur, non est intrinseca efficacia propositi, sed intentionis, quâ voluntas prosequitur suum motivum, quæ intentio præsupponitur ad actum propositi: econtra dispositio ad propositum non peccandi, convenit ex natura & efficacia doloris per prudentiam regulati.

Objicies quartò: Confessariorum hæc praxis 6. est, ut pœnitentes interrogent etiam de proposito formali, & ad illud hortentur: ergo propositum formale judicatur necessarium ad remissionem peccatorum intra Pœnitentiæ Sacramentum.

Respondeo distinguendo consequens: ergo propositum formale judicatur necessarium viâ ordi-

ordinariâ, per se & regulariter loquendo, concedo; in omni casu, nego. Nec tantùm propter necessitatem propositi formalis, sed ideo quoque pœnitentes à confessariis de proposito interrogantur; quia si habeant certitudinem de bono proposito pœnitentis, à posteriori certificantur etiam de sufficiente ipsorum dolore, de quo aliàs dubitare possent, præsertim in rudioribus ad intensiores actus doloris minùs assuetis, vel in illis, qui frequentius in eadem peccata reincidere solent.

ARTICULUS III.

Quale requiratur propositum vitandi proximas occasiones?

SUMMARIA.

1. *Quid sit occasio remota, vel proxima?*
2. *Necessarium est propositum vitandi occasiones proximas.*
3. *Nisi sit moralis impossibilitas relinquendi.*
4. *Non potest absolvi pœnitens nolens relinquere proximam occasionem peccandi, si potest.*
5. *Exceptio à priori regula, si pœnitens promittat adhibere certa media, quæ imminuent rationem proximæ occasionis.*
6. *Item si habeat moralem impossibilitatem.*
7. *Etiamsi sæpius relabatur.*
8. *Instantia de provisione damnationis æternæ depellitur.*
9. *Item paritas de porrectione veneni, è quo prævidetur secutura mors proximi.*

§. I.

Resolutio quæstionis.

1\. NOtandum. Causam vel occasionem peccandi aliam esse remotam, aliam proximam. Remota est, quæ etsi per accidens possit inducere, vel aliquando inducat in peccatum, frequentiùs tamen non inducit ad peccandum; de qua certum est, per se non esse gravem obligationem similem causam & occasionem evitandi, cùm omnes similes occasiones evitare moraliter non sit possibile. Occasio proxima est, quæ frequentiùs & plerumque talis conditionis hominem solet inducere ad peccandum. De qua sit

2\. CONCLUSIO. *Eâdem necessitate, quâ requiritur propositum vitandi peccata, etiam requiritur propositum vitandi occasiones proximas.* Ita communiter DD. Ratio est. Eodem præcepto, quo obligamur vitare peccatum, etiam obligamur vitare proximas causas & occasiones ipsius, quando adest moralis possibilitas illas evitandi: qui enim vult causam, etiam vult effectum, quem prævidet ex illa causa morali certitudine secuturum; ideoque Eccl. 3. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo*: ergo eodem præcepto & necessitate, quâ tenemur propositum formare non peccandi de cætero, etiam tenemur habere propositum vitandi occasiones proximas peccandi, neque haberet serium & efficax propositum non peccandi, qui proximas peccandi occasiones moraliter relinqui possibiles nollet relinquere.

3\. Dixi: *Moraliter relinqui possibiles*: quia si adsit moralis impotentia, ut si talem occasionem relinquendo grave damnum spirituale, vel corporale incurreres, jam non censereris talem occasionem sponte eligere, & ultrò te tali periculo ingerere; sed potiùs in illo invitus hærere; cùmque homini nunquam desint media & auxilia divina, quibuscum absolutè possit similes occasiones & tentationes inde emergentes superare, in tali casu adhuc posses habere efficax propositum non peccandi de cætero. Hinc

Inferes primò. Non posse à Confessario absolvi pœnitentem, qui non vult deserere proximam occasionem peccandi, quam potest absque suo gravi damno deserere, e. g. concubinarius, qui non vult relinquere fœminam, vel domum, in qua ferè semper peccavit &c. quod intellige non tantùm de proxima occasione peccandi in particulari & uno genere peccandi, sed etiam in communi: ut si habeas perversum socium, ex cujus consuetudine modò in hoc, modò in illud peccatum, modò in ebrietatem, modò in blasphemias, modò in carnalia peccata incidis. Unde non audiendum existimo Card. de Lugo cùm d. 14. se. 10. n. 151. dicit, absolvendum esse pœnitentem nolentem etiam sine suo gravi incommodo deserere proximam occasionem peccandi, si afferat extraordinarium dolorem & propositum emendationis: quia non videtur possibile & recto prudentiæ dictamini consentaneum, ut quis seriò & efficaciter doleat de peccatis, nec tamen velit se ipsum à tam magno peccandi periculo liberare, cùm facile possit; nec attendere ad Christi monitum: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Rectè D. Basil. constit. monast. c. 4. citatus à Dicastillo d. 6. dubit. 19. *Bellum, quod præter voluntatem incidens nobis excipere fortasse necessarium sit, ipsum verò aliquem sibi voluntarium creare, summa stultitia est.* 4.

Inferes secundò. Si tamen pœnitens in aliqua occasione sæpiùs vinci solitus præter insignem dolorem & propositum non ampliùs cadendi promittat adhibere certa media sese tuendi in simili occasione, quæ antea non adhibuit, v. g. quòd nolit loqui solus cum sola, non jocari, non diu confabulari cum illa, &c. talem sine obligatione deserendæ occasionis absolvi posse: tunc quippe de emendatione, & victoria tentationis prudenter sperari potest, neque præsumitur occasio talibus circumstantiis præmunita ampliùs esse proxima. 5.

Inferes tertiò. Cùm aliqua occasio proxima absque gravi scandalo, infamia, carentia necessariæ sustentationis, alteriúsve gravis damni 6.

cer-

certo periculo vitari nequit, pœnitentem aliàs habentem firmum propositum non peccandi ad eandem deserendam à Confessario cogi non posse, vel debere. Ita Suarez, Lugo, uterque Sanchez, aliique plurimi DD. Probari potest primò ex c. *consultationi*: *de frig. & malefic.* ubi S. Pontifex declaravit, duos, qui contraxerant matrimonium invalidum propter impedimentum impotentiæ & frigiditatis, posse tamen simul cohabitare, ut fratrem & sororem propter scandalum & infamiam, cum tamen periculum esset tactuum, aliorumque peccatorum.

Ratio est secundò. Tunc pœnitens ratione occasionis proximæ non est absolvendus, quando ex illa colligitur ipsum amare periculū peccandi, & propter interpretativam voluntatem peccati prævisi in causa, quam potest & tenetur vitare, prudenter judicatur destitutus serio proposito non peccandi: sed quando pœnitens habet impossibilitatem moralem deserendi proximam occasionem, qualis supponitur in prædicto casu, non potest hoc de ipso prudenter colligi & præsumi: ergo. Minor probatur: tum quia talis pœnitens non potest moraliter, nec proinde tenetur relinquere talem occasionem: tum quia, qui firmiter sperat divinum auxilium ad superandas tentationes, & habet paratam voluntatem relinquendi illas occasiones, si non sequeretur grave damnum, illi nihil deest, quo minùs possit habere serium propositum emendationis, nec ipse se conjicit in periculum peccandi, à quo detinetur invitus.

7. Inferes quartò. Hanc doctrinam procedere, quantumvis pœnitens in tali occasione semper relabatur & fiat recidivus: non enim est major ratio, cur semel, quàm cur semper possit absolvi? cùm supponatur semper æqualiter adesse occasio proxima & moralis impotentia illam relinquendi, & serium propositum emendationis. Pertinebit tamen ad officium Confessarii, prudenter judicare, an sit vera impotentia moralis, vel tantùm prætextus impotentiæ, sitne serium propositum & conatus emendationis, nec ne: qui si desit (uti deesse præsumi potest, quando in simuli occasione redit semper idem numerus peccatorum, non enim tam facile eorum obliviscimur, quæ firmo animi decreto proponimus, & ut Sen. *quidquid sibi imperavit animus, obtinuit*) aut deneganda, aut ad tempus differenda erit absolutio non ratione proximæ occasionis, sed propter defectum serii & efficacis propositi. Sed de his inferiùs plura.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Qui sciret per divinam revelationem, se ex ingressu talis domûs, retentione officii &c. esse damnandum, teneretur ex obligatione charitatis erga se ipsum omnino vitare ingressum illius domûs, retentionem officii &c. etiam cum gravissimo suo detrimento; quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur &c. ergo etiam, qui probabiliter scit se ex tali occasione peccaturum, debet inde abstinere omni damno temporali postposito; præsertim cùm culpa mortalis sit longè majus malum, quàm ipsa pœna æterna. 8.

Respondeo primò. Hinc nimium probari, nempe quòd etiam posthabito gravissimo damno temporali deberet vitari occasio proxima peccati venialis; cùm ista etiam culpa sit absolutè majus malum, quàm carentia beatificæ visionis, & quàm ipse ignis infernalis. Respondeo secundò, negando consequentiam. Nam in priori casu pœna æterna supponitur certa & inevitabilis; in secundo verò peccatum apprehenditur ut evitabile, cùm quis in ejusmodi necessitate constitutus meritò sperare debeat divina auxilia, quibus possit superare peccandi occasionem, & de proxima non proximam facere.

Objicies secundò. Peccat contra charitatem proximi, qui ipsi dat venenum, ex quo morali certitudine sequitur mors ipsius: ergo etiam peccat contra charitatem Dei & sui qui ponit occasionem, ex qua morali certitudine sequitur mors spiritualis propriæ animæ & gravis offensa Dei. 9.

Respondeo primò. Hinc iterum sequi, quòd teneremur cum gravi detrimento vitare, vel impedire occasionem peccati alieni, ut patet applicanti. Respondeo secundò. Quòd qui dat venenum, cooperatur positivè ad malum & damnum proximi, positivè autem cooperari nunquam licet, quamvis non semper sit obligatio ad impediendum malum proximi cum damno proprio; qui verò ponit occasionem peccati, quam sine gravi damno vitare non potest, non cooperatur positivè ad Dei vel proprium malum, eò quòd propter firmum propositum non peccandi & spem divinorum auxiliorum non sit tanta peccati cum occasione connexio.

DISPUTATIO XLV.

De contritione in specie.

Loquimur nunc de contritione, prout opponitur attritioni, & significat perfectum dolorem de peccatis, qui ad peccatorem justificandum extra Sacramentum sit sufficiens dispositio. Et communiter definitur, *dolor de peccatis propter DEUM super omnia dilectum*, quod dupliciter fieri potest, primò, ut motivum dilectionis immediatè influat in dolorem de peccatis, & tunc contritio est actus elicitus cha-

charitatis. Secundò, ut mediatè influat, mediante nimirum motivo proximo compensationis DEO exhibendæ pro illata injuria; & tunc contritio est actus elicitus virtutis Pœnitentiæ, & tantùm imperatus à charitate.

ARTICULUS I.

An perfecta contritio includat actum dilectionis DEI super omnia?

SUMMARIA.

1. *Quid contritio perfecta?*
2. *Exponitur status quæstionis.*
3. *Contritio præsupponit, vel includit dilectionem DEI super omnia.*
4. *Eamque non tantùm virtualem, sed etiam formalem.*
5. *Testimonia S. Script. in oppositum adducta exponuntur.*
6. *Etiamsi de peccatis sit virtualis DEI dilectio, non tamen sequitur, quòd elici possit absque dilectione formali.*
7. *Differentia inter contritionem & attritionem.*
8. *Quomodo quis ex attrito in Sacramento fiat contritus?*

§. I.

Resolutio affirmativa.

2. QUæritur: An perfecta contritio necessariò prærequirat non tantùm motivum (quod communiter conceditur,) sed etiam actum formalem charitatis? sunt enim multi, qui tametsi per se loquendo & ordinariè requirant actum formalem, extraordinariè tamen & per accidens putant sufficere etiam virtualem amorem DEI super omnia inclusum in efficaci detestatione peccati ex motivo bonitatis divinæ.

3. CONCLUSIO. *Contritio perfecta disponens ad justificationem præsupponit, vel includit actum dilectionis DEI super omnia.*

Probatur primò authoritate S. Script. Deut. 4. *Cùm quæsieris Dominum DEUM tuum, invenies eum; si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Ubi juxta communem expositionem in prioribus verbis per ly *ex toto corde* significatur amor appretiativus DEI super omnia: in sequentibus verò significatur dolor & pœnitentia de peccatis, consequens amorem 1. Cor. 13. Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro,* &c. Sed conversio ista est actus charitatis.

Probatur secundò authoritate Concil. Trid. SS. PP. & D. Th. Et primò Trid. sess. 14. c. 4. dicit: *Contritionem charitate perfectam hominem DEO reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.* Secundò D. Augustinus serm. 7. de tempore. *Pœnitentiam certam* (hoc est perfectam etiam extra Sacramentum) *non facit nisi odium peccati & amor DEI.* Et *L. 1. ad Bonif. c. 8. Charitas sola vult bonum.* D. Bernardus ep. 11 *Charitas convertit animas, quas facit & voluntarias.* Tertiò D. Th. q. 85. a. 6. in c. *Actus & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, nam in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in DEUM, qui est actus fidei per charitatem formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ: horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum; nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore DEI: Unde primus actus est ratio & causa secundi.* Et q. 86. a. 3. dicit, quòd *ad rationem veræ pœnitentiæ requiritur, ut displiceat peccatum, quia est contra DEUM super omnia dilectum.*

Probatur tertiò ratione. Causa est prior suo effectu: sed amor DEI super omnia est causa contritionis: ergo est prior contritione, & ab ista necessariò præsupponitur. Minor est S. D. modò citati; & probatur partim ex communiter acceptata definitione contritionis, quòd sit dolor & detestatio de peccato commisso propter DEUM super omnia dilectum; partim, quia dispositio proxima ad justificationem & restitutionem amicitiæ divinæ debet includere actum dilectionis: sed talis est perfecta contritio, ut dicetur in seqq. ergo. Major probatur: quia de lege unica ordinaria homo non reponitur in gratiam & amicitiam DEI sine dilectione, juxta illud Prov. 8. *Diligentes me diligo.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* neque enim diligitur à DEO, præscindendo à Sacramentis, nisi efficaciter aversus à creatura, & conversus in DEUM, ut ultimum finem; hæc autem conversio est ipse amor DEI appretiativus super omnia.

Cæterùm, quia actus elicitus charitatis alius est prosecutivus, nempe formalis amor divinæ bonitatis ejusdem appretiativus super omnia; alius verò aversivus, hoc est displicentia & dolor de peccato tanquam malo, ex motivo divinæ bonitatis, detestabile infra omnia, adhuc controverti potest, utrùm ad perfectam justificationem sufficiat hic posterior actus dilectionis, quem solent etiam appellare amorem DEI virtualem; vel an necessariò & in omni casu præsupponatur formalis amor & prosecutio divinæ bonitatis: ubi spectando principia physica, & doctrinam tam de actibus humanis quàm de merito traditam, consequenter 4.

Respondeo. *Necessariò saltem prius naturâ prærequiritur amor formalis DEI super omnia,* uti satis apertè colligitur ex præallegatis verbis S. D. Ita Clariss. P. Maurus Liechtnheim in Tract. de Pœnit. contra Gonet & alios. Ratio est primò. Contritio perfecta debet includere efficacem conversionem voluntatis ad DEUM ut finem ultimum: sed hæc est actualis dilectio: ergo. Secundò. Omnis actus humanus formaliter vel virtualiter procedit ex intentione finis ultimi (ut dixi in Tract. de Act. hum.)

nisi

nisi sit ipsamet intentio finis ultimi: Sed contritio est actus, nec est ipsa intentio finis ultimi: ergo debet vel formaliter vel virtualiter ex tali efficaci intentione procedere: Atqui intentio finis ultimi efficaciter voluntatem avertens ab omni alio fine ultimo est ipse actus charitatis habens pro objecto proximo finem ultimum ut sic: ergo. Tertiò. Omnis actus meritorius, qui non est ipse actus dilectionis prærequirit imperium formale vel virtuale charitatis: contritio est actus meritorius: ergo prærequirit imperium formale vel virtuale charitatis; atqui neutrum est sine actu dilectionis, prout ostendi in Tract. de grat. Et ut occurratur Adversariorum distinctioni, necessariam quidem esse conversionem in DEUM & intentionem finis ultimi formalem vel virtualem, non tamen semper formalem. Ulteriùs Ratio est quartò. Non potest voluntas moveri à bonitate divina (quod etiam Adversarii requirunt) ad detestationem peccati tanquam mali oppositi, quin priùs naturâ moveatur ad actum dilectionis DEI: ergo necessariò prærequiritur formalis dilectio DEI. Antecedens probatur: Finis & bonum, quod est adæquatum motivum voluntatis priùs naturâ movet ad sui prosecutionem, quàm malum oppositum terminet fugam & odium voluntatis: neque enim malum est objectum motivum, sed tantummodò terminativum & secundarium voluntatis: Sed hæc prosecutio est actualis dilectio finis & boni: finis quippe motio consistit in alliciendo & trahendo, & ut inquit S. D. causalitas ipsius est appeti; appeti autem non potest esse absque formali complacentia & prosecutione voluntatis, uti suppono ex philosophicis: At verò divina bonitas movens ad detestationem peccati movet sub ratione finis & boni: ergo. Ideo S. D. 1. 2. q. 113. a. 8. ad 3. *Quia motus liberi arbitrii est motus animi, priùs naturâ ordine movetur in DEUM sicut in finem, quàm ad removendum impedimentum peccati.* Confirmatur: Bonitas divina repræsentata in intellectu non minùs est efficax & apta movere voluntatem ad sui prosecutionem, quàm ad detestationem mali oppositi: imò non nisi ratione sui & propter se movet ad detestationem peccati oppositi: ergo non est ulla ratio, cur voluntas in eo instanti, quo movetur ad detestationem peccati, non saltem naturâ priùs moveatur ad efficacem amorem bonitatis divinæ super omnia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. Objicies primò. In S. Script. promittitur remissio peccatorum verè pœnitenti & detestanti peccata, uti Ps. 31. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti, &c.* Ezech. 18. *Cùm averterit se impius ab impietate suâ, ipse animam suam vivificabit.* Ergo signum est, contritionem esse perfectam & sufficientem ad justificandum, etiamsi non procedat ex formali amore DEI super omnia.

Secundò. 2. Regum c. 12. quàm primùm dixit David: *Peccavi Domino*, statim impetravit veniam peccati: dicente Prophetâ Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed illa sunt verba doloris & pœnitentiæ; non formalis amoris significativa.

Tertiò. Inter actum amoris formalis & doloris de peccatis non est essentialis dependentia, & malitia peccati, quatenus opposita divinæ bonitati est sufficiens se solâ movere ad sui odium & detestationem: ergo saltem in aliquo casu & per accidens potest haberi perfecta contritio de peccatis absque formali dilectione, in quo casu dolor erit amor virtualis: nam odium mali est virtualis amor boni oppositi.

Respondeo ad 1. & 2. Etiamsi in neutro loco fiat expressa mentio de amore formali, tamen illum implicitè subintelligi, sicuti licèt non fiat expressa mentio de motivo charitatis, tamen secundùm Adversarios motivum charitatis, sine quo contritio perfecta & justificativa non datur, implicitè debet intelligi. Nam, ut ostensum est, motivum charitatis non nisi mediante dilectionis actu voluntatem determinat ad detestationem mali oppositi, quod objectum motivum esse non potest, sed tantummodo terminativum. Imò quod attinet ad secundum locum ex 2. Regum, non facilè etiam per Adversarios David potuisset habere perfectam contritionem absque amore formali, cùm, priusquam prorumperet in illa verba, *Peccavi Domino*, audierit à Propheta Nathan divina beneficia tanquam argumenta divinæ bonitatis sibi præstita, ex quorum recordatione per se debebat excitari amor bonitatis divinæ, neque in eliciendis istis actibus requiritur successio temporis, cùm enim sint inter se maximè connexi & subordinati, in uno eodemq; reali instanti possunt elici.

Ad III. patet ex dictis, eatenus esse essentialem dependentiam inter formalem amorem & dolorem de peccatis, quatenus non nisi mediante formali dilectione motivum charitatis in detestationem & dolorem de peccatis derivari potest. Unde licèt odium mali dicatur virtualis amor boni; quatenus ipsa detestatio mali relinquitur impressa ex amore boni, & voluntas fugiendo malum, tanquam objectum *terminativum* quod, etiam ipsum bonum tanquam *motivum objectum ut quo*, velut ex obliquo respicit; non ideo sequitur, dari odium & detestationem mali absque prævio amore boni: sicuti, licèt assensus conclusionis sit virtualis assensus præmissarum, quatenus intellectus assentiendo conclusioni obliquè, indirectè, & ut quo, etiam assentitur objecto præmissarum tanquam causæ conclusionis, non ideo sequitur, dari posse conclusionem sine præmissis & assensu principiorum, è quibus derivatur. 6.

§. III.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò. Contritionem & attritionem esse actus formaliter & essentialiter diversos; primò quia differunt motivis formalibus, dum videlicet motivum formale proximum contritionis, aut est divina bonitas, si contritionis 7.

nomine intelligas actum elicitum charitatis; aut est bonum compensationis derivatum ex motivo divinæ bonitatis, si nomine contritionis intelligas actum elicitum Pœnitentiæ, imperatum tamen à charitate: motivum verò formale attritionis vel est bonum vitæ æternæ, ut si doleas de peccato propter metum gehennæ; vel est honestas virtutis oppositæ, ut si doleas de peccato propter ejus turpitudinem. Secundò, quia sunt actus diversarum virtutum, contritio nempe est actus charitatis, vel Pœnitentiæ, attritio verò vel est actus spei, vel alicujus virtutis moralis, cujus honestati commissum peccatum opponitur. Hinc porrò consequuntur plures aliæ differentiæ contritionis & attritionis, ut quòd illa semper vel sit elicita, vel imperata à charitate; non ista. Illa semper universalis, & cadat super omnia peccata, cùm ipsius motivum æquè sit oppositum cum uno, quàm altero peccato; attritio verò non semper sit universalis, cùm possit procedere ex motivo particularis honestatis & inhonestatis oppositæ. Illa semper excludat affectum peccandi, & hominem efficaciter convertat in DEUM ut ultimum finem; ista non semper excludat omnem affectum, neque voluntatem efficaciter convertat in DEUM: Unde ulteriùs illa semper sit conjuncta cum remissione peccatorum, & charitate formata; non item ista. Atque adeò quòd contritio sit perfectus dolor de peccatis; attritio verò imperfectus, quâ de causa etiam diversa nomina sortiuntur, ut enim S. D. hic in suppl. q. 1. a. 2. ad 2. contrita dicuntur, quorum omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima; attrita verò, quæ aliquo modo diminuta, sed non adhuc perfectè sunt comminuta.

Inferes secundò. Quo sensu sit accipiendum illud axioma Theologicum, quòd quis *in Sacramento fiat ex attrito contritus*: non enim est intelligendum formaliter, quasi actus attritionis transeat in actum contritionis, cum nullus actus possit mutare suam speciem & essentiam: sed est intelligendum virtualiter & æquivalenter, propter æqualem effectum, quòd nempe in Sacramento attritio sit æquè sufficiens dispositio ad justificationem, quam contritio est extra Sacramentum: quamvi etiam dici possit, quòd quis in Sacramento ex attrito fiat contritus habitualiter, quatenùs unà cum infusione gratiæ recipit habitum virtutis Pœnitentiæ: cujus actus primarius est contritio.

ARTICULUS II.

An perfecta contritio sit semper conjuncta cum remissione peccatorum?

SUMMARIA.

1. *In instanti contritionis accipitur remissio peccatorum.*
2. *Quomodo contritio sit ultima dispositio ad infusionem gratiæ sanctificantis?*
3. *Authoritates opposita exponuntur.*
4. *Triplex quantitas contritionis.*
5. *Perfecta contritio potest haberi in instanti.*
6. *Non requirit certam intensionem.*
7. *Debet esse summa appretiativè.*
8. *Contritio quomodo possit esse nimia?*
9. *Contritio non requirit explicitam comparationem inter mala culpæ, & pœnæ.*
10. *Cur non obsit perfectæ contritioni intensiùs dolere de malo pœnæ, quàm culpæ?*

§. I.

Statuitur affirmans sententia.

1. CONCLUSIO. *In eodem instanti, in quo pœnitens elicit perfectam contritionem, etiam recipit remissionem peccatorum.* Ita communiter DD. &c.

Probatur primò authoritate S. Script. Nam citato 2. Reg. c. 12. quàm primùm David pœnitens dixit: *Peccavi domino,* audivit peccatum sibi esse remissum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quòd si autem pro illo instanti peccatum nondum fuisset remissum, potiùs dicendum fuisset: *Dominus transferet peccatum tuum.* Rursus If. 30. v. 15. ubi Vulgata versio habet: *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis.* Versio 70. Interpp. legit: *Cùm reversus ingemueris, tunc salvus eris*: Ex quo loco D. Leo Pont. ep. 91. ad Theodor. ait: *Misericordia DEI nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente spiritu DEI per Prophetam: Cùm ingemueris, tunc salvus eris.* & Cælestinus Papa in ep. ad Episcopos Galliæ c. 2. *Vera conversio mente potius quam tempore metienda est, dicente Prophetâ: Si conversus fueris, salvus eris.*

Probatur secundò ex Trid. & summ. Pontiff. definitione: nam Trid. sess. 14. c. 4. expressè habet: quòd *quando contritio est charitate perfecta, hominem DEO reconciliet, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiat.* Pius V. verò & Gregorius XIII. in Bulla contra Mich. Bajum, edita erroris damnârunt hanc propositionem n. 67. *per contritionem & cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Accedit totius Ecclesiæ Catholicæ praxis, quæ contritis permittit accessum ad Sacramenta vivorum, quæ pro convenienti dispositione requirunt statum gratiæ; excepto Sacramento Eucharistiæ, in quo propter tanti mysterii dignitatem & reverentiam, ulteriùs requiritur in mortalis peccati consciis confessio sacramentalis, quando haberi potest. Largitur etiam quandoque Indulgentias solummodo contritis, quod fieri non posset, nisi judicaret contritionem sufficere ad obtinendam gratiam justificationis.

Pro-

Probatur tertiò, & sequitur ex artic. praecedente. Perfecta contritio nunquam est sine charitate; charitas nunquam est sine remissione peccatorum, & gratiae infusione: ergo perfecta contritio nunquam est sine peccatorum remissione. Major fuit probata art. praec. Minor constat ex dictis in Tract. de charitate: ipsa namque charitas est formalis amicitia cum DEO, ac proinde incompossibilis cum peccato, & essentialiter radicata in gratia sanctificante, conformiter ad illud Sapientis Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et 1. Jo. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & DEUS in eo. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.*

2. Inferes ex dictis, perfectam contritionem esse ultimam dispositionem ad infusionem gratiae sanctificantis, hoc ipso, quòd sit dispositio poenitentis infallibiliter in eodem reali instanti conjuncta cum infusione gratiae. Sed estne dispositio tantùm moralis habens infallibilem conjunctionem cum gratia ex sola gratuita institutione & misericordia DEI; vel etiam physica habens istam conjunctionem eamque exigens ex natura rei?

Respondeo *cum Jo. à. S. Th.* de sacr. in gen. disp. 24. a. 1. distinguendum esse, nam contritio vel accipitur ut est actus elicitus charitatis, vel ut est actus elicitus Poenitentiae. Rursus ut est actus elicitus Poenitentiae vel accipitur ut praecisè contentus intra propriam speciem satisfactionis DEO exhibendae, vel ut est imperatus & informatus à charitate. Si intelligitur actus elicitus charitatis, est eo ipso dispositio connaturalis ad gratiam, quia est actus ex propria specie & vi sui formalis motivi reconciliativus & instaurativus amicitiae cum DEO. Si secundo modo, non est dispositio connaturaliter exigens infusionem gratiae: quia ut sic est actus formaliter compensativus & satisfactivus pro peccato; atqui nulla datur & dari potest creaturae satisfactio, quae sibi connaturaliter debitam faciat remissionem peccati mortalis, ut suppono ex Tract. de Incarnat. ergo contritio ex sua specifica ratione non est dispositio connaturaliter exigens remissionem peccati mortalis. Unde sub hâc ratione non venit nomine perfectae contritionis. Si postremo modo accipiatur, tunc est etiam connaturalis dispositio ad gratiam, connaturaliter exigens remissionem peccatorum, utpote includens actum dilectionis ex vi sui motivi repugnantem cum omni peccato mortali.

3. Dices primò. Christus Luc. 7. de Magd. dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* ergo Magdalena priùs dilexit, & posteà primùm accepit remissionem peccatorum. Secundò. D. Augustinus tr. 13. in Jo. *quantumcunque,* inquit, *catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat, non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum &c.* ergo similiter quantumcunque peccator post baptismum proficiat, non ipsi remittetur peccatum, nisi veniat ad poenitentiam, quia par est utrobique ratio. Tertiò. S. D. q. 28. de Verit. a. 1. ad 8. dicit, quòd quidem in *eo cui peccatum remittitur, aliqua dispositio ad gratiam invenitur, sed insufficiens,* ergo non datur ex parte poenitentis dispositio connaturaliter exigitiva gratiae & remissionis peccatorum.

Respondeo ad I. ly *remittuntur* non tantùm denotare praesens tempus & instans quo pronunciatur, sed etiam comprehendere tempus praeteritum quo remissa sunt peccata, uti vel ex hoc fit manifestum; quòd eadem verba paulò pòst fuerint à Christo repetita, cujusmodi figuratus loquendi modus frequens est in S. Script. Nisi potiùs velis dicere, iis verbis fuisse significatam non novam, sed continuatam peccatorum remissionem, veluti cùm Marci 5. ad foeminam jam antè à fluxu sanguinis sanatam Christus dixit: *Esto sana à plaga tua.* Ad II. Respondeo S. P. Augustinum loqui non de quocunque profectu, sed illo, qui communiùs accidit, neque enim tam facilè ad perfectum contritionis actum pervenitur. Ad III. Respondeo, S. D. loqui de contritione quatenùs praecisè satisfactiva, modo primùm explicato.

§. II.

Quanta debeat esse contritio?

Notandum. In Poenitentia triplicem distingui quantitatem; *extensivam, intensivam, & appretiativam.* Extensiva est, quae accipitur penès majorem, vel minorem durationem; & sic illa contritio est extensivè major, quae diutiùs durat. Intensiva est, quae accipitur secundùm gradus intensionis; & sic intensivè major contritio est, quae intensior & ferventior. Appretiativa est, quae accipitur secundùm majorem aestimationem & comparationem objecti cum aliis: & sic dolor summè appretiativus ille dicitur, quo poenitens DEUM in sua aestimatione praefert omnibus objectis creatis, & ratione ipsius malum peccati detestatur super omne malum poenae. Juxta hanc triplicem acceptionem quaeritur, an perfecta contritio de peccatis propter DEUM super omnia dilectum debeat habere certam temporis moram; determinatum gradum intensionis; & an debeat esse summa appretativè? 4

CONCLUSIO. *Perfecta contritio extra Sacramentum sufficiens ad justificationem non requirit (1) certam temporis durationem, sed potest instantaneè perfici: neque (2) determinatum gradum intensionis: debet tamen esse (3) summa appretativè.* Ita communis DD. 5

Prima pars constat inprimis ex authoritate S. Script. Ezech. 18. Is. 30. Zach. c. 1. poenitenti peccatorum veniam, in quacunque hora conversus fuerit, absque ulla temporis adjectione vel determinatione promittentis, & instantaneas conversiones Matthaei, Zachaei, Latronis, Sauli memorantis. Secundò ex authoritate SS. Pontificum & PP. Leonis, Caelestini priori §. adductorum & D. Basilii conc. 8. dicentis: *Poenitentia non temporis diuturnitate, sed ipso animi affectu aestimatur.* Constat tertiò, ex hac ratione: Actus spirituales & indivisibiles, cùm secundùm totam suam essentiam & speciem possint elici in instanti, non dependent à mora temporis: sed con-

contritio est actus spiritualis naturâ suâ indivisibilis: ergo secundùm totam suam speciem & essentiam non dependet à mora temporis: cùmque proinde habeat ex se, quòd sit sufficiens dispositio ad justificationem, independenter à mora temporis homo per contritionem in instanti poterit justificari, nec est aliquod argumentum urgens in contrarium.

6. Secunda pars est S. D. hîc in suppl. q. 3. a. 1. & colligitur ex iisdem Script. authoritatibus, utpote peccatorum veniam pœnitenti offerentibus absque ulla mentione vel determinatione intensionis. Imò, inquis, ad Joëlem c. 2. pœnitentes jubentur DEUM quærere ex toto corde, per quod videtur significari summus conatus & intensio. Respondeo juxta tertiam partem conclusionis, per ly *totum* significari summum conatum & conversionem appretiativè, non intensivè; ut nimirum in corde nihil divinæ amicitiæ & dilectioni repugnans admittatur: ita exponente D. August. l. 1. de doctr. Christ. c. 22. *Cùm ait, diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui.* Probatur hâc ratione: Quòd contritio sit detestatio peccati propter DEUM super omnia dilectum, salvatur in quolibet minimo intensionis gradu: ergo perfecta contritio non requirit determinatam intensionem. Antecedens probatur: quod actui convenit ex natura rei, convenit ipsi in quocunqne gradu, aliàs quippe esset & non esset hic numero & specie actus: sed quòd contritio sit perfecta detestatio peccati propter DEUM super omnia dilectum, hoc ipsi convenit ex natura rei: ergo ipsi convenit in quocunque gradu. Confirmatur. Ubi forma non requirit determinatam mensuram intensionis, ibi nec dispositio illam requirit: sed gratia non requirit determinatam mensuram, vel gradum: ergo nec contritio, quæ est dispositio ad gratiam.

7. Tertia pars colligitur primò ex citato Joële, & Deut. 4. ubi cùm ly *DEUM ex toto corde quærere* & diligere non possit intelligi de physica & graduali intensione, debet intelligi de intensione morali & quantitate appretiativa.

Ratio est: Efficax conversio in DEUM, ut ultimum finem, est summa appretiativè: sed per contritionem perfectam convertitur homo efficaciter in DEUM ut ultimum finem: ergo ista debet esse summa appretiativè. Major probatur: ut homo efficaciter convertatur in DEUM ut ultimum finem, debet bonum divinum præponere omni bono proprio & creato, & consequenter malum DEI detestari super omne malum proprium: nam si ullum bonum creatum præponas bono increato DEI, evertis jam ordinem charitatis, dicente Christo, Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus:* Atqui hoc ipsum est conversionem esse summam appretiativè: ergo efficax conversio in DEUM est summa appretiativè, & consequenter etiam contritio; nam, quanta est conversio in DEUM, tanta pariter est aversio à peccato; &, quantus amor boni divini, tantum econtra est odium mali oppositi. Sed hinc oriuntur novæ quæstiones breviter expediendæ.

§. III.

Duplex quæstio solvitur.

Quæres primò cum S. D in suppl. q. 3. a. 2. an dolor de peccatis possit esse nimius quoad intensionem? 8.

Respondeo cum eodem sub distinctione. Contritionem secundùm se prout est dolor rationalis de peccato, quatenus est offensa DEI, non posse esse nimiam, bene autem quantum ad effectum seu dolorem sensibilem vel corporales afflictiones. Ratio primi est, quia contritio regulatur per amorem, unde sicut amor DEI non potest esse nimius, cùm ejus modus sit amare sine modo secundùm S. Bern. ita neque contritio. Ratio secundi est: quia, ut inquit S. D. dolor sensibilis & afflictio exterior habet pro mensura conservationem subjecti, & bonam habitudinem sufficientem ad ea, quæ agenda incumbunt. Unde dicitur Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum*: sed hanc mensuram contritio in corpus redundans potest aliquando transire: ergo quoad hunc effectum contritio potest esse nimia.

Quæres secundò. An contritio summa appretiativè requirat comparationem peccati cum malis pœnæ? 9.

Ratio & sensus quæstionis est: Cùm dictum sit, contritionem summam appretiativè esse illam, quæ peccatum tanquam malum DEI detestatur super omnia mala pœnæ, dubitatur, an in hunc finem necesse sit, ut pœnitens instituat comparationem inter peccata tanquam divinæ bonitati contraria, & inter mala pœnæ, v. g. dicendo, Mallem vivus comburi, quàm ampliùs in hoc peccatum consentire; qualem comparationem Apostolus instituit Rom. 8. dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?* &c.

Respondeo. Ut contritio sit summa appretiativè & detestativa peccati super omnia alia mala, non requiritur explicita comparatio peccati cum malis pœnæ, sed sufficit implicita & virtualis. Ratio est: Illa appretiatio sufficit ad contritionem, quæ sufficit ad dilectionem DEI super omnia: sed ad hanc sufficit appretiatio virtualis, quâ homo ita est dispositus, ut quandocunque bonum creatum menti occurreret, illud Bonitati divinæ postponeret; nec requiritur, ut actu instituat comparationem bonorum creatorum cum bono increato; ergo etiam sufficit ad contritionem ejusmodi appretiatio virtualis, quâ sit ita dispositus, ut, si qua ejusmodi comparatio menti occurreret, magis aversaretur malum culpæ, quàm quodcunque malum pœnæ.

Rectè etiam advertunt & monent DD. non semper esse consultum, præsertim apud homines scrupulosos, vel ad lapsum pronos, ut ejusmodi comparationes instituantur, siquidem mala pœnæ sensibus nostris propiora vehementiùs movent phantasiam, quàm mala culpæ, ideoque voluntatem facilè in periculum traherent.

Di-

10. Dices: Non est contra rationem veræ contritionis, si intensiùs doleam de aliquo malo pœnæ, quàm de malo peccati; ergo etiam non est contra rationem perfectæ contritionis, si magis appretiativè doleam de malo pœnæ, quàm de malo culpæ. Respondeo negando paritatem, quia major intensio actûs non semper arguit rationis & voluntatis majorem fugam, sicuti nec major intensio amoris semper arguit majorem adhæsionem affectûs rationalis ad aliquod bonum: sic enim contingit quandoque, ut parens longè intensiùs amet filium natu minorem, quàm majorem; qui tamen datâ optione an mallet minorem, vel majorem mori, mallet in vivis relinqui majorem, quàm minorem, quia illum pluris æstimat. Cujus ratio est: quòd intensio actûs sæpe proveniat ab inclinatione appetitûs sensitivi, qui propter naturalem sympathiam ipsum quoque voluntatis affectum secum rapit. Econtra appretiativus amor vel odium præcisè provenit ex judicio rationis: unde voluntas non esset efficaciter aversa à peccato & conversa in DEUM ut finem ultimum, nisi appretiativè istum summè amaret, illud verò summè detestaretur: neque enim haberet judicium practicum, quòd DEUS esset super omnia diligendus; & peccatum super omnia detestandum.

ARTICULUS III.

An ad perfectam contritionem requiratur distincta recordatio peccatorum?

SUMMARIA.

1. *Varia sententia Authorum.*
2. *Non requiritur multiplicatio contritionis pro singulis peccatis.*
3. *Non requiritur singulorum peccatorum distincta recogitatio.*
4. *Authoritates Script. objecta exponuntur.*
5. *Opposita authoritas D. Th. exponitur.*
6. *Satisfactio requiritur jure natura pro singulis peccatis; sed non singillatim.*
7. *Majoris peccati requiritur major appretiativè detestatio.*
8. *Indirectè requiritur quandoque distincta peccatorum discussio.*
9. *Recordatio peccati nunquam retractati formaliter inducit obligationem formalis retractationis.*
10. *In lege gratiæ ad perfectam contritionem per se semper requiritur formale propositum sua peccata discutiendi.*

§. I.

Resolutio negativa.

1. TRiplex est sententia. Prima Paludani in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qui argumento à paritate confessionis ducto docet, ut contritio sit perfecta & sufficiens ad justificandum, pro singulis peccatis necessarias esse singulas contritiones, & consequenter prærequiri examen & recogitationem singulorum peccatorum. Secunda negat utrumque, tam singulorum peccatorum distinctam recogitationem, quàm contritionem. Hanc tenent Petrus Sotus, Cajet. Suarez, Vasquez, aliique permulti. Tertia sententia mediâ viâ incedit, & non quidem distinctas contritiones requirit pro singulis peccatis, docet tamen peccatorem præcepto naturali teneri ad examen, & distinctam recogitationem omnium peccatorum. Ita Alens. Bonac. Capreolus, Medina, Canus, quos citat & sequitur Amicus hic d. 4. se. 6. n. 138.

2. CONCLUSIO I. *Ut contritio sit perfecta & sufficiens dispositio ad justificationem, non requiritur ut singulis peccatis respondeat sua specialis contritio.* Ita communiter DD. cum S. D. hâc q. 84. a. 6.

Constat primò ex authoritatibus S. Script. superiùs allegatis, è quibus ad perfectam conversionem peccatoris sufficit instantanea contritio; hæc autem haberi non posset, si singulis peccatis deberent respondere singulæ contritiones. Secundò. Si peccator teneretur elicere singulos dolores pro singulis peccatis, vel teneretur illos habere simul in uno instanti; vel successivè. Non simul, quia hoc est impossibile: non etiam successivè, primò, quia etiam in hâc ratione multis peccatoribus diuturnis & habentibus breve spatium vitæ residuum sua conversio redderetur impossibilis. Secundò, quia æquè per unum actum contritionis perfectè convertimur in DEUM, quàm per alterum; ergo peccator per primum actum contritionis justificatur: non ergo tenetur repetere contritionem pro singulis peccatis. Cùm enim finis præcepti Pœnitentiæ sit reconciliatio cum DEO, quæ per unum actum contritionis obtinetur: ideo per se nemo obligatur, nisi ad semel perfectè pœnitendum de suis peccatis: sed habitâ primâ contritione jam pœnituit, jamque obtinuit veniam peccatorum: ergo.

Confirmatur. Effectu jam posito causa non est ampliùs applicanda ad eundem effectum præstandum: sed reconciliatio cum DEO, quæ est effectus pœnitentiæ, ponitur per unum & primum actum contritionis; ergo non est necesse, ut rursus ponatur contritio.

3. CONCLUSIO II. *Ad perfectam contritionem, neque de necessitate medii seu ex natura rei; neq; ex præcepto naturali requiritur examen; & distincta recogitatio singulorum peccatorum.* Ita S. D. q. 28. de Verit. a. 5. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd non est necessarium, quòd aliquis in ipso momento justificationis de hoc, vel illo peccato determinatè cogitet, sed solùm quòd doleat, se propriâ culpâ à DEO esse aversum.* Et prima pars est communis DD. pro qua faciunt Scripturistica exem-

exempla repentinæ conversionis in Magdalena, Latrone &c. Ex quibus constat, hominem posse justificari & salutem consequi momentanea contritione & conversione; prout etiam in artic. præced. ostensum est; unde & moribundi exhibentes signa contritionis de peccatis in confuso absolvuntur: neutrum verò fieri posset, si distinctum examen peccatorum esset de necessitate medii. Secundæ partis ratio est primò, quia nullum est fundamentum ejusmodi præcepti & obligationis, uti patebit ex solutione objectionum. Secundò, quia obligatio distincti examinis proveniret per ordinem ad implendum præceptum pœnitentiæ: atqui obligatio præcepti divini & naturalis pœnitentiæ impleri potest absque distincta notitia & examine peccatorum; quia præceptum pœnitendi absolutè tantùm obligat ad dolendum de omnibus suis peccatis, & hoc dolore mediante obtinendam reconciliationem & veniam peccatorum; atqui hoc totum obtineri potest cum sola confusa cognitione peccatorum, vel cum cognitione explicitâ unius peccati & inculpabili oblivione cæterorum; modò hæc sit conjuncta cum dilectione DEI super omnia. nam licèt præcesserit distinctum examen & discussio peccatorum, tamen in fine cùm dolor de peccatis elicitur, plerumque tantùm habetur confusa notitia illorum. Deinde ipsa contritio ex amore DEI super omnia suâpte naturâ habet repugnantiam cum omni peccato sive distinctè sive confusè cognito: ergo etiam ut sic habet efficaciam illa omnia delendi.

Ratio est tertiò. Vel esset obligatio hujus examinis in ipso instanti contritionis, vel antè, vel pòst. Non in ipso instanti, quia hoc est impossibile, cùm talis discussio requirat moram temporis. Non ante instans contritionis primò, quia ex Scriptura & traditione nullum est vestigium hujusmodi obligationis. Secundò, quia contritio potest esse instantanea, nec requirit durationem temporis, cùm tamen illud prævium examen requirat moram temporis; tertiò, quia pœnitens non obligatur ad majus examen, quàm sit necessarium ad habendam pœnitentiam de omnibus suis peccatis: sed ad hanc non requiritur examen de singulis peccatis; cùm etiam confusa notitia sufficiat, & plerumque interveniat, cùm elicitur dolor universalis de omnibus peccatis. Neque tertiò pœnitens jure divino vel naturali obligari potest ad singula peccata recogitanda pòst contritionem, quia discusio peccatorum est in ordine ad eliciendam contritionem, & obtinendam remissionem peccatorum: sed hic finis cessat post elicitam perfectam contritionem: neque, ut dictum est ulla obligatio sæpius repetendæ contritionis.

Confirmatur. Quamvis præceptum divinæ dilectionis obliget ad propositum servandi omnia divina mandata, nemo tamen jure naturali obligatur ad singulorum mandatorum observantiam specialiter proponendam: ergo etiam præceptum naturale pœnitendi, non obligat ad singulorum peccatorum specialem recogitationem instituendam.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò authoritatem S. Script. & SS. PP. & primò illud II. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ps. 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Chrys. ho. 31. *Non tantùm nos peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata spiritualiter singula computemus.* 44

Respondeo ad textus S. Scr. iis ostendi quid melius & perfectius, non quid necessarium sit, cùm ex aliis ejusdem S. Script. authoritatibus contrarium pateat. Ad D. Chrysost. Respondeo. Eundem totâ illâ homiliâ loqui de pœnitentia ut est Sacramentum, & modum ostendere pœnitendi, uti patet ex verbis & contextu adducto ab Ysamberto hîc a. 4.

Objicies secundò authoritatem D. Th. primò 45 hîc q. 87. 1. ubi distinguit inter detestationem peccati mortalis & venialis, quòd ad detestationem peccati mortalis requiratur, ut pœnitens diligentiam adhibeat ad removendum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Secundò, 1. 2. q. 113. a. 5. ad 3. inquit: *In tempore præcedenti justificationem oportet, quòd homo singula peccata, quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet.* Et tertiò. q. 28. de Ver. a. 5. ad 4. *Recogitatio singulorum peccatorum debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem.*

Respondeo ad primum, S. D. ibidem loqui ex suppositione, quòd homo modo & viâ ordinariâ se disponat ad justificationem, procedendo ab actibus imperfectioribus ad perfectiores, ab attritione particulari ad contritionem universalem: aliàs iste locus probaret contra Adversarios, quòd etiam necessariæ forent detestatione peculiares singulorum peccatorum, cùm dicat *ut singula detestetur.* Et quòd ista sit mens S. D. colligitur ex 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. concl. 6. ubi sic loquitur: *Dico principium contritionis, quâ quis cogitat de peccato, & dolet etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis: terminus autem contritionis est, quando dolor ille jam gratia informatur: quantum ergo ad principium contritionis oportet, quòd sit de singulis peccatis* (quia nimirum est dolor particularis) *quæ quis in memoria habet, sed quantùm ad terminum sufficit, quòd sit una communis de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi dispositionum præcedentium.* Hæc S. D. sicut ergo neque ex natura rei, neque ex aliquo præcepto est necessarium, ut perfectam contritionem præcedant imperfectæ dispositiónes attritionis; ita neque est necessarium ut præcedat recogitatio singulorum peccatorum. Ad secundum respondeo. Ex eo quòd quis singula peccata, quæ habet in memoria, detestari teneatur saltem uno actu contritionis, non rectè inferri, quòd peculiari singulorum recogitatione teneatur procurare distinctam singulorum memoriam. Ad tertiam respondeo: Sensum esse, quòd recogitatio singulorum peccatorum sit necessaria non directè per se ex natura vel præcepto contritionis,

tionis, sed indirectè ratione alicujus præcepti adjuncti, ut erant in veteri testamento sacrificia pro peccatis, & in nova lege præceptum confessionis. Ita colligitur ex verbis S. D. immediatè antecedentibus: *Ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet*, &c. quæ eadem habet in resp. ad 3.

6. Objicies tertiò ex ratione: Homo jure & præcepto naturali obligatur DEO satisfacere pro omnibus injuriis & offensis, quantum potest: sed absque peculiari recogitatione ita satisfacere non potest: ergo obligatur ad peculiarem illorum recogitationem. Minor probatur. Perfecta satisfactio est retractatio omnium & singulorum peccatorum: sed ista sine singulorum recogitatione haberi nequit: ergo.

Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem distinguo majorem, est omnium & singulorum vel singillatim vel generatim retractatio, concedo; singillatim, nego. & sub datâ distinctione nego consequentiam.

Inquis: Tenetur pœnitens ad singulorum peccatorum examen & confessionem, cùm se disponit ad justificationem intra Sacramentum Pœnitentiæ: ergo etiam ad singulorum examen, cùm se disponit per contritionem. Consequentia probatur: tum quia præceptum confessionis succedit præcepto contritionis; tum quia ideo requiritur singulorum examen & confessio, quia DEO debet pro singulis peccatis satisfieri; sed hoc etiam fieri debet per contritionem: ergo.

Respondeo negando consequentiam, & causalem secundæ probationis; nam ratio distinctæ confessionis, adeòque & examinis peccatorum est natura judicii, quæ ut judex possit prudentem ferre sententiam prærequirit cognitionem causæ, & cùm Minister Pœnitentiæ simul sit medicus animarum, debet nóscere distinctè statum & morbum pœnitentis. Unde etiamsi Sacramentum confessionis succedat præcepto contritionis, tamen succedit alio perfectiori modo, quia succedit modo judiciali, quo non tantùm homo in præsenti DEO reconciliatur, sed eidem cavetur pro peccatis in futurum.

§. III.

Corollaria.

7. Colliges ex dictis primò. Per se & ex natura vel præcepto contritionis non requiri comparationem peccatorum inter se; hoc ipso quia non requiruntur distinctæ detestationes aut recogitationes peccatorum: quòd si tamen in memoria unum peccatum repræsentetur gravioris malitiæ, quàm alterum, etiam debet haberi appretiativè major detestatio de graviori peccato; quia sicuti ratio malitiæ & offensæ simpliciter exigit detestationem peccati simpliciter; ita juxta regulam prudentiæ major malitia & offensa exigit majorem detestationem.

Colliges secundò. Indirectè tamen quandoque requiri distinctam peccatorum discussionem, & primò in ordine ad Confessionem sacramentalem, quæ extra casum extremæ necessitatis prærequirit distinctum examen conscientiæ. Secundò, cùm facienda incumbit restitutio damnorum per varias actiones aut variis personis illatorum. Tertiò. Cùm quis novit se habere quasdam proximas occasiones peccandi, pro quibus amovendis requiritur speciale consilium & propositum.

Colliges tertiò. Cùm quis recordatur alicujus peccati, de quo nunquam fuit formaliter, sed tantùm virtualiter contritus, ut si priùs de aliquo speciali peccato elicuisset contritionem ex motivo universali dilectionis DEI super omnia, & postea recordaretur alicujus peccati, antea invincibiliter ignorati, obligari etiam ad formalem detestationem ipsius. Ratio est: quòd jure naturæ tenemur DEO satisfacere pro nostris peccatis: sed talis satisfactio requirit formalem retractationem cadentem directè supra offensam illatam: Atqui in casu posito contritio non directè cadebat supra peccatum invincibiliter ignoratum, sed tantùm indirectè, ideóque non erat formalis, sed virtualis retractatio ipsius, eò quòd propter universalitatem & efficaciam motivi voluntas ita fuerit disposita, ut etiam formaliter retractâsset illud peccatum si de ipso cogitâsset.

Colliges quartò. In præsenti lege gratiæ ad perfectam contritionem per se semper requiri formale propositum sua peccata confitendi, & consequenter etiam sua peccata discutiendi. Ratio est: qui efficaciter intendit finem, etiam intendit media necessaria ad consequendum illum finem: sed medium ex institutione divina per se necessarium ad obtinendam reconciliationem cum DEO, est Confessio sacramentalis: ergo qui efficaciter intendit reconciliationem cum DEO, etiam intendit & proponit sacramentalem confessionem: Atqui peccator pœnitens & contritus intendit efficaciter reconcilationem cum DEO: ergo etiam per se loquendo proponit formaliter confiteri & consequenter recogitare sua peccata. Dixi: *per se loquendo*: quia in casu extraordinario inculpabilis oblivionis, aut inconsiderationis posse sufficere propositum seu votum implicitum Sacramenti, constat ex antè dictis.

ARTICULUS IV.

Quo jure, & quando obliget praeceptum contritionis?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quaestionis.*
2. *Peccator jure divino & naturali obligatur ad poenitentiam.*
3. *Quandonam praeceptum poenitentiae per accidens obliget?*
4. *In articulo, vel periculo mortis peccatorem obligat praeceptum contritionis, si desit copia Confessarii.*
5. *Praeceptum contritionis non obligat statim post peccatum.*
6. *Peccato practicè repraesentato sub ratione mali moralis est obligatio ad illud detestandum.*
7. *Praeceptum poenitentiae per se obligat extra articulum, vel periculum mortis.*
8. *Tenetur peccator intra anni spatium poenitere.*
9. *Nemo tenetur ad perfectam contritionem, quàm primùm ipsi peccatum ut detestabile practicè proponitur.*
10. *Quando sit tempus obligationis?*
11. *Exponuntur objecta testimonia S. Script. & PP.*
12. *Velle statum peccati positivè, est peccatum; non semper est peccatum velle permissivè.*
13. *Charitas non obligat ad tollenda remota pericula salutis.*
14. *Disparitas de obligatione restitutionis.*

§. I.

Praesupposita.

1. QUamvis facilè conveniant DD. hominem jure positivo tam divino, quàm naturali obligari, ut quandoque agat poenitentiam; non tamen ita facilè constat, quandonam per se ex motivo & virtute poenitentiae obligetur; potest enim per se vel per accidens praeceptum poenitentiae, uti & aliarum virtutum obligare. Per se dicitur obligare, quando ratione sui, suaeque specificae honestatis obligat: & tunc omissio poenitentiae est speciale peccatum specialiter exprimendum in confessione. Per accidens obligat, quando ratione alterius, sive propter conjunctionem cum alio praecepto, quod sine poenitentia observari non potest, obligat: ut si quis velit recipere Sacramentum vivorum, quod sine praevia contritione vel confessione dignè recipere non potest; & tunc omissio poenitentiae non est peccatum distinctum à transgressione alterius praecepti; v. g. à peccato sacrilegii, & indignae susceptionis in dicto casu. Unde primò sunt, qui putent extra articulum mortis praeceptum contritionis vel confessionis jure divino & naturali non obligare. Secundò communior Theologorum sententia docet, etiam extra articulum vel periculum vitae saepius in vita per se obligare. Cùm verò difficultas sit in assignando tempore: ideo censent primò Sylvest. V. Contritio. & D. Antoninus p. 3. tit. 14. c. 18. nos teneri ad contritionem statim post commissum peccatum. Angelus V. feriae. n. 141. cum aliis apud Tannerum censet, peccatorem teneri ad contritionem occurrente die Dominico vel festo. Henriquez apud Amicum putat quolibet quinquennio. Nunnez quoties peccatorem propria conscientia stimulat. Mastrius non dissimili sensu cum aliis à se relatis d. 5. q. 7. a. 3. quoties peccator deliberat & practicè cogitat de peccatis à se commissis, sive quoties peccata proponuntur in intellectu ut graves offensae DEI practicè detestabiles. Addit tamen, hoc praeceptum poenitendi non semper urgere ad perfectum actum contritionis justificativum extra Sacramentum; sed saltem ad aliquem actum imperfectum displicentiae & detestationis peccati commissi. Ad cujus proinde quaestionis resolutionem

Suppono primò. Peccatorem jure positivo tam divino, quàm naturali obligari, vel ad perfectam contritionem eliciendam de peccatis, vel in nova lege ad attritionem unà cum Sacramento. Ita communis. 2.

Prima pars clarè continetur in S. Script. Luc. 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et 4. Act. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Praeterea: Praecepta primae tabulae sunt juris divini: sed praeceptum DEO satisfaciendi seque per poenitentiam reconciliandi, pertinet ad praecepta primae tabulae, & quidem ad primum praeceptum, in quo implicitè continetur: eodem quippe praecepto, quo tenemur DEUM amare, revereri, & colere super omnia, etiam obligamur aversari offensam DEI & satisfacere pro ipsa.

Secunda pars quae habetur à S. D. in terminis q. 84. a. 7. ad 1. & 86. a. 6. probatur ratione primò: Lex justitiae in contritione inclusa, & ab ipso naturae lumine derivata dictat, ut satisfaciamus pro injuria alteri illata: sicut enim ratio monet, ut quod tibi non vis fieri, alteri non facias; sic pariter dictat: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, etiam vos facite illis*: atqui DEO non nisi per Poenitentiam satisfacimus: ergo. Secundò. Hoc ipsum jubet lex naturalis amandi DEUM; quâ enim lege tenemur DEUM amare super omnia, eâdem tenemur illa amoliri, quae DEUM offendunt, ejusque amicitiam tollunt. Ac Tertiò lex charitatis & dilectionis erga se ipsum praecipit, *ut salutem nostram procuremus*, mala opposita fugiamus, media ad salutem necessaria amplectamur. Unde Hieron. super Eccles. 7. *Novit*, inquit, *hirundo pullos de succo oculare chelidonia, & dictamnum caprae appetunt vulneratae: cur nos ignoremus medicinam Poenitentia propositam esse peccantibus?*

Ter-

Tertia pars inde patet: quia DEUS in nova lege minorem satisfactionem acceptat pro peccatis, quàm in lege naturæ & Moysis: dum, quod deest de perfectione contritionis, supplet ex meritis Christi, quæ in Sacramentis mortuorum ad deletionem peccatorum operantur. Neque hinc sequitur, quòd dispensârit in lege naturæ obligante ad contritionem: lex enim naturæ absolutè obligat ad satisfactionem pro peccatis DEO exhibendam, qualis est necessaria ad obtinendam reconciliationem, non verò obligat ad determinatum modum satisfaciendi: cùm ergo in nova lege per attritionem unà cum Sacramento haberi possit justificatio, non determinatè obligat ad contritionem, nisi casu quo Sacramentum haberi non potest. In antiqua verò lege, quia per attritionem cum Sacramento (ex suppol. nostræ sententiæ) justificatio obtineri non poterat, ideo requirebat contritionem.

3. Suppono secundò. Toties per accidens obligare actum contritionis, vel attritionis cum Sacramento, quoties exercenda est actio sacra & studiosa, quæ statum gratiæ requirit. Ita primò obligatur Minister Sacramenti conscius peccati mortalis ad contritionem vel confessionem sacramentalem, quoties ex officio &, tanquam minister solennitatis conficit, vel ministrat aliquod Sacramentum. Secundò quoties quis recipit aliquod Sacramentum vivorum. Speciali tamen jure & præcepto Tridentini ad Sacramentum Eucharistiæ recipiendum propter tanti Sacramenti reverentiam insuper requiri sacramentalem confessionem, cùm datur illius copia, dixi in Tract. de Eucharistia. Tertiò in resistentia gravis tentationis, quam aliquis absque contritione vel amore DEI super omnia aut statu gratiæ superare diffidit; tenemur quippe adhibere media pro vitandis peccatis, & proximis occasionibus peccatorum. Quartò quotiescunque obligat præceptum charitatis, quia cùm charitas occurrente memoria peccatorum ex natura rei inferat & imperet illorum detestationem, ideo peccator hoc ipso non haberet efficacem dilectionem DEI super omnia, si stante peccatorum memoriâ illa detestari, & pro iis DEO nollet satisfacere.

4. Suppono tertiò. Præceptum contritionis (nisi haberi possit Sacramentum Pœnitentiæ, de quo suprà) semper se obligare non tantùm in articulo, sed etiam periculo probabili mortis, illum qui habet conscientiam certam, vel dubiam gravis peccati. Ratio primæ partis est: quia quilibet tenetur ad satisfactionem præstandam, quando imminet certum periculum, ne deinceps satisfactionem præstare non possit: sed in articulo mortis (saltem nisi adsit copia confitendi sacramentaliter) est certum periculum, quòd peccator DEO posthac pro peccatis satisfacere, eorumque deletionem impetrare non possit, nisi contritionem eliciat de suis peccatis: ergo. Nec est dubium, quòd peccator in articulo mortis teneatur etiam ex lege charitatis erga DEUM, & seipsum ad procurandam contritionem extra Sacramentum: ex hoc tamen titulo pœnitentiæ magis per accidens, quàm per se obligare videtur.

Ratio secundæ partis est; quia morale & probabile periculum mortis (quale est in quo plurimi occumbunt, velut in longa & periculosa navigatione, in vicina peste, & accessu pestiferorum, in prælio & conflicto bellico &c.) æquivalet articulo mortis, nec minùs homo tenetur vitare periculum moraliter proximum suæ damnationis, quàm physicè certum: atqui tale est periculum probabile, de quo loquimur; siquidem prudentes homines quemlibet in tali occasione versantem existimant de vita periclitari. Dixi, qui habet conscientiam peccati mortalis certam, vel dubiam. nam qui illius peccati gravis haberet conscientiam, eò quòd paulò antè accepisset remissionem peccatorum, non teneretur ad contritionem, quamvìs esset obligatus ad actum dilectionis: qui etiam habet conscientiam dubiam peccati, tenetur ratione evitandi gravissimi damni sequi partem tutiorem, & conteri de peccato.

Suppono quartò. Præceptum contritionis non obligare statim post commissum peccatum, neque diebus Dominicis aut festivis. 5.
Ratio primi est: quòd in hoc differant præcepta positiva seu affirmativa à negativis; quòd ista semper & pro semper obligent; illa verò pro determinato tempore, & pro certis circumstantiis; unde licèt peccator statim post peccatum incipiat obligari præcepto satisfaciendi & pœnitendi pro injuria DEO illata; non tamen statim pro illo tempore, quod immediatè sequitur commissionem peccati; præsertim cùm tunc ex recenti & flagranti affectu ad peccatum sit minimè dispositus ad pœnitentiam. Ratio secundi est: quòd nullum sit fundamentum asserendi majorem obligationem sanctificandi diem festivum, quàm audiendi sacrum, & abstinendi ab opere servili; sed huic præcepto sicuti satisfit sine dilectione, ita etiam sine contritione de peccatis, unde fideles de omissione contritionis vel dilectionis, in confessione nunquam se accusant. Nec refert, quòd finis istius præcepti, quo jubemur dies festos sanctificare, sit, ut animæ DEO per sanctitatem magis conjungantur. nam, ut est communis Moralistarum regula, finis præcepti, nisi aliud exprimatur, non cadit sub præcepto.

Suppono quintò. Quotiescunque peccatori sua peccata commissa repræsentantur practicè & deliberatè tanquam malum morale detestabile, toties illum obligari ad detestationem saltèm imperfectam ipsius. Ita Mastrius citatus. 6.
Ratio est: quòd sicuti ratio naturalis homini dictat, bonum honestum repræsentatum sub ratione prosequibilis esse prosequendum; ità ex opposito dictat malum inhonestum, ut tale repræsentatum, esse fugiendum; vel ergo voluntas prosequitur illud malum inhonestum, & tunc eo ipso peccat, vel neutrali modo se habet ac suspendit actum, & tunc habet virtualem seu interpretativam complacentiam in illo: neque enim retrahi potest ab aversatione mali, quà talis repræsentati, nisi propter aliquam apparentem rationem boni,

quæ hoc ipso, quòd sit inhonesta, refundit malitiam in voluntatem. Sanè non minùs natura rationalis homini, dictat peccatum ut DEO & animæ inimicum esse odiendum, quàm natura sensitiva ovi dictat, lupum ut vitæ inimicum esse fugiendum; unde sicut ovis contra naturam sensitivam operatur non fugiendo lupum; sic homo operaretur contra naturam rationalem non fugiendo vel odiendo peccatum, sub ratione peccati repræsentatum. Dixi, quoties *practice & deliberatè* repræsentatur; nam si superficialis tantùm memoria peccati & per transennam subeat absque repræsentatione clara oppositionis, quam peccatum habet contra legem supernaturalem, non aderunt sufficientia requisita ad pariendam obligationem. Addo tamen hanc obligationem esse Pœnitentiæ ut est virtus generalis; quia quo modo repræsentatur detestabilitas peccati, eo modo nascitur obligatio illud detestandi: sed hæc repræsentatur secundùm oppositionem cum variis virtutibus: ergo obligatio illa detestandi nascitur ex oppositione cum variis virtutibus, quæ detestatio est actus Pœnitentiæ generalis secundùm dicta. Restat ergo ulteriùs decidendum, sitne obligatio etiam extra articulum vel periculum mortis eliciendi aliquando actum perfectæ contritionis sufficientem ad justificandū, & quandonam sit illa obligatio?

§. II.

Astruitur obligatio Pœnitentiæ.

7. CONCLUSIO. *Præceptum Pœnitentiæ per se obligat etiam extra articulum vel periculum mortis.* Ita Sotus, Valentia, Nunnez, Amicus aliique complures.

Probatur primò ex Tridentini verbis sess. 14. c. 5. *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Ex quibus sic ducitur argumentum. Eodem jure & præcepto tenetur quis ad contritionem extra Sacramentum, quo tenetur ad Sacramentum confessionis, utrumque enim oritur ex motivo ac honestate reconciliationis, seu satisfactionis DEO præstandæ: sed juxta Trid. peccatores tenentur etiam extra articulum & periculum mortis jure divino ad confessionem sacramentalem peccatorum: ergo etiam eodem jure tenentur ad contritionem de illis habendam extra articulum & periculum mortis, quando non adest facultas peccata confitendi. Minor probatur: Si tempus implendi præceptum confessionis tantùm foret articulus & periculum mortis, non rectè diceret Concilium, quòd Ecclesia præscribendo annuam confessionem determinâsset tempus implendi divinum hoc præceptum, siquidem illud tempus est per se determinatum: ergo Concilium loquitur de tempore implendi hoc præceptum, quod est distinctum ab articulo & periculo mortis.

Confirmatur. Quantumvis aliquis implêsset præceptum annuæ confessionis, si deinde articulus vel periculum mortis ingrueret adhuc teneretur ad confessionem, vel hâc deficiente ad contritionem de peccatis postea commissis: ergo præcepti divini obligatio, quæ per annuam confessionem impletur, est distincta ab illa obligatione, quæ impletur per confessionem vel contritionem in articulo aut periculo mortis.

Probatur secundò ex Bulla Sanctiss. D.N. Innocentii XI. in quâ n. 5. 6. & 7. damnantur sequentes propositiones: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.* Ex quibus ita licet argumentari: Non minor apparet obligatio contritionis in peccatore, quàm dilectionis in quocunque adulto (quæ est enim disparitas, cùm contritio includat dilectionem, & ista inferat contritionem?) sed juxta definitionē summi Pont. non satisfaceret divino præcepto dilectionis, qui tantùm semel in articulo mortis v. g. per se eliceret dilectionem, vel per accidens quoties tenetur justificari, & non habet aliud medium: ergo neque satisfacit præcepto contritionis, qui per se tantùm semel in vita v. g. in articulo mortis, & per accidens quoties justificationem sibi necessariam aliâ viâ obtinere non potest, elicit actum contritionis.

Probatur tertiò. Non minùs est inconveniens ut homo per notabilem & magnam partem suæ vitæ maneat inimicus DEI, & aversus à suo debito & ultimo fine; quàm ut sit inimicus & aversus totâ vitâ: ergo non tantùm obligatur in fine vitæ, sed sæpius in vita converti ad DEUM. Antecedens probatur: Illud est sub præcepto alicujus virtutis, sine quo non potest satisfieri fini intrinseco illius virtutis: sed fini intrinseco contritionis & Pœnitentiæ, qui est per satisfactionem & extinctionem injuriarum cum DEO redire in gratiam, non potest satisfieri, nisi peccator extra articulum vel periculum mortis sæpius in vita doleat: ergo. Minor probatur: Voluntaria permanentia gravis in statu peccati & inimicitiæ cum Deo graviter repugnat cum honestate & fine isto intrinseco delendi injurias DEO illatas: sed qui longo vel toto vitæ tempore voluntariè permaneret in statu peccati, haberet gravem permanentiam in statu peccati; nam gravitas ista mensuratur ex duratione, unde magna pars vitæ jam facit gravem materiam: ergo qui toto vel longo vitæ tempore permanet in peccatis, non satisfacit fini intrinseco virtutis Pœnitentiæ obligans ad non permanendum in statu peccati usque ad articulum mortis, quod non nisi per contritionem impleri potest.

Confirmatur primò. Diuturna permanentia in peccatis constituit hominem in proximo periculo peccandi: cùm sit impossibile hominem diuturno tempore gratiâ destitutum, & à suo ultimo fine exorbitantem non incidere in nova peccata, ergo tenetur hanc permanentiam tollere per contritionem.

Confirmatur secundò. Qui primùm dolet de pec-

peccatis in articulo mortis, plerumque non tam dolet, ut DEO satisfaciat pro injuriis illatis, quàm ut evitet æternam damnationem: atqui præceptum contritionis per se primò tendit in satisfactionem pro injuriis DEO illatis: ergo præceptum contritionis non potest præcisè respicere articulum & periculum mortis.

§. III.

Corollaria.

8. Hinc Infero primò. Tametsi Ecclesia non determinâsset præceptum annuæ confessionis, tamen mortaliter peccaturum, qui recordans se totius anni spatio in statu peccati versatum, pœnitentiam de illo nollet agere: nam annus integer est pars totius vitæ magna & notabilis.

9. Infero secundò. Non teneri peccatorem ad perfectam contritionem, quàm primùm ipsi peccatum tanquam practicè detestabile proponitur: neque enim est fundamentum talis obligationis; neque de hoc fideles in confessionali se accusant.

10. Infero tertiò. Tempus hujus obligationis, hoc est, quanto tempore post peccatum homo sit obligatus ad perfectam contritionem, non esse determinatum; quando tamen cum remorsu conscientiæ & instinctu divino homini practicè repræsentatur gravis & magna multitudo peccatorum cum notabili temporis diuturnitate conjuncta, teneri peccatorem ad eliciendam perfectam contritionem de ipsis, probabiliter docet Henriquez apud Sangallenses hîc q. 3. dub. 7. eò quòd tunc Pœnitentiæ dilationem quasi divinæ vocationis contemptum carpat S. Scriptura, ut Prov. 1. *Vocavi & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

11. Objicies primò. Illa omnia S. Script. & SS. PP. testimonia relata à Gonet hîc d. 7. a. 5. §. 4. quibus dissuadetur vel reprehenditur Pœnitentiæ procrastinatio, uti Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Ex quibus videtur inferendum, quòd homo, quàm primùm peccavit, teneatur ad contritionem. Respondent aliqui primò. In illis authoritatibus dari potiùs consilium, quàm præceptum. Respondeo secundò. Ly *tardare*, & similia non significare vel præcipere immediatam conversionem ad DEUM à peccatis, sed ne homo velit longo vitæ tempore, vel usque in finem vitæ differre pœnitentiam. Hoc enim est contra præceptum negativum tam charitatis, quàm Pœnitentiæ: charitatis quidem, quia involvit virtualem contemptum divinæ amicitiæ & propriæ salutis; Pœnitentiæ quoque, quia ista præcepto negativo obligat, non velle DEO longo tempore subtrahere satisfactionem pro peccatis, aut non se conjicere in proximum periculum DEO nunquam satisfaciendi pro injuriis ipsi illatis; in quo fundatur præceptum illud positivum DEO quandoque etiam extra ultimam necessitatem per pœnitentiam satisfaciendi.

12. Objicies secundò. Velle statum peccati mortalis est mortaliter peccare: sed qui omittit contritionem post commissum peccatum, vult statum peccati mortalis: ergo peccat mortaliter. Minor probatur: qui non vult adhibere medium necessarium ad tollendum statum peccati, vult interpretativè & virtualiter ipsum statum peccati: sed qui omittit contritionem, non vult adhibere medium necessarium ad gratiam recuperandam, & tollendum statum peccati: ergo.

Respondeo. Velle statum peccati mortalis positivè & voluntate distinctâ à præterito actu peccati, est mortaliter peccare, concedo; velle tantùm permissivè, & voluntate indistinctâ à præterito peccato, sic nego. Sed qui omittit contritionem, vult statum peccati vel positivè vel permissivè, concedo; positivè semper, nego minorem. ergo peccat, si velit positivè & voluntate distinctâ, concedo; si permissivè & voluntate indistinctâ ab actu præterito, nego consequentiam. Sensus est: quòd status peccati mortalis ex se sit in causa & terminativè voluntarius, in quantum necessariò sequitur ad actum peccati mortalis. non sit autem in se formaliter voluntarius, nisi voluntas ex speciali malitiâ & complacentia status peccaminosi à se repellat media conversionis. Vel ergo post peccatum voluntas non vult elicere contritionem, quia non apparet aliqua obligatio removendi statum peccati, & tunc se habet solummodo permissivè, neque status peccati fit de novo & formaliter voluntarius, sed tantùm remanet voluntarius in causa ratione peccati præteriti nondum retractati: vel non vult elicere contritionem, quia ipsi status peccati sub nova delectabilitate repræsentatur novamque complacentiam attrahit, & tunc voluntas se habet positivè & procul dubio committit novum peccatum. Hinc ad probationem Respondeo. Qui non vult adhibere medium necessarium voluntate positivâ, peccat, concedo; voluntate tantùm permissiva, nego. Vel subdistinguo: pro tempore, pro quo tenetur adhibere tale medium, concedo; pro quo non tenetur, nego: tunc enim omissiones, & effectus exinde secuti, sunt ac dicuntur propriè voluntarii, ac imputabiles in culpam, quando quis tenetur ponere actum omissionis oppositum.

Objicies tertiò. Homo non minori charitate tenetur erga seipsum & animam suam, quàm erga proximum suum & corpus suum: sed ex præcepto charitatis obligatur statim corripere fratrem delinquentem & adhibere medicamenta post vulnus acceptum: ergo multò magis tenebitur saltem ex præcepto charitatis per pœnitentiam suæ animæ & saluti succurrere. 13.

Respondeo, minorem tantùm esse veram, quando est periculum proximum de proximi aut proprii corporis salute: atqui non est statim post cõmissum peccatum propriæ salutis periculum proximum, cùm salus sit in manu nostra, & Deus nunquam desinat auxiliis sufficientibus arbitrio libero assistere.

Objicies quartò. Restitutio statim obligat post rem injustè ablatam: ergo etiam contri-

 tio;

tio statim obligat post peccatum, tanquam restitutio & satisfactio DEO præstanda pro jure & honore ipsi intentativè ablato.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd dilatâ restitutione proximus damnificatur in rebus & bonis sibi utilibus, unde est obligatio statim restituendi, fundata in præcepto negativo justitiæ proximum non damnificandi; econtra per injuriam quæ per peccatum DEO infertur, DEUS nullum patitur damnum reale in bonis sibi utilibus (quid enim DEO utile, aut necessarium?) neque per dilationem Pœnitentiæ: unde etiam pro peccato non tam restitutio datur, quàm satisfactio.

Inquis. Etiamsi detractio famæ non fiat in bonis proximo utilibus tamen, detractor statim obligatur ad restituendum; ergo similiter peccator statim obligatur ad pœnitendum. Respondeo distinguendo antecedens: per accidens, quando nimirum ex dilatione restitutionis adest periculum majoris divulgationis & diffamationis, concedo; per se, nego. Et similiter dico, si peccator honorem divinum aliquo peccato non tantùm generaliter & secundùm genericam rationem injuriæ transcendentaliter inclusam in omni peccato sed etiam specialiter læderet, v. g. pravam vel hæreticam doctrinam disseminando, eundem etiam ad statim præstandam restitutionem & revocationem obligatum fore, si major divini honoris læsio exinde secutura prævideatur.

DISPUTATIO XLVI.

De Attritione in specie.

QUadruplex est controversia hoc loco decidenda. Prima, an Attritio ex metu gehennæ sit actus bonus & honestus? Negativam tuentur Sectarii duce Luthero dicentes esse vituperabilem, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Secunda, an attritio ex metu gehennæ etiam cognita ut talis sit sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ? vel an semper sit necessarius dolor de peccatis ex motivo DEI super omnia dilecti: nam posteriorem opinionem etiam post Tridentinum amplectuntur Sylvius, Pallavicinus, & quidam Theologi Belgæ, quibuscum novissimè sentit Contensonus. c. 2. diss. un. Tertia. An attritio in Sacramento Pœnitentiæ debeat esse universalis, vel sufficiat particularis? & consequenter Quarta. An possit aliquando defectu universalis doloris dari Sacramentum validum & informe? Requiri attritionem universalem, nec proinde dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, tuentur Medina, Sylv. & majori ex parte RR. & ex nostris Clarissimi PP. Bernardus Waibl, Rassler, Oberascher. Contrariam sententiam communiter defendunt Thomistæ, Jo. à S. Th. Gonet, Labat, Phil. à S. Trin. & ex RR. Suarez, Perez, Lugo, Dicastillo, & Magnif. P. Gregorius Wibmperg in Thes. de pœnit. 11.

ARTICULUS I.

An dolor ex metu gehennæ sit laudabilis?

SUMMARIA.

1. *Quid sit attritio?*
2. *Quotuplex sit attritio?*
3. *Quid & quotuplex sit timor servilis?*
4. *Attritio extra Sacramentum nunquam est sufficiens dispositio ad justificationem.*
5. *Alia attritio universalis, alia particularis.*
6. *Attritio ex metu gehennæ est laudabilis.*
7. *Exponitur mens D. Augustini.*
8. *Dolor ex metu gehennæ magis timet pœnam, quàm culpam solùm præcisivè, non comparativè.*
9. *Attritus movetur à bono proprio sine exclusione relationis in DEUM.*
10. *Disparitas de involuntario ex metu.*

§. I.

Præsuppositæ.

1. SUppono primò ex antè dictis, quòd attritio sit dolor imperfectus & detestatio peccati ex aliquo motivo supernaturali diverso, quàm sit DEUS super omnia dilectus. Quod quidem motivum ex mente Trid. sess. 14. c. 4. est duplex, nempe vel turpitudo peccati, vel metus gehennæ: nam præter malitiam injuriæ & offensæ reperitur in peccato duplex alia malitia; una moralis & formalis, estque ipsius turpitudo & deformitas devians à regula rectæ rationis: alia pœnalis & causalis, nempe malum & reatus pœnæ, quam DEUS infligit propter peccatum. Qui primam malitiæ rationem detestatur, elicit actum contritionis; qui verò secundam & tertiam, dicitur elicere actum attritionis.

Suppono secundò. Imperfectum hunc dolorem posse esse vel naturalem, vel supernaturalem. Supernaturalis dividitur in supernaturalem quoad modum, vel quoad substantiam. 2.

Quoad

Quoad modum est, quando secundùm speciem & entitatem, actûs quidem continetur intra ordinem naturæ; modus tamen quo obtinetur, est supernaturalis, veluti scientia infusa Adami de naturalibus quoad se erat naturalis, quoad modum verò infusionis supernaturalis. Quoad substantiam dolor supernaturalis est; qui ex vi sui motivi & secundùm speciem actûs excedit ordinem naturæ, veluti si sit dolor de peccatis; vel propter turpitudinem peccati quatenus oppositam motivo supernaturali & legi Evangelicæ supernaturali; vel propter metum gehennæ tanquam per lumen supernaturale fidei cognitæ. Naturalis dolor est, qui provenit ex amore alicujus boni naturalis, ut si quis doleat de peccato ebrietatis, quia exinde contraxit morbum oppositum suæ sanitati, vel metu mali temporalis, ut si quis doleat de furto propter metum infamiæ, patibuli &c. Ubi certum est attritionem merè naturalem, quoad substantiam tantùm, nihil conducere ad remissionem quorumcunque peccatorum: primò, quia ex aliàs dictis constat, quemcunque motum liberi arbitrii dispositivum ad gratiam, & conducentem ad salutem æternam debere esse ex gratia speciali Spiritûs S. & ordinis supernaturalis. Secundò, quia Tridentinum lo. cit. hunc dolorem appellat donum Spiritûs S. Tertiò, quia dispositio ad formam debet esse ejusdem ordinis cum forma: sed attritio est dispositio ad gratiam in Sacramento obtinendam: ergo sicut ipsa est supernaturalis, etiam attritio debet esse talis.

3. Suppono tertiò. Metum gehennæ dici servilem per oppositionem ad timorem filialem: quia filialis tanquam filiorum proprius ex amore amicitiæ & reverentia erga DEUM dimanat, & principaliùs timet offensam, quàm pœnam. Servilis verò ex amore concupiscentiæ oritur, & magis timet pœnam, quàm culpam, quod servorum solet esse proprium. Hic timor servilis dividitur in specificativè seu negativè servilem, & in reduplicativè seu serviliter servilem. Servilis specificativè seu negativè est, qui licèt habeat pro objecto proximo malum pœnæ, tamen efficaciter excludit affectum peccandi, eò quòd talis pœna non nisi per exclusionem omnis etiam complacentiæ & affectûs peccaminosi evitari possit: neque excludit alia etiam motiva detestandi peccatum, sed potiùs ad illa viam parat. Econtra serviliter servilis est, qui ita percellit animum peccatoris, ut, nisi esset pœna, nollet desistere à peccato; nec proinde inducit absolutam & efficacem detestationem peccati, sed tantùm inefficacem, conjunctam cum conditionatâ voluntate peccandi, si infernus non esset; quemadmodum is qui mortis metu merces in mare projicit, simul habet velleitatem & conditionatam voluntatem illas retinendi, nisi mortis periculum inde immineret. Dicitur hic metus serviliter servilis, quia non tantùm est ex objecto, sed etiam ex modo operandi talis, ratione cujus etiam malus & inhonestus est, quamvis ex se absolutè malus non esset.

4. Suppono quartò. Attritionem extra Sacramentum nunquam esse sufficientem dispositionem ad justificationem, ut habetur definitum in Trident. sess. 14. c. 4. verbis mox referendis. Et ratio est: quòd ille tantùm motus potest esse proxima & ultima adeòque sufficiens dispositio ad justificationem, quo voluntas perfectè convertitur ad DEUM ut ultimum finem, & satisfacit pro peccato quatenus est offensa & injuria summi Boni; sed hoc non facit attritio, quippe quæ pro motivo formali proximo tantùm habet vel honestatem virtutis & inhonestatem oppositam peccati, vel evitationem pœnæ æternæ, quæ motiva cū suis actibus non necessariò procedunt à Spiritu S. inhabitante; & sunt separabilia à statu gratiæ & charitatis.

Suppono quintò. Attritionem posse esse universalem, vel particularem; universalis est, quæ procedit ex motivo intrinseco se se extendente ad omnia peccata mortalia, ut si doleas ex metu gehennæ, vel propter rationem irreverentiæ & ingratitudinis, quæ reperitur in omni peccato. Particularis est, si doleas de uno altróve peccato ex motivo particulari non se extendente ad omnia peccata, ut si doleas de proximi damnificatione propter turpitudinem injustitiæ. 5.

§. II.

Sitne attritio ex metu gehennæ honesta & laudabilis.

6. CONCLUSIO est *affirmativa*; & de fide definita à Trid. sess. 14. c. 4. his verbis: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem: verùm etiam donum DEI esse, & Spiritûs S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

Probatur primò authoritate S. Script. ex illo Matth. 10. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Item authoritate SS. PP. quos referunt Gonet d. 7. a. 2. & Amic. d. 5. se. 1. Inter quos D. Hier. in c. 2. Mich. *Qui pudore*, inquit, *& verecundiâ non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum.*

Probatur secundò ratione. Ubi licitus & honestus est appetitus boni, ibi etiam honesta & licita est fuga mali oppositi: sed honestus & licitus est appetitus seu desiderium beatitudinis: ergo etiam licita & honesta est fuga seu metus æternæ damnationis, tanquā mali oppositi. Item: quod est ex impulsu Spiritûs S. moventis, est bonum: sed dolor ex metu gehennæ est talis ex Trid. modò citato: ergo.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

7. OBjicies primò authoritatem D. Augustini ep. 144. dicentis: *Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si ejus amore non peccet, &c.* Item: *qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccatum metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit; &c.*

Respon-

Respondeo. D. Augustinum loqui de inefficaci timore gehennæ & serviliter servili. Suam ipse mentem satis explicavit in Ps. 127. dicens: *Bonus est iste timor, utilis est.* Et serm. 18. de V. Ap. suadet hunc timorem ex prædllegatis Christi verbis Matth. 10. *Cùm ergo*, inquit, *Dominus timorem incussit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum communicationem geminaverit, dicturus ego sum: Male times? Ita non dicam. Planè time; nihil meliùs times: nihil est, quod magis timere debeas.*

8. Objicies secundò ex ratione. Actus inordinatus voluntatis est malus: dolor ex metu gehennæ est actus inordinatus: ergo. Minor probatur: magis dolere de minori, quàm de majori malo; de pœna, quàm de culpa, & ordinare majus bonum ad minus bonum, est contra ordinem rectæ rationis: sed attritio ex metu gehennæ magis dolet de culpa, quàm de pœna; item ordinat evitationem culpæ, quæ est majus bonum, ad evitationem pœnæ, quæ est minus bonum: ergo est contra ordinem rectæ rationis.

Respondeo negando minorem. Et probationis primam partem distinguo: Magis dolere de minori malo comparativè, est contra ordinem rectæ rationis, concedo; magis præcisivè, nego: sed attritio ex metu gehennæ magis timet de pœna, quàm culpa, præcisivè concedo; magis comparativè, nego minorem & consequentiam. Sensus est, quòd licèt attritus hîc & nunc majori affectu aversetur pœnam, quàm culpam, eò quòd illius repugnantia vivaciùs repræsentetur, & præscindat à motivis, è quibus culpa magis debet abhorreri, quàm pœna; non tamen constituit comparationem aliquam expressam, vi cujus in actu signato malum pœnæ præferat malo culpæ (quod foret contra regulas prudentiæ:) istud verò non est contra regulam rectæ rationis; siquidem non excluduntur alia motiva, vi quorum voluntas magis possit aversari culpam, quàm pœnam. Secundam quoque partem probationis distinguo. Ordinare majus bonum ad minus bonum tanquam ad finem ultimum est inordinatum, concedo; tanquam ad finem proximum & intermedium, nego: neque enim finis proximus excludit relationem ad finem ulteriorem; unde qui timet gehennam, etiam saltem indirectè timet Judicem DEUM.

Dices. Si attritus DEUM haberet pro ultimo fine, tunc consequeretur justificationem: sed hoc repugnat nostris principiis: ergo.

Respondeo: Si haberet pro ultimo fine efficaciter & directè intento, concedo; si tantùm inefficaciter & indirectè, nego, juxta illa quæ dixi in tr. de act. hum.

Objicies tertiò. Actus qui in bono proprio ultimatò quiescit, est malus: sed attritio concepta ex metu gehennæ ultimatò quiescit in bono proprio: ergo est mala & inhonesta. Minor probatur: In eo fine actus ultimatò quiescit, à quo primò movetur & incipit: sed attritio ex metu gehennæ primò incipit ab amore boni proprii, quia qui dolet ex puro metu gehennæ, movetur ex amore boni oppositi, quod est bonum & commodum proprium evadendi talem pœnam. 9.

Respondeo negando minorem, & utramque probationem distinguo. Attritio primò, incipit & qui dolet ex metu gehennæ primò movetur ab amore boni proprii excludente relationem in DEUM, nego; includente, concedo: non quidem efficacem, sed inefficacem.

Objicies quartò. Illa quæ fiunt ex metu, habent conjunctam velleitatem oppositi. Ita enim qui merces projicit in mare ex metu amittendi vitam, non propterea desinit amare merces: ergo etiam dolor ex metu gehennæ compatitur complacentiam peccati; nec proinde potest esse bonus. 10.

Respondeo negando Consequentiam: quia efficax voluntas evitandi gehennam repugnat etiam cum complacentia peccati mortalis: At voluntas efficax salvandi vitam temporalem non repugnat cum simplici complacentia mercium.

ARTICULUS II.

An attritio intra Sacramentum sit sufficiens dispositio ad justificationem?

SUMMARIA.

1. *Attritio cum Sacramento sufficit ad justificationem.*
2. *Urgetur authoritas Tridentini contra responsiones Adversariorum.*
3. *Fundamentum à ratione.*
4. *Exponitur mens D. Augustini.*
5. *Aliud est vera, aliud perfecta Pœnitentia.*
6. *Pœnitens motu prosecutionis fertur in DEUM, sed non semper efficaciter, & proximè intentum sub ratione finis ultimi.*
7. *Voluntas potest esse bona imperfectè sine charitate.*
8. *An adultus sine motu charitatis possit salutem consequi?*
9. *Disparitas de puero veniente ad usum rationis.*
10. *Disparitas de actu fidei.*
11. *Attritio tantùm existimata non sufficit ad gratiam Sacramenti.*
12. *Sufficit attritio cognita ut talis.*
13. *Etiam in mortis articulo per se loquendo.*

§. I.

Resolutio affirmativa.

CONCLUSIO. *Attritio absque motivo dilectionis DEI est sufficiens dispositio ad consequendam gratiam justificationis intra Sacramentum.* Ita Authores priùs citati, & censet Amicus hic disp. 12. sect. 1. post Concilium Tridentinum non posse in dubium revocari. 1.

Probatur primò ex Tridentino, quod citatâ sess.

sess 14.c.4. post verba priori art. relata addit immediatè hæc sequentia: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ex quibus sic ducitur argumentum: Ille dolor est sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, qui ità peccatorem disponit ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, sicut contritio perfectà disponit extra Sacramentum: sed ità disponit attritio, quæ concipitur vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ: ergo.

Respondent: Concilium per hæc non voluisse excludere motivum divini amoris, quasi ille dolor elicitus ob metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, non debeat procedere ex aliquo saltem imperfecto amore DEI super omnia.

Sed contra est primò. Concilium loquitur de dolore, quem opponit contritioni charitate perfectæ: ergo non loquitur de dolore, qui procedit ex amore DEI super omnia. Secundò Concilium attritioni tribuit majorem causalitatem in Sacramento, quàm extra Sacramentum: sed si procederet ex amore DEI, non haberet majorem causalitatem, siquidem vim justificandi haberet extra Sacramentum. Tertiò. Illum dolorem ut sufficientem approbat Tridentinum tum citato c. 4. tum can. 5. quem Sectarii negabant esse bonum & utilem, & quem dicebant *facere hominem hypocritam*, non esse liberum & voluntarium Sed Sectarii hoc non dicebant de dolore procedente ex motivo amoris DEI; sed ex timore; uti patet ex ipsius Lutheri verbis relatis apud Valent. d.7.q.2. Contrà est quartò. Concilium loquitur de illo dolore imperfecto, qui est à Spiritu S. nondum inhabitante, sed movente: sed dolor procedens ex charitate est à Spiritu S. inhabitante: ergo Concilium non loquitur de illo dolore. Item Concilium illum dolorem approbat ut sufficientem in Sacramento Pœnitentiæ, qualem habebant Ninivitæ: sed iste non erat ex amore, sed ex timore; *hoc enim timore;* inquit Tridentinum, *concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem; plenam terroribus pœnitentiam egerunt.*

Contrà est quintò Si præter motivum turpitudinis peccati & timoris gehennalis ad attritionem dispositivam intrà Sacramentum ulteriùs requireretur motivum dilectionis DEI; tunc Concilium in materia doctrinali dedisset divisionem inadæquatam & manco modò processisset, quod neutiquam est præsumendum, præsertim cùm doctrina de Sacramento Pœnitentiæ sit summè necessaria ad salutem. Sequela constat: quia in enumeratione motivorum; è quibus dolor sufficiens ad impetrandam gratiam in Sacramento elicitur; omisisset motivum dilectionis divinæ.

Neque valet; si dicas: Tridentinum loqui de dispositione remota; qualis potest esse attritio ut separata à motivo dilectionis: contrà enim est, ut jam insinuavimus, quòd Concilium loquatur de tali dispositione, quæ est major & efficacior in Sacramento, quàm extra Sacramentum: sed attritio separata à motivo dilectionis DEI etiam extra Sacramentum habet, quòd sit dispositio remota ad justificationem: ergo Trident. non potest intelligere dispositionem remotam.

Contrà est sextò. Si attritio sufficiens intra Sacramentum ex hoc solo distingueretur à perfecta contritione sufficiente extra Sacramentum, quòd ista includeret perfectum amorem, illa verò imperfectum amorem DEI, quæro: Vel ille amor imperfectus habet pro suo formali motivo divinam Bonitatem appretiatam super omnia; ita ut (prout volunt Belgæ Theologi) sit amor prædominans h.e. talis, ut nulla cupiditas sit æqualis vel major, quàm charitas. Vel secundò, ille amor secum compatitur majorem alterius objecti disparati, sicque non est propriè amor DEI super omnia, prout explicat Pallavic. L. 7. assert. Theol. c. 23. Sed neutrum rectè dicitur: Non primum, quia hoc ipso jam esset amor quoad substantiam perfectus & ex charitate procedens, habens vim justificandi extra Sacramentum; actus quippe ex motivo formali charitatis procedens jam est quoad substantiam perfectus; sed amor præferens appretiativè divinam Bonitatem omni bono creato, est talis: ergo. Non secundum; tum quia Tridentinum ne quidem partialiter facit mentionem alterius motivi, quàm turpitudinis peccati, & metûs gehennæ; neque dolorem à tali motivo provenientem reprobarunt hæretici: tum quia vel nomine amoris imperfecti intelligitur efficax amor amicitiæ habens pro objecto & motivo formali DEUM sub ratione summi Boni & finis ultimi; & tunc eo ipso est quoad substantiam perfectus, sicq; responsio Pallavicini incidit cum priori responsione: vel intelligitur qualiscunque complacentia & desiderium ergaDEUM ut summum Bonum; & sic impropriè & abusivè dicitur amor DEI, cùm à parte rei sit actus spei, vel aliarum virtutum; nam etiam ipse metus gehennæ, quatenùs fundatus in amore concupiscentiæ, est actus spei; quæ sicuti amat suam beatitudinem, sic ex opposito timet & refugit amissionem ipsius. Et hunc inefficacem amorem, complacentiam, relationem ad DEUM saltem ut *finem Cui*, utpote in omni actu supernaturali imbibitum, non est qui neget.

3. Probatur secundò. Si dolor pœnitentis in Sacramento deberet esse charitate perfectus, frustranea esset potestas sacerdotalis, & absolutio Sacerdotis non tam esset remissiva peccatorum, quàm declarativa remissionis. Utrumque est absurdum & contrarium Tridentino c.6. & can. 9. ergo. Sequela quoad primam partem probatur: Illa potestas est frustranea, quæ nunquam exerceri potest: sed potestas sacerdotalis nunquam exerceri posset: est quippe potestas remittendi peccata, & absolvendi à peccatis, non nudum ministerium declarandi remissa esse peccata; atqui nunquam posset hæc potestas exerceri, siquidem istius exercitium est remissio peccatorum & absolutio à peccatis, quæ semper virtute doloris jam facta supponeretur. Unde etiam patet secunda pars sequelæ: Sententia per se supponens factam remissionem peccati, non est ex propria ratione remissiva, sed magis declarativa restitutionis in statum gratiæ: atqui absolutio Sacerdotis per se præsupponeret factam remissionem peccatorum: ergo.

Probatur tertiò. Ad quod tribuendum Sacramentum per se à Christo instituitur, illud non debet per se supponere: sed Sacramentū Pœnitentiæ est

est à Christo per se institutum ad restituendam vitam gratiæ amissam per peccata post Baptismum commissa: quâ de causa etiam à Catholicis appellatur Sacramentum mortuorum: ergo non potest vitam gratiæ per se supponere: atqui per se supponeret, si per se prærequireret dispositionem charitate perfectam. Unde nec differret à Sacramentis vivorum, siquidem non plus per se conferre posset, quàm augmentum gratiæ, quod proprium est Sacramentis vivorum. Confirmatur. Medicina non instituitur pro morbo sanato, sed sanando: atqui si Sacramentum Pœnitentiæ præsupponeret actum charitatis & perfectæ contritionis, jam præsupponeret hoc ipso curationem morbi, & restitutam sanitatem.

Probatur quartò: Sequeretur ex Adversariorum sententia, quòd lex nova gravius jugum fidelibus imponeret, & difficilior esset via ad veniam peccatorum consequendam, quàm in lege antiqua: nam præter contritionem, quæ in antiqua lege requirebatur ad justificationem adulti, insuper requireretur confessio & accusatio de singulis peccatis: sicque Sacramentum pœnitentiæ non tam esset beneficium, quàm onus.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. Objicies primò authoritatem S. Script. & D. Augustini variis locis, quibus docet: *Eum qui non diligit, manere in morte.* 1. Joan. 3. *DEUM diligere diligentes se. tunc peccatorem habere fructum conversionis, cùm cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit.* Greg. M. in L. 1. Reg. c. 15. *Tantum quemq; peccatum odisse, quantum justitiam diligens, quod non potest lege terrente per literam, sed spiritu sanante per gratiam.* Aug. ep. 144.

Respondeo ad primum: Illius dicti sensum vel esse contrarium, ut significet, eum, qui habet in corde odium vel peccatum dilectioni contrarium, manere in morte (qui sensus videtur esse ab Apostolo intentus, cùm loquatur de dilectione proximi:) vel negativum, h. e. qui est destitutus dilectione vel charitate, manet in morte: & neutro modo nobis officit. Non primo modo, ut per se patet; non secundo, quia sic nec potest nec debet intelligi de dilectione in actu secundo & exercito tantùm, hoc est enim manifestè falsum; sed de dilectione vel in actu primo vel secundo, vel in exercitio, vel in habitu & potentia proxima, & sic homo attritus extra Sacramentum manet in morte; quia nec habet nec acquirit habitum charitatis: in Sacramento verò Pœnitentiæ non manet in morte, quia disponitur ad acquirendum habitum dilectionis seu charitatis. Ad secundum & tertium respondeo: Inde plus non inferri, quàm quòd dilectio semper sit dispositio ad gratiam & dilectionem DEI, non autem quòd sit unica etiam necessaria in Sacramento. Ad quartum respondeo, D. Augustinum loqui de generali amore justitiæ, h. e. affectu erga bonum supernaturale, nec est semper efficax, neque necessariò procedit ex charitate.

5. Objicies secundò: Impossibile est, peccata adultis remitti sine veræ Pœnitentiæ motu: sed vera Pœnitentia sine DEI amore haberi nequit: ergo. Major inde constat, quia peccatores jure naturali obligantur ad juris divini læsi reparationem, & de lege ordinaria non remittitur injuria peccati, nisi fuerit satisfactum pro ipsa. Minor probatur: Pœnitentia, cùm sit quædam species justitiæ, petit DEO reddere quod peccator abstulit: sed iste abstulit affective & quantum in ipso fuit, à DEO rationem finis ultimi: ergo Pœnitentia petit illam restituere. Sed restituere affectivè rationem ultimi finis, est finem ultimum in DEO amando quærere, cum sola voluntas amore feratur in finem.

Confirmatur authoritate D. August. serm. 7. de tempore. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor DEI.* Et D. Th. 3. p. q. 83. a. 6. *Actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore DEI.* Similia habet q. 85. a. 6. & L. 4. contra gentes. c. 72.

Respondeo: Impossibile est adultis peccata remitti sine vera, h. e. supernaturali Pœnitentia perfecta vel imperfecta, concedo; sine vera, h. e. perfecta per gratiam, nego. Et eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Ad majoris probationem respondeo: Peccatores obligantur ad juris divini per peccatum læsi reparationem & satisfactionem semper completam ex opere operantis, nego; complendam saltem ex opere operato, concedo. Providit enim benignissimus DEUS in lege gratiæ, ut quod de completa satisfactione deest in opere operantis, suppleatur per applicationem satisfactionis Christi ex opere operato. Rursus ad probationem minoris distinguo maj. Pœnitentia perfecta particulariter & specificativè sumpta petit DEO restituere quod abstulit, transeat; Pœnitentia imperfecta & generaliter sumpta, ut est dolor de peccato ex quocunque motivo supernaturali, nego, & pariter distincto consequente, nego consequentiam. Dixi: *transeat*, nam finis intrinsecus Pœnitentiæ, in rigore loquendo, non est restituere quod ablatum est, sed satisfacere pro injuria per dolorem voluntariè assumptum; quia pro læsione honoris potiùs debetur satisfactio, quàm restitutio: aliàs actus proprius Pœnitentiæ consisteret in ipso actu dilectionis, per quem affectivè collocatur in DEO ratio finis ultimi. Ad Confirmationem respondeo: Utrumque testimonium procedere & loqui de actu Pœnitentiæ perfectæ extra Sacramentum sufficientis ad peccatorem justificandum, non autem de qualibet Pœnitentia etiam intra Sacramentum.

Objicies tertiò. Ad quamcunque justificationem peccatoris requiritur, ut non minus feratur motu prosecutionis in DEUM, quàm motu detestationis in peccatum, & quidem *ex toto corde* juxta illud Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, &c. Sed conversio ad DEUM ex toto corde est per charitatem appretiativam Summi Boni super omnia: ergo. 6.

Respondeo; Necesse est, ut motu prosecutionis feratur in DEUM efficaciter vel inefficaciter, proximè, vel remotè, concedo; efficaciter & proximè, nego. Efficax prosecutio DEI ut finis ultimi proximè intenti est motus charitatis, concedo; inefficax, & ipsius remotè intenti, nego.

Per illud ly *ex toto corde*, si intelligatur appretiatio summi Boni super omnia creata, sic rectè convenit conversioni perfectæ hominis in DEUM, quæ fit merè ex opere operantis extra Sacramentum, & de qua loquitur Propheta: quòd si, ut potest, per illud intelligatur exclusio voluntatis peccandi, sic potest etiam convenire imperfectæ conversioni hominis intra Sacramentum, quæ indiget adjutorio ipsius Sacramenti ex opere operato.

7. Dices: Peccator non convertitur sine bona voluntate; sed sine amore DEI non est bona voluntas: ergo. Major est per se clara: sicut enim malâ voluntate peccamus, sic bonâ voluntate convertimur. Minor est D. Augustini L. de gr. Christ. c. 2. *Quasi verò*, inquit, *aliud sit bona voluntas, quàm charitas?* L. 1. ad Bonif. c. 8. *Charitas sola vult bonum.* Et L. 2. c. 9. *Quid est enim bona cupiditas, nisi charitas?*

Respondeo. Voluntatem posse esse bonam vel perfectâ & completâ, vel tantùm inchoatâ & imperfectâ bonitate; illa bonitas requiritur extra Sacramentum, ista sufficit intra Sacramentum. D. Augustinus loquitur de perfectè bona voluntate, qualis illa solùm est, quæ habet rectitudinem ad ultimum finem. Aliàs certè ista testimonia accepta in rigore Adversariis nimiùm probarent, nimirum quòd nullum bonum posset voluntas velle sine charitate, sicque omnia opera peccatorum & infidelium deberent esse vitiosa, quod est damnatum.

8. Objicies quartò. Sequeretur ex nostra sententia, quòd aliquis adultus posset æternam salutem consequi absque ullo motu charitatis, si nimirum attritus tantummodo de suis peccatis, post acceptam Sacerdotis absolutionem confestim moreretur: tunc enim ratione gratiæ per Sacramentum infusæ ipsi deberetur vita æterna, ad quam tamen ex hypothesi nullo prævio motu charitatis sese disposuisset. Atqui hoc videtur magnum absurdum, primò, quia S. D. 1. p. q. 12. a. 6. *Plus*, inquit, *participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate;* quia, ubi major est charitas, ibi est majus desiderium. Secundò. Quia hâc ratione Christianus in lege gratiæ & charitatis non tenebitur ad dilectionem, cùm aliâ viâ justificari & salvari possit. Tertiò. Quia major debet esse necessitas dilectionis in lege gratiæ & charitatis, quàm in lege timoris, qualis erat lex Mosaica: sed in illa nemo poterat justificari & salvari sine charitate: ergo multò minùs in præsenti lege charitatis & gratiæ.

Respondeo. In tali casu non fore absurdum, ut adultus absque actu meritorio charitatis consequatur etiam salutem, quia consequitur illam non ex proprio sed merito Christi; non ut præmium, sed ut hæreditatem; quamvis propter præteritorum meritorum reviviscentiam illam acciperet etiam sub ratione præmii. Ad primam probationem in contrarium ex S. D. respondeo; Illum loqui ex suppositione, quòd gloria detur titulo præmii propter merita; quamvis aliàs etiam absolutè verum sit intensionem gloriæ respondere intensioni charitatis tam actualis quàm habitualis in patria. Ad secundum respondeo negando sequelam. Sicut enim non sequitur, Sacramentum non esse necessarium, necessitate etiam præcepti ad salutem, quia homo quandoque justificatur & salvatur absque Sacramento in re percepto; ita non sequitur hominem deobligari à præcepto dilectionis, quia sine illo justificatur, & quandoque salvatur. Nam licèt attritus ex solo v. g. gehennæ metu justificetur in Sacramento, debet tamen habere propositum DEUM ex toto corde diligendi, sicut & alia præcepta implendi, quamvis hîc & nunc tale præceptum positivum non urgeat. Adde, quòd acceptâ gratiâ justificationis in Sacramento, quàm primùm homo ad actus virtutum supernaturalium procedit, mox charitas incipiat operari.

9. Dices: In sententia D. Th. Puer perveniens ad usum rationis tenetur per actum dilectionis se efficaciter convertere ad DEUM: ergo etiam peccator volens incipere novam vitam & viam justitiæ. Consequentia probatur: Ideo tunc puer debet se per dilectionem ad DEUM convertere, quia incipit vitam rationalem, & deliberat de fine ultimo: ergo etiam quando per pœnitentiam incipit vitam verè christianam, & deliberat de mutatione finis ultimi debet per dilectionem efficaciter converti in DEUM. Confirmatur. Si puer debet amore in DEUM ferri ne peccet, cur non potiùs adultus quia peccavit?

Respondeo negando consequentiam. Quia cùm puer perveniens ad usum rationis non habeat aliud medium se determinandi ad finem ultimum suæ naturæ rationali congruum, nisi ipsum efficaciter amando (tunc enim supponitur immunis à personali peccato) non est mirum, quòd obliget præceptum positivum dilectionis: at cùm resipiscit & vult resurgere à peccato, habet aliud medium, nempe Sacramentum ex opere operato causativum gratiæ remissivæ peccati, & ideo non est necesse ut eliciat actum dilectionis: quamvis se debeat convertere in honestum supernaturale per ipsum actum attritionis. Ad Confirmationem nego causalem antecedentis: non enim ideo puer ad usum rationis perveniens obligatur ad dilectionem DEI, ne peccet, sed quia tunc per efficacem intentionem finis ultimi debet se determinare ad electionem actionum humanarum in vita occurrentium. Ad conversionem verò peccatoris sufficit, quòd velit reverti ad illum finem peccato amissum, quod etiam fieri potest per attritionem cum Sacramento ex virtute meritorum Christi.

Objicies quintò. Habitus fidei adulto non infunditur sine prævio actu fidei: ergo nec habitus charitatis infunditur sine prævio actu charitatis. 10.

Respondeo negando paritatem. Cùm enim fides sit fundamentum totius ordinis supernaturalis, non potest præsupponere aliam dispositionem, quàm actum proprium. Charitas verò cùm sit consummatio & perfectio ordinis supernaturalis, potest pro dispositione imperfectâ præsupponere aliquos actus imperfectos aliarum virtutum, quibus si ad sublevandam humanam fragilitatem velit DEUS esse contentus, & quod

quod deest de perfectione dispositionis, supplete ex infinitis meritis Christi, quis impediet, quò minùs taliter disposito infundat gratiam & charitatem? quòd autem ita DEUS velit, tam ex authoritate Tridentini, quàm naturâ Sacramenti Pœnitentiæ satis ostensum est.

§. III.

Corollaria.

11. Inferes ex dictis primò. Ad constituendum Sacramentum Pœnitentiæ, & obtinendam peccatorum remissionem non sufficere attritionem, quæ tantùm existimatur talis: quia sicuti verum Sacramentum non est quod existimatur, sed quod est tale; ita partes constitutivæ Sacramenti non debent tantùm existimari, sed esse tales; bona fides enim nihil conducit ad valorem & constitutionem physicam Sacramenti: sed attritio existimata, utì cùm putas te dolere ex motivo supernaturali, & tantùm detestaris peccata ex motivo naturali, non est à parte rei: sed tantùm existimatur talis: ergo non sufficit ad constituendum Sacramentum Pœnitentiæ. Econtrà

12. Inferes secundò. Quòd sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ attritio cognita ut talis, nec esse necessarium, ut quis existimet se habere contritionem. Ratio est primò: quia ex dictis vera attritio supernaturalis est sufficiens dispositio in hoc Sacramento: sed sive quis sciat se esse attritum, sive putet esse contritum, attritio supponitur verè talis: ergo sufficit. Secundò. Si deberet esse existimata contritio, esset hæc ratio, quia Sacramentum Pœnitentiæ non potest recipi cum conscientia peccati mortalis: sed hoc est falsum, quia si hoc Sacramentum per se prærequireret statum gratiæ, non esset Sacramentum mortuorum, sed vivorum, neque potestas sacerdotalis esset per se remissiva peccatorum, ut dictum est.

13. Inferes tertiò. Etiam in mortis articulo per se loquendo ad Sacramentum Pœnitentiæ validè & licitè recipiendum sufficere attritionem cognitam ut talem. Ita Card. de Lugo. d. 7. se. 13. cum Coninck, Layman, aliisque DD. citatis contra Suar. Sanch. aliosque.

Ratio primæ partis est. Materia Sacramenti semel certa & valida semper est valida, etiam in articulo mortis: sed ex dictis constat, attritionem esse materiam validam & sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ: ergo est etiam materia valida in articulo mortis. Hinc sequitur & probatur secunda pars illationis Primò. Non est major obligatio pœnitentis in receptione Sacramenti, quàm ut ex parte sua ponat materiam sufficientem & moraliter certam: sed attritio cum confessione est talis: ergo si illam ponat, & sciens ponat, satisfacit suæ obligationi. Secundò. Ideo constitutus in periculo vel articulo mortis teneretur ad eliciendam contritionem, quia propter periculum salutis tenetur ex charitate erga se ipsum sequi non tantùm probabiliorem, sed etiam tutiorem viam, & amplecti certa media salutis? sed hæc ratio non urget, quia nemo tenetur etiam in extrema necessitate quærere metaphysicam, sed tantùm moralem certitudinem suæ salutis; sed attritio cum Sacramento post Concil. Trident. est medium salutis moraliter certum: ergo non tenetur quærere aliud certum medium. Minor patet partim ex claro textu Tridentini efficaciter deducto, partim quia si attritio esset tantùm materia probabilis, non etiam certa Pœnitentiæ, tunc non liceret illam adhibere extra casum necessitatis, uti patet ex Bulla Innoc. XI. damnantis hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, &c.* Major constat, quia homo non tenetur operari, nisi modo humano, & moraliter possibili: at metaphysica certitudo est homini moraliter impossibilis: ergo non tenetur secundùm illam operari. Ideo licèt Baptismus v. g. sit medium unicum ad salutem æternam parvuli morientis, si tamen semel sit adhibitus, non debet, nec potest repeti etiam sub conditione, nisi dubium morale de ejus valore suboriatur, quantumvis non habeatur metaphysica certitudo.

Confirmatur. Non minùs est metaphysicè incertum, an contritio, quam quis putat se habere, sit vera contritio, quàm utrùm attritio sit sufficiens dispositio: sed non obstante illa incertitudine Adversarii non obligant moribundum, ut repetat contritionem: ergo eâdem non obstante pariter non est obligandus moribundus ad eliciendam contritionem.

Ex quo ruit fundamentum Adversariorum opponentium, quòd in tam arduo negotio debeamus sequi sententiam tutiorem relictâ minùs tutâ, etiam probabiliori. Nam dicimus, sententiam quæ affirmat sufficientiam attritionis cum Sacramento ad justificationem, post Tridentinum non tantùm esse probabiliorem; sed etiam moraliter certam. Neque nobis obstat prohibitio Alexandri VII. 5. Maji edita an. 1667, quâ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne sententia alterutra alicujus censuræ theologicæ, adeòque etiam improbabilitatis notâ taxetur. Neque enim intentio Sum. Pontificis fuit, aliquam probabilitatem alterutri sententiæ tribuere; vel adimere; sed impedire partim scandalosas Theologorum contentiones, partim occasionem, ne offendantur piæ fidelium aures, & in majorem teporem inducantur, dum audiunt sententiam adstruentem necessitatem dilectionis in Sacramento, improbabilitatis condemnari.

Dixi notanter: Saltem *per se loquendo*, nam secundùm communem sententiam in articulo vel periculo mortis urget & obligat præceptum dilectionis DEI super omnia, quod si alio tempore, quàm cùm instat Confessionis sacramentalis necessitas, impleri non possit, etiam necessaria erit contritio, non quidem ut dixi per se, & ex obligatione pœnitentiæ, sed per accidens, & ex speciali obligatione charitatis divinæ, quæ pro illo tempore ex proprio motivo obligare supponitur. Unde curatores animarum, dum moribundos ad Confessionem disponunt, rectissimè facient, si in illis excitent motiva divinæ dilectionis, ut nempe non tantùm pœnitendæ, sed etiam

elici-

charitatis præcepto satisfaciant, si fortè nondum satisfecissent: non tamen debet moribundo moveri scrupulus circa obligationem vel distinctionem contritionis ab attritione, ne ex talis actûs omissione (qui pœnitenti in tali articulo videri posset difficilis) peccet contra conscientiam, cùm aliàs saltem propter inculpabilem inconsiderationem non peccâsset.

ARTICULUS III.

An possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Attritio ut sit sufficiens ad obtinendum effectum Sacramenti, debet esse universalis.*
3. *Propositum debet esse universale de mortalibus; non autem de venialibus?*
4. *Quid sit esse Sacramentum validum & informe?*
5. *Quæstio tantùm habet locum in casu attritionis particularis.*
6. *Probabiliter astruitur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.*
7. *Ostenditur separabilitas inter partem Sacramenti, & dispositionem ad effectum Sacramenti.*
8. *Dolor cadens in peccata ante Baptismum commissa non est pars Sacramenti Pœnitentiæ.*
9. *Evertitur fundamentum petitum ab universalitate intentionis.*
10. *Sententia negans Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, est probabilior.*
11. *Aliqua probationes minùs efficaces.*
12. *Fundamentum sententiæ ex Tridentino.*
13. *Exponitur testimonium D. Thomæ.*
14. *Dolor ob turpitudinem peccati non excludit aliud motivum generale.*
15. *Ratio partis sacramentalis & dispositionis ad effectum Pœnitentiæ non sunt separabiles.*
16. *Dolor merè particularis non potest prudenter assumi in finem reconciliationis.*

§. I.

Requiritur aliqua doloris universalitas.

1. NOtandum. Universalem dolorem, ut antè prænotavimus, illum intelligi, qui non tantùm ad illa omnia peccata, quæ quis confessioni subjicit, sed ad omnia, quæcunque conscientiam maculant, etiam inculpabiliter oblita; extenditur. Unde jam duplex potest esse quæstio: Primò, an ad effectum Sacramenti, h.e. gratiam justificationis acquirendam necesse sit, ut dolor se extendat ad omnia peccata; quamvis inculpabiliter oblita. Secundò, an hæc ipsa universalitas sit necessaria etiam ad valorem & constitutionem Pœnitentiæ Sacramenti, vel utrùm possit valor & existentia Sacramenti Pœnitentiæ salvari per attritionem ex vi sui motivi cadentem in illa sola peccata, quæ subjiciuntur clavibus, non obstante quòd quis habeat plura peccata, quæ propter inculpabilem oblivionem hîc & nunc neque detestatur, neque confitetur.

Hanc posteriorem quæstionem seq. §. discutiemus; quod ad priorem attinet, sit

2. CONCLUSIO. *Attritio ut sit sufficiens ad obtinendum effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum mortalium, debet esse universalis;*

Ratio est clara: quia dispositio debet esse proportionata formæ, ejusque effectui formali: sed gratia sanctificans indivisibiliter inducit remissionem omnium peccatorum commissorum; neque enim unum remitti potest sine altero: ergo etiam attritio ad hunc effectum consequendum disponens debet esse universalis de omnibus peccatis mortalibus commissis. Mortalibus, inquam, quia cùm unum veniale remitti possit sine altero, ad aliquorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam non est necesse, sit attritio sive formaliter, sive virtualiter se extendat ad omnia. Confirmatur: Illa peccata mortalia in Sacramento Pœnitentiæ non remittuntur, quæ non retractantur, ut sæpe dictum: sed peccata, ad quæ attritio se non extendit, non retractantur: ergo nec remittuntur. Atqui, si illa non remittuntur, nulla remittuntur, neque enim remittitur unum sine altero; adeòque nisi attritio sit universalis, pœnitens nullius peccati mortalis remissionem consequitur.

Inferes ex dictis. Etiam propositum, quod sequitur attritionem, debere esse universale de mortalibus, non autem de venialibus. Ratio est: quòd juxta Tridentinum attritio debet excludere affectum peccandi de cætero: sed hoc non fit sine proposito universali commensurato attritioni: ergo. Econtra cùm non sit necesse, ut excludatur omnis affectus peccandi venialiter, sufficit propositum particulare. Quòd si vel doleat quis universim de omnibus venialibus, poteritne habere propositum universale cavendi omnia venialia? Ratio dubitandi est, quòd absque speciali privilegio in statu naturæ lapsæ non possit homo vitare omnia venialia, propositum autem efficax non est de moraliter impossibilibus. Respondeo. Propositum formari de peccatis evitandis, prout illa in exercitio committenda vel evitanda occurrunt; cùm ergo occurrant non omnia simul, sed divisivè aut distributivè, unum post alterum, eoque modo simpliciter evitari possint; sic pœnitens formabit propositum illa hoc modo divisivè singula evitandi per DEI gratiam. 3.

§. II.

Deducitur probabilitas sententiæ affirmantis Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

NOtandum primò. Validum Sacramentum esse quod habet omnes suas partes essentiales; informe autem, non quòd careat suâ essentiali forma (hoc ipso quippe foret invalidum) 4.

 sed

sed quòd ex aliquo impedimento vel obice non producat effectum & formam gratiæ sanctificantis, quemadmodum Sacramentum Baptismi & Confirmationis aliquando dicitur informe, cùm ab adulto cum debita quidem intentione, materia, & forma, non tamen cum debita dispositione recipitur: tunc enim Sacramentum quidem ipsum suis partibus constat, impeditur tamen per obicem seu fictionem, ne effectum, quem practicè significat, hîc & nunc possit producere. Unde quæritur in præsenti, an simili modo possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quidem, eò quòd constet omnibus partibus ad essentiam requisitis; informe tamen, quia non producit effectum significatum propter defectum sufficientis dispositionis requisitæ ad justificationem. Unde

5. Notandum secundò. Hunc defectum non posse aliter contingere, quàm quòd attritio & dolor de peccatis non se extendat ad aliqua peccata, quorum pœnitens hîc & nunc inculpabilem habet oblivionem. Nam defectus dispositionis aut est, quia pœnitens non habet dolorem supernaturalem, quamvis fortè talem se habere existimet, & tunc certum est non dari Sacramentum validum Pœnitentiæ, siquidem destituitur dolore supernaturali ceu parte essentiali. Aut secundò: Quia non dolet de omnibus, quorum ex defectu culpabili præmissi examinis obliviscitur, & tunc iterum Sacramentum fit invalidum, eò quòd confessio non sit formalter integra. Aut tandem tertiò: Quia pœnitens tantùm cogitans de iis peccatis quæ confitetur, habet dolorem sese extendentem solùm ad illa peccata propter specialem turpitudinem ipsorum, & interea obliviscitur inculpabiliter alterius peccati, ad quod se illa attritio particularis non extendit, ut, v. g. Si quis haberet tria peccata homicidii, adulterii, furti, & de primis duobus quidem doleret propter specialem inhonestatem ipsorum, tertii verò inculpabiliter oblitus etiam de ipso non doleret. In quo tertio sensu institutâ quæstione, sit

6. CONCLUSIO I. *Probabile est, posse in prædicto sensu & casu dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.*

Probatur primò authoritate S. D. in 4. d. 17. q. 3. a. 4. concl. 1. & hîc in suppl. q. 9. a. 1. ubi hæc habet: *Confessio potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subjicere; & quamvis tunc non recipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet.* Unde sic ducitur argumentum: Dari Sacramentum informe, nihil est aliud, quàm ita suscipi Sacramentum, ut pro tunc impediatur à conferendo fructu, quem tamen postea confert remotâ fictione, nec proinde necesse sit iterari Sacramentum: sed juxta S. D. ita potest recipi Sacramentum Pœnitentiæ, & quidem defectu contritionis, non utique totalis, quia aliquam contritionem, nempe perfectam vel imperfectam esse de essentia hujus Sacramenti, alibi distinctè asserit: ergo tantùm defectu contritionis universalis, h. e. doloris se extendentis ad omnia peccata etiam inculpabiliter oblita.

Probatur secundò ratione fundamentali. Tunc datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, quando unà cum aliis omnibus necessariò requisitis ex parte confessionis & absolutionis datur dolor sufficiens, ut sit pars Sacramenti, non verò sufficiens ut sit dispositio ad effectum & gratiam Sacramenti: sed talis dolor dari potest in proposito casu: ergo potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. Major constat: quia si Sacramentum habeat omnes suas partes essentiales, hoc ipso est validum; si non conferat effectum, est informe. Minor probatur: Dolor supernaturalis de duobus peccatis, v. g. homicidii & adulterii conceptus ex motivo turpitudinis propriæ ipsorum est pars Sacramenti, & tamen non est sufficiens dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum, si pœnitens obliviscatur inculpabiliter tertii peccati, v. g. furti: ergo potest dari dolor, qui sit pars Sacramenti, non tamen dispositio ad obtinendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Primum membrum antecedentis habetur inprimis in sæpe citata sess. 14. Trid. c. 4. ubi ad dolorem sufficientem in Sacramento Pœnitentiæ plus non requiritur, quàm quòd sit propter turpitudinem peccati. Deinde, si pœnitens non haberet tertium peccatum, ille dolor supernaturalis, ob turpitudinem duorum peccatorum elicitus, esset vera pars Sacramenti; ergo etiam, quando habet tertium peccatum inculpabiliter oblitum, erit vera pars Sacramenti: ideo quippe in priori casu esset pars Sacramenti, quia esset dolor supernaturalis de omnibus peccatis, quæ habet in conscientia cum voluntate non peccandi de cætero; sed hoc totum haberet etiam in secundo casu: ergo.

Probatur tertiò eversione primi fundamenti 7.
contrarii. Ideo dolor particularis de solis peccatis in confessione expositis, non autem de aliis inculpabiliter omissis, esset insufficiens ad valorem Sacramenti, quia nullus dolor est pars Sacramenti, qui non sit dispositio ad effectum hujus Sacramenti percipiendum: sed hæc ratio non subsistit; quamvis enim regulariter istæ duæ rationes partis ac dispositionis sint conjunctæ, non tamen sunt inseparabiles; potest quippe inveniri dolor dispositivus ad effectum Sacramenti, qui tamen non sit pars Sacramenti; & vicissim potest inveniri dolor, qui sit pars Sacramenti, nec tamen sit dispositio ad effectum Sacramenti.

Prima pars probatur: In casu, quo quis doleret de omnibus suis peccatis, & tamen propter grave periculum unum alterúmve peccatum sciens omitteret confiteri (quo casu confessio foret formaliter integra) dolor, qui caderet super peccatum voluntariè omissum in confessione non esset pars Sacramenti, & tamen esset dispositio ad effectum Sacramenti: ergo istæ duæ rationes à se sunt separabiles. Antecedens probatur: Ille solùm dolor est pars Sacramenti, qui per confessionem fit sensibilis in Sacramento: sed iste dolor, qui cadit supra peccatum voluntariè omissum & retentum in confessione, non fit per confessionem sensibilis in Sacramento, siquidem pœnitens illud nec confitetur, nec vult confiteri: ergo

ergo ille dolor ut sic pro tunc non est pars Sacramenti.

Secunda pars probatur: Si quis absque sufficienti dolore de peccatis ante Baptismum commissis adeòque cum fictione baptizatus postea confiteretur peccata post Baptismum commissa cum dolore quòd sint peccata hominis Christiani & baptizati, adeòque ex motivo se solum extendente ad peccata post, non autem ante Baptismum commissa, ille dolor esset sufficiens pars Sacramenti Pœnitentiæ, quia esset ex motivo supernaturali se extendens ad omnia peccata subjicibilia confessioni, qualia solùm sunt peccata post Baptismum commissa; & tamen non esset sufficiens dispositio ad consequendum effectum Sacramenti, quia illud motivum non afficit peccata ante Baptismum commissa: ergo in hoc casu ratio dispositionis & partis sacramentalis forent separabiles, & consequenter daretur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

8. Dices: Ille dolor afficeret indirectè etiam peccata ante Baptismum commissa, saltem ut materiam indirectè destruibilem per Sacramentum Pœnitentiæ, quatenus post Baptismum remanentia sunt impedimentum perfectæ reconciliationis, quam pœnitens in Sacramento efficaciter intendit. Sed contrà est, quòd sine fundamento & gratìs dicatur, peccata ante Baptismum commissa esse materiam remotam indirectè destruibilem per Pœnitentiæ Sacramentum, cùm sint penitùs extra sphæram activitatis istius Sacramenti, neque capacia judicialis absolutionis, neque pœnitens illa unquam teneatur aut possit clavibus subjicere, quo solo nomine peccata aliquando dicuntur indirectè remissa, quia per intentionem confitentis connectuntur cum peccatis directè remissis. & gratia sacramentalis ex sua institutione habet efficaciam extensivam etiam ad illa peccata. Unde nec dolor etiam directè cadens super peccata ante Baptismum commissa ulla ratione potest esse materia proxima Pœnitentiæ, quia non est de objecto clavibus Ecclesiæ subjicibili, quale secundùm institutionem Christi & definitionem Conciliorum sunt sola peccata hominis baptizati & Ecclesiæ subjecti.

9. Probatur quartò eversione alterius fundamenti. Ideo non daretur in præmemoratis casibus Sacramentum Pœnitentiæ informe, quia dolor ille supernaturalis quamvis propter specialem turpitudinem peccatorum elicitus, tamen propter inclusam intentionem efficacem sese reconciliandi cum DEO se virtualiter extenderet etiam ad peccata inculpabiliter oblita, vel omissa in confessione: sed hæc ratio non est: ergo. Minor probatur: Motivum remotum ex se indifferens ut possit magis vel minùs limitari, non tribuere universalem & illimitatam extensionem dolori particulari: sed ita se habet intentio sese reconciliandi cum DEO: ergo. Major inde probatur: quia sicut causæ universales in suo influxu limitantur per particulares, & deferuntur ad particularem effectum, ita etiam motiva remota quantumvìs universalia contrahuntur per motiva proxima particularia. Actus quippe non minùs suam quantitatem extensivam, quàm suam speciem desumit ab objecto proximo: ergo, si motivum proximum est particulare, etiam dolor erit particularis. Minor probatur. Efficax intentio finis voluntatem ad plus non determinat, quàm ad electionem mediorum, quæ hîc & nunc repræsentantur necessaria ad consecutionem illius finis: sed potest repræsentari in intellectu, quòd ad impetrandam reconciliationem cum DEO tantùm sit necessaria vel sufficiens unius, vel alterius peccati detestatio: ergo tunc intentio sese reconciliandi cum DEO ad plus voluntatem non determinat, quàm ad particularem detestationem peccati: adeòque motivum reconciliationis est ex se indifferens, ut possit illam vel particularis vel universalis detestatio peccatorum consequi. Sanè si quis unicum peccatum habeat in conscientia, cognoscit certò se reconciliandum cum DEO, si modò illum peccati obicem removerit: sed potest æquè removere per particularem quàm universalem dolorem: quid ergo necesse est, quòd sit dolor universalis?

§. III.

Sententia negans, ut probalior eligitur.

CONCLUSIO secunda. *Probabilius est, non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.* Ita ex nostris Salisburgens. Reverendiss. D. Maurus Oberascher, & Clariss. P. Maurus Liechtenheim in Dissert. de Pœn. 10.

Probatur primò ex S. D. in 4. d. 23. q. 1. a. 4. ad concl. 2. docente, *quòd positis omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, semper sequatur effectus, qui est remissio peccati*: nam faciens discrimen inter Sacramentum Extremæ Unctionis & alia Sacramenta, *Hoc Sacramentum* (Extremæ Unctionis) inquit, *non habet aliquem effectum, qui semper ex opere operato ministri consequitur, omnibus, quæ sunt de essentia, ritè peractis; sicut character in Baptismo & Confirmatione, & transsubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* Eadem habet in suppl. q. 29. a. 8. in c. ubi vides, S. Doctoris mentem esse, quòd, si absit contritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, hoc ipso sequatur effectus Sacramenti, non aliter quàm in Baptismo & Confirmatione positis essentialibus requisitis character consequitur.

Probant aliqui secundò authoritate Tridentini citati c. 4. dicentis: quòd attritio ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat; ex quo inferunt: Ergo si attritio non disponit ad gratiam, non est pars Sacramenti: sed facilè prior sententia negat consequentiam, & dicit, Concilium loqui de illo, quod ordinariò fit, quo tamen non obstante possit per accidens aliquando attritio impediri, ut non sit sufficiens dispositio ad gratiam. 11.

Probant tertiò. Quòd in Sacramento Pœnitentiæ informi falsificaretur forma absolutionis, consequenter tale Sacramentum non potest esse validum. Antecedens probant: quia sensus formæ est, *Ego, quantum est ex me, confero tibi gratiam*

tiam peccati remissivam, quod tamen esset falsum. Sed facilè Respondetur primò retorquendo argumentum: quia etiam in Baptismo sensus formæ est: Ego, quantum est ex me, confero tibi gratiam regenerativam, & tamen in Baptismo informi non infunditur gratia regenerationis. Unde Respondeo secundò: Formam non simpliciter falsificari, sed tantùm pro tempore quo confertur absolutio, quia remoto peccato fictionis (quod in hac ipsa falsificatione consistit) absolutio operabitur effectum quem significat; sicuti forma quoque Baptismi illum effectum remoto obice operatur. In forma si dicas: Hoc non est Sacramentum; quod non efficit illud quod significat, distinguo: quod nec actualiter nec aptitudinaliter efficit, concedo; tantùm actualiter nego. Item: quod non efficit ex defectu propriæ virtutis, concedo; ex impedimento per accidens, nego: sed informe Sacramentum non efficeret quod significat actu, concedo; aptitudine, nego. per accidens, concedo; per se & ex defectu virtutis intrinsecæ, nego minorem & consequentiam.

12. Probant quartò: Dolor sufficiens ad Sacramentum juxta Trid. debet excludere voluntatem peccandi: sed talis dolor saltem virtualiter se extendit ad omnia peccata etiam oblita: ergò dolor sufficiens ad Sacramentum extendit se ad omnia peccata oblita, & consequenter Sacramentum non est informe, sed formatum. Sed responderi potest: Debet excludere voluntatem peccandi negativè, hoc est, non admittendo ullam actualem vel virtualem complacentiam in peccato, concedo; positivè, nego. Sed dolor positivè excludens voluntatem peccandi extendit se ad omnia peccata, concedo; negativè, nego minorem & consequentiam.

Probatur quintò: Tunc non datur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, quando ad valorem Sacramenti nunquam sufficit dolor merè particularis, non se extendens ad omnia peccata mortalia: sed is nunquam sufficit: ergo. Minor probatur: Dolor sufficiens in Sacramento juxta doctrinam Concilii Tridentini debet habere has conditiones, ut excludat voluntatem peccandi mortaliter, & ut inducat propositum de cætero non peccandi, & servandi mandata DEI: sed dolor merè particularis est destitutus istis conditionibus: ergo non est sufficiens. Minor probatur: dolor compatibilis cum voluntate peccandi neque excludit voluntatem peccandi, neque includit propositum non peccandi: sed dolor merè particularis est compatibilis cum voluntate peccandi; nam da hominem, qui ex speciali amore justitiæ doleat de peccato furti; is ipse poterit habere adjunctam voluntatem peccandi carnaliter; siquidem objecta istorum actuum, uti & oppositarum virtutum, sunt penitùs disparata.

Neque satisfacis illâ superiori distinctione: debet excludere negativè, concedo; positivè, nego. Nam contrà est primò, quòd Concilium requirat propositum non peccandi de cætero: sed propositum est positiva exclusio peccati. Contrà est secundò. Ille dolor particularis ne quidem negativè excludit voluntatem peccandi, quia si excluderet, deberet ex sua efficacia inducere negationem cujuscunque peccaminosæ complacentiæ: at hanc efficaciam non habet, eo ipso quia secum compatitur affectum peccaminosum: sicuti forma substantialis eo ipso non induceret negationem vel privationem aliarum omnium formarum, siquam aliam in eodem subjecto compateretur. Unde sicuti per priùs forma concipitur vi suæ entitatis excludere alias formas ab eodem subjecto, priusquam concipiatur inducere negationem illarum; sic dolor pœnitentialis per priùs vi proprii motivi debet omnem affectum peccaminosum excludere, antequam concipiatur inducere negationem omnis complacentiæ.

Confirmatur primò: Requiritur ad validam confessionem propositum saltem virtualiter universale non peccandi: ergò etiam requiritur dolor saltem virtualiter universalis de omnibus peccatis commissis. Antecedens inde constat, quòd Tridentinum in materia doctrinali utitur terminis indefinitis & universalibus non peccandi de cætero. & can. 5. absolutè propositum melioris vitæ, quos terminos sine fundamento restringere non debemus. Consequentia probatur: Proprietas & effectus non debet latiùs patere, quàm causa ex qua connaturaliter sequitur: atqui propositum consequitur dolorem per modum proprietatis & effectus; & quantò quis magis dolet, tantò magis & meliùs proponit: ergo si propositum debet esse universale pro vitandis omnibus peccatis committendis, debet etiam dolor esse universalis pro omnibus peccatis commissis.

Confirmatur secundò. Tridentinum contritionem utilem in Sacramento conjungit cum spe veniæ, & cum ponderatione amissæ beatitudinis; ut patet ex can. 5. sed ista jam sunt motiva generalia se extendentia ad quodlibet mortale peccatum: ergo contritio utilis in Sacramento ex mente Trid. semper habet aliquod motivum generale. Præterea idem Trid. cit. c. 5. dicit, quòd etiam illa peccata à pœnitente censentur offerri divinæ Misericordiæ delenda, quorum post diligens sui examen non meminit, atque adeò censentur etiam ista tacitè in cæterorum, quorum meminit, confessione includi. Atqui nullum peccatum offerri potest divinæ misericordiæ delendum, nisi quod legitimè à pœnitente retractatum est; nullum enim aliud est dignum veniâ: ergo dolor pœnitentis ex mente Trid. etiam ad illa peccata se debet extendere, quorum invincibiliter obliviscitur.

Confirmatur tertiò: Dolor merè particularis disjunctus ab omni motivo universali non prudenter eliceretur in ordine ad impetrandam remissionem peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo non est sufficiens ad Sacramentum. Antecedens probatur. Imprudenter assumitur medium, quod est improportionatum fini intento: sed attritio merè particularis non est proportionata fini intento; quia finis efficaciter intentus est absoluta reconciliatio deletiva omnium peccatorum; medium verò esset dolor solùm par-

particularis non repugnans cum complacentia aliorum omnium peccatorum.

Confirmatur quartò. Vel ille dolor particularis elicitus propter turpitudinem ipsius peccati, refertur ad aliquid supernaturale, vel non? si non, tunc ne quidem est supernaturalis, adeòque per se insufficiens ad valorem Sacramenti: si verò refertur, tunc refertur sub aliqua ratione generaliter repugnante cum omni peccato; nempe vel quia repugnat sanctitati legis Evangelicæ, vel quia continet specialem ingratitudinem contra authorem gratiæ, & generis humani Redemptorem; quidquid enim aliud assignàveris, non erit diversum ab iis motivis ex quibus etiam Gentilis & Turca solius luminis naturalis instinctu possit peccata detestari.

§. IV.

Solvuntur fundamenta prioris sententiæ.

13. AD I. argumentum oppositæ sententiæ petitum ex Authoritate D. Th. Respondeo, ibidem loqui non de confessione validâ & informi propter defectum universalis doloris, sed invalidâ propter defectum omnis doloris necessarii. Vult igitur S. D. quòd quis ex pòst facto esset recepturus effectum Sacramenti, si eidem Sacerdoti, cui sua peccata priùs invalidè absque dolore fuit confessus, non repetitâ de novo illorum peccatorum confessione tantùm confiteretur, se priùs sine debito dolore fuisse confessum, & nunc illa eadem peccata priùs jam confessa denuò clavibus Ecclesiæ subjicere. Unde S.D. nomen fictionis ibidem impropriè accipit, solùm pro indispositione impediente fructum & effectum Sacramenti.

14. Ad II. patet ex dictis responsio: nam dolor propter turpitudinem peccati elicitus secundùm Tridentinum est pars Sacramenti, ut excludens aliud omne motivum generale, v. g. veniæ, reconciliationis, beatitudinis, sic nego; ut includens tale motivum & efficax desiderium, concedo.

15. Ad III. Respondeo. Quamvis in dolore de peccatis rationes partis & dispositionis sint formaliter diversæ, non tamen esse separabiles; & ad primam instantiam dico, quòd licèt in illo casu, quo quis peccatum aliquod confiteri licitè intermittit, dolor, quatenus cadens super illud peccatum, non foret pars Sacramenti, tamen dolor de reliquis peccatis, quatenus includens spem & efficax desiderium reconciliationis ac propositum non peccandi, sit pars Sacramenti: sed iste, ut dictum, jam se extendit etiam ad peccatum licitè omissum in confessione, & consequenter non tantùm est pars Sacramenti, sed etiam dispositio ad gratiam. Ad alteram instantiam nego, quòd in illo casu, quo fictè baptizatus doleret de peccatis, propterea quòd sint peccata hominis Christiani, dolor non se extendat ad peccata ante baptismum commissa. Nam primò etiam istud motivum debet includere efficacem voluntatem amovendi omnia impedimenta gratiæ & reconciliationis. Secundò: qui dolet de peccatis, eò quòd sint hominis Christiani, dolet de ipsis quatenus habent fœditatem specialis ingratitudinis contra DEUM largitorem gratiæ baptismalis: jam verò, sicuti species non excludit sed includit genus, sic etiam specialis ingratitudo includit generalem ingratitudinem, quæ reperitur in omnibus peccatis, etiam ante baptismum commissis, adeòque ille dolor etiam ex vi motivi virtualiter indirectè se extendit etiàm ad peccata ante Baptismum commissa.

Nec refert, quòd dolor, quatenus se extendens ad illa peccata ante Baptismum commissa, non sit materia proxima & pars Sacramenti Pœnitentiæ; est enim in illo casu dolor virtualiter duplex; quatenus respicit peccata ante Baptismum commissa, sic est dispositio ad gratiam Baptismi remotâ fictione consequendam, & quatenus respicit peccata subjicibilia confessioni, sic est dispositio ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, & simul pars ipsius Sacramenti.

Ad IV. nego, quòd dolor merè particularis 16. etiam ab illo, qui tantùm unius gravis peccati foret conscius, possit prudenter eligi tanquam medium idoneum ad obtinendum finem reconciliationis: nam, ut in 3. Conf. dictum, medium fini, & dispositio debet esse proportionata formæ; ut ergo dolor prudenter assumatur tanquam medium ad obtinendam reconciliationem & tanquam dispositio ad gratiam remissivam, debet habere efficaciam exclusivam omnis peccaminosæ complacentiæ, & includere voluntatem efficacem amovendi omnia impedimenta gratiæ; sicuti ipsa gratia & reconciliatio habet repugnantiam cum omni peccato; & sic jam non erit ampliùs dolor merè particularis.

ARTICULUS IV.

Quænam sint conditiones requisitæ, ut dolor sit pars Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Non est necesse, ut dolor procedat ex intentione Sacramenti.*
2. *Requiritur tamen ipsius moralis connexio cum confessione, & intentione confitendi.*
3. *Dolor sufficienter subordinatur Sacramento per intentionem implicitè contentam, vel consequentem.*
4. *Non est necesse, ut dolor præcedat confessionem.*
5. *Confessio nihilominus erit dolorosa.*
6. *Dolor consequens confessionem in ipsâ confessione est sensibilis in fieri.*
7. *Unus dolor potest sufficere pro pluribus confessionibus.*

8. *Novum Sacramentum aliquando tantùm requirit novas partes applicativè, virtualiter, non autem formaliter.*
9. *Cur una ablutio, unctio, confessio non possit adhiberi ad plura Sacramenta?*
10. *Certa quadam præsupposita de confessione venialiū.*
11. *Non est necesse, ut dolor cadat super omnia venialia in confessione exposita.*
12. *Instantiæ oppositæ solvuntur.*
13. *Corollaria quadam practica.*

§. I.

An dolor procedere debeat ex intentione recipiendi Sacramentum?

QUærimus de dolore absolutè sive perfecto sive imperfecto, à quibus conditionibus dependeat, ut possit per modum partis intrinsecè constituere, & componere Pœnitentiæ Sacramentum; cùm enim dolor ex se sit indifferens, ut sit, vel non sit pars Sacramenti, requiruntur certæ conditiones & qualitates, quibus ad esse sacramentale determinetur. Et quidem, quòd dolor debeat esse supernaturalis non tantùm putatitiè sed verè, efficax & excludens voluntatem peccandi, generalis se extendens ad omnia peccata mortalia, constat ex antè dictis; nunc reliquas conditiones expendemus. Ubi quærimus primò: An dolor ad Sacramentum requisitus elici debeat ex intentione recipiendi hoc Sacramentum? Affirmativam tenet Dicastillo. d. 6. dubit 13. Negantem Lugo d. 14. se. 4. Arriaga d. 37. se. 4.

1. CONCLUSIO. Ut *dolor sit pars Sacramenti, non est necesse, ut ex intentione Sacramenti formaliter vel virtualiter procedat: sed sufficit ut eandem intentionem saltem implicitè contineat, & cum confessione moraliter sit connexus.*

Ratio primæ partis est primò. Illæ conditiones sufficiunt ut dolor sit pars Sacramenti, quas Tridentinum requirit: sed dolor, etiamsi nec formaliter nec virtualiter procedat ex intentione recipiendi Sacramentum, potest habere conditiones requisitas à Tridentino: ergo potest aliquis dolor nec formaliter nec virtualiter procedens ex intentione Sacramenti esse pars sufficiens Sacramenti. Minor probatur: qui concione aliquâ permotus conciperet dolorem de peccatis propter horrorem gehennæ, nihil cogitans de confessione, & postea datâ occasione ex desiderio consequendæ veniæ faceret confessionem, ita tamen ut ipsum dolorem ex aliqua distractione non renovaret, haberet dolorem sufficientem ad impetrandam gratiam Sacramenti; nec tamen ille dolor formaliter aut virtualiter procederet ex intentione Sacramenti, siquidem ista intentio nec tempore nec natura priùs præcedere supponitur, imò desiderium Sacramenti tanquàm effectus ex illo dolore consequitur. Ergo dolor etiam non procedens ex ista intentione potest esse sufficiens ad Sacramentum. Major probatur: quia hic dolor haberet omnes tres conditiones à Tridentino enumeratas. Primò quòd esset à Spiritu S. & motivo supernaturali. Secundò excluderet voluntatem peccandi. Ac Tertiò esset conjunctus cum spe veniæ, ut supponitur.

Ratio petitur secundò ex communissima praxi fidelium, qui passim censentur bene dispositi ad absolutionem quando afferunt dolorem excitatum ex piâ lectione, adhortatione &c. & non ex intentione confitendi.

Ratio est tertiò. Ideo requireretur prævia intentio Sacramenti, ut dolor esset moraliter connexus cum reliquis partibus & subordinatus absolutioni: sed hoc obtineri potest etiam sine influxu intentionis præviæ; nam ipsa intentio confitendi potest esse effectus doloris & ab ipso procedere: sed in hoc casu confessio & absolutio moraliter connectuntur, quia confessio fit in virtute ipsius doloris: ergo.

Ratio secundæ partis est. Nisi dolor præcedens confessionem sit aliquo modo relatus & ordinatus ad absolutionem sacramentalem, non est sufficiens ad Sacramentum: sed absque morali connexione, vel implicitâ saltem voluntate confitendi, dolor non est relatus & ordinatus ad absolutionem sacramentalem: ergo sine hoc non est sufficiens ad Sacramentum. Major inde constat, quia est de essentia hujus Sacramenti, ut confessio sit dolorosa, & dolor fiat sensibilis per confessionem: sed nisi dolor aliquo modo referatur & ordinetur ad absolutionem, neutrum contingit: ergo. Minor probatur: dolor aut est de peccatis mortalibus, aut de venialibus. Si de mortalibus, vel est efficax, vel inefficax. Si inefficax, nullo modo potest esse pars Sacramenti, siquidem non excludit voluntatem peccandi, ac proinde ad absolutionem non refertur. Si efficax, tunc continet in se saltem implicitè efficacem voluntatem adhibendi omnia media necessaria ad destructionem peccati, quorum potissimum est confessio; ac proinde ratione hujus inclusæ voluntatis connectitur cum confessione & subordinatur absolutioni sacramentali, dummodo inter confessionem & dolorem non intercedat tanta temporis intercapedo, quæ juxta prudentum æstimationem tollat moralem utriusque conjunctionem; uti si hodie faceres confessionem peccatorum, de quibus ante tres menses doluisti. Quòd si dolor sit de peccatis venialibus, tunc quidem per se & ex fine operis non continet propositum talia peccata confitendi, siquidem ista peccata multis aliis remediis quàm sacramentali confessione deleri possunt; potest tamen continere ex fine operantis, uti contingit in iis, qui solent sua venialia certis temporibus confiteri, de quibus in examine conscientiæ doluerunt: hoc ipso enim illam conscientiæ discussionem & dolorem interpretativè subordinant confessioni, quamvis actu de confessione non cogitent. Unde toties dolor de venialibus sufficienter connectitur cum confessione ipsorum, quoties confessio fit aliquo modo in virtute doloris præcedentis: sed hoc fit in dato casu, quamvis dolor non fuerit elicitus ex intentione illa peccata confitendi; ergo. 2.

Objicies. Nisi dolor procedat formaliter aut virtualiter ex intentione confitendi, non intelligitur sufficienter ordinari ad Sacramentum: sed, nisi sit ordinatus ad Sacramentum, non est sacramentalis, nec habet moralem connexionem 3.

rum: ergo nisi dolor formaliter aut virtualiter procedat ex intentione confitendi, non intelligitur esse sacramentalis. Major probatur. Dolor deberet esse ordinatus vel per intentionem elicientis, vel ex natura rei: non per intentionem elicientis, quia non procederet ex tali intentione, ut supponitur; non ex natura rei, siquidem est ex se indifferens, ut conjungatur, vel non conjungatur cum Sacramento: præsertim si sit dolor de venialibus jam confessis. Confirmatur inductione aliorum Sacramentorum, in quibus actiones sacramentales, ut ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione &c. non aliter sunt & fiunt sacramentales, nisi quatenus per intentionem conficientis illæ actiones referuntur in finem Sacramenti.

Respondeo ad primum, neg. maj. ad probationem dico, quòd dolor debeat esse ordinatus per intentionem elicientis, ut antecedentem tantùm, nego; ut antecedentem vel consequentem, aut implicitè contentam in dolore, concedo. & sic dolor de mortalibus, si sit efficax, implicitè continet intentionem confitendi; dolor verò de venialibus, quamvis illam, non eo ipso quòd sit efficax, contineat, tamen potest esse causa, ut in virtute ipsius fiat confessio venialium.

Ad Confirmationem nego consequentiam. Disparitas est primò. Quòd illæ tantùm actiones videantur debere procedere ex intentione Sacramenti, quæ vel sunt actiones administrantis Sacramentum, ut est ablutio, unctio &c. & conficiuntur nomine & authoritate Christi; vel quæ quidem sunt actiones suscipientis Sacramentum, sed tamen completivæ actionis quâ minister conficit Sacramentum: qualis est in Sacramento Ordinis acceptatio ex parte ordinati; vel quæ absque prævia intentione non habent significationem essentialem Sacramento, sicut est confessio, quæ non habet significationem judiciariam essentialem Sacramento Pœnitentiæ, nisi procedat ex voluntate sua peccata clavibus Ecclesiæ & judicio Sacerdotis absolventis subjiciendi. Disparitas secundò succinctior datur, quòd aliæ actiones tanquam per se sensibiles, non nisi per intentionem conficientis vel recipientis determinentur ad esse sacramentale; at verò dolor sit tantùm sensibilis ratione alterius, nempe confessionis, unde etiam ratione confessionis sufficienter ad esse Sacramentale determinari potest, modò moralem habeat connexionem cum illa.

§. II.

Debeatne dolor præcedere confessionem?

Certum est, quòd dolor præcedere debeat absolutionem, quia per dolorem & propositum emendationis pœnitens debet se facere dignum absolutione, ac dispositum ad effectum ipsius percipiendum. Dubium est: an etiam debeat præcedere ipsam confessionem. Affirmat de prioritate temporis Coninck d. 4. dub. 6. de prioritate naturæ Dicastillo disp. 6. dubit. 9. Negat utrumque Lugo disp. 18. se. 2. Cum quo sit

4. CONCLUSIO. *Non est necesse ut dolor præcedat confessionem: sed sufficit ad valorem Sacramenti, ut quis post confessionem peractam, antequam absolutionem recipiat, doleat de suis peccatis.*

Probatur primò ex communi fidelium & Confessariorum praxi; neque enim Confessarii interrogant pœnitentes, utrùm illa peccatorum confessio ex vero dolore processerit; sed sibi satisfactum existimant, si pœnitentes ante perceptam absolutionem sufficientem peccatorum suorum dolorem exhibeant.

Secundò. Sive dolor præcedat, sive sequatur confessionem, potest habere omnes conditiones à Tridentino requisitas, ut sit dispositio ad impetrandam gratiam Sacramenti; adsunt quoque omnes partes Sacramenti inter se moraliter junctæ: ergo gratis requiritur, quòd debeat præcedere confessionem.

Dices primò. In casu, quo confessio non procedit ex dolore, non tam est confessio, quàm historica narratio. Confessio quippe debet esse dolorosa: sed quæ non procedit ex dolore non est dolorosa: ergo nec verè confessio. Minor probatur à pari: prolatio exterior verborum consecrationis, nisi procedat ex intentione consecrandi, non est consecratoria, sed historica: ergo etiam prolatio exterior peccatorum nisi procedat ex dolore non est dolorosa, sed historica. 5.

Secundò. Ut dolor sit pars Sacramenti, debet fieri sensibilis per confessionem: sed iste dolor non fieret sensibilis per confessionem; neque enim confessio aliter significat dolorem nisi ut causam: sed si sequitur confessionem, non est causa ipsius: ergo neque significatur per confessionem.

Confirmatur. Dolor vel esset sensibilis dum est confessio, vel post confessionem, dum est ipse dolor. Non dum est confessio; quia sensibile non est, quod nondum existit; sed tunc ipse dolor nondum existit: ergo tunc nondum potest esse sensibilis. Non etiam post confessionem; quia non fit sensibilis nisi per sui signum existens; atqui tunc confessio tanquam signum doloris non ampliùs existit: ergo.

Respondeo ad primum neg. assumptum, & minorem probationis: nam confessio non tantùm ex eo dicitur dolorosa, quia est causata per dolorem, sed etiam quia est causa doloris, vel moraliter conjuncta cum dolore sub una eademque intentione se reconciliandi, veniam & absolutionem suorum peccatorum recipiendi. Unde ad paritatem probationis Respondeo, prolationem verborum consecrationis sine intentione consecrandi ideo non esse consecratoriam, quia hujus defectu relinquitur purè in ordine naturali, & nullatenus refertur ad Sacramentum; sed confessio etiamsi non procedat ex dolore, tamen potest procedere ex intentione sua peccata clavibus subjiciendi, ac positis omnibus necessariis requisitis eorum veniam impetrandi; adeòque ut sic sufficienter potest referri ad Sacramentum, & esse vera dolorosa accusatio peccatorum.

Ad secundum nego minorem & probationis majoris; non enim dantur tantùm signa rerum præteritarum, sed etiam futurarum: quemadmodum ipsa Sacramenta sunt signa practica gratiæ, & satisfactio, quæ subinde potest esse secundùm se penitùs insensibilis (veluti cùm consistit in aliquo actu interno mediationis, amoris Dei, &c.) sit

sit sensibilis per antecedentia verba Sacerdotis, & acceptationem pœnitentis. Itaque confessio non debet significare dolorem tanquam effectum, sed tanquam compartem secum connexam, & ex eodem motivo sese reconciliandi procedentem.

6. Ex quo etiam patet responsio ad Confirmationem. Nam præterquam, quòd hoc ipsum sit Adversariis solvendum in instantia satisfactionis primùm adducta. Respondeo: Utroque tempore dolorem esse sensibilem, & dum est confessio, & dum transiit. Dum transiit, quia tunc est ipse dolor, & præcessit signum ipsius, quod sufficit ut sit sensibilis. Dum est confessio, quia licèt tunc dolor non sit sensibilis in facto esse, tamen est sensibilis in fieri, in quantum pœnitens per confessionem ostendit intentionem efficacem sese reconciliandi cum DEO, ex qua tanquam causa pro nunc ipsa confessio, pro posteriori verò tempore etiam dolor procedet. Unde utramque probationem in forma distinguo: Sensibile non est in facto esse, quod nondum existit, concedo; nec in facto nec in fieri, nego. Sed dum est confessio, nondum existit dolor, in facto esse, concedo; quasi in fieri & in præparatione animi, nego. Item: Nihil fit sensibile nisi per signum existens, vel de præsenti, vel de præterito, concedo; tantùm de præsenti, nego: sed post confessionem signum non est de præsenti, concedo; de præterito, ut non præcesserit, nego min. & consequentiam.

Cæterùm quoad praxin rectè monet Ariaga, periculosum esse dolorem differre ad tempus intermedium inter confessionem & absolutionem, siquidem, in magno præsertim concursu pœnitentium, illud temporis spatium est subinde brevissimum; unde facilè posset contingere, ut Sacerdos priùs pronunciet formam absolutionis, quàm pœnitens elicuerit verum actum doloris sufficientem ad Sacramentum.

§. III.

An ad novam Confessionem requiratur novus dolor?

SÆpe contingit, ut pœnitens post acceptam absolutionem recordetur unius alteriusve peccati in confessione inculpabiliter obliti, ideoque redeat ad confessionale seque de novo accusans rursus absolutionem recipiat: Quæritur, utrùm in tali casu necesse sit dolorem renovari pro nova confessione, vel an dolor ad præteritam confessionem adhibitus, etiam sufficiat pro secunda. Ubi Vasq. negativam, Lugo hîc se. 10. affirmativam cum communi amplectitur.

7. CONCLUSIO. *Unus idemq; dolor potest pro pluribus confessionibus sufficere, si moraliter sit continuatus, seq; ad peccata sequentis confessionis extendat.*

Probatur primò è praxi tam pœnitentium quàm Confessariorum; nam pœnitentes si post acceptam absolutionem recordentur alicujus peccati per inculpabilem oblivionem prætermissi, illud statim exponunt, nec sunt soliciti de renovando dolore: neque à Confessariis de doloris repetitione vel monentur, vel interrogantur. Præterea si moribundus propter instantis mortis periculum absolvatur tantùm audito uno, alteróve peccato, postea verò confessionem prosequatur de reliquis peccatis, non solet urgeri ad renovandum dolorem de sequentibus peccatis.

Probatur secundò: In tantum requiritur dolor pœnitentis, ut per ipsum confessio sit dolorosa, & retractativa peccatorum; sed iste finis æquè potest obtineri per dolorem præcedentem moraliter continuatum & perseverantem, quàm per novum dolorem: ergo.

Probatur tertiò. Idem opus satisfactorium v.g. jejunium certæ diei potest à duobus Confessariis pro duplici confessione imponi, non obstante quòd satisfactio sit pars Sacramenti: ergo dolor unus idemque formaliter potest pro duplici confessione sufficere. Dixi: Si moraliter continuetur; unde si tanta sit interpolatio inter dolorem, & sequentem confessionem, ut juxta prudentum existimationem non ampliùs videatur influere & conjungi cum sequenti confessione propter statum confitentis moraliter variatum, necessariò dolor erit renovandus.

Dices primò: Novum compositum requirit novas partes: sed cùm pœnitens de novo confitetur, fit novum compositum sacramentale: ergo requiruntur novæ partes: Atqui dolor est pars & materia Sacramenti: ergo requiritur novus dolor. Secundò. Licèt una eademque materia remota possit servire pro pluribus Sacramentis; tamen per inductionem constat, quòd eadem materia proxima non possit ingredi compositionem plurium Sacramentorum: Sic enim ad plures Baptismos requiruntur plures ablutiones, plures unctiones ad plures Confirmationes: imò etiam plures confessiones ad iterandum Sacramentum Pœnitentiæ: ergo cùm dolor sit materia proxima Pœnitentiæ, ad iterandum hoc Sacramentum requiretur novus dolor. 8.

Respondeo ad primum: Novum compositum (præsertim morale) requirit partes novas vel formaliter & entitativè, vel virtualiter & applicativè, concedo; semper formaliter & entitativè novas, nego: ergo requiritur novus dolor semper entitativè & formaliter, nego; saltem virtualiter & applicativè, concedo. Sufficit ergo, quòd dolor tanquam proxima materia fiat novus applicativè, in quantum per novam confessionem fit de novo sensibilis. Ad secundum Respondeo inprimis negando antecedens; & patet instantia primò in satisfactione, deinde in ipsa ablutione baptismali, quia si plures simul perfundantur cum hac forma; *Ego vos baptizo*, materia proxima tantùm est virtualiter multiplex. Imò si plures hostiæ simul consecrentur, fiunt & constituuntur plura Sacramenta per unam formam consecrationis solùm virtualiter multiplicem.

9. Respondeo secundò. Tunc eandem numero materiam proximam Sacramenti non posse sufficere pro pluribus Sacramentis, quando est actio ita suâpte naturâ transiens, ut sæpius nequeat appli-

applicari; quò modo ſe habent ablutio, unctio, (præſertim cùm iſtæ materiæ ſupra eandem perſonam ex natura Sacramenti ſint initerabiles) & ipſa confeſſio pœnitentialis: Vel enim de novo confiteris tua peccata, vel non: ſi confiteris, jam eſt nova & iterata confeſſio; ſi non, eſt nulla; adeòque ne præcedentem quidem confeſſionem ſubjicis abſolutioni, at verò dolor internus eſt ejus naturæ, ut moraliter vel virtualiter permanere, atque per novam confeſſionem iteratò ſenſibilis fieri poſſit in ordine ad novam abſolutionem obtinendam.

§. IV.

An in confeſſione venialium dolor ad omnia venialia confeſſa ſe extendere debeat?

10\. CErtum eſt primò; quòd, ſicuti liberum eſt, peccata venialia ſubjicere confeſſioni, ita ſit liberum de iis dolere, vel non dolere, priusquam illa velis confiteri. Secundò, Non eſſe neceſſarium dolorem de omnibus venialibus etiam non confeſſis; uti enim liberum eſt, unum confiteri altero non confeſſo, ita etiam dolere de uno, non dolendo de altero; cùm non ſit illa connexio inter venialia, qualis eſt inter mortalia. Tertiò, Aliquem ſaltem dolorem formalem de uno alteróve peccato veniali eſſe neceſſarium, cùm aliàs Sacramento deeſſet pars eſſentialis, ut ſæpiùs dictum. Quartò, Si quis in confeſſione dicat unum alterúmve veniale non animo deſuper abſolutionem recipiendi, ſed remedium vel conſilium petendi; non eſſe neceſſarium, ut de illo doleat. Dubium ergo eſt, an qui plura venialia confitetur, poſſit abſque gravi peccatò habere dolorem tantùm de uno, alteróve; non efficaciter dolendo de reliquis: Ubi negativam tuentur aliqui graves DD. apud Suar. d. 20. ſe. 6. n. 7. Ipſe tamen cum Lugo, Dicaſtillo, Perez tuetur contrarium.

11\. CONCLUSIO. *Non eſt gravis obligatio dolendi de omnibus venialibus explicatis in confeſſione.*

Ratio eſt: Si eſſet gravis obligatio, foret propter gravem irreverentiam Sacramenti, eò quòd fruſtraretur ſuo effectu & practicâ ſignificatione in aliqua parte materiæ ſacramentalis: ſed non eſt gravis irreverentia: ergo. Minor probatur: Fruſtrari Sacramentum partiali tantùm effectu in aliqua levi parte materiæ, quæ liberè & non neceſſariò applicatur, communi DD. calculô non cenſetur gravis irreverentia, cùm tantummodò ſit in materia levi; ſicuti non cenſetur gravis irreverentia, ſi omittatur levis pœnitentia impoſita, tametſi ſatisfactio ſit integralis pars Sacramenti: ſed hîc tantùm fruſtraretur Sacramentum aliquo effectu partiali in levi parte materiæ: ergo.

12\. Objicies: Qui apponit Sacramento pro materia, quod non poteſt eſſe materia, graviter peccat & committit gravem irreverentiam, ſive hoc faciat in parte, ſive in toto: ſed qui confitetur plura venialia, de quibus tamen omnibus non dolet, apponit in Sacramento Pœnitentiæ materiam abſolutionis, quæ eſſe non poteſt: ergo. Major probatur primò à paritate: quia qui inter 1000. hoſtias conſecrandas apponeret unicam non triticam, graviter peccaret, quantumvis unica reſpectu tot aliarum videatur eſſe levis materia. Secundò: Reddere falſam ſignificationem formæ & illud fruſtrare ſuo effectu, eſt gravis irreverentia: ſed etiamſi tantùm apponatur partialis materia formæ incapax; falſificatur forma: ergò committitur gravis irreverentia.

Reſpondeo: Qui apponit pro materia quod non poteſt eſſe materia in re levi tantùm indirectè ſignificata per Sacramentum; nego; in materia gravi & directè ſignificatâ per Sacramentum, concedo: ſed confitens in noſtro caſu apponeret pro materia; quod non poteſt eſſe materia, ità ut ſit tantùm materia levis & indirectè ſignificata per Sacramentum; concedo; gravis & directè ſignificata, nego minorem & conſequentiam. Ad primam probationem eſt multiplex diſparitas. Primò quia quælibet hoſtia ſit integrum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, unde non eſt materia levis una hoſtia inconſecrabilis: atqui peccata venialia ſunt materia levis. Secundò: Quia in ly *hoc* directè ſignificatur ſubſtantia conſecranda: unde qui apponit hoſtiam inconſecrabilem falſificat formam Sacramenti circa materiam directam & circa effectum primarium directè & in recto ſignificatum: ſed forma abſolutionis non directè ſignificat peccata pœnitentis, neque formalis & primarius effectus in recto ſignificatus ſunt peccata confeſſa: ſed gratia ex ſe remiſſiva peccatorum, circa quæ pœnitens ritè eſt confeſſus & diſpoſitus. unde non eo ipſo graviter falſificatur forma Sacramenti. Tertiò: Quia per immixtionem hoſtiæ non triticeæ poneretur periculum materialis idololatriæ, & defraudandi proximum Sacramento, ſi ipſi hoſtia non conſecrata contingeret.

Ad ſecundam probationem reſpondeo ex dictis: Reddere falſam ſignificationem formæ ſimpliciter, & circa effectum primarium in recto ſignificatum eſt gravis irreverentia; concedo; ſecus, nego: ſed ſi apponatur partialis materi a formæ incapax, falſificatur forma, ſi illa materia partialis directè ipſi ſubjiciatur, & ſine illa non poſſit verificari effectus primarius directè intentus; concedo; ſecus, nego vel ſubdiſtinguo: falſificatur ſecundùm quid & in materia levi; concedo; ſimpliciter, & in materia gravi, nego minorem & conſequentiam.

Inferes ex dictis primò: Quæ de confeſſione venialium ſunt dicta, ob paritatem rationis etiam eſſe extendenda ad confeſſionem mortalium jam antè legitimè confeſſorum. Secundò: Non eſſe grave peccatum, ſi quis in confeſſione dicat aliquod veniale falſum: eſt enim deceptio Confeſſarii, variatio judicii, & appoſitio materiæ irremiſſibilis tantùm in materia levi. Tertiò: Quod de dolore, idem dicendum de propoſito: nempe non graviter peccare, qui de uno veniali confeſſo habet propoſitum non iterandi, non autem de altero. Quartò: Sufficere ad valorem & fructum Sacramenti dolorem de 13.

de numero & collectione venialium, sive, quòd toties & tam graviter peccaveris, propositum deinceps te emendandi, nec toties peccandi, quamvis habeas affectum positivum ad repetendum unum alterúmve peccatum ex illa collectione.

DISPUTATIO XLVII.

De confessione.

1. CONfessio juxta definitionem Catechismi Romani Pii V. p. 2. c. 5. n. 33. est *legitima & sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam coram Sacerdote facta.* Et dicitur primò: *legitima & sacramentalis accusatio*, ut distinguatur ab historica narratione per hoc, quod sit facta animo accusatorio & vindicativo suorum criminum. Dicitur secundò: *de propriis peccatis*; ubi significatur materia confessionis, quæ sunt peccata non aliena, sed propria, eáque post Baptismum commissa. Dicitur tertiò: *ad veniam* &c. quibus significatur finis istius accusationis, nimirum reconciliatio & venia obtinenda, quam pœnitens hoc Sacramentum accedens actu spei debet intendere. Dicitur quartò *coram Sacerdote facta*; quibus indicatur judicis legitimi necessaria præsentia, cui tanquam judiciariam absolvendi potestatem habenti peccata sunt subjicienda. Cæterùm qualitates & conditiones confessionis rectè instituendæ plures enumerari solent his versibus comprehensæ:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda, discreta, libens, veneranda.
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Quæ omnes cùm non sint de necessitate & substantiali perfectione Sacramenti, sed aliquæ tantùm de accidentali; ideo magis necessariæ conditiones ad istas quatuor revocantur: Primò, ut sit *voluntaria*, quia Sacramenta adultorum non possunt validè conferri sine propria voluntate suscipientis. Secundò, ut sit *integra*, hoc est, omnium mortalium, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt. Tertiò *fidelis*, ut pœnitens neque augeat, neque minuat numerum, species, & circumstantias peccatorum, de quibus se accusat. Quartò, ut sit *secreta*, ne absque gravi causa fiat coram aliis, sed ad aures Sacerdotis, quâ de causa *auricularis* vocatur, modo publicè peccata confitendi, cujus olim in Ecclesia usus fuit, à temporibus Nectarii Episcopi Constantinopolitani D. Chrysostomi prædecessoris & Leonis Papæ propter gravia scandala penitùs subiato. Priusquàm conditiones confessionis singulas expendamus, primùm de ipsius præcepto & obligatione tractabimus. Unde sit

ARTICULUS I.

De necessitate & præcepto confessionis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit confessio ejusq; conditiones?*
2. *Definitio Tridentini de veritate confessionis.*
3. *Testimonia S. Scripturæ.*
4. *Usus Ecclesiæ & testimonia SS. Patrum.*
5. *Ratio ex institutione Sacramenti.*
6. *Obligatio juris divini quando obliget lapsos post Baptismum.*
7. *Jure positivo fideles obligantur confiteri semel in anno.*
8. *Beatissima Virgo non recepit Sacramentum Pœnitentiæ.*
9. *Nullius gravis peccati conscius speculativè loquendo in articulo mortis non obligatur ad confitendum.*
10. *Præceptum annuæ confessionis obligat omnes baptizatos post adeptum usum rationis.*
11. *Obligatio confessionis est disjuncta ab obligatione paschalis Communionis.*
12. *Unde etiam extra tempus paschale impleri potest & quandoq; debet.*
13. *Et potest impleri quovis die anni.*
14. *Corollaria practica.*
15. *Non est præceptum universale; sed quandoq; particulare confitendi venialia.*
16. *Potest esse obligatio scripto confitendi, non autem per interpretem.*
17. *Non satisfit præcepto confessionis per sacrilegam confessionem.*
18. *Tenetur hoc præcepto habens peccata tantùm dubia.*

§. I.

§. I.

Veritas Catholica.

2. Suppono tanquam de fide certum contra nostri temporis Sectarios, confessionem auricularem seu modum sua peccata secretò Sacerdoti confitendi esse à Christo institutum. Ita definiit Tridentinum sess. 14. can. 6. dicens: *Si quis dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.* Rationem congruentiæ idem Concilium dedit cap. 5. dicens: Nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publicâ essent confessione aperienda.

3. Catholicam veritatem ostendunt divinæ Scripturæ oracula: nam in Jo. c. 20. v. 22. cùm dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* apertè ostenditur, in Sacerdotibus esse potestatem peccata retinendi, quæ sanè nulla foret, nisi singulorum haberent cognitionem, quod non fit, nisi per auricularem confessionem. 1. Joan. 1. v. 9. dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ubi conditio remissionis est confessio peccatorum. Act. 19. v. 18. *Credentes veniebant, confitentes, & annuntiantes actus suos,* hoc est, dicentes species & numerum suorum peccatorum. Adde, quòd in lege Mosaica præcepta fuerit confessio peccatorum coràm Sacerdote facienda: ita enim habetur Numer. 5. v. 6. *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere &c. confitebuntur peccatum suum.* Et Levit. 5. v. 5. *Et erit, cùm peccaveris in uno ex his, confitebitur,* &c.

4. Accedunt perpetuus usus Ecclesiæ, & testimonia luculenta SS. Patrum, quæ eundem usum declarant. Nam S. Irenæus narrans conversionem alicujus fœminæ ab hæresi in viam salutis revocatæ l. 1. c. 4. dicit, eam prope omne tempus in exomologesi, hoc est, confessione peccatorum contrivisse. Clemens Alex. l. 2. strom. distinguens inter Pœnitentiam, quæ antecedit, & quæ subsequitur Baptismum, hanc vocat *secundam Pœnitentiam*, item *secundum Baptismum, & secundam regenerationem.* S. Basilius in Reg. brev. interrog. 226. inquit: *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus est credita dispensatio mysteriorum Dei,* &c. Ambros. l. 1. de Pœnit. *Munus Spiritûs S. est officium Sacerdotis, munus autem Spiritûs S. in solvendis ligandisq; criminibus est.* S. Cypr. l. de lapsis: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* S. Hieron. ep. ad Heliod. *Absit, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes ante judicandi diem judicant, qui sponsam Domini nostri sobriâ castitate conservant.* D. August. ep. 180. ad Honorat. scribens de obsessis urbibus ait: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroq; sexu, atq; ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem; aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actiones omnibus consolationem & Sacramentorum confessionem & erogationem.* Plurima alia tam istius, quàm aliorum SS. Patrum testimonia vide apud Cotonum l. 3. Eccl. Milit. de Sacr. Pœnit.

Ratio ex dictis est: Sacramentum Pœnitentiæ in forma judicii est adæquatè à Christo institutum: sed Sacramentum Pœnitentiæ adæquatè sumptum includit confessionem pœnitentis tanquam accusationem rei: ergo hæc est divinitus instituta. Hoc supposito sit 5.

§. II.

Determinatur obligatio confessionis.

CONCLUSIO. *Jure seu præcepto divino positivo* (1) *omnes lapsi post Baptismum obligantur in articulo vel periculo mortis & sæpius in vita sua peccata confiteri: non autem statim post peccatum.* (2) *Jure autem & præcepto ecclesiastico positivo obligantur sua peccata semel in anno confiteri.* 6.

Ratio primæ partis est: Lapsi post Baptismum seu peccatores baptizati (nam infideles non sunt subditi Ecclesiæ, & peccata ante Baptismum commissa per illum non per Pœnitentiam deleri suprà dictum) in nova lege ita divino jure & eo tempore tenentur ad confessionem, sicuti jure divino & naturali, & quo tempore extra legem Evangelicam tenebantur ad contritionem: sed ad hanc tenebantur jure divino & naturali in articulo & periculo mortis, & sæpius in vita; non statim post peccatum, uti dictum in disp. 45. a. 2. ergo similiter jure divino positivo obligat præceptum confessionis. Major probatur; quia præceptum confessionis ex institutione Christi in Lege Evangelica subrogatum fuit præcepto contritionis; unde, sicut aliàs obligabat contritio, ita nunc confessio.

Secunda pars constat ex *c. omnis utriusque sexûs, extra. de pœnitentiis.* Ubi Innocentius III. in Concil. Lateran. ita loquitur: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere &c.* Cujus præcepti gravitas, præterquam quòd sit in materia gravi, colligitur ex adjuncta gravi pœna: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ non gaudeat sepulturâ.* 7.

Ex quibus inferes primò: Beatissimam Virginem nunquam suscepisse Sacramentum Pœnitentiæ, hoc ipso quia se de peccato proprio non poterat accusare, neque de ipso dolere. Nec valet paritas à Baptismo; in Baptismi quippe receptione poterat habere locum materia proxima ablutionis, non autem in susceptione Pœnitentiæ materia proxima contritionis & confessionis. 8.

Inferes secundò: Si quis nullius peccati gravis foret conscius, per se & speculativè loquendo, non teneri ad faciendam confessionem in periculo vel articulo mortis; eò quòd hoc præceptum 9.

non

non sit nisi de materia necessaria Sacramenti, quæ sunt peccata mortalia: Interim tam ad vitandam præsumptionem & periculum, cùm nemo sit certus, an sit in statu gratiæ & sibi blandiendo facillimè possit decipi, quàm etiam ad evitandum scandalum, à nemine in illo articulo omittenda est peccatorum confessio.

10. Inferes tertiò. Præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis obligari omnes baptizatos, qui post usum rationis inciderunt in grave peccatum; quia per annos discretionis intelligitur tempus, quo homo perveniens ad usum rationis incipit sufficienter discernere inter bonum & malum, & agnoscere gravitatem peccati. Unde neque impuberes peccati capaces, neque hæretici habentes istius præcepti notitiam vel culpabilem ignorantiam ab hac obligatione sunt immunes, siquidem per Baptismum ingressi in Ecclesiam Dei subjiciuntur præceptis ipsius.

§. III.

Dubia practica circa præceptum annuæ confessionis expediuntur.

11. Quæres primò: Utrùm præceptum confessionis tantùm per accidens obliget propter adjunctum præceptum, communicandi in Paschate, vel an etiam per se & separatim ab illa communione? Respondeo, obligare per se, & separatim, ita ut sit distinctum præceptum utriusque. Cujus ratio est primò, quia finis hujus præcepti est distinctus à fine communionis paschalis; alia quippe est utilitas & necessitas confessionis, quàm Eucharistiæ: atqui utilitas confessionis est finis istius præcepti: ergo. Secundò: quia potest esse obligatus ad implendum præceptum confessionis propter peccata post Baptismum commissa, qui non est obligatus ad sumendam S. Eucharistiam, vel quia hoc mysterium nondum satis intelligit, vel quia est morbo impeditus, vel quia non habet ejus occasionem: ergo sunt præcepta distincta.

Ex quo sequitur primò: Eum, qui est legitimè impeditus à sumenda per annum vel in Paschate Eucharistia, non ideo deobligari à facienda confessione, si habeat ipsius indigentiam & occasionem.

12. Sequitur secundò: Illum, qui in Paschate sine confessione communicâsset, eò quòd nullam haberet gravioris peccati conscientiam, si postea incidet in peccatum mortale, teneri ad confessionem ante finem anni: aliàs quippe transgreditur limitem temporis ab Ecclesia præscriptum.

Sequitur tertiò: Si quis per annum sæpius mera venialia fuisset confessus, & ultimo die anni incideret in peccatum mortale, eodem adhuc die teneri ad confessionem, quia præceptum Ecclesiæ de confitendo semel in anno est de confessione mortalium, qualem Christus præcepit.

13. Quæres secundò: Quo die aut tempore anni debeat vel possit impleri præceptum annuæ confessionis.

Respondeo: Non solo tempore Paschali, sed quovis anni die posse impleri, computando annum, vel à principio Januarii usque ad finem Decembris, vel ab uno Paschate ad aliud. Ratio primi est, quòd præceptum confitendi obliget independenter à Paschate; neque celebritas paschalis ingreditur finem præcepti, sed ne fideles ultra annum differant reconciliari cum Deo. Ratio secundi est, quòd communis usus fidelium annum vel à Januario ad Decembrem, vel ab uno Paschate ad aliud Pascha computat.

Hinc sequitur primò: Eum, qui prævidet se postea ante finem anni non habiturum aliquam occasionem confitendi, uti fit in longa navigatione, vel peregrinatione per terras hæreticorum, infidelium &c. teneri anticipare confessionem, quia hoc præceptum ab initio anni incipit obligare, & quolibet tempore impleri potest. sicut in simili, qui prævidet, se postea die festivo non habiturum occasionem audiendi Sacrum, tenetur tunc illud audire. 14.

Sequitur secundò: Eum, qui toto anno sive culpabiliter sive inculpabiliter intermisit confessionem, adhuc teneri ad confessionem, quàm primùm poterit; quia tempus annuum in hoc præcepto non est statutum per modum termini obligationis, seu ad obligationem faciendam, prout contingit in ecclesiastico præcepto jejunii, Missæ, Breviarii, sed ad obligationem statuendam, ne videlicet ultra hoc tempus confessio differatur, quemadmodum in contractu mutui determinatum tempus adjicitur, non ut illo elapso obligatio finiatur, sed ne ultra id tempus differatur.

Quæres tertiò: Sitne præceptum ecclesiasticum confitendi venialia? Respondeo: Universale præceptum Ecclesiæ de confessione venialium non dari. Nam cit. *c. omnis utriusque sexûs*, extra quod nullum habetur fundamentum talis præcepti, loquitur tantùm de mortalibus. quo tamen non obstante dari possunt & dantur quædam decreta Regularia & Synodalia, quibus Religiosi, Parochi, Sacerdotes adstringuntur ad Sacramentum confessionis intra certum tempus recipiendum, quamtumvis nulla habeant mortalia: habet quippe potestas legislativa hanc efficaciam, ut opera virtutum libera, quemadmodum v. g. actum temperantiæ, imperare possit, adeòque & susceptionem talis Sacramenti. Vide Layman l. 5. tr. 6. c. 5. 15.

Quæres quartò: Utrùm vi istius præcepti teneatur aliquis scripto vel per interpretem confiteri, si aliter non possit? 16.

Respondeo: Teneri scripto, sed non per interpretem. Ratio est, quia in scripto confiteri non superaddit notabilem difficultatem obligationi confessionis; atqui per interpretem confiteri superaddit magnam difficultatem, nempè publicationem & periculum majoris sui peccati: ast Ecclesia tantùm præcipit secretam & auricularem, non autem publicam confessionem, & per ly *soli Sacerdoti* excludit omnem aliam personam etiam interpretis. Excipitur tamen communiter articulus mortis, in quo exigua jactura famæ ex lege charitatis est postponenda promotioni salutis æternæ obtinendæ per integram peccatorum confessionem.

Quæ-

17. Quæres quintò: Utrùm huic præcepto ecclesiastico satisfiat per invalidam & sacrilegam confessionem.

Respondeo negativè, quia finis proximus & intrinsecus hujus præcepti est reconciliatio cum Deo, quæ non nisi per religiosam validamque confessionem obtinetur. Et confirmari potest à pari. Præcepto communionis annuæ non satisfit per sacrilegam communionem: ergo neque præcepto confessionis per sacrilegam confessionem. Consequentia patet ex identitate rationis; Antecedens continetur in Decreto Innoc. XI. n. 55, damnantis hanc propositionem; *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacr. ... eam Domini manducationem.* Ex suppositione autem, quòd daretur confessio valida & informis, illa sufficeret ad implendum præceptum annuæ confessionis, quia tantùm ad tempus impeditur à suo effectu, cumque confert remoto obice.

Quæres sextò: Utrùm teneretur præcepto annuæ confessionis, qui tantùm haberet peccata dubia? 18.

Respondeo affirmativè: quia præceptum annuæ confessionis est de iis peccatis, quæ necessariò sunt clavibus subjicienda; sed peccata dubia necessariò sunt subjicienda clavibus, prout dicetur in sequentibus: ergo.

ARTICULUS II.
De veritate & fidelitate confessionis.

SUMMARIA.

1. *Proponitur status quæstionis.*
2. *Mentiri in materia necessaria confessionis, est grave peccatum; leve, mentiri in levi materia.*
3. *Peccat exponens majorem numerum peccatorum quàm commisit.*
4. *In confessione generali omittere aliqua peccata jam confessa non est peccatum.*
5. *Mentiens circa graves circumstantias peccatorum graviter peccat.*
6. *Non est per se loquendo grave peccatum, uni Sacerdoti confiteri mortalia, & alteri venialia.*

1. Confessio fidelis & verax pro eodem accipitur: unde hîc quæritur, quandonam sit grave peccatum mentiri in confessione? quod quidem fieri potest vel circa res impertinentes ad materiam Sacramenti, veluti circa nomen, patriam, parentes &c. vel secundò circa materiam liberam, & voluntariam Sacramenti, nempe circa vel mortalia jam legitimè confessa & circumstantias ipsorum: vel tertiò circa materiam necessariam ut sunt peccata mortalia needum confessa. Et circa primum est communis & certa omnium, non esse aliud vel majus peccatum mendacii, mentiri in confessione, quàm si esset factum extra confessionem; unde si est in materia levi, erit leve; si sit perniciosum mendacium & in materia gravi, erit grave, non contra virtutem religionis, sed veracitatis. Circa secundum & tertium modum Cajetani opinio fuit, semper committi peccatum mortale contra religionem quotiescunque quis sive in necessaria, sive in voluntaria materia mentitur in confessione: communis tamen, & nostra est

2. CONCLUSIO. *Per se loquendo mentiri in materia necessaria Sacramenti vel affirmando quod non fecisti, vel negando quod fecisti, semper est peccatum mortale sacrilegii; (2) econtra in materia voluntaria tantùm est peccatum veniale.* Ita communis DD.

Ratio utriusque partis est, quòd decipere Confessarium ejusque judicium variare, item violare integritatem confessionis in materia levi est leve, in materia gravi est grave peccatum; sed, qui mentitur in materia necessaria peccatorum, mortalium, decipit Confessarium, & violat integritatem Sacramenti in materia gravi; econtra qui mentitur in materia non necessaria, sed voluntaria, decipit Confessarium in materia levi &c. ergo ille committit grave, iste verò duntaxat leve peccatum. Dixi, *per se loquendo.* Nam per accidens fieri potest, ut etiam in materia voluntaria mentiendo peccetur mortaliter, uti primò si fiat ex contemptu. Secundò, si illud peccatum veniale, de quo mentiris, esset tota materia confessionis, ita ut præter illud nullum aliud subjiceres confessioni; tunc enim impedires totalem effectum Sacramenti, quod est grave peccatum sacrilegii. Tandem etiam conscientia erronea vel scrupulosa excusare potest, ne mentiendo in materia gravi peccatorum mortalium graviter pecces.

Inferes primò. Per se loquendo mortaliter peccare illum, qui majorem numerum peccatorum mortalium confitetur, quàm commisit; item qui confitetur peccatum tanquam dubium, quod est certum; vel ut certum, quod est dubium, quia mentitur in materia necessaria Sacramenti. 3.

Inferes secundò. Non esse peccatum, si in confessione generali omittantur aliqua peccata mortalia jam priùs confessa, eò quòd sint materia voluntaria, neque generaliter peccata confiteri volens præsumatur in tanto rigore omnia sua peccata velle exponere. 4.

Inferes tertiò: Peccare mortaliter, qui mentitur circa circumstantias peccatorum mortalium necessarias exponi in confessione; illæ enim pertinet ad materiam necessariam & gravem confessionis. 5.

Inferes quartò: Non graviter peccaturum, qui ad conservandam bonam existimationem apud extraordinarium Confessarium, priùs peccata mortalia confiteretur alteri Sacerdoti, & postea leviora deponeret apud ordinarium Confessarium: quia illa deceptio Confessarii non esset in re necessaria confessionis. quamvis ex alio capite hujusmodi deceptio possit esse graviter perniciosa, si nimirum conjunctum habeat finem licentiùs peccandi, tunc enim deerit efficacia doloris, & serium propositum emendationis. 6.

ARTICULUS III.

De integritate confessionis circa peccata dubia.

SUMMARIA.

1. *Quid sit confessio materialiter aut formaliter integra?*
2. *Quid requirat materialis integritas?*
3. *Quotuplex sit dubium de peccato?*
4. *Exponitur status controversiæ.*
5. *Est obligatio confitendi peccata negativè dubia.*
6. *Authoritas Tridentini in oppositum adducta exponitur.*
7. *Disparitas de dubio positivo.*
8. *Objecta juris axiomata retunduntur.*
9. *Peccata dubia sunt dubiè exponenda.*
10. *De peccatis merè dubiis non est danda absolutio.*
11. *Si ex peccato dubio fiat certum, etiam ut certum debet clavibus subjici.*
12. *Quædam instantiæ depelluntur.*

§. I.

Prænotanda.

1. PRænotandum primò. Integritatem confessionis esse duplicem, materialem scilicet & formalem. Confessio *materialiter integra* est, per quam pœnitens confitetur omnia peccata mortalia ab ultima confessione commissa: *Formaliter integra* est illa, per quam confitetur omnia, quæ hic & nunc post diligens examen confitenda occurrunt, tametsi vel propter inculpabilem oblivionem, vel justas causas aliqua peccata reipsâ confiteri omittat. Integritas materialis etsi per se loquendo, & si nulla causa excuset, sit necessaria & juris divini, quia tamen non semper est in nostra potestate, nec semper expediens, ideo ad valorem Sacramenti non est simpliciter necessaria. Formalis verò integritas uti est sufficiens, ita pariter est simpliciter necessaria ad valorem Sacramenti, prout definivit Tridentinum sess. 14. c. 5. & can. 1. ubi dicit: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione, etiam occculta, & quæ sunt contra duo ultima præcepta Decalogi, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant &c. anathema sit.* Colligitur quoque hæc necessitas ex institutione & natura hujus Sacramenti, eò quòd sit essentialiter in forma judicii. Ex eo quippe requirit accusationem de omnibus peccatis, cùm causâ non integrè cognitâ debita sententia & judicium super illa ferri à judice non possit.

2. Prænotandum secundò: Ad materialem integritatem confessionis pertinere, ut quis in confessione explicet non tantùm specificas, sed etiam numericas differentias peccatorum, quantùm moraliter fieri potest; specificas, inquam, non secundùm speciem physicam, sed moralem, prout ex præcitato textu Tridentini evidenter deducitur. Unde se sufficienter accusant, qui dicunt se habuisse malas cogitationes, se peccâsse carnaliter &c. sed debent exprimere speciem infimam peccati v. g. delectationis morosæ, fornicationis &c. Quòd si numerus peccatorum mathematicè non constet, is erit exprimendus, qui verisimilior apparet, dicendo v. g. te decies plùs vel minùs aut circiter peccâsse. unde verò desumenda sit numerica distinctio peccatorum, & qualiter exprimenda in confessione, dixi in Tract. de peccato personali. His positis, controversia potissima est de peccatis dubiis, circumstantiis & causis ab integritate materiali excusantibus. Unde sit

§. II.

An peccata dubia sint confitenda?

POtest aliquis tripliciter dubitare de peccato. Primò, an commiserit peccatum? Secundò, an, quod scit se commisisse, fuerit mortale vel veniale? Tertiò, an illud fuerit confessus? Rursus dubium potest esse positivum vel negativum. Positivum est, si pro utraque parte contradictionis habet rationes & motiva pro prudenti assensu sufficientia; Negativum est, quando non habet motiva sufficienter ad alterutram partem contradictionis prudenter determinandam. Hoc posito 3.

Suppono primò tanquam certum, illum qui habet motivum rationabile contra se, quòd peccaverit, & non habet motivum rationabile pro se, quòd non peccaverit; obligari ad confessionem peccati: tunc enim non habet fundamentum rationabile dubitandi, nec suffragatur possessio innocentiæ. Suppono secundò: Si dubium sit positivum, ita ut pro te habeas motivum rationabile, te hoc peccatum non commisisse, vel non peccâsse mortaliter, vel illud jam confessum esse, te non obligari ad confessionem illius, quia licet sequi sententiam probabilem relictâ tutiori. Suppono tertiò: Si certus sis de peccato commisso, & negativè dubius, an illud fueris confessus, te obligari ad illud confitendum; quia tunc obligatio legis est certa & in possessione, uti dixi in tract. de conscientia. Controversia igitur potissima in eo consistit, an, si sis negativè dubius de peccato commisso, vel sitne illud mortale aut veniale, tenearis illud confiteri?

CONCLUSIO. *Qui negativè dubitat, an aliquod peccatum commiserit, vel confessus fuerit; vel sitne illud mortale vel veniale, tenetur illud confiteri.* Est communis Doctorum præcipuè nostrorum Salisburgensium; quamvis quoad speculativam probabilitatem non pauci oppositam sententiam præferant. 5.

Pro-

Probatur primò ex perpetua praxi observata in Ecclesia Dei, ut qui de aliquo peccato dubitarent, etiam de illo sese in Confessionali sub dubio accusarent. Cujus consuetudinis cùm nullum constet initium, signum est, ex institutione Christi & Apostolorum traditione dimanâsse.

Probatur secundò ratione: Cùm Sacramentum Pœnitentiæ sit essentialiter reconciliativum, sitque subrogatum præcepto contritionis, ideo omnia illa peccata tenetur homo confiteri, de quibus extra hoc Sacramentum vel ante ipsius institutionem tenebatur confiteri: sed homo obligabatur ad contritionem etiam de peccatis dubiis eliciendam: ergo etiam obligatur illa subjicere confessioni. Minor probatur: præcepto dilectionis & pœnitentiæ homo obligatur ad positivè assecurandum statum amicitiæ & reconciliationis cum Deo: sed si nollet conteri & dolere de peccatis dubiis, non positivè assecuraret statum amicitiæ & reconciliationis cum Deo, hoc ipso, quia esset negativè dubius, utrùm illam amicitiam tali peccato perdidisset: ergo, nisi contereretur etiam de dubiis peccatis, non satisfaceret obligationi charitatis & Pœnitentiæ.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

6. Objicies primò: Eò quòd Conc. Trid. tantùm faciat mentionem circumstantiarum speciem mutantium, sequenti articulo dicemus, circumstantias merè aggravantes non esse necessariò subjiciendas confessioni: ergo similiter quia tantùm facit mentionem peccatorum mortalium, quæ sunt in conscientia & quorum pœnitens meminit, etiam licitè ab obligatione confitendi videtur exclusisse peccata dubia; quia peccata quæ ignorantur, non sunt in conscientia & memoria, sed dubia an sint commissa: ergo. Verba Trid. c. 5. sunt: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

Respondeo: Mentem PP. Concilii Tridentini eo loco non fuisse, ut deciderent hanc Theologorum controversiam, sed ut retunderent querelas hæreticorum ostendendo non esse impossibilem & nimis difficilem observantiam confessionis; & quòd tantùm obligemur illa peccata quoad speciem & numerum exponere, quæ memoriæ occurrunt. Unde Concilium obligationem confitendi reliquit in eo statu, in quo priùs erat: atqui priùs jam DD. plerique in hoc conveniebant, quòd esset obligatio confitendi peccata negativè dubia; unde Tridentinum hanc quoque obligationem non sustulit, sed reliquit. Imò verò conscientiæ nomine in jure sæpius non tantùm venit conscientia certa, sed etiam dubia, uti patet ex *c. petitio, de homicidio voluntario.* & *c. inquisitionis, de sent. excomm.* Unde cùm Tridentinum asserat, illa omnia peccata esse confitenda, quorum aliquis habet memoriam & conscientiam, etiam ipsa peccata dubia comprehendisse censeri potest. Nec valet paritas à circumstantiis; nam cùm Trid. expresserit circumstantias speciem mutantes, videtur ex opposito exclusisse circumstantias speciem non mutantes: qui enim affirmat obligationem de uno, implicitè negat obligationem de alio non contento in illo, at verò non expressit peccata certa, sed indeterminatè dixit de omnibus peccatis mortalibus, inter quæ etiam contineri possunt peccata dubia: & sic paritas potiùs militat contra Adversarios, quàm pro ipsis.

Objicies secundò: Qui habet dubium positivum, non tenetur peccatum tali modo dubium confiteri: ergo neque tenemur confiteri negativè dubia. Consequentia probatur: In positivo dubio non est obligatio confitendi, quia quantum obest dubitandi probabilitas, quòd peccaverit, tantum econtra favet probabilitas, quòd non peccaverit: ergo etiam non est obligatio in dubitante negativè: quia quantum ipsi obest impotentia formandi judicium, quòd non peccaverit, tantum econtra favet impotentia formandi judicium, quòd peccaverit. 7.

Respondeo negando consequentiam & causalem probationis. Disparitatis ratio est: quia qui habet dubium positivum, potest prudenter illud deponere, & judicium formare, quòd non peccaverit, sitque proinde constitutus in amicitia Dei: sed qui negativè dubitat, non potest prudenter illud deponere, & judicare se esse amicum Dei, adeòque tenetur quærere amicitiam cum Deo.

Objicies tertiò quædam axiomata universalia, quòd *in dubio melior est conditio possidentis; in dubio favendum est reo, nemo præsumitur malus, donec probetur* &c. sed qui negativè dubitat, an peccaverit, est possessor suæ libertatis & innocentiæ, nec potest probari nocens: ergo potest pro se judicare, quòd non sit obligatus ad confessionem peccatorum dubiorum. 8.

Respondeo negando minorem, & dico, ista axiomata nihil facere pro præsenti materia: nam dubitans non est in possessione, sed potiùs lex certa, quòd homo teneatur quærere amicitiam & reconciliationem cum Deo, & statum gratiæ. Ipsa quoque accusatio de peccato dubio non est in odium, sed favorem rei. Nec ideò confitens præsumitur malus; quia non tenetur nisi sub dubio peccata dubia confiteri: ex quo nihil præjudicatur ipsius innocentiæ.

§. IV.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò: Peccata dubia non absolutè, sed sub dubio sive tanquam dubia, debere exponi in confessione; quia eo modo debent exponi, sicut sunt in conscientia, & ut possit verum judicium de ipsis formare Confessarius: sed tantùm dubiè sunt in conscientia, &, si tanquam certa exponerentur, Confessarius formaret de ipsis falsum judicium: ergo. 9.

10. Inferes secundò: Nunquam esse licitum, absolvere de peccatis merè dubiis, quia illicitum est formam certam applicare materiæ dubiæ; atque ita Sacramentum periculo nullitatis ejusque significationem periculo falsitatis exponere. Ideo Sacerdos pœnitentem mera peccata dubia proferentem urgere debet, ut saltem aliquod certum veniale, vel peccatum aliàs confessum absolutè confiteatur, sicque absolutionem absolutè accipere possit. Sed an saltem licebit ejusmodi pœnitenti mera peccata dubia confitenti impertiri absolutionem sub conditione, si illa peccata commiserit? Respondeo negativè: quia conditionata formæ prolatio requirit rationabilem causam: at nunquam videtur esse sufficiens & rationabilis causa absolvendi de solis peccatis dubiis, cùm nullus hominum sit absque certis saltem venialibus peccatis.

11. Inferes tertiò: Si post confessionem peccati dubii sub dubio factam postea deprehendas, te illud certò commisisse, probabilius est, te esse obligatum, ut in nova sequenti confessione illud peccatum exponas ut certum, quod priùs sub dubio exposuisti. Majorem probabilitatem huic sententiæ confert tum authoritas, tum ratio. Authoritas quidem, quia est communior inter DD. Ratio quoque primò: quia juxta Tridentinum peccata sunt clavibus subjicienda, prout sunt in conscientia: sed peccatum dubium, postea non ut dubium, sed ut certum, est in conscientia: ergo ut certum debet subjici clavibus. Secundò: Finis distinctæ confessionis non tantùm est remissio peccatorum, sed etiam, ut Confessarius competentem satisfactionem imponere, & morbo pœnitentis salutarem medicinam possit præscribere: sed aliam satisfactionem & medicinam requirunt peccata certa, quàm dubia: ergo. Tertiò: Qui sciens quidem se graviter peccâsse, sed oblitus speciem peccati accusâsset se in genere, quòd mortaliter peccâsset; postea in nova confessione obligaretur ad exprimendam speciem peccati, si ipsius meminisset: ergo etiam qui priùs explicuit suum peccatum ut dubium, postea tenetur illud explicare ut certum, si de illo certus redditur. Consequentia probatur: Non minùs dubitans de existentia sui peccati est incertus de materia necessaria Sacramenti, quàm qui ignorat prædicatum specificativum sui peccati: ergo si iste, non obstante directâ absolutione à suo peccato, adhuc obligatur postea illud expressè confiteri secundùm prædicatum specificum, etiam ille postea tenebitur non obstante directâ absolutione illud confiteri ut certum.

12. Dices primò: Pœnitens à peccato, quod sub dubio est confessus, jam est absolutus directè: ergo illud peccatum non est materia novæ confessionis. Secundò. Absolutus à dubia excommunicatione vel irregularitate non tenetur de novo petere absolutionem vel dispensationem, si ex pòst facto deprehendatur certitudo illius: ergo similiter absolutus à dubio peccato non tenetur de novo petere absolutionem. Tertiò, qui confessus est se blasphemâsse decies circiter, si postea recordetur se duodecies blasphemâsse, non tenetur illas duas blasphemias per particulam *circiter* sub dubio explicatas de novo confiteri ut certas: ergo nec alia peccata dubia.

Respondeo ad primum negando consequentiam, cujus falsitas patet in casu, quo quis constitutus in articulo mortis non plus potest dicere, quàm se peccâsse mortaliter, tunc enim directè absolvitur ab omnibus peccatis, & tamen valetudini restitutus obligatur ad expressam singulorum peccatorum confessionem.

Ad secundum respondeo: Si in absolutione ab excommunicatione dubia, constaret de mente absolventis, quòd vellet obligare absolutum ad sistendum se Superiori, si contingat deprehendi certitudinem excommunicationis, hoc ipso quoque fore obligatum, ut se sistat Superiori; cùm ergo ex fine Sacramenti & communi Doctorum consensu constet, mentem Christi instituentis esse, ut omnia peccata determinatè & expressè subjiciantur clavibus, prout sunt in conscientia, non obstante absolutione directâ à peccatis dubiis manebit obligatio, illa ut certa confitendi.

Ad tertium quamvis aliqui concedant antecedens: quia tamen hoc videtur nimis scrupulosum, nego consequentiam. Disparitas est: quòd ex fidelium & Confessariorum praxi colligitur, non eodem rigore Christum voluisse confitentes adstringere ad expressionem certi numeri peccatorum, postquam is semel est sub dubio expositus, quàm ut se absolutè reos pronunciarent, quandò se in tali specie peccati reos esse cognoverint. Et hoc ideo partim quia levis excessus & variatio numeri parùm vel nihil facit ad variandum judicium & sententiam Confessarii; partim, quia confessio redderetur difficillima pœnitenti, cùm deprehensio certi numeri in peccatis ejusdem speciei aliquando fit valde difficilis & laboriosa.

ARTICULUS IV.

An circumstantiæ aggravantes sint exponendæ in confessione.

SUMMARIA.

1. *Circumstantiæ speciem mutantes necessariò sunt exponendæ in confessione.*
2. *Circumstantiæ merè aggravantes non necessariò sunt confitendæ.*
3. *Fundamentum ex Tridentino.*
4. *Impugnatur responsio Adversariorum.*
5. *Absurda, quæ sequuntur ex opposita sententia.*
6. *Quando per accidens fit obligatio exponendi circumstantias aggravantes.*
7. *Disparitas de peccatis dubiis.*
8. *Circumstantia aggravans non est necessaria materia confessionis.*
9. *Major gravitas individualis non est ratio, cur necesse sit peccatum confiteri.*

10. Quæ-

10. *Quædam absurda objecta depelluntur.*
11. *Circumstantiæ dubiæ speciem mutantes sunt sub dubio exponendæ.*
12. *Exponenda circumstantia, quæ facit ex veniali mortale, & vicissim.*
13. *Diligens examen jure Divino prærequiritur ad confessionem.*
14. *Confessarius debet subinde supplere defectum examinis.*

§. I.

Defenditur negativa.

1. Certum est ex Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7. quòd ad integritatem confessionis pertineat confiteri omnes circumstantias speciem mutantes; & exinde constat, quòd circumstantiæ speciem mutantes addant actui peccaminoso novam speciem peccati, ideoque constituant diversa specie peccata; sed pertinet ad integritatem confessionis, confiteri peccata specie diversa; ergò ad eandem pertinet confiteri circumstantias speciem mutantes. Dicuntur autem circumstantiæ speciem mutantes, quæ novam & specialem addunt repugnantiam cum recta ratione, & oppositionem cum distinctæ virtutis motivo; sicuti in percussione personæ sacræ, circumstantia sanctitatis addit percussioni repugnantiam & oppositionem cum virtute & motivo religionis, ideoque percussionem trahit ad novam speciem sacrilegii. Difficultas est de circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus, uti est v. g. media hora in morosa delectatione; materia 20. florenorum in gravi furto &c. quæ utique sunt peccata longè graviora quàm morosa delectatio unius instantis, vel Pater noster; furtum unius aurei &c. utrùm sit necessarium, has circumstantias exprimere, vel an licitè possint omitti dicendo v. g. *morosè delectatus sum* non exprimendo quantitatem temporis; *furatus sum in materia gravi* sine determinatione quantitatis. De quo sit

2. CONCLUSIO. *Non est necessitas, aut obligatio per se in confessione aperiendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem.* Ita plurimi tam ex antiquis, quàm Recentioribus, & pro hac sententia S. Doctor in 4. d. 16. q. 3. a. 2. q. 5. quamvis videatur è contextu potiùs de circumstantiis intra lineam peccati venialis non notabiliter aggravantibus, quàm de graviter & notabiliter aggravantibus loqui. Opposita quoque sententia tam ab authoritate, quàm ratione magnam habet probabilitatem.

3. Probatur primò. Non debet pœnitentibus imponi obligatio, quæ non est ex præcepto & institutione Christi, cùm aliàs confessio sit satis onerosa: sed circumstantias tantùm aggravantes confiteri non est ex præcepto & institutione Christi; ergò. Minor probatur: Si esset ex præcepto & institutione Christi, id maximè deberet constare ex definitione Ecclesiæ vel Conciliorum (neque enim è Scriptura vel Traditione ostendi potest) sed ex nullius Concilii definitione constat: Et de prioribus antiquioribus Conciliis certum est; de Tridentino probatur, & contra Adversarios nostra sententia clarè satis eruitur. Nam sess. 14. c. 5. dicit: *Nihil aliud exigi à pœnitentibus, quàm ut peccata confiteantur, quibus se Deum offendisse meminerint.* Sed qui omittit circumstantias solùm aggravantes, potest nihilominus confiteri omnia & singula peccata quoad speciem & numerum, quibus Deum offendisse se meminit; ergo etiamsi omittat illas circumstantias, satisfaciet præcepto sua peccata integrè confitendi. Rursus ibidem paulò inferiùs, & *can. 7*, dicit, esse necessarium jure divino *confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant*, per quæ postrema verba limitantia non modò præteriit negativè & dissimulavit circumstantias solùm aggravantes, sed etiam easdem positivè exclusit: quia, qui in materia doctrinali inter duo membra opposita adhibet terminum limitantem & restringentem ad unum, hoc ipso intelligitur excludere alterum. Sic cùm idem Tridentinum dixit, quòd materia necessaria confessionis sint peccata mortalia, hoc ipso exclusit venialia. Cùm dixit, sine speciali privilegio neminem posse vitare venialia, hoc ipso intellexit, cum speciali privilegio posse. Nec est dubium, quòd, si idem Tridentinum dixisset, esse necessarium confiteri omnia peccata prodeuntia in actum externum, censeretur illâ limitatione voluisse excludere peccata interna: ergo pariter dicendum est, quòd doctrinam de necessitate confessionis limitandò ad unam partem nempe circumstantias speciem mutantes, tacitè voluerit excludere oppositam, nempe circumstantias speciem non mutantes, sed intra eandem speciem aggravantes.

4. Respondent Adversarii. Ex ratione Tridentini, quam adjungit ad necessitatem confitendi circumstantias speciem mutantes, sufficienter colligi necessitatem etiam confitendi circumstantias in eadem specie aggravantes: quia nimirum Sacerdos agit personam judicis, nec nisi cognitâ causâ potest exercere judicium, & æquitatem in pœnis injungendis servare. Quæ ratio æquè videtur militare pro circumstantiis tantùm aggravantibus; quis enim dubiter, ex earum notitia variari judicium confessarii, & aliam pœnam imponendam fore pro furto 1000. quàm 10. aureorum? Sed contra est, quòd, ut argumentatur Dicastillo, si evidenti discursu ex ratione Tridentini inferretur necessitas confitendi circumstantias aggravantes, PP. Tridentini ab errore vel inscitia excusari vix possent, quòd vel tam evidentem consequentiam non vidissent, vel illâ conspectâ inter oppositas Doctorum opiniones suam doctrinam ad solas circumstantias speciem mutantes restringendò cuivis liberam errandi potestatem tribuissent. Si autem hoc non sequitur evidenti, sed tantùm probabili discursu, tunc potiùs nostræ sententiæ Concilium detulisse censeri debet; siquidem per verba limitantia necessitatem confitendi ad solas circumstantias speciem mutantes restrinxit. Unde illa propositio universalis, quòd illa omnia sint necessariò exponenda in confessione, quæ possunt

judicium Confessarii notabiliter variare, distinguenda est: quæ possunt variare judicium Confessarii circa speciem & numerum peccatorum, concedo; in aliis quibuscunque, nego.

5. Probatur secundò ab absurdis. Nam hinc sequeretur, confitentes teneri ad onus penè impossibile, videlicet ad explicationem omnis intensionis, & durationis in actu; item quantitatis non tantùm in damnis fortunæ, sed etiam in detractatione famæ, quod uti est nimis onerosum, ita etiam contra communem fidelium usum, quia satisfecisse censentur, si se accusent, quòd proximi famam læserint in materia gravi. Sequeretur etiam, quòd quis teneretur confiteri circumstantias minuentes, cùm etiam per illas varietur judicium Confessarii, quod non minùs est contra usum consuetudinemque fidelium.

6. Dixi, per se loquendo non esse obligationem &c. nam per accidens est aliquando obligatio exponendi circumstantiam tantùm aggravantem. Primò: si propter talem circumstantiam peccatum sit reservatum Superiori ut est alicubi incestus in primo gradu consanguinitatis. Secundò: si tanta est duratio peccati, ut prudenter credi possit, illud peccatum sæpius fuisse moraliter interruptum, ac numericè multiplicatum, ut est longi temporis dilatio, restitutio, odium diuturnum &c. Tertiò: Si ratione dispositionis exquirendæ, restitutionis imponendæ, medicinæ providendæ, à Confessario interrogetur de simili circumstantia, tunc enim, uti Confessario competit jus interrogandi, sic pœnitenti incumbit obligatio respondendi, prout etiam in novissima Bulla Innocentius XI. decrevit, pœnitentem obligatum esse respondere Confessario interroganti, an habeat consuetudinem alicujus peccati, damnando sententiam oppositam.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

7. Objicies primò. Etiamsi Tridentinum non expresserit peccata dubia, tamen asserimus obligationem illa confitendi: ergo, etiamsi non expresserit circumstantias merè aggravantes, tamen propter rationem Tridentini habemus sufficiens fundamentum ponendi obligationem illas confitendi.

Respondeo. Peccata dubia sufficienter fuisse comprehensa à Tridentino sub termino generali, cùm dixit: omnia peccata esse exponenda in confessione, quorum aliquis meminit. Secundò, quia per *can. 4. dist. 25.* exclusio unius est inclusio alterius, ideo, cùm Tridentinum à materia necessaria confessionis excluserit venialia, inclusit omnia non venialia, adeòque etiam peccata dubia. Ac tandem hoc confirmat praxis fidelium & consensus Doctorum.

Opposita omnia sunt in circumstantiis merè aggravantibus, ut patet ex dictis.

8. Objicies secundò. Circumstantia aggravans est materia Sacramenti: ergo necessariò confitenda. Antecedens probatur: Circumstantia propter quam aliquod peccatum reservari potest, est materia necessaria Sacramenti: sed propter circumstantiam aggravantem aliquod peccatum reservari potest, velut est incestus cum matre, sorore: ergo circumstantia est materia necessaria Sacramenti.

Respondeo negando antecedens, & majorem probationis. Non enim tam ipsa circumstantia, quàm peccatum propter circumstantiam, ex qua bono communi posset oriri præjudicium, reservatur, etiamsi illa circumstantia secundùm se spectata non sit notabiliter aggravans, ut patet in excommunicatione & reservatione ab Ecclesia facta super furto, quod fit in bonis naufragorum: neque enim circumstantia præcedentis naufragii videtur esse secundùm se circumstantia notabiliter aggravans intra speciem furti, nec esset necessariò confitenda, nisi Ecclesiæ reservatio accessisset.

Objicies tertiò. Circumstantiæ aggravantes sæpe majorem malitiam addunt peccato, quàm species vel numerus, nec tantùm in judicio divino, sed etiam humano graviùs puniuntur: ergo æquè debent in judicio sacramentali exprimi, quàm circumstantiæ speciem mutantes. Antecedens patet, quia gravius est, & graviùs punitur furtum 1000. aureorum, quàm 10. furta unius aurei, gravior delectatio morosa unius horæ, quàm tres ejusmodi delectationes instantaneæ &c. 9.

Respondeo negando consequentiam: non enim est ex præcepto & institutione Christi, ut qualiscunque individualis gravitas peccati exprimatur, sed illa quæ speciem vel numerum variat: finis quippe confessionis est, ut omnia peccata manifestentur, quòd fit exponendo speciem & numerum singulorum.

Objicies quartò. Sequerentur ex nostra sententia varia absurda: primò, quòd nemo teneretur confiteri actum externum peccati: cùm enim actus externus non superaddat distinctam malitiam actui interno, videtur esse mera circumstantia ipsius. Secundò, qui commisisset incestum cum propria sorore, satisfaceret dicendo se peccâsse cum consanguinea, cùm juxta doctrinam Thomistarum hoc peccatum non distinguatur specie ab incestu commisso in gradu remotiori. Item, qui furatus esset 1000. florenos, satisfaceret dicendo, fuisse furatum in materia gravi. 10.

Respondeo ad primum absurdum negando sequelam, quia licèt actus externus non addat novam & distinctam malitiam supra internum, non tamen est mera circumstantia, sed complementum individuale actûs interni, prout suppono ex 1. 2. Ad cætera verò nego illa esse absurda, sed ultrò concedi à nostræ sententiæ Authoribus.

§. III.

Corollaria ex dictis.

Colliges ex dictis primò. Circumstantias dubias speciem mutantes, sicut & numerum dubium (quod fit plerumque addendo hunc terminum *plùs minùsve*) esse sub dubio exponendum. 11.

Colli-

Colliges secundò. Explicandam esse in confessione circumstantiam peccati sive augentem, quâ fit ex veniali mortale, sive minuentem, quâ fit ex mortali veniale. Unde non sufficit dicere in confessione, te furtum fecisse, sed, si grave est, addendum est, in materia gravi; si leve, in materia levi. Nam veniale & mortale peccatum quasi toto genere differunt, & illud est materia libera, istud verò materia necessaria confessionis. Non ideò tamen est necesse, ut semper dicas, te venialiter vel mortaliter peccâsse, sed sufficit speciem & numerum peccati ita explicuisse, ut prudens Confessarius inde sufficiens judicium formare possit, an graviter leviterve peccaveris.

13. Colliges tertiò. Ad integritatem confessionis jure divino pertinere prævium & moraliter diligens examen conscientiæ: quia quo jure præcipitur finis, eodem præcipiuntur media necessaria ad consecutionem illius finis; cùm igitur jure divino præcipiatur confessio peccatorum integra quoad speciem & numerum, quæ sine diligenti prævia discussione conscientiæ haberi non potest, consequenter etiam jure divino prærequiritur moraliter diligens examen peccatorum. Dico: *moraliter*: cùm enim, ut in aliis, ita & in hoc puncto Christus non voluerit nimis grave jugum imponere fidelibus, eosdem ad exactissimam diligentiam obligando voluit, ut modo humano & morali, quo in aliis majoris momenti negotiis solemus, seriam diligentiam adhiberemus. Unde non est necesse peccata scripto committere, tametsi sit periculum, ne unum vel alterum obliviscaris.

Colliges quartò. Si Confessarius advertat 14. defectum examinis, ut contingit in rudioribus, qui numerum & circumstantias parùm exactè discutiunt, debere ipsum supplere illum defectum, examinando & juvando pœnitentem: quòd si ex uniformi modo vivendi, statu, consuetudine, & similibus circumstantiis (ut in simplicioribus facilè deprehenditur) probabile judicium de peccatorum numero formare possit, non est quòd scrupulosè in numeri determinationem inquirat.

ARTICULUS V.

Quæ causæ excusent ab integritate materiali.

SUMMARIA.

1. *Prima causa excusans est inculpabilis oblivio.*
2. *Secunda est impotentia physica.*
3. *Tertia est impotentia moralis.*
4. *Disparitas de quibusdam præceptis positivis.*
5. *Habenti casus reservatos non licet dimidiare confessionem.*
6. *Magnus concursus non excusat ab integritate.*
7. *Tenetur pœnitens aperire complicem, si aliter nequit explicare peccatum.*
8. *Tunc infamatio proximi est intrinseca præcepto confessionis.*
9. *Paritas à judicio forensi.*
10. *Illa infamatio proximi tantùm est materialis.*

§. I.

Enumerantur causæ.

Cessante causâ excusante confessionem singulorum peccatorum, coincidunt materialis & formalis integritas; adeòque tunc præcepto divino pœnitens etiam ad materialem integritatem obligatur. Dantur autem aliquæ causæ à singulorum confessione & materiali integritate excusantes.

1. Prima causa excusans est inculpabilis oblivio aut ignorantia peccati vel circumstantiæ in confessione aperiendæ. Ex quo sequitur, non esse repetendas confessiones ab iis, qui in adolescentia, aut rudiori statu aliqua gravia peccata omiserunt, quæ bonâ fide existimabant esse levia: sed sufficiet, si postea ea sola peccata aperiant, quorum priùs fuêre obliti.

2. Secunda causa excusans est impotentia physica omnia peccata exponendi, ut est primò surdis & mutis, graviter balbutientibus, hominibus linguæ peregrinæ, qui volunt & tenentur confiteri, nec habent Sacerdotem peritum sui idjomatis: isti enim possunt & debent à Sacerdote absolvi, quantumvis non omnia illorum peccata rectè percipiat. Secundò in articulo mortis; quando est periculum, ne confitens ante peractam omnium peccatorum confessionem moriatur: tunc enim potest & debet post unius vel alterius peccati explicationem absolvi: vel si ne hoc quidem possit, sufficiet in genere illa confiteri, dicendo se esse peccatorem; vel dare signum contritionis. Tertiò in proximo periculo mortis, v. g. in naufragio, tempore pestis, incendii, imminentis prælii, ubi pariter sufficiet in genere se accusare de peccatis; plures etiam simul absolvi possunt, dicendo: *Ego vos absolvo &c.* Quartò si ipse Sacerdos sit in tanta debilitate constitutus, ut vix possit totam confessionem audire.

Tertia causa est impotentia moralis, quæ tunc 3. est, quando ex integritate confessionis vel Sacerdoti vel confitenti, vel alteri tertiæ personæ grave damnum immineret. Ita primò Sacerdos tempore contagionis non tenetur excipere totam confessionem, quando exinde subit vitæ periculum, imò si ex ipsius morbo aut morte alii essent destituendi beneficio absolutionis, aliorumque Sacramentorum, tenetur etiam non exceptâ totâ confessione pœnitentem absolvere. Idem est, si adverterentur hostes irruentes, tunc pariter non est expectandus finis totius confessionis. Secundò ex parte confitentis est impotentia moralis, si in defectu alterius Confessarii (aliàs quippe tenetur Confessarium quærere) & urgente necessitate confitendi (extra quam differen-

ferenda esset confessio) pœnitens rationabiliter timeat, quòd Confessarius non sit servaturus sigillum, adeòque vel ipsum pœnitentem, vel complicem infamaturus: vel si ex alicujus peccati manifestatione prudenter timeatur, ne Confessarius pœnitentem ad crimen sollicitet, aut gravem inimicitiam, odiumve contra ipsum concipiat: his enim casibus peccatum, vel circumstantia peccati â confitente reticeri potest, quousque absque suo aut alterius periculo in sequenti confessione illud possit exponere: neque enim est fundamentum imponendæ obligationis, ut quis illa peccata, quàm primùm poterit, confiteatur.

Ratio istorum omnium est, quòd confessio sit actus moralis humanus, adeòque secundùm regulas prudentiæ & secundùm possibilitatem moralem metiendus. Præcepta quoque positiva etiam divina, quale est istud integrè confitendi, ordinariè non obligant cum gravi damno. Nec est periculum, ne fortè illa peccata retenta & celata in confessione non remittantur: quia absolutio in illa saltem indirectè cadit.

4. Dices. Nullo casu licet mediam tantùm hostiam consecrare, aut æquæ cum vino mixtionem omittere, quamvis hoc tantùm sit de præcepto divino positivo: ergo similiter nunquam licet dimidiare confessionem.

Respondeo. Disparitatem esse, quòd præceptum confessionis cadat super actum humanum, eumque proinde non nisi modo humano & juxta moralem possibilitatem fieri velit: in prædictis verò casibus cadit in rem ipsam.

§. II.

Quædam dubia practica circa integritatem Confessionis.

5. Quæritur primò. An habens casus reservatos possit licitè dimidiare Confessionem, ut vel accedens Superiorem eidem sola reservata exponat, & ab iis sacramentalem absolutionem (nam extra Sacramentum à solis reservatis absolvi posse per solam remissionem reservationis, extra dubium est) recipiat? vel ut inferiori Sacerdoti sola non reservata confiteatur, retentis reservatis, à quibus ille non potest absolvere.

Respondeo negativè. Quia non supponitur adesse inpotentia physica vel moralis, quæ sola excusat ab integritate materiali. Unde si urgente præcepto confitendi, & cessante facultate accedendi Superiorem pro remissione reservatorum, pœnitens confiteri velit, tenebitur omnia sua peccata etiam reservata exponere Confessario.

6. Quæritur secundò. Vtrùm in magno concursu Confessario liceat auditâ tantùm parte confessionis absolvere pœnitentem? Respondeo negativè: neque enim ille concursus facit impotentiam physicam vel moralem, quæ sola deberet excusare. Oppositam quoque sententiam damnavit Innocentius.

7. Quæritur tertiò. Utrùm teneatur pœnitens in confessione aperire personam complicis, si aliter suum peccatum explicare non possit?

Respondeo affirmativè. Ratio est: Damnum infamationis, quam complex in tali casu patitur, non obstat, quò minùs obliget præceptum integritatis; ergo etiam non obstante hâc infamatione tenetur pœnitens suum peccatũ integrè confiteri. Antecedens probatur: quando præceptum obligans ad aliquem actum, etiam obligat ad illud omne, quod est per se & intrinsecè connexum cum actu: sed manifestatio complicis, in qua consistit infamatio proximi, est per se connexa cum manifestatione peccati proprii: ergo eâdem obligatione, quâ pœnitens obligatur ad manifestationem suorum peccatorum, etiam obligatur ad manifestationem complicis.

Confirmatur primò. Maiori charitatis obligatione quisque tenetur propriam famam & vitam servare, quàm proximi: sed hâc non obstante tenetur in confessionali seipsum infamare de turpissimis criminibus, quia nempe hæc infamatio est per se connexa cum præcepto integrè confitendi: ergo etiam non obstabit lex charitatis, quin aliquis teneatur cum infamatione aliquâ complicis exponere suum peccatum. Nam aliud est damnum famæ confessioni intrinsecum, aliud extrinsecum; intrinsecum est, quod ex natura confessionis sequitur, ut est diminutio aliqua famæ apud Confessarium, & istud non excusat, siquidem per se sequitur confessionem; extrinsecum est, quod per accidens conjungitur confessioni, v. g. ex malitia, vel imprudentia Confessarii revelantis peccata, & hoc excusat ab integritate, quia non continetur intra materiam confessionis, estque extra objectum præcepti, & redderet confessionem nimis onerosam. 8

Confirmatur secundò. Potest in forensi judicio manifestari complex ab eo, qui jus habet deferendi delictum neque potest complex jus suæ famæ opponere: quia hoc ipso, quòd se fecit socium criminis, etiam se reddidit obnoxium cognitioni judicis, qui tale crimen sine circumstantia complicis cognoscere non potest: ergo hoc multò magis locum habet in judicio pœnitentiali, cui simul annexum est præceptum integrè confitendi & gravissima obligatio servandi secreti. 9

Confirmatur tertiò. Siquis propter manifestationem complicis excusaretur à confessione peccati, daretur occasio liberrimè & gravissimè peccandi, dum neque conjuges tenerentur explicare peccata in abusu matrimonii invicem commissa, si uterque sit notus Confessario: alii quoque pravi homines excusarentur à confessione gravissimorum criminum, quæ secum invicem committunt.

Dices. Obligatio majoris præcepti prævalet obligationi minoris; sed obligatio non infamandi proximum est major & ex majori præcepto, quàm integrè confitendi sua peccata; illa enim est juris divini naturalis & ex virtute charitatis, ista juris divini positivi & ex virtute religionis, vel Pœnitentiæ: ergo potiùs debet omitti integritas confessionis, quàm infamari proximus. 10

Respondeo negando suppositum, quòd in tali casu sit obligatio non infamandi proximum, hoc

hæc enim tantùm datur, ne proximus sine rationabili causa, & in quantum suæ famæ jus habet, ipsius imminutionem patiatur: sed hìc est rationabilis causa detegendi crimen proximi; & eo ipso, quòd quis se criminis fecit complicem, implicitè cessit illo jure, quod habere posset, ne suum crimen manifestetur in confessione: unde & illa complicis manifestatio non est vera & formalis, sed tantùm materialis infamatio ipsius.

ARTICULUS VI.

Qualis integritas sufficiat in casu necessitatis?

SUMMARIA.

1. *Quandoque sufficit in extrema necessitate unius vel alterius, aut peccatorum in genere confessio.*
2. *Moribundus dans signa contritionis, est absolvendus.*
3. *Si adsint testes doloris, est absolvendus.*
4. *Testis mediatus, & absens non sufficit ad impertiendam absolutionem moribundi.*
5. *Absolutio tamen in praxi est impertienda sub conditione.*
6. *Pœnitens nullum habens signum doloris invalidè absolvitur.*
7. *Quorundam responsiones refelluntur.*
8. *In praxi impertienda est absolutio sub conditione fideli nullum danti signum contritionis.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. Certum est ex dictis primò: In casu necessitatis, quo timetur, ne pœnitens ante omnium peccatorum expositionem moriatur, sufficere, si se accuset in specie de uno vel altero peccato, & de cæteris tantùm in genere, vel si ne id quidem commodè fieri possit, ut tempore prælii, naufragii &c. sufficere, si se de peccatis in genere accuset, & petat absolvi, unde in simili necessitate simul plures absolvi possunt. Integritas quippe formalis plus non exigit, quàm ut aliquis explicet peccata sua quantùm potest. Ob quam rationem

2. Certum est secundò: Moribundum voce destitutum, si dederit signa contritionis, absolvendum esse. Si dubium sit, an signa doloris procedant ex intentione recipiendi absolutionem sacramentalem, vel potiùs ex angustia morbi, erit absolutio impendenda sub conditione, tacitâ vel expressâ, si pœnitens debitè sit dispositus.

3. Certum est tertiò: Etsi moribundus nullum signum dare possit in præsentia Sacerdotis, si tamen adsint testes, qui testari possint, ipsum doluisse de suis peccatis, & Confessarium desiderâsse, non tantùm posse, sed etiam debere absolvi. Ita enim habetur inprimis in Conc. Arausic. can. 11. & Carth. 4. can. 76. atque ita declaravit vivâ voce Clemens VIII. erga Archiepiscopum Armacanum relatum apud Conink in opusc. de absol. morib. Et Paulus V. in Rituali ipsius authoritate edito his verbis: *Ægrotum, si desiderium confitendi sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendum esse.* Ratio quoque, quòd tali casu valida sit absolutio, est, quòd contritio & petitio Confessarii signo exteriori manifestata jam sit inchoata confessio, quæ per testimonium adstantium sive plurium sive unius tanquam per interpretes perficitur. Nec refert, quòd Concilia in numero plurali loquantur de testibus: nam ubi non agitur de præjudicio tertii, standum esse dicto unius testis, affirmat Felin. ad c. veniens. de elect. Unde his suppositis tanquam certis, triplex restat controversia. Primò, an præsens doctrina valeat, etiamsi testis tantùm sit mediatus, qui non ab ipso ægrotante, sed ab aliis acceperit, ægrotum doluisse &c. Secundò: Si ex præsentibus hoc nullus testari possit, sed tantùm aliquis testis absens, & in via v. g. Confessario occurrens. Tertiò: An pœnitens saltem sub conditione absolvi possit, quando nullum prorsus signum contritionis, nec in præsentia, nec in absentia Sacerdotis exhibuit?

§. II.

Resolutio quæstionis.

Respondeo primò: Probabiliùs in primo & secundo casu absolutionem datam non valere: Non in primo casu. Primò, quia in Concil. Carthag. 4. can. 76. expressè dicitur: *Dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* Sed testis mediatus non audiit ipsum pœnitentem: ergo non est testis idoneus. Secundò: quia talis mediatus testis non est interpres doloris & intentionis confitendi, cùm non acceperit significationem doloris ab ipso pœnitente, sed ab alio, qui modò est absens; absentis verò testificatio non potest dici confessio per interpretem, sed tantùm per internuncium: atqui confessio per internuncium est damnata à Clemente VIII. ergo non valet. Ex quo capite etiam rejicitur absolutio data in secundo casu, nam & ista confessio non est nisi per internuncium, & in absentia pœnitentis. 4.

Respondeo nihilominus secundò: Ejusmodi pœnitentem in praxi absolvendum esse sub conditione in utroque casu. Eò quòd sententia apposita tam extrinsecè ab authoritate gravium Doctorum, quàm intrinsecè à ratione sit probabilis: dum textus Concil. & Pontificum oppositos commodè explicat. Est autem obligatio in casu necessitatis pro salute proximi adhibendi etiam materiam dubiam Sacramenti, dummodo addatur conditio, per quam cavetur irreverentia Sacramenti. 5.

Respondeo tertiò: Si pœnitens nullum det signum doloris, invalidè absolvitur. Ita communissimè DD. Ratio est primò: quia in tali casu Sacramentum Pœnitentiæ non esset adæquatè sen- 6.

sensibile, eò quòd deesset dolor & accusatio sensibilis, quæ est materia hujus Sacramenti: atqui hoc est contra rationem Sacramenti, quod est signum adæquatè sensibile. Secundò: quia Sacramentum Pœnitentiæ est judicium sensibile: ergo ipsius partes essentiales debent esse sensibiles: sed inter has est accusatio: ergo accusatio debet esse sensibilis: sed in hoc casu non est sensibilis: ergo.

7. Respondent aliqui primò: Ideo posse absolutionem sub conditione conferri, quia poterit internè esse attritus, & habere desiderium confitendi: sed contra est, quòd, ut attritio fiat pars Sacramenti, debeat per externam accusationem fieri sensibilis. Secundò, quòd sit contra rationem sententiæ judiciariæ, ut feratur à judice ante inchoationem judicii & causâ nondum cognitâ.

Respondent secundò: In homine Christiano præsertim probæ vitæ, qui solebat frequentare Sacramenta, sufficientem petitionem absolutionis adeòque inchoationem judicii esse ipsam vitam præcedentem: nam quisque homo Christianus bonæ vitæ præsumitur in hoc extremo articulo velle adhibere media sibi necessaria ad salutem. Unde etiam Sacramentum Extremæ Unctionis ejusmodi moribundo impenditur, quia præsumitur habere voluntatem illud suscipiendi, hoc ipso, quòd christianè vixerit.

Sed contra est, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur ex parte pœnitentis specialis voluntas recipiendi hoc Sacramentum, ordinata ad absolutionem, tanquam pars Sacramenti: sed vita Christiana interpretativè tantùm est voluntas generalis, nequaquam ordinata ad absolutionem, nec habet rationem actualis accusationis, & inchoationis judicii, siquidem homo Christianus potest ducere bonam vitam, etiamsi non habeat gravia peccata, à quibus velit vel debeat absolvi, & quamvis de pœnitentia vel absolutione nihil cogitet. De extrema ratione nulla est paritas: quia voluntas illud recipiendi cùm non se habeat per modum partis, sed dispositionis tantùm, non debet esse specialis, sed sufficit generalis, quæ in quocunque homine Christiano præsumitur.

Confirmatur. Ex eo quòd Tridentinum in confessione circumstantiarum tantùm faciat mentionem speciem mutantium, rectè colligitur, quòd hoc termino limitante à necessitate confitendi excludantur circumstantiæ tantùm aggravantes: ergo, dum Concilia & Pontifices permittunt ac jubent absolvi moribundum, qui signum contritionis dedit, & petiit Confessarium, hoc termino limitante excludunt illum, qui nullum dedit signum.

Respondeo quartò: In praxi impertienda est sub conditione absolutio etiam illi, qui nullum certum signum doloris exhibet. Ratio est: quòd in necessitate debeant applicari & ministrari Sacramenta etiam in materia dubia, & quandocunque est spes probabilis Sacramenti: hoc in casu, tametsi nullum haberi possit doloris signum determinatum, est saltem dubium, & æqualiter probabile, posse confici hoc Sacramentum: ergo est sub conditione impertiendum. Minor probatur: nam primò Sacerdos meritò dubitare potest, utrùm non suspiria, affectus, vel palpationes moribundi fiant in ordine ad exprimendum dolorem internum, vel petendum beneficium absolutionis. Secundò: quia sententia dicens sufficere vitam honestam & christianam ad sensibilem petitionem absolutionis, saltem habet aliquam extrinsecam probabilitatem à pluribus Doctoribus pro sua sententia citantibus D. Augustinum in l. de adult. conjug. paritatem instituente inter baptizationem & reconciliationem hominis moribundi. 8.

ARTICULUS VII.

De iteratione Confessionis.

SUMMARIA.

1. *Confessio invalida est in toto repetenda.*
2. *Coram eodem Sacerdote sufficit peccata priùs exposita & adhuc existentia in memoria in confuso repetere.*
3. *Aliquando solum peccatum vel circumstantia omissa subjici debet novæ confessioni.*
4. *Ordinariè præter circumstantiam omissam exponi debet etiam actus eidem conjunctus.*

1. Quæres primò: Quandonam iteranda vel repetenda sit Confessio?

Respondeo primò: Quotiescunque confessio fuit invalida, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, toties est ex toto repetenda: quia jure divino obligamur peccata subjicere clavibus, quæ nec directè nec indirectè fuerunt per absolutionem remissa: sed tunc peccata nec directè, nec indirectè fuerunt remissa: ergo. Contingit autem confessionem fieri invalidam, vel ex defectu sufficientis doloris, si ille v. g. fuit materialis tantùm, aut inefficax destitutus serio proposito emendationis, restitutionis, vitandi occasiones proximas &c. vel ex defectu integritatis, quando pœnitens aut studio aut ex verecundia, aut ex culpabili oblivione per negligentiam præmissi examinis causatâ omittit aliquod peccatum, vel circumstantiam necessariam. Vel tertiò, si fiat confessio ex fine mortaliter malo; nam venialiter malus non invalidat Sacramentum. Vel quartò, cùm ex parte absolventis cognoscitur fuisse defectus intentionis, absolutionis, jurisdictionis, vel ordinis.

Respondeo secundò: Si repetitio confessionis, ob defectum valoris, fiat coram eodem Sacerdote, coram quo facta fuit prior confessio invalida, non est necesse, ut singula peccata priùs debitè exposita in particulari repetantur, sed sufficiet, illa omnia in communi & in confuso denuo subjicere clavibus, & in particulari subjungere illa, quæ priùs omisit, vel de novo commisit, dummodo Confessarius eam habeat 2.

pec-

peccatorum priùs expositorum memoriam, ut de statu pœnitentis rectum judicium ferre, eique competentem satisfactionem possit imponere: Lugo disp. 16. se. 5. Palao, Layman, aliique. Ratio est: quòd illa confessio ad Sacramentum Pœnitentiæ sit sufficiens, ex qua Confessarius inducitur in sufficientem cognitionem de statu pœnitentis: sed in casu per repetitionem peccatorum in confuso sufficienter inducitur in cognitionem de statu pœnitentis: ergo.

3. Respondeo tertiò: Si supponeretur confessio valida & informis, ob defectum doloris de aliquo peccato vel circumstantiâ per inculpabilem oblivionem omissâ: vel si foret confessio formata, cum inculpabili tamen oblivione alicujus peccati, aut circumstantiæ speciem mutantis; aut generali solùm expressione illius; tenetur postea pœnitens non quidem repetere confessionem, sed illud peccatum vel circumstantiam omissam, aut tantùm genericè expressam, speciatim confiteri, si potest: quia jure divino tenemur nostra peccata subjicere clavibus & exponere secundùm speciem & numerum, prout in nostra conscientia judicamus fuisse commissa, nisi physica vel moralis impotentia excuset.

4. Quæres secundò: Quid si sola circumstantia speciem mutans fuisset inculpabili oblivione omissa, sufficitne illam solam deinceps confiteri, vel eritne necesse, ipsum actum peccati jam priùs confessum unà cum circumstantia confiteri? e. g. si habens votum castitatis, in confessione solam fornicationem confessus, per inculpabilem oblivionem nihil dixisset de suo voto, debebitne in sequenti confessione se denuo accusare de fornicatione contra votum castitatis commissa, vel an sufficeret exprimere solam circumstantiam omissam, dicendo v. g. se votum in materia notabili violâsse.

Respondeo cum Suarez disp. 22. se. 2. n. 8. etiamsi per se non sit obligatio ipsius peccati confessionem reiterandi, regulariter tamen & ordinariè esse obligationem per accidens. Ratio primi est, quòd circumstantia novam speciem peccati constituat ab altero peccato moraliter distinctam. Ratio secundi est, quòd absque repetione ipsius, circumstantia regulariter loquendo, non secundùm infimam speciem, sed tantùm secundùm subalternam, vel genericam rationem exprimi possit: & sic in prædicto casu tantùm exprimeretur ratio generica sacrilegii, si quis diceret, se contra votum peccâsse: ideoque tenetur ipsum quoque actum peccati exprimere.

ARTICULUS VIII.

An Confessio coram Sacerdote sit facienda?

SUMMARIA.

1. *Confessio est facienda Sacerdoti præsenti.*
2. *Semper est invalida absolutio data à Sacerdote absente.*
3. *Nec licet nec valet confessio per litteras vel internuncium absenti Sacerdoti facta.*
4. *Valeret absolutio data pœnitenti dolenti & petenti absolutionem de peccatis scripto expressis.*
5. *Ordinariè confessio fieri debet oretenus.*

1. CONCLUSIO. *Confessio est facienda Sacerdoti præsenti.* Probatur inprimis ex Trid. sess. 14. c. 2. expressè dicente, *peccatorem ante hoc tribunal sistendum esse*, quibus verbis corporalis præsentia arguitur. Secundò ex c. *quem pœnitet*. 18. *de pœnit. dist.* 1. ubi dicitur: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.* Tertiò ex definitione Clementis VIII. qui, ut refertur in Declarationibus Cardinalium ad Trident. sess. 14. c. 5. speciali decreto condemnavit & prohibuit hanc propositionem: *Licet per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Probatur quartò hac ratione: quia ut Sacerdos ad modum prudentis Judicis sententiam super pœnitentem proferat, debet moraliter certificari de intentione & dispositione ipsius: sed hoc fieri non potest in absentia, cùm enim voluntas hominis facilè sit in diversa mutabilis, facilè poterit contingere, ut pœnitens post peccata per litteras, aut internuncium Sacerdoti notificata animum mutet, vel incidat in nova peccata, de quo Sacerdoti non constat.

Hinc colliges primò. Invalidam semper esse absolutionem à Sacerdote absente datam, sive antecedenter pœnitens ipsi peccata præsenti, sive absenti per litteras aut internunciū confessus fuerit. 2.

Colliges secundò: Probabiliùs nec licere nec valere, ut quis absenti Sacerdoti per litteras, vel internuncium confiteatur, & postea ab eodem præsente sine nova confessionis repetitione vel ratificatione absolvatur: quia hoc est conformius citato Canoni & menti Clementis VIII. Cùm enim Suar. disp. 19. se. 3. & 21. se. 4. propositionem prædictam tantùm copulatim, non autem divisim acceptam, fuisse prohibitam docuisset, h. e. quòd quidem non liceat & valeat absenti confiteri, & ab absente absolvi; non autem quòd non valeat in absentia per litteras vel internuncium confiteri, & deindè à Sacerdote præsente absolvi: tamen Clemens VIII. etiam hanc explicationem Suarii in duobus Consistoriis ventilatam postea reprobavit, & ex ipsius operibus deleri præcepit, & statuit confessionem & absolutionem debere inter præsentes fieri. 3.

Colliges tertiò: Si quis sua peccata in scripto transmisisset, & postea præsenti Sacerdoti affirmaret, se de omnibus iis, quæ scripto tradiderat dolere, seque de iis accusare, confessionem fore validam, quamvis extra necessitatem foret illicita. Ratio est, quòd tunc confessio 4.

reverâ fiat præsenti: neque pœnitens absolvatur vi scriptæ in absentia confessionis, sed vi confessionis in præsentia factæ, & clavibus subjicientis omnia peccata notitiæ & memoriæ Sacerdotis commissa. Dixi tamen, extra casum necessitatis fore illicitam. Nam

5. Colliges quartò. Quòd confessio ordinariè fieri debeat oretenus & vocaliter, non scripto. Nam primò Florentinum dicit: Materiam hujus Sacramenti esse *confessionem oris*. Secundò in cit. *c. quem pœnitet*; dicitur: *Confessionem non debere fieri per scriptum*. Tertiò. Hoc ipsum probat communis Ecclesiæ praxis, cui sine gravi causâ contraire in usu Sacramentorum absque gravi peccato nemo potest. Quia tamen confessio oris non est ita de essentia Sacramenti, ut non per alia signa fieri & suppleri possit, prout fit in mutis (talem quippe confessionem istius Sacramenti requirit essentia, quæ sit vera accusatio omnium peccatorum, quantum fieri moraliter potest) ideo exigente gravi causa & necessitate per nutus, vel scriptum suppleri potest: ut siquis vel asthmate, & vocis interclusione, vel etiam nimio rubore esset impeditus, tunc enim vel nutibus, vel scripto confiteri posse docet Henriq. Suarez citatus. aliique.

DISPUTATIO XLVIII.

De Satisfactione sacramentali.

NOn eâdem spongiâ, quâ delictorum culpa abstergitur, omne etiam temporalis pœnæ debitum deleri, quamvis pœna æterna remittatur, ut superiùs ostendi; idcirco ad ipsius quoque Pœnitentiæ Sacramenti integritatem concurrit Satisfactio, quam Sacerdos in debitæ pœnæ expiationem pœnitenti injungit, ideoque vulgariter pœnitentia nominatur, & hoc loco discutitur.

ARTICULUS I.

De obligatione imponendi & recipiendi Satisfactionem.

SUMMARIA.

1. *Dantur bona opera satisfactoria.*
2. *Confessarius obligatur imponere pœnitentiam.*
3. *Ordinariè non tantùm pro mortalibus sed etiam venialibus.*
4. *Probabiliùs non potest imponi gravis Pœnitentia sub levi obligatione.*
5. *Imponenda est Pœnitentia juxta proportionem culparum.*
6. *De quo tamen dantur exceptiones.*
7. *Quale onus in satisfactionem possit injungi?*
8. *Non refert, an onus injunctum sit etiam aliis titulis debitum.*
9. *Pœnitens obligatur acceptare pœnitentiam injunctam.*
10. *Quid agendum, si illa nimis difficilis videatur.*
11. *Quomodo satisfactio commutari possit?*
12. *Qualiter implenda sit satisfactio?*
13. *Enumerantur effectus satisfactionis ex opere operato.*
14. *Objectiones dissolvuntur.*
15. *Satisfactio non producit effectum, nisi peragatur in statu gratiæ.*

§. I.

Astruitur obligatio imponendi pœnitentiam.

1. SUppono. Dari bona & pia opera, per quæ homo viator pro debitis pœnis temporalibus possit etiam de condigno satisfacere. Ita definitum est in Tridentino sess. 14. de pœnit. can. 13. iis verbis: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, anathema sit.* Quod ipsum definierunt Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. in condemnatione illius propositionis Michaelis Baji: *Satisfactiones laboriosa justificatorum non possunt expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Colligitur passim è SS. litteris, ut Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, &c.* Ratio quoque adstipulatur: quia major requiritur virtus & efficacia ad promerendam vitam æternam, quàm ad extinguendam pœnam temporalem: sed bona justorum opera habent vim & efficaciam de condigno promerendi vitam æternam: ergo multò magis habent vim & efficaciam de condigno satisfaciendi pro pœna temporali. Hoc supposito, sit

CONCLUSIO prima. *Confessarius regulariter loquendo obligatur sub peccato mortali ad satisfactionem imponendam pœnitenti pro peccatis mortalibus.* Ita communis. 2.

Deducitur ex officio Confessarii, quo simul agit Judicem & Ministrum Sacramenti, ut judex enim à Christo constitutus obligatur ad servandam æquitatem, adeòque ad pœnam imponendam reo pro gravi delicto: ut Minister obligatur ad servandam integritatem & ritum Sacramenti: cùm igitur satisfactio pertineat ad in-

integritatem, & ritum Sacramenti, non poterit ipsius impositionem sine gravi culpa omittere.

3. Dixi tamen *ordinariè*. Nam in extraordinario casu extremæ infirmitatis, in qua pœnitens sensibus destitutus, vel morti proximus, ad implendam pœnitentiam impotens præsumitur, pœnitentialis satisfactio injungi nec debet, nec potest. Si tamen non omnino sensibus careat, & aliqualem saltem pœnitentiam implere possit; vel imponendum est aliquod leve opus, ut brevis aspiratio, invocatio SS. Nominum JESU & MARIÆ, (præsertim cùm moribundi ex istorum pronunciatione vel invocatione plerumque habeant indulgentiam plenariam) devotus aspectus, vel osculum Crucifixi &c. vel si graviora sint peccata pœnitentis, injungi potest satisfactio per eleemosynas, vel per aliqua pia opera implenda sub conditione, si convaluerit.

4. Dixi secundò, *pro mortalibus*; nam de venialibus dubitant Doctores, & non pauci existimant, tantùm fore peccatum leve, si Confessarius omitteret sola venialia vel jam confessa deponenti imponere satisfactionem. Nam primò pœnitens tantùm censetur leviter peccare, si omittat implere levem satisfactionem sibi pro venialibus impositam: ergo similiter neque confessarius graviter peccabit, si illam omittat imponere. Secundò. Quia eo modo satisfactio spectat ad integritatem Sacramenti, quo modo punitio spectat ad integritatem judicii: ergo sicuti judex non graviter peccat, si non imponat pœnitentiam reo, quem levi tantùm pœna dignum judicat: ita neque graviter peccabit Sacerdos contra integritatem judicii, si pro levibus culpis nullam imponat pœnitentiam. Nihilominus in praxi verius existimo Pœnitentiæ alicujus injunctionem vix sine gravi culpa scienter & datâ operâ omitti posse, eò quòd pertineat ad ritum istius Sacramenti à Christo præscriptum, & universali Ecclesiæ consuetudine practicatum, cujus deliberata omissio virtualem contemptum includeret. Qui verò levem pœnitentiam citra contemptum ex negligentia intermitteret, quia in levi materia tantùm materialem judicii sacramentalis integritatem violaret, servatâ formali, quæ existit in impositione & acceptatione Pœnitentiæ, ex eo gravis peccati damnari non posset.

§. II.

Quanta & qualis debeat esse satisfactio?

5. CONCLUSIO secunda. *Confessarius obligatur cæteris paribus ad injungendam satisfactionem juxta porportionem culparum.*

Sic clarè colligitur ex Trid. sess. 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro commissis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Et ratio est; quod ad æquitatem Judicis pertineat taxare pœnas delicto proportionatas, & ad prudentiam medici præscribere Medicinas morbo curando & deinceps vitando idoneas, quales ordinariè non sunt leves Pœnitentiæ pro gravioribus culpis.

Dixi, *cæteris paribus*; cùm enim hoc judicium sit institutum principaliter in favorem pœnitentis, etiam Pœnitentia debet esse salutaris non tam ad vindictam peccatorum, quàm ad conversionem & salutem pœnitentis ordinata, ideoque gravitas & quantitas satisfactionis juxta dispositionem pœnitentis, ejusque salutis exigentiam temperari potest & debet. Ita primò etiam pro gravibus delictis potest imponi minor pœnitentia, quando contritio pœnitentis est valde intensa. Secundò, tempore Jubilæi, vel alterius indulgentiæ plenariæ; Tertiò, si prudenter metuat Confessarius, quòd graviorem satisfactionem pœnitens non impleat, vel inde à frequentiori usu istius Sacramenti deterreatur, vel imperitos Confessarios quærat &c. Satius quippe est, inquit Gerson citatus à Gonet, cum parva Pœnitentia impleta confessos ducere ad Purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in Infernum. Dicastillo etiam propriam experientiam allegans hîc d. 14. dub. 3. recidivis pœnitentibus longè utilius esse asserit, frequentiùs confiteri (præsertim apud eundem Confessarium, utpote qui meliùs novit statum pœnitentis) quàm alia opera pœnalia exercere. 6.

Quæres primò. Quale opus in Satisfactionem injungi possit? Respondeo quodlibet opus virtutis tam internum, quàm externum. Quia in quolibet ejusmodi opere reperiri potest honestas supernaturalis, & virtus satisfactoria, consistens in quadam punitiva pœnalitate, quâ quis in compensationem illius inæqualitatis, quam fecit contra voluntatem Dei plùs justo indulgendo suo commodo, de proprio amore & commodo aliquid detrahit. Atqui ejusmodi efficacia reperitur in omni virtuoso opere, cùm omne opus virtuis importet quandam difficultatem bono delectabili adversantem. 7.

Neque refert, an opera satisfactoria à Confessario imposita etiam ex voto vel præcepto obligent. Quia uno eodemque opere pluribus præceptis satisfieri posse aliunde suppono. Neque vis satisfactoria destruitur aut minuitur per titulum alterius obligationis. Rectè etenim pium aliquod opus pro defunctis exsolvendum in satisfactionem sacramentalem imponi pœnitentibus, præter quotidianam praxim Confessariorum tradit Catechismus Romanus p. 2. n. 63. quia, cùm idem bonum opus possit esse impetratorium & satisfactorium, & quidem in Sacramento non tantùm satisfactorium ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, potest unum idemque bonum opus ex opere operantis esse impetratorium & satisfactorium pro defunctis, ut tamen etiam ex opere operato, prout est pars integralis, sit ipsi pœnitenti satisfactorium pro pœna temporali. 8.

Quæres secundò. An Confessarius gravem pœnitentiam possit injungere sub levi obligatione?

Respondeo conformiter ad ea, quæ dixi in Tract. de Leg. Probabiliùs hoc non posse. Ita Conink disp. 10. de Pœnit. dub. 8. Oberascher tr. 1. de pœnit. c. 5. §. 1. Ratio est: quia Confessarius potest & debet injungere pœnitentiam juxta institutionem Christi: sed Christi institutio est, ut præceptum quo pœnitentia imponitur, obliget secundùm subjectam materiam; graviter in gravi, leviter in levi materia: ergo etiam hoc modo obligabit. Oppositæ sententiæ non deest sua probabilitas; in dubio tamen, aut si Confessarius non exprimat, utrùm graviter obliget, in gravi pœnitentia pro gravi obligatione præsumendum erit, juxta Auth. cit. & ea, quæ dixi loc. cit.

§. III.

Qualis sit obligatio pœnitentis circa acceptandam & implendam pœnitentiam?

9. CONCLUSIO tertia. *Pœnitens obligatur acceptare & implere pœnitentiam impositam.* Ita communiter Doctores.

Ratio est, quòd injunctio & acceptatio satisfactionis sunt correlativæ; nec minùs pœnitens ex suâ parte studere debeat integritati Sacramenti, quàm Confessarius. Neque dicas, quòd posset pœnitens satisfactionem velle differre in Purgatorium. Contra enim est, quòd talis voluntas (abstrahendo ab hoc quòd sit irrationabilis, & contra ordinem charitatis) esset contra intentionem & institutionem Christi: nam juxta institutionem Christi requiritur ad integritatem hujus Sacramenti satisfactio tanquam actus pœnitentis: atqui pœna Purgatorii non est actus & satisfactio, sed satispassio duntaxat sustinentis: ergo.

Respondeo secundò. Poenitens levem poenitentiam non implens citra contemptum, non peccat graviter. Est communis Doctorum, quia gravitas & levitas hujus obligationis est desumenda ex re præcepta: sed res præcepta est levis: ergo & obligatio. Neque omissio poenitentiæ impedit formalem integritatem poenitentialis judicii, quæ consistit in acceptatione poenæ, sed tantùm materialem consistentem in executione illius.

10. Quæres tamen primò. Quid si poenitentia injuncta nimium videretur difficilis, aut improportionata poenitenti? Respondeo, posse de hoc monere Confessarium, qui consultè faciet, si infirmitati poenitentis condescendat: quòd si verò Confessarius condescendere noluerit, poterit poenitens antè acceptam absolutionem ad alium transire; vel si post absolutionem jam acceptam nimiam difficultatem experiatur, poterit sive apud priorem, sive alium Confessarium Poenitentiæ imposita commutationem urgere.

11. Quæres secundò, An, vel quomodo satisfactio commutari possit in aliam?

Respondeo primò. Non posse poenitentem sibi ipsi commutare satisfactionem in aliud opus etiam evidenter melius. Tum quia per tale opus non satisfaceret præcepto judicis; tum quia hæc non esset satisfactio sacramentalis, qualis à Christo requiritur, utpote non imposita à Judice & ministro Poenitentiæ.

Respondeo secundò. Vnum Confessarium in judicio poenitentiali mutare posse satisfactionem ab altero confessario impositam, exceptis peccatis reservatis. Ratio est, quòd quilibet Sacerdos independenter ab altero sit judex in hoc Sacramento, habens potestatem causam cognoscendi & judicandi: ergo, si peccata priùs confessa ipsius judicio subjiciuntur, poterit de iis judicare, & congruam satisfactionem imponere, adeòque si velit, poterit priorem satisfactionem impositam commutare.

Sed nunquid in hoc casu primum Sacramentum Confessionis carebit suâ integritate, quinimirum deest ipsi satisfactio imposita. Respondeo: Carebit integritate materialiter spectatâ, concedo; formaliter sumptâ, nego. Nimirum carebit ipso opere in prima confessione imposito, non autem carebit debitó complemento judicii & satisfactione super iisdem peccatis per novam sententiam judicis succedentis cognitis, & à priori sententia deobligatis. Dixi tamen, *super peccatis non reservatis*; quia, sicut inferior judex non habet potestatem absolvendi à reservatis, ita nec poenitentiam super iis injunctam commutandi.

Quæres tertiò. Quomodo implenda sit à poenitente satisfactio? Nempe an solummodo per se, non per alium? an solùm in statu gratiæ? 12.

Respondeo primò. Non posse confitentem poenitentiam sibi impositam implere per alium: quia secundùm Concilia actus poenitentis est hujus Sacramenti materia: sed, quod alius facit, non est actus ipsius poenitentis.

Inquis: An non ergo poterit satisfacere eleemosynam elargiendo per famulos, cui illa fuisset imminuta? Respondeo posse: quia tunc elargitio eleemosynæ est pars satisfactoria & integralis hujus Sacramenti, quatenus est formaliter imperata, & ita dependet à voluntate poenitentis, non quatenus materialiter procedit à famulis.

Respondeo secundò, Satisfacit obligationi, qui poenitentiam seu satisfactionem implet in statu peccati mortalis. Ratio est: Illud sufficit ad implendam satisfactionem quatenus à Confessario impositam, quod sufficit ad alia præcepta implenda: sed ad hoc, v. g. ad audiendum Sacrum, jejunandum &c. non requiritur status gratiæ: ergo nec ad implendam satisfactionem à Confessario impositam. Non refert, quòd in tali casu impediatur aliquis effectus Sacramenti. Nam iste effectus cùm non sit primarius, sed secundarius & integralis tantùm, non censetur ex ejus omissione gravis irreverentia Sacramento inferri.

Respondeo tertiò, Si nullum poenitentiæ tempus præscriptum est à Confessario, obligari poenitentem ad ejus executionem non nimiùm differendam; hæc enim præsumitur fuisse intentio Confessarii, tum propter reverentiam sacramentalis judicii cujus partes non nimiùm interpolari debent, tum propter ipsius poenitentis utilitatem.

§. IV.

§. IV.

Effectus satisfactionis.

CONCLUSIO. *Effectus satisfactionis ex opere operato est 1. remissio pœnæ temporalis. 2. auxilia supernaturalia ad præcavendos lapsus peccatorum. 3. aliquod gratiæ augmentum.*

Ratio I. & II. partis est: quòd satisfactio primariò quidem ad significandam & causandam poenæ temporalis remissionem, minùs principaliter etiam ad vitæ emendationem sit instituta; siquidem hoc Sacramentum Poenitentiæ non est tantùm expiatorium pro commissis, sed etiam medicativum & præservativum pro peccatorum morbis evitandis, quò plurimùm conducunt auxilia gratiæ actualis.

III. Pars, quæ multis Recentioribus displicet, est S. Doctoris q. 90. a. 2. ad 2. dicentis: *Satisfactio auget gratiam prout est in executione.* Ratio hujus est: quòd pars sapit naturam totius: sed totum Sacramentum Poenitentiæ est productivum gratiæ: ergo etiam satisfactio, tanquam pars integralis ipsius, habet vim productivam gratiæ.

14. Dices: Hinc sequeretur primò: quòd, si quis, antequam poenitentiam persolveret, relaberetur in mortale, & deinde invincibiliter tantùm attritus poenitentiam exequeretur, hâc ratione justificaretur: nam ea, quæ gratiam conferunt ex opere operato, conferunt illam omni non ponenti obicem: sed tantùm attritus non poneret obicem: ergo. Secundò: Quòd Poenitentia saltem secundùm aliquam sui partem, nempe satisfactionem, esset Sacrmentum vivorum, quippe secundùm quam conferret augmentum gratiæ præsupponens primæ gratiæ infusionem.

Respondeo negando utramque sequelam: & ad primam distinguo majorem. Quæ conferunt ex opere operato gratiam primariò significatam, conferunt non ponenti objcem, concedo; quæ conferunt secundariò significatam, & dependenter ab aliâ primariò significatâ, nego: sed satisfactio conferret gratiam ex opere operato, ut secundario significatam, & dependenter ab effectu primario Sacramenti Poenitentiæ, concedo; secus, nego minorem & consequentiam. Ad secundum quoque respondeo: denominationem Sacramenti vivorum, vel mortuorum desumi ex gratia primariò significata, qualis in Sacramento Poenitentiæ est gratia remissiva actualium peccatorum, non autem ex aliqua consequenti & secundariâ.

Cæterùm ut satisfactio conferat suum effectum, necesse est, ut persolvatur in statu gratiæ: tametsi enim persolvens illam in statu peccati, exinde non graviter peccet, eò quòd nihilominus impleat substantiam operis præcepti, nec gravem irroget Sacramento irreverentiam, nullam tamen exinde recipit utilitatem. Nam satisfactio ceu complementum integrale Sacramenti Poenitentiæ confert suum effectum secundariò & dependenter à primario, qui est gratia justificans. An verò satisfactio persoluta in peccato mortali, illo remoto postea reviviscat ad suum effectum tribuendum, in incerto est: verius videtur, quòd non: siquidem remissio poenæ, quæ est principalior effectus satisfactionis, facilè aliis modis obtineri potest. 15.

ARTICULUS II.

De Indulgentiis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit Indulgentia?*
2. *Quotuplex sit Indulgentia?*
3. *Datur in Ecclesia thesaurus satisfactorius.*
4. *Et potestas illum dispensandi.*
5. *Indulgentiæ etiam prosunt defunctis.*
6. *Requisita ad valorem Indulgentiarum.*
7. *Potest quis uno opere lucrari plures Indulgentias.*
8. *Indulgentiarum duratio.*
9. *Quid sit Jubilæum?*
10. *Requisita ad lucrandas Indulgentias Jubilæi.*
11. *Quid sentiendum circa præscriptam eleemosynam?*
12. *Quænam gratiæ soleant adnecti Indulgentiis Jubilæi.*
13. *Quænam Indulgentiæ suspendantur per Jubilæum anni Sancti.*

§. I.

Veritas Catholica Indulgentiarum.

1. Cùm ad poenæ temporalis remissionem maxima sit indulgentiarum utilitas, ideoque poenitentibus Indulgentiarum lucrationes in satisfactiones subinde à Confessariis meritò injungantur, ideo de his quoque pauca hoc loco adnectimus. Ubi *Indulgentia* nihil aliud est, quàm *remissio pœnæ temporalis extra Sacramentum per applicationem satisfactionum Christi & Sanctorum, factam virtute clavium à Christo D. Petro, & Ecclesiæ concessarum.*

Dividitur in plenariam, & partialem: Plenaria est, quæ omnem poenam debitam remittit; Partialis, quæ partem poenæ; eáque modò dicitur quadragena, si quadraginta dies; modò septena, si septem anni; modò decennii, vel plurium annorum Indulgentia nominatur, si totidem anni, qui juxta antiquorum Canorum rigorem fuissent in luctu poenitentiæ transigendi, remittuntur. De his 2.

Quæres primò. Detúrne in Ecclesia ejusmodi thesaurus satisfactorius ex Christi & Sanctorum passionibus, qui per Indulgentias fidelibus applicari queat? 3.

Respondeo affirmativè, & ex Clement. 17. *Extrav. Unigenitus* ita deducitur: Infinitus thesaurus nunquam exhauritur: sed valor satisfactorius sanguinis & passionis Christi *est infinitus*, cui accedit thesaurus ex passionibus SS. Martyrum

rum

rum, & acerrimis pœnitentiis ac austeritate Sanctorum, quorum satisfactione pro poenis temporalibus ipsi ob vitæ sanctimoniam minimè indiguerunt: ergo ejusmodi thesaurus est in hunc diem in Ecclesia Dei.

4. Quæres secundò. Sitne in Ecclesia potestas ejusmodi thesaurum dispensandi ad tollendum reatum poenæ temporalis.

Respondeo affirmativè: estque pariter de fide definitum à Trid. sess. 25. decreto de Indulg. Probatur primò ex verbis Christi Matth. 16. v. 19. quibus Petro conceditur generalis potestas solvendi quæcunque vincula remorantia à consecutione vitæ æternæ: *quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: atqui ex ejusmodi vinculis, etiam post suscepta Sacramenta, est reatus poenæ in hac vel altera vita luendæ: ergo Ecclesia habet potestatem hæc vincula solvendi.

Probatur secundò ex antiquissimo Ecclesiæ usu: nam Corinthii suo concivi incestæ libidinis reo poenæ indulgentiam à D. Paulo impetrârunt, ut constat ex ejus epist. 2. c. 2. In Concilio Nicæno c. 12. post definita poenitentiæ spatia addit S. Synodus, posse Antistitem suâ uti humanitate, hoc est indulgentiâ, contra eos, qui luculenta emendationis signa edidissent: quod ipsum habetur in Concil. Ancyrano. can. 5. & Laodiceno can. 2. D. Gregorius M. Indulgentias concessit, qui stationes urbis religiose obiissent. Habetur confirmatus Indulgentiarum usus in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. in *c. cùm ex eo*, & in Lugdunensi *c. 1. de pœnit. & remiss. in 6.* in Viennensi *Clement. 2. eod.* in Constantiensi *8. sess.* ubi Martinus V. plenariam tribuit Indulgentiam peccatorum.

5. Quæres tertiò. Utrum Indulgentiæ etiam prosint defunctis?

Respondeo affirmativè ex communi Catholicorum tam Latinorum, quàm Græcorum sensu, de quo etiam testatur D. Augustinus Enchirid. c. 109. dicens: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.* Quod & complures animarum purgantium apparitiones, authenticis relationibus Divi Augustini. l. de cura pro mortuis ger. c. 4. in Enchirid. c. 110. Gregorii M. dial. l. 4. c. 40. Gregorii Turonensis l. de glor. Confess. c. 5. testata confirmant. Porrò quod dici solet, Indulgentias defunctis applicari per modum suffragii, significat Indulgentiam ipsis non conferri per modum juridicæ absolutionis, sed tantùm piæ solutionis & exhibitæ satisfactionis.

6. Quæres quartò: Quid requiratur ad valorem Indulgentiarum?

Respondeo: Requiritur primò ex parte concedentis causa rationabilis, & proportionata quantitati indulgentiæ juxta prudentem concedentis æstimationem: nam Pontifex hujus thesauri non est dominus, sed dispensator. Ita cum Suarez & Bonac. Arsdek. in p. 2. tr. 3. c. 6. Secundò ut sit præditus legitimâ potestate concedendi indulgentias, qualis in ordine ad Indulgentias plenarias, & pro defunctis competit soli Summo Pontifici, per *c. quod autem. de pœnit. & remiss.* Episcopi ex jure communi possunt unius anni Indulgentias concedere pro anniversario Dedicationis templi, & aliis temporibus ex justa causa Indulgentias 40. dierum, quam potestatem possunt etiam alteri delegare. Tertiò: Ex parte lucrantis requiritur, ut impleat omnes conditiones præscriptas; solent quippe Indulgentiæ alligari certæ conditioni, v. g. visitationi alicujus templi cum precibus pro exaltatione S. Ecclesiæ, &c. eleemosynæ, jejunio, alterive cuipiam bono operi: unde, quemadmodum aliæ gratiæ conditionatè concessæ, non nisi impletâ conditione sortiuntur effectum.

Quæres quintò: An aliquis possit uno eodemque opere lucrari plures Indulgentias ad diversos fines concessas? an v. g. per unum jejunium possit lucrari Indulgentiam concessam titulo Religionis, & diversarum Confraternitarum, si sit ipsis adscriptus? 7.

Respondeo affirmativè cum Layman, & Arsdekin cit. siquidem opus bonum supponitur esse utile ad finem utriusque Indulgentiæ, & intra idem tempus iterare non posse.

Quæres sextò: Quamdiu durent Indulgentiæ? 8.

Respondeo: Indulgentiæ non expirant morte concedentis, neque ante notitiam revocationis; & si absque temporis limitatione concedantur, sunt perpetuæ juxta naturam veræ & factæ gratiæ, de quibus vide, quæ dixi in Tract. de leg. & privileg.

§. II.

Jubilæum.

Jubilæum est indulgentia plenaria, concessa cum quadam universalitate & appendice favorum spiritualium in absolutione à censuris, casibus reservatis, commutatione votorum, longiori duratione &c. De hoc 9.

Quæres primò: Quidnam requiratur ad lucrandas Indulgentias Jubilæi? 10.

Respondeo primò: Opera præscripta implenda esse in una ex duabus præscriptis septimanis, nec posse dividi, ita ut pars in una, pars in altera septimana persolvatur. Secundò: Si adsit impotentia physica vel moralis, unum ex operibus præscriptis implendi, posse illud commutari in aliud bonum opus, non quidem propriâ, sed Confessarii authoritate. Unde tertiò: Si quis omnia opera peragere neglexisset, & ultimo die pœnitens cuperet Jubilæum lucrari; posse præscripta jejunia à Confessario in aliud bonum opus commutari.

Quæres secundò: Quid si quis nullam possit dare eleemosynam, an teneatur aliud bonum opus substituere? 11.

Respondeo: Non teneri aliud bonum opus loco illius peragere, quia tantùm præscribitur potentibus dare, & juxta cujusvis facultatem; imò quantumcunque modica detur eleemosyna, aut siquod aliud opus misericordiæ corporalis gratis exerceatur, & quocunque die intra tempus Jubilæi contento satisfieri conditioni eleemosynæ erogandæ, docet Gobat de Jubil. c. 30.

Quæ-

12. Quæres tertiò: Quænam gratiæ Indulgentiis Jubilæi adnecti soleant?

Respondeo primò: Ordinariè datur facultas eligendi Confessarium, qui debet esse approbatus ab Ordinario, & liber à censura ecclesiastica. Secundò: Qui Confessarius in foro interno potest absolvere à quibuscunque censuris. Tertiò, pariterque à casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ. Quartò: Potest commutare vota in alia pia opera, exceptis votis Religionis, & Castitatis perpetuæ & perfectæ.

Quæres quartò: An per Jubilæum Anni Sancti omnes Indulgentiæ extra urbem concessæ suspendantur? 13.

Respondeo: Non suspenduntur Indulgentiæ datæ in mortis articulo, ut docet Lezana ex declaratione Urbani VIII. neque concessæ particularibus personis; neque Indulgentiæ non plenariæ; neque ab alio Inferiori, quàm Summo Pontifice concessæ, ut tradunt Sanchez, Diana, Lugo, Pellizarius, aliique.

DISPUTATIO XLIX.

De Ministro Confessionis.

CONsideranda hîc veniunt necessaria requisita, ut Minister hujus Sacramenti suum officium tum validè, tum licitè exerceat. Ut validè hoc Sacramentum administret, præter sacrum ordinem requiritur potestas jurisdictionis, & approbatio Episcopi. Ut licitè fiat, requiritur observatio sigilli, scientia & prudentia. Ideo sit

ARTICULUS I.

De jurisdictione Confessario necessaria.

SUMMARIA.

1. *Solus Sacerdos est minister legitimus Pœnitentiæ.*
2. *Potestas jurisdictionis adæquatè distinguitur à potestate Ordinis.*
3. *Divisio jurisdictionis in ordinariam & delegatam.*
4. *Quid sit jurisdictio delegata?*
5. *Jurisdictio ad absolvendum delegatur directè, & indirectè; tacitè, & expressè.*
6. *Conditio requisita ad potestatem delegandi.*
7. *Præter potestatem Ordinis ad validam absolutionem requiritur potestas jurisdictionis.*
8. *Opponuntur aliqua instantia.*
9. *Potestas absolvendi à venialibus, & mortalibus jam confessis non competit Sacerdotibus ex sola potestate Ordinis.*
10. *In articulo mortis cuilibet Sacerdoti potestas absolvendi est delegata per consuetudinem & Tridentinum.*
11. *Illegitimis non est delegata nisi in absentia legitimi.*
12. *Remissio peccatorum est effectus absolutionis physico-moralis.*
13. *Cur in primitiva Ecclesia quivis potuerit absolvere.*
14. *Sacerdotes vi Ordinationis sunt judices aptitudinaliter.*
15. *Ad valorem absolutionis non sufficit præsumpta licentia, neque ratihabitio de futuro.*
16. *Neque licentia petita, & non obtenta.*
17. *Sufficit tamen licentia gravi metu extorta.*
18. *Ex parte pœnitentis sufficit aliquando licentia tantùm petita.*
19. *Quandonam exspiret jurisdictio?*
20. *Quid sit error communis, & titulus coloratus?*
21. *Error communis in defectu characteris nihil prodest ad valorem Sacramenti.*
22. *In errore communi cum titulo putativo suppletur jurisdictio in foro externo.*
23. *Etiam in foro interno.*
24. *Probabilius est, non suppleri jurisdictionem ab Ecclesia, quando error communis est sine titulo colorato.*
25. *Quando in errore communi repetendæ sint confessiones.*
26. *Cum jurisdictione negativè dubia non licet absolvere pœnitentem.*
27. *Innocentii XI. prohibitio de sequenda sententia probabili relictâ tutiori, procedit in dubio de valore ipsius.*
28. *Jurisdictio est aliquando certò, aliquando probabiliter probabilis.*
29. *Certum est, jurisdictionem ab Ecclesia suppleri, si error contingat circa jurisdictionem certò probabilem.*
30. *Habens jurisdictionem certò probabilem validè & licitè absolvit.*
31. *Respondetur ad objectum decretum Innocentii XI.*
32. *Pœnitens licitè petit absolvi ab habente jurisdictionem probabilem.*
33. *Discrimen inter requisita ex parte materiæ & formæ, & ex parte jurisdictionis.*

§. I.

Præsuppositа.

SUppono primò. Solum Sacerdotem esse Ministrum legitimum Sacramenti Pœnitentiæ. 1. Ita decrevit Florentinum in Decreto un. Constantiense contra Wicleffum in Bulla Martini V. Tridentinum sess. 14. de pœnit. can. 10. dicens: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato* mor-

mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere. aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum, quodcunque ligaveritis super terram, &c. anathema sit.

Ratio è S. Scriptura deducta est primò. Ille solus est legitimus Minister hujus Sacramenti, qui à Christo potestatem accepit ligandi & solvendi peccatores: sed hanc acceperunt soli Sacerdotes; tanquam Successores Apostolorum; quibus à Christo dictum est, Jo. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo. Ratio S. Doctoris in suppl. q. 8. a. I. in c. est: Illis tantùm competit potestas in corpus Christi mysticum, quibus competit potestas in corpus Christi verum: sed ista tantùm competit Sacerdotibus: ergo & illa. Major probatur: quia cùm Christus priùs Apostolos ordinaverit Sacerdotes, iisque concesserit potestatem consecrandi verum suum corpus, quàm ipsis concesserit potestatem ligandi atque solvendi; idcircò potestas in corpus Christi verum juxta Christi institutionem præsupponitur potestati in corpus Christi mysticum; h. e. in fideles, ceu membra Christi; à peccatorum nexibus absolvendos.

2. Suppono secundò. Potestatem jurisdictionis pœnitentialis esse adæquatè distinctam à potestate Ordinis; nam potestas Ordinis, quæ præcipuè confertur à Christo in Ordinatione Sacerdotis per illa verba: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata &c.* est potestas etiam physica ad producendam gratiam remissivam peccati virtute verborum absolutionis; & cuivis Sacerdoti perpetuò & immutabiliter confertur; jurisdictio verò, quæ est moralis potestas, subditos sacramentaliter absolvendi; datur ex simplici concessione hominis (excepto S. Pontifice, qui illam immediatè accipit à Christo) mutabiliter & revocabiliter, unde etiam à potestate Ordinis separari potest; veluti patet in depositis & degradatis; qui potestatem Ordinis habent, jurisdictione tamen carent. Item in Parocho non Sacerdote, qui licèt habeat jurisdictionem, siquidem illam alteri delegare potest, non tamen habet potestatem Ordinis.

3. Suppono tertiò, ex Trid. sess. 14. c. 7. Jurisdictionem benè dividi in ordinariam, & delegatam, tanquam in species adæquatas. Ordinaria jurisdictio est, quæ competit alicui ratione officii pastoralis, quam inprimis jure divino habet Summus Pontifex in totam Ecclesiam. Secundò dependenter à Summo Pontifice Episcopi respectu suorum Episcopatuum, cum quibus computantur Prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem. Tertiò Prælati, Regulares & Superiores, qui habent potestatem ordinariam in suos Religiosos & Novitios, ac Parochi, qui eandem potestatem exercent in suos parochianos, in illorum parochiis domicilium habentes, ut cives, vel quasi domicilium, ut sunt Studiosi & Mercatores; vel qui ibi manent cum intentione per majorem anni partem permanendi; item in vagos & iter agentes. Ad primam classem reducitur Summus Pœnitentiarius Pontificis, & Legatus à latere. Ad secundam sede vacante Capitulum; Vicarii & Officiales Episcoporum, quippe qui jurisdictionem immediatè habent à Canone; ut notat Clarissimus P. König l. 1. tit. 31. §. 3. Ad tertiam Vicarii Parochorum sive perpetui, sive temporales; cùm utrisque non nuda jurisdictio, sed officium demandetur; Atque hic Pastor ordinarius à Lateranensi in *c. omnis utriusque sexûs*, appellatur *Sacerdos proprius*.

4. Delegata jurisdictio est, *extrinseca assignatio & concessio subditorum, aliquo signo externo manifestata, ab habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam cum potestate subdelegandi, aut cum officio vicario.* Dicitur primò, *extrinseca* ad distinctionem à concessione subditorum per commissionem officii curati; quod ab intrinseco exigit subditos. Dicitur secundò, *aliquo signo externo manifestata*; quia sine hoc jurisdictio humano modo concedi non intelligitur. Dicitur tertiò, *ab habente jurisdictionem ordinariam*; quod enim aliquis non habet, alteri concedere non potest. Additur tamen quartò, vel *delegatam cum potestate &c.* Nam habens potestatem ordinariam potest quandoque alteri delegare suam jurisdictionem cum facultate eandem alteri subdelegandi: quo casu delegatus commissionem non suo, sed ordinarii nomine imponit subdelegato. Porrò hâc facultate subdelegandi non concessâ; Delegatus alteri potestatem à peccatis absolvendi subdelegare non potest: quia per simplicem delegationem solùm conceditur facultas utendi jurisdictione, non eandem alteri committendi. Atque ita communis DD. ex *l. ult. ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio; c. cùm causam. de appell.* De quo plura in Tract. de Legibus.

5. Delegatio jurisdictionis ad excipiendas confessiones est duplex; alia *directa*; alia *indirecta*: directa est, quâ conceditur potestas per se directè absolvendi pœnitentem: indirecta est, quâ pœnitenti conceditur facultas sibi ipsi eligendi, & nominandi Confessarium, quâ factâ electione, tanquam conditione sine qua non, ipso facto confertur jurisdictio Sacerdoti electo; & nominato. Rursus jurisdictio delegatur vel *expressè*, vel *tacitè*: expressè, quando voluntas delegandi signis externis manifestatur; tacitè, cùm Ordinarius Sacerdotem jurisdictione carentem & volentem audire confessiones suorum subditorum non impedit, cùm facilè posset; tunc enim illum actum de præsenti ratihabere censetur.

Conditio ad validam delegationem requisita est, ne delegans sit excommunicatus, suspensus, similive canonico impedimento innodatus, quo cùm jurisdictionis exercitium ligetur, eandem validè delegare non potest.

§. II.

An præter potestatem Ordinis ad validè absolvendum necessaria sit potestas jurisdictionis?

CONCLUSIO est AFFIRMATIVA, & definita in Lateran. *c. omnis utriusque*, Florentino decreto un. & Tridentino cit. sess. 14. c. 6. & 7.

cujus

cujus initio ita loquitur: *Quoniam natura & ratio ita exposcit, ut sententia in subditos tantùm feratur, persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse hac Synodus affirmat, nullius momenti absolutionem eam esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ubi etiam exprimitur ratio conclusionis: Sententia judicialis est actus jurisdictionis supra subditum designatum; sed absolutio Sacerdotis est sententia judicialis: ergo est actus jurisdictionis supra subditum designatum: atqui iste prærequirit potestatem jurisdictionis: ergo.

8. Dices I. Si potestas jurisdictionis foret necessaria, S. Pont. à nullo Sacerdote posset absolvi, cùm nullius jurisdictioni possit esse subjectus. II. Non posset quilibet Sacerdos absolvere à venialibus, aut III. etiam à mortalibus, quomodocunque reservatis in articulo mortis. IV. Ad effectum physicum sufficit potestas physica: sed remissio peccatorum est effectus physicus: ergo non requirit aliam, quàm physicam potestatem: sed ista confertur in Ordinatione: ergo præter potestatem Ordinis alia nulla requiritur. V. In primitiva Ecclesia quilibet à quolibet Sacerdote absolvi poterat: ergo tunc habebant potestatem absolvendi ex ipsa Ordinatione. VI. Sacerdotes in Ordinatione vi verborum constituuntur judices: ergo etiam vi illorum verborum acquirunt potestatem ferendi sententiam absolutionis.

Respondeo ad I. Summ. Pontif. eligendo sibi Confessarium, hoc ipso tradere illi jurisdictionem in se non tanquam Pontificem, sed hominem peccatorem.

9. Ad II. respondeo: Potestatem absolvendi à venialibus, aut mortalibus jam confessis, competere cuivis Sacerdoti non præcisè formaliter ex potestate Ordinis, sed ex jurisdictione delegatâ, & per consuetudinem cum consensu Summi Pontif. universaliter introductam collatâ.

10. Ad III. Respondeo, Cuilibet simplici Sacerdoti certam jurisdictionem tam in articulo, quàm in periculo mortis absolvendi à quibuscunque peccatis etiam quomodocunque reservatis esse delegatam, non tantùm consuetudine, sed expressis verbis Tridentini cit. c.7. dicentis: *In Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

11. Hanc tamen absolvendi potestatem ex citato Tridentini loco cum communiori DD. Card. de Lugo d. 18. se. 2. rectè vult intelligi, in illo solùm casu, quo nullus alius Sacerdos legitimâ absolvendi potestate præditus est præsens; non enim aliâ de causa hæc potestas confertur simplici Sacerdoti excommunicato, quàm propter extremam necessitatem moribundi: sed si alius legitimus adsit, non est extrema necessitas: ergo. Major constat, quia Trid. non novam contulit, sed ante Concilium in Ecclesia usurpatam pro articulo mortis confirmavit: sed illa tantùm erat, ut in extrema necessitate ejusmodi Sacerdotes possent absolvere, uti Lugo probat ex diversis Conciliis: ergo.

Ad IV. Respondeo: Remissio est effectus physicus tantùm, nego; physico-moralis, conc. ideoque requirit utramque potestatem & physicam Ordinis per characterem sacerdotalem, & moralem jurisdictionis: omnis quippe potestas judiciaria est etiam potestas moralis. 12

Ad V. Quicquid de antecedente sit, nego consequentiam: quia tunc propter paucitatem simul & sanctitatem Sacerdotum meritò cuivis Sacerdoti dari poterat jurisdictio. 13.

Ad VI. Respondeo: Sacerdotes vi suæ Ordinationis fiunt judices aptitudinaliter, concedo, quia nimirum acquirunt potestatem Ordinis essentialiter prærequisitam; fiunt judices actualiter, nego; hoc enim fit, cùm ipsis conferuntur subditi; tunc quippe primùm habent jus ad ferendam sententiam: sic v. g. graduati in collatione graduum accipiunt facultatem docendi, quæ tamen absque peculiari concessione Magistratûs committentis tale munus, est sine exercitio, & usu. 14.

§. III.

Corollaria quædam ex dictis.

INferes ex dictis primò: Ad valorem absolutionis non sufficere præsumptam licentiam Ordinarii, neque ratihabitionem de futuro, h.e. quòd habens ordinariam potestatem, daret licentiam absolvendi, si peteretur, vel cùm rescierit datam, non sit futurus in contrarium; quia præsumptio non dat jurisdictionem: sed sine jurisdictione valida non est absolutio, neque operatio Sacramenti potest esse in suspenso, & à futuro Superioris nutu dependens: unde sunt illæ juris Regulæ; *Ratihabitio subsequens non dat jurisdictionem; & non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit,* Reg. 18. J. in 6. Si opponas alteram Regulam 10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari,* rectè respondet Clariss. P. Honorius Aigner, Directorii p. 1. q. 1. a. 3. cum Dicastillo de pœnit. d. 10. n. 166. locum habere in actibus, quorum valor immediatè pendet à voluntate ratificantis, absolutionis autem valor immediatè pendet à voluntate Ministri absolventis. 15.

Inferes secundò. Non sufficere ad valorem absolutionis licentiam petitam, & non obtentam: quia jurisdictio non confertur per actum petentis, sed per actum habentis & dantis potestatem, ac licentiam absolvendi, velut deducitur ex c. omnis utriusque sexûs. ibi: *Si quis alteri Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam priùs postulet & obtineat.* 16.

Inferes tertiò: Probabiliter sufficere licentiam metu gravi extortam: quia metus non tollit voluntarium simpliciter, nec proinde actus invalidat, nisi in jure expressos, juxta principia in Tract. de Actibus hum. posita. Aliud dicendum de licentia per dolum, vel errorem obtenta, quando dolus est causa concessionis, & error versatur circa substantiam; tunc quippe ob defectum voluntarii nulla foret jurisdictionis delegatio, prout cum Suarez docet Reverendiss. meus Professor D. Christoph. Rassler, Magnificus P. Wibmperger, & Clarissimus Collega P. Honorius Aigner. 17.

18. Inferes quartò. Ex parte pœnitentis dari posse casum, in quo petitâ & non obtentâ licentiâ à proprio Sacerdote, possit alteri cuicunque Sacerdoti approbato in sua diœcesi confiteri: nempe si per confessionem proprio Sacerdoti factam moraliter certum periculum perversionis & ruinæ spiritualis mulieri immineret, v. g. quòd sciret se esse sollicitandam ad peccatum &c. quia ecclesiasticum præceptum proprio Sacerdoti confitendi ad ejusmodi casum se non extendit.

19. Inferes quintò. Jurisdictionem ordinariam non exspirare nisi cum officio, vel si habens jurisdictionem ordinariam pœnam excommunicationis, vel suspensionis incurrat. Delegatam verò jurisdictionem; si sit limitata ad certum tempus, exspirare elapsô termino; si verò sit illimitata, non exspirare, donec revocetur, juxta modum & naturam aliarum gratiarum, de quibus dictum in Tract. de LL. & Privileg.

§. IV.

An in communi errore conferatur jurisdictio?

20. Error communis dicitur, quando aliquis exercens jurisdictionem in aliquo loco, ab omnibus vel plerisque ibidem existentibus æstimatur habere jurisdictionem, quam tamen non habet ob aliquod occultum impedimentum: v. g. quia est suspensus, quia accepit beneficia ab Episcopo excommunicato, &c. Hic error aliquando est, aliquando non est conjunctus cum titulo colorato. Titulus coloratus, h. e. non verus, sed apparens & putativus, dicitur officium vel beneficium habens annexam jurisdictionem, e. g. officium Judicis, Parochi, Vicarii, quod aliquis habere censetur, & tamen validè non habet. Quæritur ergo in præsenti, an Confessarius validè absolvat, quando communiter existimatur habere jurisdictionem & potestatem absolvendi, quam tamen à parte rei non habet; idque vel cum titulo, quia existimatur esse Parochus, cùm tamen concessio & collatio beneficii parochialis fuerit nulla; vel sine titulo, ut quia aliquis censetur habere potestatem delegatam audiendi confessiones, quam tamen non habet: ubi

21. Certum est primò. Si quis communi errore haberetur pro Sacerdote, nec tamen esset Sacerdos, absolutionem fore invalidam, quia esset destitutus charactere sacerdotali, & potestate Ordinis essentialiter prærequisita ad potestatem jurisdictionis.

22. Certum est secundò. In foro externo à Principe suppleri defectum jurisdictionis, quando adest error communis circa jurisdictionem cum titulo putativo: ita quoad forum civile habetur expressum in *l. Barbarius. ff. de officio Prætoris.* & quoad forum canonicum indicatur in *c. infamis. 3. q. 7.* ubi habetur: *Si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret; quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet.* Insuper *Sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur, c. 1. de Novi op. nunc.* Cùm utilitas publica, ac plurimorum incommodorum evitatio æquè in foro Ecclesiastico quàm civili exigat, ut concurrente errore communi cum titulo colorato suppleatur jurisdictio, neque à Jure Canonico statuatur oppositum, Juris Civilis dispositio locum habebit etiam in foro Ecclesiastico, præsertim favente præcitato c. infamis. Dubium ergo superest; Primò: An prædicta suppletio jurisdictionis in errore communi locum habeat etiam in foro interno & pœnitentiali. Secundò: An etiam sine titulo colorató?

23. CONCLUSIO I. *In errore communi cum titulo colorato Ecclesia supplet jurisdictionem etiam in foro interno Pœnitentiæ.* Est moraliter certa & ferè omnium DD. quamvis enim Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. referat aliquos suppresso nomine contrarium sentientes; eorum tamen non est habenda ratio; cùm sint paucissimi iique ignoti. Ratio est; quòd non minora sequerentur incommoda, si in communi errore Ecclesia non suppleret jurisdictionem pro foro interno, quàm pro foro externo; deberent quippe plurimæ confessiones repeti, iteratæ dispensationes peti, &c. cùm ergo Ecclesia ad evitanda prædicta incommoda in communi errore cum titulo colorato suppleat pro foro externo, etiam supplet pro foro interno; præsertim cùm; ubi jura non distinguunt inter forum internum & externum, neque nos distinguere debeamus.

24. CONCLUSIO II. *Etsi sit probabile, quòd Ecclesia suppleat jurisdictionem in errore communi etiam sine titulo colorato collato à legitimo Superiore: (11) opposita tamen est probabilior.* Ita Jo. de Cardenas dissert. 2. c. 6. a. 5.

Primæ partis ratio est: tum quia hanc sententiam docent multi graves & Consultissimi DD. apud Tho. Sanchez, Dianam, & Gobat relati, veluti Innocentius, Ostiensis, Felinus &c. tum quia non pauciora sequuntur incommoda, si communis error sit disjunctus à titulo colorato, quàm si sit conjunctus cum illo; si ergo motivum supplendi jurisdictionem est evitatio incommodorum & scandalorum in errore habente titulum coloratum à legitimo Superiore collatum; idem motivum valebit ad supplendam jurisdictionem in communi errore non habente talem titulum coloratum; potiùs enim attendenda est mens & ratio, quàm verba legis *l. scire leges ff. d. LL.*

Secunda pars liquet primò: quia hæc est communior, ut est in confesso apud omnes, adeòque extrinsecè probabilior; pro qua allegat quamplurimos Authores Jo. de Cardenas loco cit.

Secundò; quia lex *Barbarius*, quæ est hujus doctrinæ fundamentum & scaturigo; tantùm loquitur de errore communi, habente titulum coloratum, cùmque inclusio unius sit exclusio alterius, hoc ipso error communis à titulo colorato separatus videtur excludi, quòd lex illius solùm erroris communis faciat mentionem, qui conjunctus est cùm titulo colorato. Neque tam frequens est periculum incommodorum, si non suppleatur jurisdictio in errore communi sine titulo colorato: rarò quippe contingit ejusmodi error à

error, quin titulus coloratus accedat, vel ex officio & beneficio, vel saltem ex approbatione, expositione, privilegio ad excipiendas confessiones.

25. Hinc sequitur: primò. A Parocho putatitio validè absolvi suos pœnitentes, neque eosdem detecto errore obligari ad repetendas confessiones, sicuti tenerentur, si Parochus tantùm esset putatitius Sacerdos.

Sequitur secundò. Si detegeretur error communis sine titulo colorato, fore obligationem repetendi confessionem, eò quòd propter varietatem sententiarum dubium foret, an absolutio validè fuisset impensa?

§. V.

An habens jurisdictionem tantùm probabilem validè & licitè absolvat?

26. NOtandum primò. Extra casum necessitatis non licere cum jurisdictione negativè dubia ministrare Sacramentum Pœnitentiæ: quia non licet exponere Sacramentum periculo frustrationis, & proximum periculo æternæ salutis; neque in tali casu Ecclesia supplet jurisdictionem, tametsi foret error communis, siquidem per contrarias definitiones & declarationes expressè resistit ejusmodi administrationi: ergo non licet impertiri absolutionem cum jurisdictione negativè dubia. Quæstio igitur est de dubio positivò, sive de jurisdictione probabili.

27. Notandum secundò: Censurâ Pontificiâ Innocentii XI. prop. 1. tunc solùm tangi sequelam opinionis probabilis relictâ tutiori in usu Sacramentorum, quando agitur de valore Sacramenti; extra quem casum licet sequi sententiam probabilem: sic licita in praxi est sequela illius sententiæ, quòd circumstantias merè aggravantes confitendi nulla sit obligatio; quantumvis contineatur solùm intra limites probabilitatis: quia tametsi hæc sententia foret à parte rei falsa, valor tamen Sacramenti non periclitatur.

28. Notandum tertiò. Jurisdictionem quandoque esse verè & certò, quandoque solùm probabiliter probabilem, cum aliqua suspicione improbabilitatis. Verè & certò probabilis opinio juxta Cardenas est illa, de cujus probabilitate non dubitant viri sapientes: dubiè & solùm probabiliter probabilis est, de cujus probabilitate dubitant viri sapientes, estque proin solùm tenuiter, non autem verè & practicè probabilis juxta declarationem Innocentii XI. circa propositionem III. Si jurisdictio est solùm tenuiter, non autem verè & practicè probabilis, certum est ab Ecclesia non suppleri defectum, siquidem ejusmodi probabilitatis sequelam relictâ tutiori & probabiliori damnat in præfata declaratione Innocentius XI.

29. Notandum quartò ex Jo. de Cardenas. Esse moraliter certum, quòd Ecclesia det, & suppleat jurisdictionem Confessarii, quoties ille habet veram probabilitatem de jurisdictione, v. g. si habeat opinionem verè probabilem, privilegium absolvendi à reservatis non esse revocatum. Est communissima DD. suffragante praxi quotidiana, cujus certitudini paucorum opposita sententia derogare non potest. Fundamentum & ratio est primò. In errore communi saltem conjuncto cum titulo colorato Ecclesia certò confert & supplet jurisdictionem: sed opinio verè probabilis atque pro tali à sapientibus agnita, si apud DEUM sit falsa, est error communis: ergo in opinione verè probabili, si fortè sit falsa, Ecclesia tribuit jurisdictionem, saltem si adsit titulus coloratus; qualis etiam est privilegium, & approbatio Ordinarii. Minor probatur: quod admittunt sapientes, huic rudes & simplices præbent assensum: sed ex hypothesi sapientes communiter admittunt ejusmodi opinionem: ergo simplices quoque eidem communiter præbent assensum. Si ergo à parte rei sit falsa; fiet error communis. Secunda ratio independens ab errore communi & titulo colorato est: Consuetudo dat jurisdictionem, præsertim vidente, sciente, connivente Principe practicata: sed est communis praxis & consuetudo in Ecclesia à summo Pontifice cognita & tolerata, quòd Confessarii absolvant cum opinione verè & practicè probabili circa jurisdictionem: ergo habent veram jurisdictionem. Major est certa, *ex c. cùm contingat. de foro competenti ex c. Romana. tit. eod. in 6. cùm quidam. de except. in 6.* Minorem præter experientiam testantur communiter DD. & ex iis Suarez in 3. p. to. 4. disp. 27. se. 5. n. 7 Lugo de pœnit. disp. 19. se. 2. n. 31. Arlaga; Bonacina; aliique apud Cardenas allegati; unde ex præmissis moraliter certis pariter infertur conclusio moraliter certa; quòd Confessarius absolvens cum jurisdictione verè probabili habeat jurisdictionem certam à consuetudine, tum ab Ecclesia ejusmodi actum ratihabente de præsenti:

His ita positis ad resolutionem quæstionis aliqui malunt suspendere judicium, quàm categorematicè respondere: Ita Reverendissimus Oberascher & Clarissimus P. Honorius Aigner. Alii resolvunt, cum jurisdictione probabili licitè non impendi jurisdictionem. Ita Vasq: Coninck, Rodriquez, & ex nostris Magnificus P. Gregorius Wibmperger. Alii defendunt, & validè & licitè ministrari Sacramentum Pœnitentiæ ab habente jurisdictionem verè probabilem. Ita sentiunt Jo. de Cardenas cum plurimis gravissimis Authoribus à se allegatis. Salmanticenses tr. 6. de pœnit. c. 11. p. 5. cum torrente DD. quos citant. E nostris Salisburg. Reverendissimus Rasller c. 6. §. 16. Illustrissimus Reding. q. 9. a 1.

30. CONCLUSIO. *Ab habente opinionem verè probabilem de sua jurisdictione etiam extra casum necessitatis validè & licitè confertur absolutio sacramentalis.* Ita Authores prænominati.

Primæ partis ratio est: quia si adsunt omnia requisita ad valorem Sacramenti & absolutionis, valida est absolutio: sed in casu jurisdictionis verè probabilis adsunt omnia requisita: nam in jurisdictione probabili nunquam deest certa jurisdictio sive titulo erroris communis, sive consuetudinis, ut prob. in Not. 4. cætera quoque re-

quisita supponuntur: ergo valida est absolutio. Confirmatur. Non minora sequerentur incommoda, si Ecclesia denegaret jurisdictionem, quàm in casu, quo fallit error communis: ergo si propter bonum commune, & salutem proximi Ecclesia tribuit jurisdictionem in errore communi, eandem pariter tribuit in casu opinionis probabilis.

80. Secunda pars probatur: Licet sequi sententiam probabilem in Sacramentis, ubi nullum est periculum de valore Sacramenti: sed nullum est periculum de valore Sacramenti Pœnitentiæ & absolutionis, tametsi Minister utatur sententia probabili de jurisdictione: ergo licet uti sententia probabili de jurisdictione. Minor probata manet ex priori probatione, & Not. 4. Adde, quòd pœnitens plerumque afferat quædam peccata venialia, à quibus in casu, quo Minister Sacramenti careret jurisdictione supra mortalia, directè à venialibus, & à mortalibus indirectè absolveret, ut ex hoc quoque capite non esset periculum de valore Sacramenti. Atque hanc sententiam tutissimam esse pronunciat Cardinal. de Lugo disp. 19. sect. 2. §. 1.

81. Dices: Illicitum est in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, prout in terminis decidit Innocentius XI. proposit. primâ: sed hîc agitur de valore Sacramenti Pœnitentiæ, siquidem jurisdictio est conditio essentialiter requisita ad valorem Sacramenti: ergo non licet sequi sententiam solùm probabilem relictâ tutiore: atqui nostra sententia docens, valere absolutionem collatam ab habente jurisdictionem solùm probabilem, est tantùm probabilis; opposita verò negans valere est tutior partim ob charitatem proximi, partim ob reverentiam Sacramenti: ergo non licet operari secundùm nostram sententiam, & absolutionem impertiri cum jurisdictione tantùm probabili.

Respondeo negando minorem, nam ut ex prænotatis liquet, error communis, consuetudo, ratihabitio de præsenti sufficienter probant illi certam conferri jurisdictionem, qui habet probabilem opinionem de sua jurisdictione: quam certitudinem cùm adversarii non denegent in errore communi, non est cur in probabilitate jurisdictionis exclusam velint. Subsumptum quoque distinguo: nostra sententia est tantùm probabilis, sed certò supponens valorem Sacramenti concedo; non certò, aut probabiliter tantùm sperans valorem illius, nego subsumptum, & consequentiam.

Inferes primò, Etiam ex parte pœnitentis esse licitum, petere & accipere absolutionem ab habente jurisdictionem probabilem: nam, si Sacerdos neque contra reverentiam Sacramenti, neque contra charitatem proximi peccat ministrando Sacramentum cum opinione probabili de sua jurisdictione, etiam recipiens nihil operabitur suæ saluti, aut debitæ Sacramento reverentiæ contrarium: Antecedens est verum: ergo & consequens. 82.

Inferes secundò ex Dicastillo dub. 8. n. 201. notabile discrimen inter requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ ex parte Christi instituentis ac determinantis materiam & formam, inter jurisdictionem requisitam ex parte Ecclesiæ, quòd defectum eorum, quæ requiruntur ex parte Christi quoad materiam & formam, non possit supplere Ecclesia; possit autem supplere & actu suppleat defectum jurisdictionis, quæ ab ipsa confertur tam in casu erroris communis, quàm opinionis probabilis.

ARTICULUS II.

De reservatione casuum.

SUMMARIA.

1. *An, & quid sit casuum reservatio?*
2. *Quinam possint reservare?*
3. *Reservari possunt quæcunque peccata interna & externa.*
4. *Conditiones requisita ad reservationem casuum.*
5. *Reservatio sine rationabili causa est valida, sed illicita.*
6. *Casus Sum. Pontif. reservati habent annexam censuram.*
7. *Quotuplices sint casus reservati Summi Pontificis.*
8. *Quinam sint casus Episcopales.*
9. *Quosnam casus reservare possint Prælati Regulares?*
10. *Quis possit absolvere à casibus reservatis?*
11. *Quid agendum Confessario, cùm pœnitens affert casum reservatum?*
12. *Quando casus Papales fiant Episcopales?*
13. *Religiosi mendicantes, qui gaudent privilegio absolvendi à casibus Papalibus, non ideo possunt absolvere ab Episcopalibus.*
14. *Quomodo in periculo mortis cesset reservatio?*
15. *An possit peregrinus absolvi, afferens casum reservatum in sua, vel Confessarii diœcesi?*
16. *Superior Sacramentaliter non potest à solis reservatis, aliis peccatis prætermissis, absolvere.*
17. *An in confessione invalida auferatur reservatio?*

§. I.

De potestate reservandi.

Reservatio casuum est restrictio jurisdictionis in ordine ad absolutionem certorum peccatorum, cujus potestatem in Ecclesia dari de fide est ex Trid. sess. 14. c. 7. & *can.* 11. & *c. si Episcopus de pænit. & remission.* Et ratio est, quòd jurisdictio judicis inferioris subordinetur jurisdictioni superioris, & ab illa dependeat. Unde potest summus Pontifex respectu Episcoporum, Episcopi respectu suorum Parochorum, Prælati regulares respectu suorum Regularium potestatem

tem absolvendi circa certa peccata restringere, sicque casus aliquos sibi reservare.

2. Quæritur primò. Quisnam habeat potestatem reservandi casus?

Respondeo. Per se loquendo reservare possunt omnes illi quibus ordinaria jurisdictio competit, uti sunt ipse reservans, ejus Successor, & Superior, à quibus ejusmodi potestas specialiter committitur. Ratio constat ex primùm dictis. Ille potest reservare peccata, qui potest jus & potestatem absolvendi restringere: sed hoc potest quicunque judex ordinarius: ergo. De Parochis tamen dubitatur, & aliqui affirmant; alii negant & existimant, ipsos hoc jure per consuetudinem esse privatos. Hoc certum est; de facto non esse consuetudinem ut Parochi peccata reservent, cùm ejusmodi reservatio foret inutilis.

3. Quæritur secundò. Quænam peccata reservari possint?

Respondeo cum communi primò: Peccata quæ validè reservari possunt, sunt omnia tam mortalia, quàm venialia; tàm interna, quam externa: quia circa illa omnia limitari potest jurisdictio absolventis, ad quæcunque potestas clavium se extendit: sed ad omnia memorata se extendit potestas clavium; nam & venialia possunt esse materia confessionis; quamvis non necessaria: ergo potest circa hæc omnia restringi potestas & jurisdictio absolventis.

4. Quæritur tertiò. Quænam de facto sint conditiones requisitæ ad reservationem casuum?

Respondeo. Licitè reservari possunt, & de facto reservantur sola peccata mortalia externa, non tantùm inchoata, sed etiam opere completa, & consummata, non dubia, sed certa.

Ratio est: quòd reservatio licitè tantùm exerceatur in ædificationem, non in destructionem: & non nisi ex rationabili causa: sed inprimis nulla apparet rationabilis causa vel utilitas in reservatione peccatorum venialium, cùm illa peccata possint extra Sacramentum Pœnitentiæ deleri: secundò ex reservatione internorum peccatorum, nimis difficile redderetur hoc Sacramentum tum propter eorum peccatorum facilitatem; tum propter difficilem cognitionem de distinctione & gravitate illorum. Unde nec omnia peccata externa, sed illa solùm reservantur, quæ specialem continent gravitatem, & quorum frequentatio specialiùs obest fidelium saluti & bono Ecclesiæ Catholicæ.

Tertiò. Si peccatum reservatum non fuerit opere completum & consummatum, etiamsi voluntas interna non defuerit, non incurritur casus reservatus, ut habet Bonacina de pœnit. sacr. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. cum aliis; e. g. si, animo patrandi homicidium vulnus inflixisti, non tamen occidisti, non incurris casum reservatum, si homicidium tantùm sit reservatum, & non etiam attentatio homicidii. Quia cùm reservatio sit odiosa, restringenda est juxta proprietatem verborum ad actus perfectos, nisi verba ipsam quoque operis attentationem exprimant. Ex qua ratione à reservatione pariter eximuntur peccata dubia, sive dubio juris, ut si sit dubium, an tale peccatum sit reservatum: sive dubio facti, ut si dubites, an actus sit perpetratus cum circumstantiis & conditionibus ad reservationem requisitis.

Quæritur quartò. An valeat reservatio casuum facta sine legitima & rationabili causa? 5.

Ratio dubitandi est, quòd Tridentinum sess. 14. c. 7. dicat Episcopos reservare posse non in destructionem, sed in ædificationem. Ex quo

Inferunt aliqui, quòd reservatio Episcopalis facta sine rationabili causa, cùm non cedat in ædificationem, sed potiùs in destructionem, non tantùm sit illicita, sed etiam invalida. Sed

Respondeo valere; quia inferior quidquid juris habet, habet dependenter à Superiore, unde si Superior illud neget, vel limitet; sive justè, sive injustè faciat; inferior nihil ampliùs validè efficere poterit; quamvis interim Superior irrationabiliter casus reservando gravissimè peccaret agendo contra institutionem Christi & voluntatem Ecclesiæ.

Quæres quintò. Quosnam casus Summus Pontifex reservet? 6.

Respondeo. Summus Pontifex nullum solet reservare peccatum, quod non habeat simul annexam excommunicationem. Unde sequitur primò, ablatâ excommunicatione, etiam desinere reservationem. Secundò. Si quis committens peccatum Pontifici reservatum ratione ignorantiæ excusetur à censurâ excommunicationis, respectu ipsius peccatum non fore reservatum; quia, ut inquit Layman tr. 6. c. 12. n. 2. Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum reservat, nisi propter annexam excommunicationem sibi pariter reservatam. Quamvis absolutè loquendo ignorantia reservationis pœnitenti non prosit, quin eandem incurrat, siquidem magis directè respicit & afficit Confessarium, quàm ipsum delinquentem.

Cæterùm casus Papæ reservati, qui ideo Papales dicuntur, sunt triplicis classis: Vel enim sunt reservati in Bulla Cœnæ Domini, ut est furtum in bonis Christianorum naufragorum, violatio immunitatis Ecclesiasticæ &c. Vel secundò jure communi, in Decreto, Decretalibus, Extravagantibus expressò, velut enormis percussio Clerici, *in c. si quis suadente diabolo 17. q. 4.* Tertiò in specialibus Summ. Pontificum constitutionibus. Sicut est in Bulla Pii V. ingressus fœminarum in Monasteria virorum regularem vitam agentium &c. Quorum Casuum enumerationem vide apud Arsdekinum p. 2. tr. 2. c. 4. & Clarissimum P. Engl in Man. Par. p. 3. c. 2. §. 2. 7.

Quæritur sextò. Quinam sint casus Episcopales? 8.

Respondeo. De facto nullus casus de jure communi est reservatus Episcopis; unde illi sunt casus Episcopales, quos ipsi sibi reservaverint, quive juxta Diœcesium consuetudinem pro reservatis habentur. Ita citatus P. Engel cum communi. Inde fit, quòd in variis Diœcesibus varii quoque sint Casus reservati. In nostrâ Salisburgensi sequentes reservantur:

Homi-

Homicidium voluntarium actu externo perpetratum.
Infantum in lecto detentorum oppressio.
Abortûs & sterilitatis procuratio.
Violenta manuum injectio in proprios parentes, vel Clericos.
Incestus in primo vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis.
Vivere in publico adulterio, concubinatu, fornicatione.
Decimarum, aliorumq; jurium Ecclesiæ notabilis defraudatio.
Sortilegia, divinationes, & incantationes.

9. Quæritur septimò. Quosnam casus reservare possint Superiores & Prælati Regularium?

Respondeo. Quamvis Regulares Prælati habeant potestatem reservandi peccata suorum Religiosorum, illa tamen potestas Decreto Clementis VIII. est restricta ad 11. casus, quos reservare possunt, non autem tenentur: ultra illos verò non possunt alios reservare, nisi cum Capituli Generalis, vel Provincialis consensu. Sunt porrò sequentes: 1. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra monasterium fiat egressio. 3. Nocturna & furtiva egressio è Monasterio etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non subsecuto. 7. Falsificatio manûs seu sigilli Officialium Monasterii, aut Conventûs. 8. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & è converso.

§. II.

Potestas absolvendi à reservatis.

10. Quæritur octavò. Quisnam possit absolvere à casibus reservatis?

Respondeo primò. Absolvere à reservatis per se tantùm potest ipse reservans, aut Superior, aut successor ipsius, ut Summus Pontifex à Casibus Episcopalibus, non autem inferior, nisi ex commissione & delegatione judicis reservantis. Cujus ratio est: quòd ad validam absolutionem requiratur jurisdictio, vel ordinaria, vel delegata: sed nemo habet hanc jurisdictionem, quàm reservans, aut Superior, aut successor ipsius, vel inferior ex commissione alterius: ergo.

11. Respondeo secundò. Si Confessarius advertat à Pœnitente afferri casum, à quo non potest propter reservationem absolvere, obligari ad monendum pœnitentem, ne ultra progrediatur in confessione, sed ut vel Superiorem aliúmve habentem potestatem absolvendi reservatos casus accedat; vel ut exspectet, donec ipse facultatem absolvendi obtinuerit, quam Superior requisitus etiam benignè concedere debet non petitâ notitiâ confitentis personæ, quam etiam Confessarius licentiam petens nequaquam manifestare debet, ne peccet contra sigillum confessionis.

Excipitur tamen casus sufficientis necessitatis, ob quam pœnitens non habens facultatem recurrendi ad Superiorem reservantem, vel alium Sacerdotem, qui possit à reservatis absolvere, petat & debeat absolvi, tunc enim Sacerdos potest & debet audire omnia peccata tam reservata, quàm non reservata, & directè à non reservatis, indirectè verò à reservatis absolvere, intimando pœnitenti obligationem se præsentandi Superiori datâ occasione pro directâ absolutione à reservatis.

Porrò hæc necessitas non debet esse extrema, sed ex sententia Laymanni aliorumque illa censetur sufficiens, quando vel Sacerdos celebrare, vel laicus communicare tenetur, præsertim si ex omissione Communionis vel confessionis scandalum oriretur. Si autem contingeret, quòd non habens potestatem absolvendi à non reservatis bonâ fide audiisset pœnitentem, similiter bonâ fide peccata reservata cum non reservatis confitentem, valida esset absolutio; ita tamen ut pœnitens post acquisitam notitiam reservationis teneretur postea habenti potestatem absolvendi reservata confiteri, eò quòd antea ab iis tantùm indirectè fuerit absolutus.

Quæritur nonò. An, & quando Episcopi possint suos subditos absolvere à casibus Summo Pontifici reservatis. 12.

Respondeo. Episcopi possunt suos diœcesanos absolvere vel per se, vel per alium ad id specialiter deputatum à casibus reservatis sedi Apostolicæ. Primò, quando delinquentes habent legitimum impedimentum adeundi Summum Pontificem, ut habetur in *c. mulieres. de sent. excomm.* Secundò, quandocunque casus sunt occulti & necdum in forum contentiosum deducti, quæ facultas concessa est per Tridentinum sess. 24. c. 6. de Refor.

An hoc possint Episcopi etiam in hæresi occulta? Controversia est inter Authores, dum non pauci existimant per Bullam Cœnæ Domini, nec non Alexandri VII. Anno 1665. 24. Sept. editam Tridentino hanc facultatem Episcopis concedenti derogari. Alii econtra graves Doctores cum Sanch. Henriquez. Rodrig. derogatum negant, & existimant, hujusmodi probationes vel tantùm concernere Episcopos Romæ vicinos, vel solùm derogare potestati quorundam privatorum. Hoc certum est, Tridentini concessionem de facto ab Episcopis practicari, sive id fiat ex speciali indulto à Summo Pontifice impetrato; sive ex eo, quòd concessioni Tridentini per Bullas Pontificum non sufficienter derogatum fuisse probabiliter existiment.

Quæritur decimò. An Mendicantes possint absolvere à casibus reservatis? 13.

Respondeo. Etiamsi Religiosi mendicantes, & qui gaudent communicatione privilegiorum cum ipsis, possint absolvere à casibus Summo Pontifici reservatis, non ideo tamen ab Episcopali-

palibus absque Episcoporum licentia, propter Alexandri VII. declarationem, hanc propositionem condemnantis: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

14 Quæritur undecimò: Utrùm in periculo vel articulo mortis cesset reservatio?

Respondeo ex Trident. sess. 14. c. 7. *In articulo mortis nulla est reservatio, atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Sed tenebitúrne sic absolutus, si reconvalescat, sistere se Superiori, ad novam absolutionem obtinendam? Respondeo: Si casus reservatus non habeat annexam censuram excommunicationis, non teneri se sistere, cùm reverà fuerit directè absolutus à peccato reservato. Si verò habuerit annexam censuram, teneri se sistere ex postfacto, non quidem ad novam absolutionem obtinendam, sed ut mandatum recipiat de satisfaciendo, quòd si neglexerit, reincidet in censuram ipso jure *per c. eos qui. de sent. excomm.* idque intelligendum esse non tantùm de delictis publicis, & ad forum contentiosum deductis, sed etiam de occultis, cùm jura non distinguant, rectè docet Magnif. P. Gregorius Wibmperger de Sacr. pœnit. p. 1. q. 2. §. 3.

15 Quæritur duodecimò: An Confessarius Diœcesis Salisburgensis possit absolvere peregrinum, qui affert casum reservatum in sua diœcesi, non autem in Salisburgensi? Vel secundò: An eundem possit absolvere, si afferat casum, qui est reservatus in Salisburgensi, non autem in sua diœcesi?

Respondeo ad 1. Potest absolvi peregrinus in aliena diœcesi habens casum reservatum in propria, nisi eò venerit in fraudem legis. Ratio est: quia Confessarii tam Regulares quàm Sæculares habent jurisdictionem respectu peccatorum non reservatorum in sua diœcesi, unde possunt illam exercere, nisi cedat in fraudem legis, quâ subditi alterius diœcesis obstringuntur; quæ si possit præsumi, (ut in locis limitaneis alterius diœcesis) pœnitens erit remittendus ad suum Episcopum, vel alium habentem potestatem absolvendi à reservatis: quia tunc Ordinarius reservans meritò censetur invitus, ne justa peccatorum reservatio fiat inutilis, & ejusmodi potestas absolvendi cedat in præjudicium boni communis. Neque refert, quòd Confessarius non sit ipsi subditus, nec proinde potestas absolvendi videatur subjecta legi Episcopi alieni. Esto enim, quòd non sit subjecta directè, est tamen restringibilis indirectè ex subtractione materiæ in subdito transeunte ad aliam diœcesin. Ita cum P. Engel præcitatus Magn. P. Wibmperger, Jacobus Platelius, aliique.

Ad II. Respond. Posse & debere absolvi, quia reservatio casuum ab Episcopo facta non est, nisi circa suos subditos: sed ex hypothesi confitens non est hujus Episcopi subditus, in cujus diœcesi confitetur: ergo neque circa ipsum valet reservatio. Et quò talis pœnitens foret remittendus? An ad Episcopum proprium? sed apud ipsum casus non est reservatus, An ad alienum? sed ille nullam habet jurisdictionem in alterius diœcesis subditum.

Quæritur decimò tertiò: An Superior absoluturus à reservatis possit pœnitentem auditis solis reservatis absolvere, vel etiam teneatur non reservata audire? 16

Respondeo: Si Judex superior velit sacramentaliter absolvere à reservatis tenetur audire etiam non reservata, quia ipsi non licet invertere ordinem & præceptum juris divini de integritate Sacramenti: si tamen extra Sacramentum solùm tollere velit reservationem à certis peccatis, haud dubiè id poterit absque exceptione aliorum peccatorum, quorum expositionem petere nullo modo potest, ut docet communis.

Quæritur decimò quartò: An si Confessio peccati reservati fuit invalida, v. g. ob defectum sufficientis doloris, nihilominùs per absolutionem datam ab habente potestatem absolvendi, reservatio censeatur ablata? 17

Respondeo affirmativè: Quia absolutio à reservatis non necessariò est sacramentalis; licèt ergo in illo casu pœnitens à reservatis non sit sacramentaliter absolutus, ideóque cognitâ nullitate confessionis eadem denuo teneatur subjicere clavibus; non tamen tenetur pro absolutione à reservatis recurrere ad Superiorem; quia priori tametsi non sacramentali absolutione sufficienter remotum fuit vinculum reservationis. Similiter si habens plura reservata, unum vel aliqua confiteatur habenti potestatem absolvendi à reservatis, cæterorum inculpabiliter oblitus, etiam ab omissis absolutus censebitur sine obligatione recurrendi ad Superiorem: quia sicut in isto casu pœnitens efficaciter intendit liberari ab omni vinculo peccatorum, ita reciprocè Sacerdos intendit ipsum liberare ab omni vinculo, quo potest liberare: sed potest liberare à reservatione peccatorum, quæ inculpabiliter est oblitus: ergo etiam ab hoc vinculo pœnitentem liberare intendit. Ita Reverendissimus Oberascher loc. cit.

ARTICULUS III.

De approbatione Confessarii.

SUMMARIA.

1. *Quid sit approbatio?*
2. *Est cuilibet Sacerdoti necessaria.*
3. *Duplex modus approbandi.*
4. *Approbatio episcopalis est de necessitate Sacramenti ad confessiones sæcularium:*
5. *Non autem Regularium, exceptis Monialibus.*
6. *Decreto Tridentini comprehenduntur etiam personæ graduatæ.*
7. *Episcopus approbans non debet necessariò esse consecratus.*
8. *Requiritur approbatio ab Episcopo Confessarii.*
9. *Quòd approbatus in una diœcesi sit approbatus in altera, est speculativè probabile.*
10. *Quòd non sit approbatus in alia diœcesi, est practicè certum.*
11. *Approbatio illimitata non exspirat morte concedentis.*
12. *Ex justa causa potest approbatio limitari, denegari, revocari.*
13. *Injusta denegatio approbationis etsi sit illicita, est tamen valida.*

§. I.

An, & quomodo necessaria sit approbatio?

1. APprobatio Confessarii est *authenticum testimonium Episcopi, vel Vicarii ipsius de aptitudine & capacitate Sacerdotis ad audiendas confessiones.*

2. Hanc cuilibet Sacerdoti necessariam esse ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, habetur in Trid. sess. 23. c. 15. *Decrevit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratìs detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quâcunque etiam immemorabili non obstantibus, &c.*

3. Ex quibus infertur primò: Duplicem esse approbationem unam per sententiam Episcopi, vel Vicarii ipsius declarativam capacitatis, quæ plerumque fit prævio examine; alteram per collationem beneficii aut officii habentis annexam curam animarum: qui enim ad ejusmodi officium assumuntur, ipso jure censentur approbati, & idonei ad excipiendas suorum subditorum confessiones. Si tamen beneficium vel officium dimittant, sive priventur, novâ indigebunt approbatione æquè ac alii.

4. Infertur secundò: Hanc approbationem ad audiendas sæcularium confessiones non solùm esse de necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ita ut absque illa invalida sit absolutio Sacerdotis: ita quippe colligitur ex verbis Tridentini, *non posse audire, nec idoneum reputari.* Ideo qui habent privilegium aut licentiam, sibi Confessarium eligendi, non alium possunt eligere, quàm qui sit ab Episcopo approbatus.

Infertur tertiò: Vi Tridentini nihil fuisse constitutum & innovatum circa confessiones Regularium sive virorum, sive fœminarum; unde in ordine ad illas non requiritur approbatio Episcopi, sed sufficit jurisdictio ordinaria, vel delegata: siquidem Concilium expressè loquitur solùm de confessionibus Sæcularium, & Regulares relinquit ordinationi ac dispositioni suorum Prælatorum. Dixi: *Vi Tridentini*: nam exstat Bulla Gregorii XV. data anno 1622. quo incipit: *Inscrutabili DEI providentiâ.* in qua expressè statuitur, ut nullus Sacerdos sive Regularis sive Sæcularis, possit monialium confessiones audire, nisi fuerit ab Ordinario approbatus. 5.

Infertur quartò: Decreto Tridentini comprehendi etiam graduatos Doctores, vel Licentiatos SS. Theologiæ vel SS. Canonum: nam & isti approbationem habere debent, ut possint audire confessiones, prout declaravit Pius V. in Bulla allegata ab Henriq. l. 6. de Sacram. c. 6. quamvis æquitatis ratio (ut cum D. Rassler loquitur Magnif. Wibmperger) postulare videatur, ne quoad scientiam examini subjiciantur; quippe qui sufficienti & publico suæ doctrinæ testimonio ex Academiarum calculo & promotione sunt muniti. 6.

§. II.

Variæ quæstiones de approbatione resolvuntur.

QUæres primò: A quonam Episcopo Sacerdos debeat approbari; siquidem Concilium loquitur indifferenter & in numero plurali, dicens: Sacerdotem debere *ab Episcopis approbari?* 7.

Certum est, Episcopum approbantem debere esse electum, & confirmatum, habentem subditos, quamvis non sit consecratus; quia approbatio, seu juridica sententia de alicujus aptitudine, est actus jurisdictionis, non Ordinis; adeòque competit Episcopo confirmato, non consecrato: quò pertinet etiam Vicarius Generalis Episcopi, utpote ipsius vices gerens, & Capitulum sede vacante, Abbates quoque & Prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem. Quia tamen alius est Episcopus loci, ubi Confessiones excipiuntur; alius Episcopus ipsius Sacerdotis, cui Sacerdos Minister Sacramenti est subditus; alius ipsius pœnitentis, ideo dubitatur, à quonam istorum Sacerdoti conferri debeat approbatio? 8.

Censuit Henriquez l. 3. de pœnit. c. 6. sufficere approbationem cujuscunque Episcopi ex prædictis: sed hinc sequeretur, semel & alicubi appro-

approbatum fore ubivis & in quâcunque diœcesi approbatum, quod mox refutabimus. Censuit secundò Bonacina requiri approbationem ab Episcopo loci, in quo excipiuntur confessiones: sed neque hoc subsistit, cùm Sacerdos suum subditum etiam in aliena diœcesi à peccatis possit absolvere. Alii requirunt approbationem ab Episcopo pœnitentis: sed hinc sequeretur, quòd Sacerdos approbatus in Diœcesi Salisburgensi non posset audire confessionem peregrini ex diœcesi Passaviensi ad se venientis, quod est contra praxin.

8. Respondeo. Requiritur approbatio ab Episcopo proprio ipsius Confessarii, cui nempe confessarius ratione domicilii, vel curæ pastoralis subjicitur. Ita Card. de Lugo, Bonacina, è nostris Doctoribus Clarissimus Oberascher, Wibmperger, Schappetger, Aigner, & communior DD.

Ratio est: quia cùm approbatio sit actus jurisdictionis, exerceri debet in subditum: sed Sacerdos in ordine ad tribunal Pœnitentiæ illi Episcopo est subditus, ubi habet domicilium, & curam pastoralem exercet: ergo ab illo debet approbari.

9. Quæres secundò. An approbatus in una Diœcesi censeatur etiam approbatus in altera, ita ut solâ jurisdictione acceptâ, absque novâ approbatione possit audire confessiones?

Certum est, eos qui curatum obtinent beneficium, absque novâ approbatione ad audiendas confessiones in aliena diœcesi assumi posse? siquidem sunt ipso jure approbati, quod ad fines alicujus diœceseos non adstringitur: de illis igitur procedit quæstio, qui nullo ejusmodi beneficio vel officio sunt instructi. Et

Respondeo. Quamvis in theoria probabile sit, quòd approbatus in una diœcesi, pariter sit approbatus in alia, in praxi tamen tenendum est, quòd approbatus in una, non sit eo ipso approbatus in altera diœcesi. Ita nunc communis.

Ratio primæ partis est præter authoritatem gravium DD. inter quos Coninck, Amicus, Dicastillo, Sangallenses, primò, quòd Tridentinum requirens approbationem nullam limitationem apponat: secundò, quòd authenticum testimonium de alicujus personæ aptitudine per se loquendo non sit alligatum certo loco provinciæ; prout patet in illis, qui in aliquâ universitate ad gradus promoventur: isti quippe ratione publici testimonii suæ doctrinæ ubivis locorum etiam in alienis regionibus habentur idonei ad honores & officia sufficiens doctrinæ testimonium postulatia. Atqui approbatio Episcopi aliud non est, quàm authenticum testimonium de aptitudine Sacerdotis, ut ipsi possit committi jurisdictio sacramentalis; ergo approbatio certo loco, provinciæ, diœcesi non est alligata.

10. Secunda pars colligitur primò ex Tridentino, quòd requirens approbationem ab Episcopis in numero plurali, tacitè indicat, non sufficere approbationem unius, si contingat Sacerdotem diœcesin, & domicilium mutare.

Constat secundò ex declaratione Cardinalium, qui Archiepiscopo Valentino super hoc puncto consulenti responderunt, approbatum ab alio, quàm Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario. Constat tertiò, ex Bulla Urbani VIII. edita anno 1628. die 12. Sept. quæ requirit approbationem ab Episcopis diœcesanis, & examen factum ab Ordinario, revocatis omnibus privilegiis in contrarium. Tertiò ex decreto Alexandri VII. edito 26. Febr. anno 1659. ubi tanquam falsa damnatur sequens propositio: *Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec novâ indigent approbatione.* Quartò ex responso Innocentii X in causa, PP. Societ. JESU cum Episcopo Angelopolitano: *Regulares etiam Societ. J. in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.* Quod ipsum decernit Clemens X. in constitutione, quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias.* Fundamentum à ratione est primò: Actus jurisdictionis Episcopalis limitatur ad fines diœcesis: sed approbatio est actus jurisdictionis Episcopalis: ergo limitatur ad fines diœcesis. Minor probatur: tum quia si approbatio adæquatè spectetur, conjungitur cum licentia & delegatione jurisdictionis ad audiendas confessiones subditorum; tum quia cognitio de aptitudine administrandi Sacramenta suis subditis, pertinet ad curam & officium Episcopale de subditis & creditis sibi ovibus, quæ cuivis Episcopo est peculiaris & propria. Unde etiam in dicasteriis secularium Principum practicatur, ut examinatus in una curia, si ad aliam devenerit, novum suæ doctrinæ specimen præbere debeat, nisi experientia, gestaque officia illum excusent: quia nimirum in diversis locis, provinciis, diœcesibus, diversæ sunt leges, mores & genius subditorum. Secundò: Approbatio potest ab Episcopo ad libitum limitari, ut tenet communis: sed quilibet Episcopus suam approbationem limitat ad fines diœceseos, prout ostendit omnium praxis: ergo ultra propriam diœcesin Episcopi approbatio se non extendit.

Quæres tertiò: An approbatio negari, limitari, revocari possit?

Respondeo primò: Approbatio illimitata non exspirat per mortem concedentis, sed tamdiu durat, donec revocetur. Ratio est: quia juridica sententia sine nova causa non antiquatur: sed approbatio Episcopi est juridica sententia: ergo. 11.

Respondeo secundò: Approbatio ex justa causa potest ab Episcopo tam licitè, quàm validè denegari, limitari, revocari. Ratio est: quia ad curam Episcopi pertinet, ut suis ovibus de idoneis Ministris & Pastoribus provideat: sed hoc fieri non potest, nisi indignis deneget, minùs doctis & dignis restringat ad certa loca, genera personarum, tempus &c. mutatis quoque circumstantiis, ut si approbatus ex morbo, vel senio amisit doctrinam, aut memoriam &c. revocet approbationem.

Respondeo tertiò. Ordinarius injustè & sine rationabili causâ denegans vel revocans approbationem illicitè quidem, sed tamen validè operatur; ita ut injustè repulsus validè non possit absolvere.

Ratio primæ partis est: quia Ordinarius ex justitia tenetur ferre sententiam juxta merita causæ: ergo injustè denegans (idem est judicium, si injustè revocet) approbationem, quæ est juridica sententia de Sacerdotis aptitudine, infert ipsi gravem injuriam.

Ratio secundæ partis est: quia sine verâ reali potestate absolvendi Sacerdos validè non absolvit: sed petitâ non obtentâ approbatione Sacerdos caret verâ reali potestate absolvendi: ergo non obtentâ jurisdictione validè non absolvit. Minor constat: quia petitio approbationis non est approbatio, quam tamen Concilium requirit. Et quamvis Religiosi mendicantes privilegio juris sese sufficienter munitos crediderint, ut in casu injustæ repulsæ licitè ac validè possent excipere confessiones, ex *Clement. dudum. de sepulturis, & alibi*; tamen hanc quoque spem præcidit Alexander VII. condemnans hanc propositionem n. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

ARTICULUS IV.

De Sigillo Confessionis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit Sigillum Confessionis?*
2. *Unde nascatur?*
3. *Quotuplex peccatum committatur per fractionem Sigilli?*
4. *Sitne obligatio Sigilli dispensabilis?*
5. *Quanam confessio pariat obligationem Sigilli?*
6. *Materia, supra quam cadit obligatio Sigilli.*
7. *Quanam personæ obligentur Sigillo Confessionis.*
8. *Extra Confessionem non licet Confessario loqui cum pœnitente de peccatis confessis sine ejus licentia.*
9. *Illicitum est uti notitiâ Confessionis ad gubernationem externam,*
10. *Et actione expressivâ peccati in Confessione auditi.*
11. *Etiam interpres Confessionis obligatur ad Sigillum.*
12. *Quando non sit obligatio Sigilli?*
13. *Confessarius cum juramento negare potest peccatum ex sola confessione cognitum.*
14. *Pœnitenti nulla incumbit obligatio Sigilli.*
15. *Pœnitens aliquando obligari potest ad revelandum peccatum, vel dandam licentiam revelandi.*

§. I.

Exponitur obligatio Sigilli.

1. Sigillum Confessionis appellatur illa obligatio, quâ Confessarius arctissimè obstringitur ad servandum silentium, & secretum de iis, quæ in confessione audivit. De quo

2. Quæritur primò: Undè nascatur illa obligatio Sigilli? Et

Respondeo: Illam nasci ex triplici jure, seu præcepto, nempe naturali, divino, & humano. Ex naturali, quia est juris naturalis servare illæsam famam proximi, & commissa secreta non evulgare. Ex divino, quia confessio est juris divini, quæ per evulgationem peccatorum redderetur intolerabilis & fermè impossibilis. Ex jure humano: quia in *c. omnis utriusque sexûs*, Ecclesia sub gravissima pœna depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio tale secretum Sacerdotibus imponit.

Ex quo sequitur, per fractionem Sigilli committi tria peccata specie distincta. Primò detractionis, propter infamationem proximi; infidelitatis propter evulgationem secreti commissi; ac tertiò sacrilegii contra religionem & reverentiam Sacramenti. Quæ ultima obligatio religionis tanta est, ut non admittat parvitatem materiæ, & semper committatur grave peccatum, nisi forsan inconsideratio & imperfecta deliberatio excuset. 3.

Quæritur secundò. An obligatio Sigilli sit aliquo casu dispensabilis? 4.

Respondeo cum communi DD. Catholicorum; Nullo casu, nec ullius necessitatis & boni communis prætextu esse dispensabilem, & habetur in *c. Sacerdos de pœnit. d. 5.* ubi dicitur, quòd Sacerdos non debeat revelare secretum confessionis *pro quocunque scandalo vitando*. Ratio potissima est: si quo casu, aut prætextu liceret violare secretum confessionis, destrueretur usus & honor Sacramenti: hoc est contra divinam institutionem: ergo & id, ex quo hoc sequitur. Sequela probatur: quotiescunque confitens probabiliter timere potest, ne suum peccatum à Sacerdote reveletur, licitè potest ejus confessionem intermittere: sed si prætextu necessitatis aut boni publici Sacerdoti liceret revelare peccata confitentis, sæpissimè pœnitens timere posset ne confessarius sua peccata revelaret, & consequenter sæpissimè omitteret sua peccata confiteri; unde destrueretur integritas confessionis.

Quæritur tertiò. Ex quanam confessione oriatur obligatio Sigilli? 5.

Respondeo ex sola confessione sacramentali, h. e. ordinatâ ad recipiendam absolutionem & remissionem peccatorum, sive deinde fiat, sive non fiat Sacramentum; sive sequatur, sive non sequatur absolutio; sive confessio sit inchoata & imperfecta, sive etiam perfecta & completa: quia finis istius obligationis est, ne confessio

fessio sacramentalis reddatur odiosa, ideoque non absolutioni, sed confessioni est annexa: fieret autem odiosa, si quibuscunque prædictis modis liceret peccata clavibus subjecta manifestare: ergo.

6. Quæritur quartò. Quænam sit materia, in quam cadit obligatio Sigilli?

Respondeo. Materia, in quam cadit obligatio sigilli, sunt primò omnia peccata mortalia in genere, & in specie, è quorum manifestatione in notitiam personæ confitentis deveniri potest. Secundò omnia peccata venialia in specie, non autem in genere: unde non violaret sigillum, qui diceret, Petrum sibi sua peccata fuisse confessum; quia confessionem sine peccato non fieri, aliunde clarum est. Tertiò, circumstantiæ peccatorum, è quibus in notitiam peccati aliquatenus deveniri potest.

Quartò: Qualescunque inhabilitates aut imperfectiones etiam naturales, vel personales, quæ ratione peccatorum cognoscuntur, ut sunt defectus natalium, irregularitas, impedimentum &c. Quintò: Peccata & defectus complicis, cum cujus revelatione suum peccatum pœnitens manifestavit. Sextò: Ipsa dispositio pœnitentis, ut si careat serio dolore, vel proposito &c. Unde non liceret dicere Sacerdoti, quòd hunc vel illum pœnitentem, sine absolutione dimisisset.

Dixi, *materiam* esse peccata, è quorum manifestatione in notitiam confitentis deveniri potest: nam si in ejus notitiam deveniri non possit: ex relatione casûs auditi in confessione, nulla sequetur fractio sigilli, & sic consilii causâ potest exponi casus aliquis in confessione perceptus, potest Superior conveniri pro licentia absolvendi à casu reservato, &c.

7. Quæritur quintò. Quænam personæ obligentur Sigillo confessionis?

Respondeo. Non tantùm obligari Sacerdotem, sed quemlibet alium, qui peccata eorúmve circumstantias didicit ex confessione ordinata ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita DD. communiter cum S. D. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. qc. 3. & sequitur ex sup. fundamento: quia per qualemcunque ejusmodi manifestationem Confessio sacramentalis redderetur odiosa & inutilis, ideoque semper est intrinsecè mala contra reverentiam hujus Sacramenti.

§. II.

Corollaria practica.

8. INferes ex dictis primò. Neque Confessarium cum pœnitente, nec duos Confessarios inter se (si uterque peccata confitentis audiisset) posse extra confessionem loqui de peccatis auditis in confessione sine licentia pœnitentis expressa, quia peccata educere extra judicium sacramentale & in alienum sermonem inducere, jam est frangere sigillum confessionis. Imò nec licet Confessario proprium peccatum confiteri, si illud sine revelatione alterius peccati in confessione auditi explicare non possit, quia magis obligat sigillum, quàm integritas confessionis.

Dixi, *extra confessionem*, nam intra confessionem potest Confessarius uti notitiâ præcedentis confessionis in bonum & instructionem ipsius pœnitentis, v.g. dehortando à consuetudine vel occasione peccandi, vel manifestando errorem in præcedenti confessione admissum, &c.

Inferes secundò. Non esse licitum Prælato, 9. vel Confessario uti notitiâ confessionis ad externam gubernationem vel directionem pœnitentis, nisi jus & licentiam fecerit ipse pœnitens: prout decrevit Clemens VIII. anno 1593. 26. Maji.

Ratio est: Quòd Confessarius obligetur vi Sigilli ad omissionem omnium actionum, quæ si ponerentur invito pœnitente, redderent ipsi confessionem odiosam & difficilem, quamvis exinde nec directè, nec indirectè revelaretur peccatum pœnitentis. Quæ causa etiam est, quòd non liceat propter notitiam indignitatis & peccati ex confessione desumptam aliquem removere ab officio, vel denegare suffragium in electione, vel parare ipsi insidias, ut in peccato deprehendatur.

Inferes tertiò. Ob eandem rationem non 10. esse licitum ex notitia confessionis uti actione expressiva peccati in confessione auditi, uti si post auditam confessionem denegares Sacramenta, nolles assistere Matrimonio &c. Sed etiamne Sacerdoti, qui ante celebrationem ex complici in confessione audiisset, sibi venenum in calice præparatum, veritum foret fugere, aut abstinere à celebratione Sacri ad tuendam vitam, cùm complices veniant exinde in notitiam peccati confessi? Affirmativam plurimi tuentur; Negativa tamen est Scoti, d. 21. q. 2. a. 2. ad 3. & sat probabilis (quamvis in praxi casus ejusmodi vix detur) eò quòd in illo casu complicibus non manifestetur indirectè ipsum peccatum, sed tantùm confessio illius peccati, quod ipsis aliunde jam est notorium: ast hoc non videtur esse contra obligationem Sigilli, veluti si aliis videntibus à Sacerdote absolvatur publicus usurarius, concubina &c. quilibet præsumit, quòd ista peccata fuerit confessus, sicut in hoc casu machinatores homicidii videntes suum complicem confiteri, facilè possunt conjicere manifestationem criminis concepti, unde tamen Sacerdos non impeditur ab absolutione pœnitentis.

Inferes quartò. Ad servandum Sigillum con- 11. fessionis obligari etiam interpretem, per quem aliquis confitetur. Secundò illos, qui ex clariori locutione pœnitentis ipsius peccata didicerunt: item illos, qui talia peccata à Confessario aut alio sigillum frangente perceperunt. Tertiò, Superiorem, à quo quis petiit absolutionem à reservatis, vel illum, qui schedam, in qua absolutio petebatur, legisset. Quartò Consiliarium, quem de licentia pœnitentis Confessarius pro alicujus dubii resolutione consuluisset.

Non autem obligabitur Sigillo confessionis, 12. qui ante confessionem alicujus peccata in scheda conscripta legisset, vel ex alicujus voce se domi clariùs examinantis audiisset: illa quippe scri-

ptura & locutio non sunt ipsa confessio, sed præparatio ad confessionem; sigilli verò obligatio ex ipsa confessione nascitur. Uti nec illi peccant sacrilegè contra sigillum confessionis, qui extra confessionem aliqua sibi secretò credita (&, ut dicere solent, sub sigillo confessionis) evulgant; ideoque nec censuras & pœnas Canonum incurrunt, quamvis peccent graviter contra sigillum naturale, seu naturalem obligationem secretò commissa non manifestandi.

13. Inferes quintò: Confessarium interrogatum de aliquo peccato pœnitentis, licitè cum juramento respondere, se nescire. Verum enim est, quòd non habeat hujus peccati scientiam utilem & humanam, sed tantùm sacramentalem & inutilem; quòd si tamen diceret, se scire, quòd talis istud peccatum non commisisset, vel confessus non fuisset, haud dubiè mentiretur; quia, etiamsi non habeat scientiam utilem de peccato, non tamen habet scientiam de negatione peccati, vel confessionis.

Inferes sextò. Pœnitentem non teneri ad sigillum confessionis tam respectu eorum, quæ ipse dixit, quàm quæ à Sacerdote audiit: quia Sigilli obligatio est in favorem pœnitentis, cui ipse potest renunciare: nec Sacerdos ipsi concredit aliquod secretum. Per accidens tamen jure naturali tenebitur aliquando celare dicta Sacerdotis, quando videlicet eorum revelatio cederet in ejus derisionem, aliudve præjudicium. 14

Inferes septimò. Pœnitentem aliquando obligari posse ad dandam Confessario licentiam revelandi peccatum in Confessione expositum, veluti si à revelatione peccati vitæ innocentis, aut boni communis conservatio dependeat; hoc quippe casu poterit & debebit absolutio pœnitenti denegari, nisi vel ipse peccatum revelare, vel Confessario licentiam illius revelandi dare velit. Quam tamen si neget pœnitens, Confessarius tenebitur sigillo confessionis. 15

ARTICULUS V.

De probitate, scientia, & prudentia in Confessario requisitis ad licitam administrationem Sacramenti?

SUMMARIA.

1. *Probitas Ministri significat conscientiam expertem peccati.*
2. *Scientia Ministri requiritur ex triplici titulo,*
3. *Judicis, Medici,*
4. *Et Doctoris, seu Pastoris.*
5. *Prudentia est Confessario necessaria ad pœnitentem disponendum.*
6. *Ad instruendum.*
7. *Ad ferendum judicium de neganda, vel differenda absolutione.*
8. *Ad emendandos & supplendos defectus commissos in administratione Sacramenti.*

§. I.

Probitas & scientia Confessarii.

1. UT Confessarius licitè ministret Sacramentum Pœnitentiæ, præter approbationem & jurisdictionem debet esse inprimis instructus bonitate ac probitate, quia sancta sunt sanctè tractanda juxta illud Levit. 11. *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Unde carere debet conscientiâ peccati mortalis; aut si illo se gravatum agnoverit, per præviam contritionem se disponere ad statum gratiæ, priusquam procedat ad Sacramenti administrationem, nisi forte tanta foret moribundi necessitas, ut neque contritionis eliciendæ moram permitteret: quo casu probabile est, Sacerdotem cum conscientia peccati absolventem non peccare, excusante necessitate proximi, quæ etiam baptizantem ob obligatione contritionis, tanquam Ministrum necessitatis excusat.

Alterum Confessarii requisitum est scientia; 2 ratione cujus Confessarius tenetur habere notitiam eorum, quæ ad suum Officium ritè peragendum pertinent; adeòque necessitatem tam jurisdictionis, quàm approbationis, item obligationem sigilli ex auditis confessionibus. Porrò Confessarius triplici munere fungitur, Judicis, Medici, & Doctoris. Ex officio Judicis scire debet primò materiam & formam hujus judicii. Secundò, an habeat requisita ad licitè exercendum hoc judicium, an non fortè sit impeditus aliquâ censurâ vel irregularitate, habeátne sufficientem jurisdictionem? Tertiò: In quænam peccata se extendat ipsius jurisdictio? Unde debet sibi comparare notitiam illorum casuum, qui Judici superiori sunt reservati. Quartò: Debet comparare scientiam, ut possit discernere inter gravitatem, speciem, & numerum peccatorum, quæ communiter à pœnitentibus ad hoc tribunal afferri solent, quænam peccata habeant annexam censuram vel obligationem restitutionis? quænam sint impedimenta Matrimonii, vel debiti conjugalis reddendi aut petendi; quamvis, ut communiter advertunt DD., sufficiat moralis & humana, nec requiratur nimis exacta scientia, & quidem, ut dictum, de casibus communiter afferri solitis, ita ut si graviores occurrant, possit libros aut DD. consulere. Quintò: Debet scire, quæ sint ex parte pœnitentis necessaria, videlicet debitus dolor, propositum, integritas confessionis &c. Sextò: Quales debeat proportionaliter pœnitentias & satisfactiones imponere?

Ex officio Medici requiritur in Confessario, ut sciat prudenter tractare ægrum; præscribendo remedia & dando consilia pro cavendis & evitandis occasionibus &c. quò maximè pertinent tolerantia & dexteritas in formandis interrogationibus.

4. Ex officio Doctoris sive Pastoris scire debet Confessarius, quomodo debeat examinare rudes, instruere ignorantes, respondere interrogantibus, an habeant obligationem voti, impedimenti, censuræ, eorumque obligationes exponere, expedire eorundem scrupulos &c. quamvis, ut priùs dictum, major in hisce scientia non videatur à Christo desiderari in suis Ministris, quàm quæ communiter sufficit, eaque per Magistram experientiam sæpe magis, quàm per longum studium expoliatur.

§. II.

Requisita prudentia in Confessario.

5. PRudentia Confessarii requiritur præcipuè in 4 punctis. Primò in disponendo pœnitente ad debitum dolorem de peccatis, & serium emendationis propositum, si ex ea parte defectum adverterit; unde instructus esse debet quibusdam locis communibus, e. g. terrore divini judicii, repentinæ mortis, æternæ pœnæ, item beneficiis Incarnationis & redemptionis, exemplis Christi & Sanctorum, quorum consideratione movere possit pœnitentem ad condonandas offensiones, deponendas inimicitias, restituenda ablata, ejurandas malas occasiones &c.

6. Secundò requiritur prudentia in instruendo pœnitente. Unde primò si in confessione rudium advertat aliquem defectum circa integritatem debet discretâ interrogatione & examine juvare pœnitentem, ut species, circumstantiæ, & numerus peccatorum integrè innotescat. In doctiorum hominum confessionibus, qui se ipsos possunt, & solent debitè examinare, non est necessaria interrogatio, nisi Confessarius alicujus peccati, vel circumstantiæ necessariæ oblivionem advertat. II. Caveat Confessarius, pœnitenti scrupulos non necessarios generare, aut poenitentias ipsius statui & occupationibus im-errore proportionatas injungere, cúmve in invincibili vel ignorantia alicujus peccati, vel impedimenti constitutum de illo edocere nisi spem habeat, quòd ex sua admonitione fructum sit habiturus: néve non necessariis interrogationibus, præsertim in materia castitatis magis doceat peccare pœnitentem, quàm emendare peccata. Ideo III. Si viderit poenitentem in errore constitutum, ut v. g. putet, contractum esse licitum, qui est illicitus, matrimonium esse validum, quod est invalidum, oportet distinguere, an error sit culpabilis, vel inculpabilis? si culpabilis, omnino admoneri debet poenitens, aliàs relinqueretur in statu peccati, & tam sacrilegè, quàm invalidè absolveretur. Si error est invincibilis, quod exinde colligi potest, si de valore matrimonii, aut liciltate contractûs nullum remorsum, dubium, scrupulum habeat, tunc vel speratur fructus ex manifestatione veritatis vel non speratur, imò potiùs timentur scandala & incommoda. Si primum, admonendus est pœnitens de suo errore. Si secundum, relinquendus est in bona fide, nisi error sit de impedimento dirimente matrimonium primùm contrahendũ aut confessarius de valore matrimonii à poenitente interrogetur: nam si agitur de matrimonio contrahendo, reverentia Sacramenti & evitatio multorum incommodorum regulariter postulant erroris detectionem: sin pœnitens interroget, jam non est amplùs in bona fide & invincibili ignorantia constitutus; ipséque Confessarius tenetur dicere veritatem.

7. Tertiò requiritur prudentia in ferendo judicio, quandonam poenitenti sit neganda, quando differenda sit absolutio? Neganda simpliciter erit, si viderit poenitentem nolle facere debitam restitutionem, nolle deserere proximam peccandi occasionem, nolle servare vota debita, cùm moraliter potest. De dilatione absolutionis recenter movêre quæstionem Theologi quidam Belgæ, quibus adhæret rigoris amans Contensonus, docentes extra casum justæ necessitatis, quam ferè ad articulum mortis restringunt, differri debere absolutionem. Primò, quoties Sacerdos de sufficienti dispositione poenitentis non habet moralem certitudinem, h. e. tantam, quæ excludat omnem prudentem formidinem oppositi. Secundò, Quoties Sacerdos probabiliter timet, ne poenitens relabatur, ideoque de lege ordinaria absolvi non posse, nisi post condignam poenitentiam justo tempore peractam detegatur veritas conversionis. Cui impracticabili & perniciosæ opinioni obviat torrens omnium Theologorum, ac præcipuè S. D. qui in 4. d. 17. q. 3. a. 4. quæst. 5. ad 2. cognitionem de statu poenitentis ita determinat: *Non potest majorem certitudinem accipere, quàm ut credat subdito; quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius: unde in foro confessionis creditur homini & pro se & contra se.* Ex quibus constat, Confessarium prudenter posse formare judicium practicum de absolutione impertienda poenitenti, quoties ex ipsius confessione & signis probabiliter colligit, ipsum habere efficacem dolorem, & serium propositum emendationis: quamvis habeat magnam formidinem de relapsu poenitentis. Si tamen Confessarius speraret, per dilationem absolutionis consuli posse recidivo poenitenti ad meliorem vitam instituendam (quod in frequenti mutatione Confessariorum vix contingit) deberet confitenti differre absolutionem ad tempus, quo ipsum in bono proposito perseverantem agnosceret.

8. Quartò requiritur prudentia ad emendandos defectus, siquos fortè Confessarius in administratione Sacramenti Poenitentiæ commisit. Iique possunt esse triplicis generis. Primò, ut sit defectus circa ipsam substantiam Sacramenti, ut si Sacerdos absolvisset absque competenti jurisdictione, vel approbatione. Quo casu tenetur Sacerdos, si possit sine suo magno incommodo aut scandalo, inducere poenitentem ad iterandam

dam

dam confessionem: si commodè non possit, non tenebitur, eò quòd illa peccata per sequentem confessionem indirectè remittantur, excepto tamen mortis articulo vel periculo, in quo si Sacerdos pœnitentem nulliter absolvisset, v. g. defectu intentionis, tenetur etiam postposito suo incommodo de nullitate confessionis admonere pœnitentem, ne ille sine Sacramenti hujus adjutorio in statu peccati mortalis decedat. Secundò, potest defectus cedere in damnum pœnitentis, vel tertii: ut si Confessarius malè & ex sua culpa lata obligavit pœnitentem ad restituendum, vel deobligavit à restitutione: quo casu Confessarius, si absque gravi incommodo possit, tenetur de errore monere pœnitentem ex obligatione justitiæ.

Tertiò, potest esse defectus circa integritatem materialem, ut si ex negligentia vel respectu humano Confessarius intermisit exquirere circumstantias, speciem, numerum peccatorum: quo casu complures probabiliter docent, Confessarium non obligari ad defectum poenitenti detegendum, eò, quòd iste fecerit confessionem saltem formaliter integram, sitque à peccatis omissis saltem indirectè absolutus. Ita Magnificus P. Wibmperger loc. cit. ubi & notat, priusquam poenitens de ejusmodi defectu admoneatur à Confessario, petendam esse ab ipso licentiam de re ad præcedentem confessionem pertinente cum ipso loquendi.



TRA-

TRACTATUS XIX.

De tribus ultimis Sacramentis EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

AD LECTOREM.

SAcramentorum Novæ Legis sacerrimam heptadem claudunt Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium : quibus nostro quoque Theologico Cursui colophonem imponimus. Prior & Pœnitentiæ proxima ponitur Extrema Unctio, quia licet in extremo vitæ defluentis articulo conferri solita, effectu tamen Pœnitentiæ est quàm simillima, ejusque Sacra quædam appendix, & ut vocat Angelicus Doctor, consummatio. Cætera duo Sacramenta ad bonum commune Sanctæ Ecclesiæ referuntur: nimirum Ordo ad spiritualem, Matrimonium ad carnalem fidelium propagationem. Omnem hanc triadem è Sacramentorum censu heterodoxi expungunt, & quidem duo priora tanquam prophana & vana nomina & Papistarum superstitiones. Matrimonium quidem arridet quàm maximè, ad quod etiam revulsis asceteriorum & parthenonum claustris, calcatâ votorum religione sacras DEO personas invitant, illud tamen Sacramenti nomine & honore mulctant, quò facilior sit vinculi conjugalis solutio, & divortii faciendi licentia.

Contra hos Sacramenti cujuslibet existentiam compendiosè adstruo, & essentiam expono. Tu, Lector benevole, faventem oculum, quo priores Tractatus donâsti, etiam huic postremo Tractatui indulge, measque commentationes æqui bonique consule.

TRACTATUS XIX.

De tribus ultimis Sacramentis EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

DISPUTATIO I.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

NOmine Extremæ Unctionis intelligitur illa unctio, quâ infirmus in extremis positus oleo per Episcopum benedicto sub certa verborum formula à Sacerdote inungitur, ad sublevandam animæ & corporis debilitatem. Diciturque extrema, partim quia confertur homini in extremis posito; partim quia omnium sacrarum unctionum, quas in hac vita Christiani recipiunt, in Baptismo, Confirmatione, Ordinatione, solet esse postrema.

ARTICULUS I.

De existentia & essentia Extremæ Unctionis.

§. I.

Veritas Catholica de existentia & institutione Sacramenti Extremæ Unctionis.

EXpungunt è numero Sacramentorum Extremam Unctionem Novatores, quibus prioribus sæculis præiverunt Armeni & Waldenses, Wicleffus & Thaboritæ: Contra quos firma sit Catholica veritas, &

1. CONCLUSIO I. *Datur in Ecclesia DEI verum Sacramentum Extremæ Unctionis à Christo institutum.* Ita definitum est à Florent. sess. ult. & in Decreto Un. à Trident. sess. 14. de Extr. Unct. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum hominum, anathema sit.* Item cap. 1. *Instituta est autem hæc sacra unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini Fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum: Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, &, si fuerit in peccatis, remittentur ei.* Ex quibus sic probatur conclusio: Signum sensibile stabiliter institutum ad significandam & producendam gratiam in recipiente, est Sacramentum novæ legis: sed ita se habet Extrema Unctio. Nam primò est signum sensibile & actio sensibilis, nempe unctio cum certa verborum forma, prout significatur iis verbis: *Ungentes eum in nomine Domini.* Secundò est stabiliter & permanenter institutum, quia Apostolus absq; restrictione ad certum tempus indeterminatè loquitur de quibuscunque infirmis, cùm dixit: *Infirmatur quis in vobis? &c.* Tertiò habet adjunctã promissionẽ spiritualis effectûs gratiæ ipsâ unctione significati: nempe *oratio fidei salvabit eum, & alleviabit eum Dominus, & si fuerit in peccatis, remittentur ei.* Aliorum Concil. & SS. PP. testimonia pro hoc Sacramento contra hæreticos vide apud Ysambertum hîc. d. 1. a. 1. & 2.

2. Quæres primò: Quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum?

Respondeo ex probabiliori sententia, esse institutum post resurrectionem Christi, postquam Christus Apostolis potestatem tribuit peccata remittendi, *& aperuit illis de regno Dei.* v. 20. Cùm enim hoc Sacramentum sit consummativum Sacramenti pœnitentiæ, ut loquitur Trid. loc. cit. verisimiliùs fuit institutum post Sacramentum pœnitentæ: hoc autem fuit institutum præfato tempore: ergo. Nec refert, quòd Trid. præcitatis verbis dicat, hoc Sacramentum fuisse insinuatum apud Marcum, hoc est c. 6. Marci, ubi Apostoli nondum erant consecrati Sacerdotes: loquitur enim tantùm de insinuatione per modum figuræ & umbræ, quo modo dici potest, Baptismus Christi fuisse insinuatus per Baptismum Joannis.

3. Quæres secundò: Sitne hoc Sacramentum unum?

Respondeo affirmativè cum S. D. q. 29. a. 2. quia licet sint diversæ unctiones respondentes diversis organis sensuum, hæ tamen omnes ad unam perfectam significationem ordinantur, & exiguntur ad perfectionem Sacramenti.

Quæres tertiò: Quanta sit Extremæ Unctionis necessitas?

Resp. Extrema Unctio neq; est necessaria necessitate medii, nec præcepti. Ratio est manifesta: quia nullum exstat de hoc præceptũ, & Ecclesia non minùs suis precibus & suffragiis illos prosequitur, qui sine hoc Sacramento ex hac vita migrârunt, etiamsi illud recipere potuissent, quàm illos, qui hoc Sacramento fuêre muniti. Interim rectè advertit Clariss. D. Maurus Oberascher, posse per accidens in omissione hujus Sacramenti graviter peccari, ut si omissio fiat ex contemptu, vel si ex illa prævideatur grave scandalum, aut vilipensio hujus Sacramenti secutura.

§. II.

Materia remota Extremæ Unctionis.

5. CONCLUSIO II. *Materia remota Extremæ Unctionis essentialiter requisita est oleum olivarum ab Episcopo benedictum.* Ita habetur expressum in Decr. Florent. & in Trid. sess. 14. c. 1. fuitq; hic perpetuus Ecclesiæ sensus. Nec deest ratio congruentiæ: quia juxta D. Gregorium l. 4. in 1. Regum, oleum significat pinguedinem gratiæ, pacis, & tranquillitatis est symbolum ex illo Genes. 8. ubi columba *venit ad eum* (Noë) *portans ramum olivæ virentibus foliis.* Insuper denotat corroborationem ad luctam, nam membra olei unctione roborantur, ideoq; athletæ antiquitus oleo ungebantur, ut essent robustiores ad luctam exantlandam.

6. Cæterùm per τὸ *oleum olivarum* manet exclusum omne aliud oleum è nucibus & amygdalis expressum, quod non est nisi similitudinariè & cum addito oleum. Sed

7. Quæres primò: An sit de necessitate non tantùm præcepti, sed etiam Sacramenti, ut oleum sit ab Episcopo benedictum? Multorum sententia est, dispensatione Sumi Pontif. sufficere oleum à simplici Sacerdote benedictum, & probabile censet Sotus in 4. dist. 7. a. 3. Suar. Cajet. Palud. Victoria, eò quòd Græci defacto ministrent hoc Sacramentum in oleo benedicto per simplicem Sacerdotem, & teste Ysamberto hîc disp. 2. Clemens VIII. an. 1595. concesserit Græcis Sacerdotibus, ut antiquo more oleum benedicerent. Neque videtur hæc potestas benedicendi excedere virtutem characteris Sacerdotis, siquidem simplex Sacerdos est istius Sacramenti Minister ordinarius.

Nihilominus opposita & communior & probabilior, & tanquam tutior in praxi tenenda, quam cum D. Th. q. 30. suppl. a. 5. & 6. tradunt Suar. disp. 40. se. 1. Valent. Bellarm. Conink, Layman, Palao, Salm. Dicast. aliique, quia Concilia æquè dicunt, materiã hujus Sacramenti esse *oleum, & ab Episcopo benedictũ*: unde cum oleũ olivarũ sit de necessitate & valore Sacramenti, non est cur de benedictione Episcopi aliud asseratur. Ad id, quod de Græcis Sacerdotibus opponitur, Respondeo cum Platelio,

Pres-

Presbyteros Græcos hoc oleum benedicere, non authoritate propriâ, sed ab Episcopis per antiquã consuetudinem ipsis tacitè delegatâ: adeòque adhuc esse necessariam benedictionem Episcopi sive per se, sive per Vicarium aut delegatum datam.

8. Quæres secundò: An de valore Sacramenti sit benedictio ab Episcopo facta in ordine ad Extremam Unctionem, adeò ut invalidum foret Sacramentum, si quis ad inungendum infirmum pro oleo infirmorum adhiberet chrisma, in quo oleum prædominatur, vel oleum catechumenorum, aut aliud quodcunque ab Episcopo benedictum?

Respondeo, utramque sententiam esse probabilem, tam affirmantem, quòd sit de valore, quam tenet Aversa, se.2. Palao n. 5. aliique apud Salmant.c.2.p.1. n.9. quàm negantem, quam docet Layman c.2.& colligitur ex Suar. se.1. n.10. & Dicastillo d.1. n.37. Prioris ratio est, quòd per Episcopi benedictionem oleum deputetur, ut sit hujus potiùs, quàm alterius Sacramenti materia: atqui chrisma non deputatur per Episcopum, ut sit materia Extremæ Unctionis, sed Confirmationis. Nec refert, quòd Innocentius I. in ep. ad Decent. materiam hujus Sacramenti *chrisma* appellet, quia utitur hâc voce juxta Græcam acceptionem, in qua genericè quodcunque unguentum significat, à verbo *χρίω*, quod est *ungo*. Ratio posterioris sententiæ est, quia Concilia pro materia Sacramenti plus non requirunt, quàm oleum ab Episcopo benedictum, quale etiam est chrisma, tametsi habeat diversam benedictionem, cujus diversitas potiùs ad ritum accidentalẽ, & præceptũ Ecclesiæ, quàm ad valorem & essentiam pertinet.

Hinc sequitur. Extra casum necessitatis non esse licitum, uti alio oleo, quàm infirmorum, quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis; in casu verò necessitatis, veluti tempore pestis licitam verò applicationem chrismatis, aut alterius olei ab Episcopo benedicti.

Quæres tertiò. Quâ necessitate adhibendum sit oleum eodem anno benedictum?

Respondeo: Necessitate non Sacramenti, sed præcepti. Prior pars est communis omnium, quia nullo jure constat hoc esse ad valorem requisitum. Posterior pars docetur à Bonacina, Diana, Aversa apud Salmant. loc. cit. quia ex præscripto Clementis VIII. chrisma oleumque infirmorum, & catechumenorũ consecratur, & per singulas Ecclesias distribuitur juxta textum in *c. litteris, de consecr. dist. 3.* ut veteri combusto novo uti possimus; cui proinde ritui & præscripto est obtemperandum. Cùm tamen altera quoq; sententia sit probabilis, quæ non agnoscit obligationẽ præcepti, eò quòd jura non ita expressè loquantur de oleo infirmorum, quàm de chrismate; in hoc facilè DD. conveniunt, nullum fore peccatum, si Sacerdos non habens copiam olei præsenti anno benedicti, uteretur oleo, quod præterito anno fuit benedictum.

10. Quæres quartò: Quænam olei quantitas sufficiat ad valorem hujus Sacramenti?

Respondeo: Illam sufficere, quâ infirmus verè unctus denominari possit; unde satis erit, ut Sacerdos extremum digiti (vel in casu contagionis medii instrumenti, vel virgæ) intingat in oleo, eoque liniat partem ungendam. Dicastillo aliique.

§. III.

Materia proxima Extremæ Unctionis.

11. CONCLUSIO III. *Materia proxima hujus Sacramenti est unctio facta in quinque corporis partibus & organis sensuum: videlicet oculis, auribus, naribus, ore, & manibus.* Ita Trident. & Florent. *l. c.* Ratio primæ partis est: quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed actione transeunte significatâ per formam: sed hæc est unctio. Secundò per unctionem aptissimè significatur Spiritûs sancti corroborativa gratia, quâ anima ægrotantis invisibiliter ungitur. Secunda pars, quam usus universalis Ecclesiæ probat, habetur in iisdem Conciliis, ejusque ratio ex S.D. q. 32. a. 5. est: quòd, cùm hoc Sacramentum adhibeatur per modum curationis spiritualis ad tollendas reliquias peccatorum, iis partibus est applicanda, in quibus viget radix peccatorum: hæc autem sunt quinque sensuum organa; nec enim potest peccatum esse in voluntate, quin priùs fuerit in intellectu; nec priùs in intellectu, quàm fuerit in sensu. Porrò licèt Florent. etiam faciat mentionem de unctione renum, seu lumborum, eaque in pluribus Ecclesiis observetur, eam tamen non esse de necessitate materiæ, fatetur citatus S. D. a. 6. eamque propter honestatem in fœminis, &, si quid detrimenti timeatur, etiam in viris prætermittendam esse, habetur in Rituali Romano Pauli V. authoritate edito.

12. Quæres primò: An ad salvandum hujus Sacramenti valorem requiratur quina unctio in quinque partibus, vel an sufficiat unica?

Respondeo: Utrumque esse probabile. Prima sententia docens unam sufficere, pro se habet istas rationes: primò, quòd S. Jacobus in sua epistola tantùm unius unctionis faciat mentionem. Secundò, quòd illa effectum Sacramenti sufficienter significet; præsertim si in adjectione formæ omnes quinque sensus exprimantur. Tertiò, quòd Græci, ut refert Arcadius, adhibeant unctionem ad alias corporis partes, videlicet ad frontem, mentum, & ambas genas. Opposita sententia pro se habet primò universalem Ecclesiæ Latinæ praxin, quâ indicatur, quinam unctionem esse signum essentiale hujus Sacramenti, cui non obstat oppositus usus Ecclesiæ Græcæ: ex eo enim tantùm sequitur, quòd Christus signum expressivum effectûs sacramentalis tantùm in genere determinaverit, particularem verò ipsius determinationem Ecclesiæ reliquerit. Habet secundò authoritatem S. D. hîc q. 32. a. 6. dicentis: Unctionem, quæ fit ad quinque sensus, observari ab omnibus quasi de necessitate Sacramenti. In praxi semper adhibenda est unctio quina, urgente tamen necessitate sufficit ungere unum oculum, aurem, narem, manum, pronunciatâ simul unâ formâ complectente omnes quinque sensus.

13. Quæres secundò: Quomodo inungendi sint moribundi, qui sunt iis membris, ubi aliàs inungendi fuissent, mutilati.

Respondeo cum S.D. hîc a.6. esse inungendos quàm propinquiùs fieri potest; quia, *quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debeatur saltem in radice.*

14. Quæ-

14. Quæres tertiò: Quâ necessitate unctio fieri debeat in forma Crucis, prout præscribitur in c. *Numquid. de consecrat. d. 5.*

Respondeo: Non esse de necessitate Sacramenti, ut fiat in forma Crucis: neque enim Concilia exprimentia materiam & formam Sacramenti, istius ritûs mentionem fecerunt: neque iste ritus facit ad significationem & finem intrinsecum hujus Sacramenti, sicut facit in Confirmatione. Imò secluso contemptu prætermissionem Crucis non esse gravem materiam sufficientem ad mortale, docet Suar. Conink, Layman, aliique.

§. III.

Forma Extremæ Unctionis.

CONCLUSIO IV. Forma extremæ Unctionis consistit in his verbis: *Per istam sanctam Unctionem, & piissimam misericordiam suam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum &c.* (sic ad quemlibet sensum) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.* Ita definitum est in præcitatis Conciliis Florentino & Tridentino, atque desumptum ex verbis Apostoli Jacobi: *Orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum.*

16. Colliges primò: Esse de essentia & valore formæ, quòd sit deprecativa: nec sufficere, si inungens utatur formâ indicativâ, *Ego te ungo.* Ita cum S. Th. q. 29. a. 4. & in 4. d. 13. q. 1. a. 4. quæst. 2. cum D. Bonaventura eâdem dist. communiter D.D. Catholici; & colligitur ex verbis Apostoli: *Orent super eum, & oratio fidei &c.* Rationem congruentiæ dat S. D. quòd specialis effectus hujus Sacramenti sit ablatio reliquiarum peccati, & recuperatio sanitatis præstanda ex Dei misericordia; siquidem infirmi vires sunt impares ad exhibenda opera satisfactoria, ac restitutio sanitatis purè dependet ex beneplacito miserentis Dei; adeòque ad consequendum utrumque effectum opus erat & conveniens adhibere modum deprecativum. Ad quasdam formas in Ecclesiis antiquitus usitatas, quæ videntur habere modum indicativum, respondet D. Th. citatus, illa verba non fuisse recitari solita tanquam formam Sacramenti, sed tanquam dispositionem ad illam: cui postea subjunxerunt formam deprecatoriam ad perficiendum Sacramentum.

Colliges secundò. Præter deprecationem divinæ misericordiæ, probabilius est, etiam esse de necessitate formæ expressionem quinque sensuum: sicut enim ipsa materia non in qualicunque, sed in unctione secundùm quinque sensus consistit; ita etiam talis unctio per formam significari debet.

18. Colliges tertiò: Neque τὸ *sanctam*, neque *per piissimam misericordiam suam*, neque expressionem *Sanctissimæ Trinitatis* esse de necessitate formæ: quippe sine quibus essentialis significatio sufficienter obtinetur; quamvis absque gravi peccato omitti non possent, etsi enim non omnia sint de valore, sunt tamen de præcepto.

19. Colliges quartò: Si necessitas sit tanta, ut timeatur infirmus priùs moriturus, quàm singulis unctionibus singulæ formæ partiales applicentur; posse Ministrum quinque unctiones celeriter perficiendo unicam hanc formam cum quinque sensuum expressione adjungere: *Per istam vel istas sanctas unctiones & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum: in nomine Patris &c.*

20. Colliges quintò: Hoc Sacramentum rectè sic definiri posse: *Est Sacramentum novæ legis ex sacra unctione & prece Sacerdotis confectum, ad salutem mentis & corporis hominis infirmi à Christo institutum.*

ARTICULUS II.

De effectu, subjecto, & Ministro Extremæ Unctionis.

§. I.

Effectus Extremæ Unctionis.

1. CONCLUSIO I. *Effectus primarius Extremæ Unctionis est augmentum gratiæ habentis jus ad specialia auxilia corroborantia contra difficultates mortis, ut nimirum infirmus debilitatem ad operandum bonum tum ex metu mortis provenientem vincere, tentationes dæmonis superare, & in spem divinæ misericordiæ erigi possit. Secundarius effectus est remissio tam mortalium, quàm venialium, ex suppositione, quòd necdum sint remissa, & ex consequenti remissio pœnæ temporalis. ac tertiò sanitas corporalis, si expediat ad salutem.*

Omnes isti effectus indicantur à Florent. in Decr. Eugenii, & in Trid. loc. cit. c. 2. & colligitur ex adductis verbis Apostoli, è quibus sic probatur prima pars conclusionis. Effectus primarius Sacramenti est ille, qui per se primò significatur, & absolutè confertur; sed gratia alleviativa, hoc est, corroborativa infirmi per se primò significatur & absolutè ac infallibiliter non ponenti obicem confertur: ergo. Min. prob. Effectus hujus Sacramenti à Jacobo Apostolo enumerati sunt, alleviatio infirmi, remissio peccatorum, & salvatio corporalis: sed in his neque remissio peccatorum, neque salvatio corporalis primariò significatur: non remissio peccatorum, tum quia tantùm sub conditione confertur iste effectus, si nempe contingat infirmum esse tantùm attritum, & habere peccata mortalia nondum remissa; tum quia ad remissionem peccatorum non ipsa Extrema Unctio, sed Sacramentum Pœnitentiæ est per se primò institutum: unde hoc Sacramentum non est mortuorum, sed vivorum. Non etiam primariò significatur sanitas corporalis; quia non est effectus absolutus infallibiliter conferendus, sed tantùm conditionatus fallibiliter conferendus, si videlicet prosit ad animæ salutem. Restat ergo, ut primariò significetur alle-

alleviatio, hoc est, gratia corroborativa infirmi: Neque contrariatur S. Doctor, cùm dicit, primarium effectum esse, reliquias peccatorum abstergere, hoc enim nomine non tantùm veniunt peccata venialia vel mortalia nondum remissa, sed etiam torpor & dejectio animi, qui tum originalis tum actualium peccatorum solet esse effectus.

2. Secunda quoque & tertia pars inde liquent, quòd istorum quoque effectuum fiat expressa mentio in præallegatis verbis S. Jacobi: nam *salvabit infirmum, &c.* significat salutem non tantùm spiritualem, sed etiam corporalem; *Si in peccatis sit, remittentur ei*, significat remissionem peccatorum, si illis infirmus fuerit obstrictus: prout etiam exprimitur in Trid. *si qua sunt expianda*, & in verbis formæ, *quicquid deliquisti.* Ex quo rectè Suar. & Conink cum communi D.D. deducit primò, quamvis Extrema Unctio tanquam Sacramentum vivorum per se primò conferat augmentum gratiæ *allevianti*s & corroborantis infirmum, tamen etiam per se secundò & consequenter tribuere gratiam primam, si in homine attrito, adeòque non ponente obicem, mortale peccaum invenerit, per pœnitentiam necdum expiatum.

Deducunt secundò: Hanc primam gratiam justificationis remissivam peccati mortalis per Extremam Unctionem conferri non ex sola generica ratione Sacramenti, prout ab aliis Sacramentis vivorum conferri probabiliter diximus in Tr. de Sacram. In gen. sed ex specifica ratione & institutione, quamvis non primariâ, sed secundariâ & consecutivè, cùm ex verbis D. Jacobi constet, etiam ad remissionem peccatorum institutum fuisse.

3. Quæres primò. Quandonam hoc Sacramentum suum producat effectum?

Respondeo Primarium effectum, uti & remissionem peccatorum produci in eo instanti, quo ultima unctio, & forma eidem correspondens completur, tunc enim etiam Sacramentum completur in ratione signi adæquati: adeòque infunditur gratia, &, si qua adsint peccata sine obice remittuntur.

IV. Quæres secundò. An hoc Sacramentum possit esse validum & informe, ita ut recedente fictione conferat suum effectum?

Respondeo affirmativè cum Paludamo, Suar. Valent. Palao, & communi DD. quia Sacramenta, sive absolutè, sive pro certo tempore & statu initerabilia, absque aliquo substantiali defectu & cum solo obice, seu defectu dispositionis in recipiente suscepta, remoto obice, & positâ sufficienti dispositione, vel physicè (si imprimunt characterem) vel moraliter producunt suum effectum, ne subjectum totaliter Sacramenti fructu privetur: sed Sacramentum extremæ unctionis est initerabile durante eodem morbo: ergo ne infirmus totaliter privetur fructu Extremæ Unctionis, si illam sine debita dispositione & cum obice suscepit; Extrema Unctio remoto obice, & positâ dispositione non tantùm intra tempus morbi, sed, ut probabiliter docent Suarez, Palao, Aversa, etiam finitâ infirmitate producit effectum, saltem principalem gratiæ; nam auxilia specialia, quæ tempus morbi concernunt, verisimilius est non conferri recuperatâ sanitate, ut tradit cit. Suar. disp. 41. n. 24.

§. II.

Subjectum Extremæ Unctionis.

5. CONCLUSIO II. *Subjectum capax istius Sacramenti est solus homo baptizatus, adultus, & infirmus, de quo præsumi possit, aliquando personaliter peccâsse.* Ita constat tum ex epistola D. Jacobi, tum ex Concill. citatis. Dixi primò, *Baptizatus*: quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum: Extrema quoque Unctio tanquam consummativa Pœnitentiæ videtur præsupponere capacitatem ipsius Sacramenti Pœnitentiæ. Dixi secundò, *adultus*: hoc est, qui liberi arbitrii usum consecutus aliquandò peccavit, vel (ex quorundam sententia) peccare potuit. Ac tertiò *infirmus*; hoc est, in morbo habente annexum mortis periculum constitutus. Quamvis non sit necessariò expectandus supremus mortis articulus, & multò consultius, atque ad percipiendum fructum Sacramenti longè utilius sit, hoc Sacramentum sensibus integris recipere. Dixi quartò, *de quo præsumi possit* &c. quia primarius effectus hujus Sacramenti est tollere reliquias peccatorum; unde, ubi nullum est peccatum, aut reliquiæ peccatorum priùs expositæ, non est capacitas recipiendi Sacramentum Extremæ Unctionis. Ratio est: quia in istis solùm verificari potest effectus primarius, & forma Sacramenti, qui est dare gratiam alleviativam priori §. explicatam. Idcirco hoc Sacramentum non potest conferri infantibus aut pueris Sacramenti pœnitentiæ nondum capacibus, nec perpetuò amentibus, neque sanis, quantumvis mox supremo supplicio afficiendis. Ut habet cit. S.D. q.32.

6. Quæres primò. Quandonam hoc Sacramentum iterari possit?

Respondeo. Durante eodem morbo iterari non posse; mutato autem morbo, vel statu morbi iterari posse. Prima pars habetur in Trid. c. 3. & ratio præter Ecclesiæ praxin & definitionem est: quia durante eodem morbo continuatur practica significatio hujus Sacramenti, ideoque frustrà reiteraretur. Secunda pars inde constat, quòd morbus non aliâ ratione in subjecto hujus Sacramenti prærequiritur, quàm quatenus habet adjunctum periculum mortis: igitur hoc statu variato, si morbus de periculoso in non periculosum, & ex isto rursus mutetur in periculosum, fructosè & cum novâ significatione practicâ ad superandas instantis mortis angustias recipietur hoc Sacramentum. Atque ita tenet praxis Ecclesiæ.

7. Quæres secundò. An Beatissima Virgo acceperit Sacramentum Extremæ Unctionis?

Affirmant Suarez. Filliucius, Reginaldus, Negativa videtur præferenda, quam tenent Paludanus, Nunnus, Victor, Leander. Salmantic. quia Sacramentum Extremæ Unctionis est complementum Sacramenti Pœnitentiæ, ejusque

que præcipuus est effectus, abstergere peccatorum reliquias: Cùm igitur Beatissima Virgo per extrinsecam impeccabilitatem non fuerit peccati, & Sacramenti Pœnitentiæ capax, tamque munda, ut frustrà in illa *Scopa Lazari quæreretur*, neque Sacramentum Extremæ Unctionis recepisse veri similius est.

§. III.

Minister Extremæ Unctionis.

8. CONCLUSIO III. *Validè hoc Sacramentum ministrat omnis & solus Sacerdos: licitè verò tantùm Sacerdos proprius, aut alius cum illius facultate.* Prima pars constat ex verbis D. Jacobi, *Inducat presbyteros*, ex quibus Sacerdotes esse intelligendos definit Florentinum & Tridentinum sess. cit. can. 4. his verbis; *Siquis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum ungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores, &c. ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.* Secunda pars inde constat, quòd conferre Sacramenta sit Pastoris officium, qualis non est nisi Sacerdos proprius. Unde graviter peccat, qui sine ipsius expressâ vel tacitâ licentiâ illud confert: & si Religiosus exemptus fuerit, insuper excommunicationem incurrit, si hoc Sacramentum sæcularibus ministraverit, juxta *Clement. 1. de Privileg.*

9. Quæres primò. Quæ sit obligatio ministrandi hoc Sacramentum?

Respondeo. Parochum sub mortali esse obligatum ad ministrandum hoc Sacramentum rationabiliter & debito tempore illud petentibus, si sine suo gravi incommodo ministrare potest: nam Parochus ratione sui pastoralis officii ex justitia obligatur ministrare suis ovibus remedia pro ipsarum salute à Christo Ecclesiæ relicta; inter quæ etiam est Extrema Unctio. Quòd si verò ex administratione hujus sacramenti parocho immineret probabile periculum vitæ, uti tempore pestis, esset excusatus ab illo conferendo, præsertim, si ex ipsius morbo & morte alii destituerentur necessariis sacramentis: neque enim hoc sacramentum est ita de necessitate medii vel præcepti, ut alia sacramenta.

10. Quæres secundò. An omnes quinque unctiones ab uno tantùm sacerdote, vel à pluribus etiam fieri possint?

Respondeo. In casu necessitatis, cùm Sacerdos deficeret in absolvendis unctionibus, posse & debere ab alio Sacerdote absolvi reliquas unctiones, uti Missa deficiente Sacerdote ab alio continuari & absolvi debet: cùm enim ipsæ unctiones non nisi ordinis unitatem inter se habeant, etiam non requiritur stricta unitas Ministri, præsertim cùm etiam in pluralitate Ministrorum verba suam integritatem essentialem retineant: Non tamen posset unus applicare materiam, & corpus inungere, atque alius pronunciare formam. Ita Suar. d. 43. se2. Bonac. Palao, alique.

11. Quæres tertiò. An Sacramentum Extremæ Unctionis sit unum specie atomâ?

Respondeo affirmativè: quia singulæ unctiones concurrunt ad unam adæquatam significationem Sacramenti: quod maximè verum est in sententia affirmante, quòd omnes quinque unctiones pertineant ad valorem Sacramenti; tunc enim ne particularis quidem effectus Sacramenti confertur, priusquam completa sit postrema unctio.

Et hæc de Extrema Unctione.

DISPUTATIO LI.

De Sacramento Ordinis.

POstquam egimus de Sacramentis, quibus homo in se ipso perficitur, nunc tractandum est de Sacramentis, quibus homo perficitur in ordine ad totam communitatem, eaque sunt, Ordo & Matrimonium. Nomine autem Ordinis hoc loco intelligitur certus gradus & potestas Clericorum ad specialia officia Ecclesiastica consecratorum: cùm enim juxta Apost. Rom 13. *quæ à Deo sunt, ordinata sint*, maximè oportuit, Ecclesiam Dei, quam Christus ædificavit è sanguine suo, & quæ prædicatur *pulchra, tanquam castrorum acies ordinata*, graduum Ecclesiasticorum ordine esse decoratam. Cæterum significatum Ordinis, vel accipitur passivè, vel activè, passivè est ipsa potestas & gradus prædictus ministerii Ecclesiastici, quo sensu dicitur aliquis habere Ordinem Presbyteratûs, Diaconatûs, &c. Activè est ipsa ordinatio & consecratio, hoc est, sacra quædam cæremonia, quâ alicui peculiaris potestas traditur ad munia Ecclesiastica ritè obeunda, de qua hoc loco quærimus, an vel quomodo rationem Sacramenti obtineat? & quoad Theologo Scholastico sufficit, resolvimus.

ARTI-

ARTICULUS I.

An, quid, & quotuplex sit Sacramentum Ordinis?

§. I

Veritas Catholica de institutione & existentia Sacramenti Ordinis.

1. CONCLUSIO I. *Datur in Ecclesia Dei Sacramentum Ordinis à Christo institutum.* Ita Trid. sess. 23. c. 3. & Can. 3. Ratio ex authoritate script. deducta est primo: Actio sensibilis causativa gratiæ ex institutione divina est Sacramentum: sed sacra Ordinatio est quædam actio sensibilis eaque stabilis & permanens & causativa gratiæ: ergo. Minor habetur 2. Tim. 1. ubi Apostolus dicit: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ubi impositioni manuum (quâ juxta Trident. significatur ritus S. Ordinationis) tribuitur effectus gratiæ sanctificantis. Item 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* De quo Ambros. l. de dign. sacerd. c. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* Act. 6. habetur, Apostolos S. Stephano, Philippo, aliisque manus imposuisse, cùm ipsos Diaconos renunciaverunt, Act. 13. accepto Dei mandato: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quos assumpsi eos,* iisdem *manus impositas,* & sic ad apostolicum ministerium fuisse dimissos. Act. 20. inquit Paulus: *In quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.*

Probatur secundò. Sacerdotium antiquæ legis, fuit sacramentum: ergo multò magis sacerdotium novæ legis: quia uti sacrificium, ità & sacerdotium novæ legis debet esse perfectius sacerdotio antiquæ legis. Antec. verò prob. quia Ordinatio Sacerdotum in lege veteri fuit cæremonia externa permanenter instituta, significativa gratiæ, & legaliter sanctificans, quod sufficit ad rationem sacramenti.

Probatur tertiò authoritate antiquorum PP. S. Ignatius ep. ad smyrnens. *Omnes Episcopum sequimini, sicut Christus Jesus Patrem, Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini, sicut Dei mandato ministrantes.* Concil. Ancyranum an. 348. celebratum c. 13. dicit: *Chorepiscopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare, &c.* S. August. contra Parmen. c. 13. *Ipsi explicent, quomodo Sacramentum Baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit omitti.* Ibidem: *Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, &c.*

2. Quæres primò. Quandonam institutum sit hoc sacramentum?

Respondeo. Partim ante, partim post resurrectionem; quia juxta Trident. Christus in ultima Cœna Apostolos ordinavit Sacerdotes, conferendo illis potestatem consecrandi per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Post resurrectionem verò, quia tunc illis contulit potestatem remittendi peccata. Nec refert, quòd Christus non adhibuerit istos ritus, de facto ab Ecclesiâ adhiberi solitos, & quòd de singulis Ordinibus in S. Script. non fiat mentio: Christus quippe sacramenta conferre poterat per potestatem excellentiæ: multa quoque per Traditionem accepimus, quæ per Apostolos & Evangelistas scripto non sunt commissa.

3. Quæres secundò. Quid sit Sacramentum Ordinis?

Respondeo. *Est Sacramentum novæ legis, quo confertur potestas ad exercendas functiones ad sacrum Altaris ministerium pertinentes.* Ubi differentia istius à reliquis Sacramentis novæ legis est, quòd sit collativum spiritualis potestatis; non qualiscunque (nam etiam character per Baptismum & Confirmationem impressus est quædam potestas spiritualis) sed ad exercendas functiones ad S. Altaris ministerium pertinentes; hoc est, vel consecrandi S. Eucharistiam, ut in sacerdotio; vel inserviendi Sacerdoti consecranti, vel propiùs, uti fit per majores, vel remotiùs, uti fit per Ordines minores: ac tandem sacramenta ministrandi, & mysticum corpus Christi gubernandi: nam & hæc ad ministerium altaris pertinent; cùm omnia sacramenta quandam ad illud subordinationem & relationem habeant; tum maximè potestas gubernandi corpus Christi mysticum, quo & confertur potestas conficiendi & dispensandi, & disponendi ad verum Christi corpus recipiendum.

§. II.

Numerus SS. Ordinum.

4. CONCLUSIO PRIMA. *Septem sunt Ordines, nempe Sacerdotum, seu Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Ostiariorum, Exorcistarum, & Lectorum.* Ità enumerat Florent. in Decreto, & Trident. sess. 23. c. 2. Habetur quoque idem numerus expressus in ep. D. Ignatii M. ad Antioch. & Cornelii Papæ ad Fabium Antioch. relatos apud Gonet hic d. 2. a. 1. §. 1. & Cottonum c. 58. qui numerus etiam reperitur expressus in Codice Justinianæo l. 1. tit. 3. l. 6. ubi Valentinianus, Valens & Gratianus Augusti Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores Exorcistas, Ostiarios & Acolythos civilium omnium munerum expertes esse præcipiunt.

Ratio istius septenarii è S. D. est: quòd cùm Sacramentum Ordinis definiatur per ordinem & relationem ad Sacramentum Eucharistiæ; ideo secundum diversam relationem ad illud, accipitur quoque diversitas & numerus SS. Ordinum: vel ergo Minister ordinatur ad ipsam consecrationem Eucharistiæ, & sic constituitur Ordo sacerdotii, vel ad ministrandum Sacerdoti circa consecrationem & dispensationem Eucharistiæ; idque fit vel immediatè ministrando ac defe-

deferendo ipsum corpus ac sanguinem Christi, & hoc pertinet ad Diaconum; vel mediatè, ordinando materiam Eucharistiæ in vasis sacris, & hoc pertinet ad Subdiaconum; vel tertiò eandem materiam præsentando & præparando in vasis non sacris, ac luminaria accendendo, & hoc est munus Acolythi; vel quartò ad dignam dispensationem Eucharistiæ cooperando, quod fit primò arcendo & excludendo infideles, & indignos, quod est officium Ostiarii. Deinde instruendo rudes, qui mysteriis fidei nondum sunt sufficienter instructi, nempe Catechumenos, quod pertinet ad Lectores; ac demum Fideles à dæmonis obsessione impeditos liberando, quod fit per Exorcistas. Ex quo habetur septenarius numerus SS. Ordinum.

5. CONCLUSIO SECUNDA. *Quilibet ex memoratis Ordinibus est verum Sacramentum.* Ita colligitur ex citatis Conciliis, quæ cùm absolutè affirmâssent, Ordinem esse Sacramentum, eundem dividunt in septem Ordines absque ulla exceptione aut limitatione. Accedit communis Ecclesiæ & DD. consensus.

Ratio est: quilibet ex prædictis Ordinibus habet suam determinatam materiam & formam, & imprimit characterem: ergo quilibet est Sacramentum. Conseq. patet: quia character effectus est Sacramenti. Antec. prob. quilibet Ordo ex vi consecrativæ benedictionis, est irreiterabilis: ergo quilibet imprimit characterem; nec enim est major ratio de uno, quàm de altero. Hinc

6. Colliges primò. Ordines dividi in sacros & non sacros, non eo sensu, quòd aliqui sint, aliqui non sint sacramenta: sed tres primi Ordines dicuntur sacri, quia habent annexum votum solenne perpetuæ continentiæ: non sacri econtra dicuntur, quatuor posteriores; quia non adimunt initiatis libertatem ad statum sæcularem & nuptias transeundi. Ita etiam primi tres dicuntur Ordines majores, tum ob prædictam rationem; tum quia proximè accedunt ad ministerium altaris; cæteri quatuor dicuntur minores, eò quòd remotiùs altari deserviant.

7. Colliges secundò. Primam tonsuram non esse Ordinem & Sacramentum, sed, ut inquit S. D. quoddam *præambulum Ordinis.* Nam Tridentinum cit. sess. illam manifestè secernit ab omnibus Ordinibus: nec aliàs septem Ordines rectè enumerâsset. Per primam quoque tonsuram nullus initiatur ad certum officium, nec accipit aliquam spiritualem potestatem, sed tantùm assumitur in sortem & statum Clericorum, atque ad divinas laudes deputatur: quod est aliquid prævium ad susceptionem SS. Ordinum. Ideo, siquando SS. Canones primam tonsuram vocant Ordinem, ly *Ordo* sumitur in valde generali acceptione pro statu & gradu Clericali & Ecclesiastico, non autem pro Sacramento.

8. Colliges tertiò. Contra Lutheranos & Calvinistas, non eo ipso, quòd aliquis sit Christianus, etiam esse Sacerdotem; cùm sacerdotium non conferatur, nisi per specialem consecrationem & Ordinationem: *Nec quisquam* (inquit Apostolus Heb. 5. loquens de sacerdotio) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron,* unde & in antiquo testamento Rex Ozias leprâ fuit punitus, cùm sacerdotale officium incensum adolendo usurparet. Nec refert, quòd D. Petrus ep. 1. c. 2. v. 9. ad omnes Christianos dixerit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium:* nam & hæc verba ad Israelitas omnes etiam Moyses dixerat, nec tamen omnes erant sacerdotes, ut constat ex supplicio Abiu, & Oziæ: unde tantùm significatur, quòd is honor electo populo divinitus obtigerit, ut in illo reperiatur regale sacerdotium.

§. III.

An Episcopatus sit octavus Ordo?

9. CONCLUSIO. *Episcopatus est verissimum Sacramentum Ordinis, ut tamen non sit Ordo adæquatè distinctus ab Ordine sacerdotii.* Ita communis.

Prima pars sufficienter constat primò ex Tridentino sess. 23. de Reform. c. 4. ubi Episcopatum inter alios Ordines numerat, & dicit, Episcopos præcipuè ad Ordinem hierarchicum pertinere, & esse Presbyteris superiores: insuper consecrationem Episcoporum vocat benedictionem, eamque ab ordinatione sacerdotum discriminat. Secundò SS. PP. Leo & Gregorius M. apud Ysambert. hîc benedictionem Episcopalem sacramentum appellant. Tertiò textus Apostoli, è quibus Tridentinum contra hæreticos probat Sacramentum Ordinis, communi expositione loquuntur de Episcopatu. Quartò quia non minùs in consecratione Episcoporum, quàm Sacerdotum præter impositionem manuum dicitur: *Accipe spiritum S.* quæ verba significant collationem gratiæ sanctificantis. ac quintò: quia per consecrationem Episcopo confertur nova potestas relata ad consecrationem Corporis Christi, nempe potestas consecrandi Sacerdotes, adeòque in ipsos influendi potestatem & virtutem Eucharistiam consecrandi. Item confertur potestas consecrandi materiam Confirmationis & Extremæ Unctionis, ipsumque Sacramentum Confirmationis conficiendi, quæ Sacerdotibus ordinariè saltem nec validè quidem competit.

10. Secundæ partis ratio est: quia Episcopatus essentialiter includit Ordinem sacerdotalem; ita ut isto non præsupposito Episcopus validè ordinari non possit, quod signum est, Episcopatum non esse Ordinem à sacerdotio adæquatè distinctum. Confirmatur primò. Si Episcopatus esset à sacerdotio adæquatè distinctus, esset ipso inferior, siquidem potestas Confirmandi & Ordinandi est ignobilior, quàm potestas consecrandi Corpus Christi, quæ Sacerdoti est propria: consequens autem repugnat doctrinæ Tridentini & Ecclesiæ Catholicæ, secundùm quam primus gradus in Hierarchia Ecclesiastica est Episcoporum, juxta textum cit. Apostoli: *Posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Secundò. Non esset ratio, quare non valeret Episcopatus ante Presbyteratum susceptus,

ptus, siquidem valet Presbyteratus ante Diaconatum, & Diaconatus ante minores Ordines susceptus; eò quòd sint Ordines à se mutuò adæquatè distincti.

11. Colliges primò. Episcopum jure divino esse superiorem simplici Sacerdote, quia ex institutione Christi, adeòque jure Divino Episcopus præter characterem sacerdotalem habet potestatem confirmandi & Ordinandi Sacerdotes; adeòque vi sacri Ordinis potitur jurisdictione saltem radicali in ipsos Sacerdotes, iique in suâ potestate consecrativa & absolutiva ab Episcopali charactere dependent.

12. Colliges secundò: Episcopatum fuisse à Christo institutum probabiliter post resurrectionem, quando Christus Jo. 20. ad Apostolos dixit: *Accipite Spiritum S. sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*: tunc enim ipsos pastores constituisse, & potestatem Episcopalem tribuisse videtur.

13. Colliges tertiò. Connexionem SS. Ordinum poscere, ut inferior suscipiatur ante superiorem, non quidem necessitate Sacramenti, unde valeret sacerdotium susceptum ante Diaconatum, ut cum D. Th. in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. q. 5. communiter docent DD., sed necessitate præcepti Ecclesiastici, quo Clericus per saltum promotus manet suspensus ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset, ut Ordinem prætermissum suscipiat, & priùs acceptum exerceat. *c. un. de. Cler. per salt. promoto.*

§. IV.
Solvuntur objectiones.

14. Objicies primò. Si quilibet Ordo sit Sacramentum, jam non tantùm erunt septem, sed tredecim Sacramenta: sed hoc est contra communem sensum fidelium. Seq. patet: nam sunt septem Sacramenta Ordinis, & præter illa sex alia: sed sex & septem conficiunt tredecim: ergo.

Respondeo neg. seq. Quia omnes Ordines dicuntur unum Ordinis Sacramentum propter unitatem finis & subordinationis ad consecrationem Corporis Christi, quantumvis singuli sint specialia & distincta signa gratiæ, imprimentia distinctos characteres.

15. Objicies secundò. Si Diaconatus esset Sacramentum, tunc haberet materiam à Christo determinatam: sed hanc non habet; quia de facto ipsius materia est traditio libri Evangeliorum, quæ tamen in primitiva Ecclesia, priusquam Evangelia essent conscripta, haberi non poterat.

Respondeo: Materiam tam Diaconatûs, quàm aliorum Ordinum à Christo fuisse in genere determinatam. Unde tempore Apostolorum materia Diaconatûs poterat esse sola manuum impositio, prout de facto est apud Græcos.

16. Objicies tertiò: Subdiaconatus olim non erat Ordo sacer, ut habetur in *c. nullus. dist.* 60. & poterat à Chorepiscopis conferri, qui tamen erant Sacerdotes simplices inidonei ad conferendum Ordinis Sacramentum, ut habetur in ep. 5. S. Damasi; ergo non est speciale Ordinis Sacramentum.

Respondeo cum Bellarmino, fuisse duplicis generis Chorepiscopos; aliqui similes nostris Episcopis Titularibus & Suffraganeis, qui verè habebant Ordinem Episcopalem, ideoque poterant ordinare Subdiaconos; de quibus intelligendus est textus S. Damasi: alii tantùm erant simplices Sacerdotes, & quasi Vicarii Episcoporum, qui non poterant Subdiaconos ordinare. Cæterùm, quòd Subdiaconatus olim non fuerit Ordo sacer, non ideo est, quòd non fuerit Signum sacrum, sed quia non habebat annexum solenne votum continentiæ, prout antè dictum.

17. Objicies quartò. Cùm plures actiones ordinantur ad unum effectum spiritualem, illa sola habet rationem veri Sacramenti, quæ illum effectum attingit; sic enim exorcismus ablutioni baptismali præmitti solitus non est Sacramentum, quia non attingit effectum Baptismi: sed præter Ordinem sacerdotalem nullus attingit effectum principalem Sacramenti Ordinis, nempe consecrationem Corporis Christi: ergo nullus alius Ordo est propriè dictum Sacramentum.

Respondeo distinguendò majorem. Actiones præviæ, quæ non attingunt principalem effectum Sacramenti, non habent rationem veri Sacramenti, si tantùm habeant disponere subjectum, concedo; si conferant gratiam Spiritûs S. & potestatem intrinsecam aliquid supernaturale operandi, nego maj. Sed sola Ordinatio Sacerdotis attingit principalem effectum, ita tamen, ut præviæ Ordinationes non merè disponant subjectum, sed conferant gratiam, & potestatem intrinsecam spiritualem sacras functiones exercendi, concedo; secus, nego min. & consequentiam.

ARTICULUS II.

De materia & forma SS. Ordinum.

§. I.
De materia & forma SS. Ordinum in communi.

1. Quæres primò: Quid sit materia & forma SS. Ordinum in communi?

Respondeo: *Materia S. Ordinis est id, per quod Ordo ab Episcopo confertur, & forma sunt verba, quibus significatur potestas, quæ per S. Ordinationem communicatur.* Ita D. Th. q. 34. a. 4. & 5. ex Concil. Florent. in instruct. Armen. Cùmque alia sit materia proxima, alia remota; remota est res illa, quæ traditur, v. g. liber Evangeliorum in Ordinatione Diaconi; proxima est ipsa traditio rei ab Episcopo facta. Ratio est primò institutio Christi à Conciliis P. P. & perpetuo usu ac traditione agnita. Secundò: quia per ejusmodi rei traditionem, & verba exprimentia potestatem circa ministerium Altaris significatur præcipuus effectus

hujus Sacramenti, qui non est tantùm conferre gratiam, sed etiam usum eucharisticæ potestatis: unde dicitur: *Accipe potestatem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum.* unde sola illa verba sunt de essentia formæ, quæ exprimunt potestatem, alia, ut *in nomine Patris, & Filii, &c.* sunt accidentalia.

2. Quæres secundò: An Christus materialiter & in individuo determinaverit materiam & formam SS. Ordinum, sicuti in Baptismo & Confirmatione?

Respondeo: Non determinâsse materialiter & in individuo, sed determinatione formali & in specie, id est, rem & verba idonea ac proportionata ad significandam potestatem, quæ per characterem tribuitur, relinquendo Ecclesiæ arbitrio, ut pro diversitate temporum & locorum, hæc vel illa signa in particulari determinaret. Sic Conink, Lugo, Dicastillo, Palao, Salmantic. Atque hoc ostendit Ecclesiæ praxis: nam in Ecclesia Græca etiam illi, qui Romæ vivunt, vidente & consentiente Pontifice, Presbyteros & Diaconos ordinant solâ manuum impositione, & in Ordinatione Sacerdotis Episcopus hâc formâ utitur: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat; &, quæ desunt, supplet, creat seu promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum:* Oremus &c.

Quæres tertiò: Cur forma SS. Ordinum proferatur modò imperativo *Accipe potestatem, &c.* non indicativo, ut in aliis Sacramentis.

Respondeo: Quia forma debet significare traditionem facultatis concessæ tanquam Ministro publico in Ecclesia; ejusmodi porrò concessiones fieri solent imperativo modo etiam in foro politico, ubi sceptrum, gladius, claves, sigillum &c. traduntur.

4. Quæres quartò: An contactus physicus materiæ traditæ requiratur de necessitate Sacramenti?

Non esse necessarium ad valorem Sacramenti, ut ordinandi physicè tangant materiam ab Episcopo traditam, docent Alb. M. Diana, Vasquez, Herinx, Layman tract. 9. c. 5. n. 4. Opposita est D. Th. q. 34. a. 5. ad 3. ubi habet: *Ideo porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti quàm tactus; tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quâ dicitur: Accipe hoc vel illud.* quem sequitur communior DD. & ex nostris Oberascher, Wibmperger, aliique.

Probatur primò ex receptissimo usu Ecclesiæ, & sollicitudine, quam adhibent Ministri, ut vasa pro quolibet Ordine porrecta ab Ordinando physicè tangantur, & insinuatur in *c. Presbyter, de Sacr. non iterandis*, ubi præcipitur, ut Ordinatio Sacerdotis & Diaconi fiat per *contactum corporalem.* Secundò: quia traditio & acceptatio sunt correlativa: cùm ergo sit necesse ad valorem Sacramenti, ut instrumenta ab Ordinante physicè porrigantur, ex parte Ordinandi requiritur, ut illa physicè contingat. Tertiò: quia verba formæ cum proprietate debent practicè verificari: sed absque physico contactu non verificantur cum proprietate: nam τὸ *Accipe* cum proprietate significat physicam acceptionem. Et quartò: quia in aliis Sacramentis in usu consistentibus reperitur physica applicatio materiæ, excepto Sacramento matrimonii, quod habet naturam contractûs, ideoque mutuo consensu extrinsecùs significato absque physico contactu perficitur. Non tamen est necesse, ut singula, quæ traduntur, in se ipsis immediatè tangantur, sed sufficit, aliqua tangere mediatè in suo continente, ut vinum in calice, & hostiam in patena; prout communiter docent DD.

§. II.

Materia & forma Episcopatûs.

5. CONCLUSIO I. *Episcopatûs materia est impositio manuum episcopalium super caput Ordinandi; & forma sunt illa verba ex Pontificali adjungi solita: Accipe Spiritum S. &c.* Ratio desumitur ex præcitata ep. ad Timoth. ex qua secundùm Interpretum expositionem constat, Ordinationem Timothei factam esse per manuum impositionem eoque modo Paulum & Barnabam ordinatos esse legitur Act. 13. Colligitur etiam ex Concil. Carthag. IV. c. 2. & relato *in c. Episc. dist. 23.*

6. Colliges primò: Alias cæremonias, quæ adhibentur in consecratione Episcopi, ut impositio libri supra scapulas & cervicem Ordinandi, item unctionem capitis & manuum non esse de valore Ordinationis; siquidem neque apud Græcos usurpantur, neque per illas significatur specialis collatio Spiritûs S.

7. Colliges secundò: Non esse de valore Ordinationis episcopalis, ut à tribus Episcopis ordinetur: nam ex epist. D. Pauli ad Timotheum constat, Ordinationem à Paulo factam impositione manuum suarum absque mentione aliorum, & ex historia ecclesiastica constat, variis in locis varios Episcopos ab uno solùm Apostolo ordinatos fuisse, ut Apollinaris à S. Petro, Dionysius à S. Paulo. Insuper, ut refert Arriaga disp. 57. D. Gregorius M. S. Augustino nostro Episcopo Cantuariensi concessit, ut solus ordinaret Episcopos. Gregorius XII. teste Præposito Patriarchæ Æthiopiæ concessit, ut posset per unum Episcopum consecrari, quod etiam ab Innocentio X. concessum fuisse Archiepiscopo Ephesino testis est Herinx disp. 10. n. 62. ex quo constat, trium Episcoporum Ordinationem non esse juris divini, sed ecclesiastici.

§. III.

Materia & forma Presbyteratûs, ejusq; officium.

CONCLUSIO II. *Essentialis materia Sacerdotii est partialiter duplex; una, quâ datur potestas in Corpus Christi verum, consistens in traditione patenæ cum hostia superposita, & calicis cum vino, sub hac forma: Accipe potestatem offerre sacrificium DEO, Missasq; celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Altera, quâ datur potestas in Corpus Christi mysticum; consistens in impositione manuum ab Episcopo factâ sub hac forma: Accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c.*

Ratio est primò: Integra potestas sacerdotalis essentialiter consistit non tantùm in potestate consecrandi Eucharistiam, sed etiam in potestate remittendi peccata: sed per primam ordinationem in porrectione calicis, non confertur potestas remittendi peccata; neque per secundam in impositione manuum confertur aut significatur potestas consecrandi: ergo utraque materia & forma essentialiter requiruntur ad totam Ordinis sacerdotalis essentiam. Secundò: Actio, per quam traditur potestas Ordinis cum infusione gratiæ sanctificantis est propria & essentialis materia hujus Sacramenti: sed tam per calicis porrectionem, quàm per impositionem manuum Sacerdoti traditur aliqua potestas Ordinis, & quidem cum infusione gratiæ, juxta definitionem Trident. sess. 23. can. 4. dicentis: *Siquis dixerit, per S. Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustrà Episcopos dicere: Accipe Spiritum S. quorum remiseris &c. anathema sit.* Tertiò. Sicut in Florent. quòd per porrectionem calicis Sacerdos ordinetur; ita per Trid., ubi suprà, definitur, quòd Sacerdos ordinetur per impositionem manûs: ergo, sicut una materia est essentialis, ita & altera.

9. Dices primò: S. D. hic q. 37. a. 5. negat manûs impositionem pertinere ad collationem Sacerdotii. Secundò, Florentinum non meminit impositionis manuum; imò universaliter dicit: *Ordinis materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino & patena cum pane porrectionem.* Tertiò: Manuum impositio non imprimit characterem, siquidem sacerdotalem characterem jam in porrectione calicis ordinatus accepit: ergo neque constituit partialem materiam sacerdotii.

10. Respondeo ad primum: S.D. loqui de cæremoniali non de sacramentali manuum impositione, illâ nimirum, quam Episcopus & alii Sacerdotes adstantes faciunt ante Ordinationem, quæ tantum ad cæremonias pertinet, sicut & unctio. Ad secundum respondeo, quamvis Florentinum non expressè meminerit istius impositionis manuum, ipsius tamen mentionem sufficientem fuisse factam à Concil. Trid. ut ex dictis constat. Ad tertium permisso in præsens antec. (quod tamen probabiliter negatur à pluribus, & nos posthac negabimus) nego conseq. ut enim sit verum Sacramentum, sufficit, quòd characteri per traditionem calicis impresso superaddat extrinsecam perfectionem, eo modo, quo de Episcopatu aliqui sentiunt. Quartò: Propter actum secundarium non est ponenda nova materia essentialis Sacramenti: sed remittere peccata est actus secundarius Sacerdotis; primarius enim est, consecrare Corpus Christi: ergo. Quintò, Ecclesia Græca, sciente & consentiente Ecclesia Romana suos Sacerdotes ordinat per solam impositionem manuum: ergo traditio calicis non est materia proxima hujus Ordinationis. Sextò: In c. *Presbyteri. de Sacram. non iterandis* dicitur, hoc Sacramentum non esse iterandum propter omissam impositionem manuum: sed esset iterandum, si impositio manuum foret essentialis materia Ordinis sacerdotalis.

Respondeo ad quartum: Si actus sit absolutè secundarius, non est ponenda propter illum nova materia, concedo; si tantùm comparativè, nego. sed remissio peccatorum est actus secundarius Sacerdotis absolutè, nego; comparativè ad consecrationem corporis Christi, conc. min. & nego conseq. potestas enim clavium non est secundaria in Sacerdote, sicuti potestas baptizandi, prædicandi, &c. sed primaria, & pars adæquati Sacerdotii; est tamen minùs principalis quàm potestas consecrandi; ideoque comparativè ad illam aliquatenus secundaria dici potest. Ad quintum dist. conseq. ergo traditio calicis non est materia proxima Ordinationis in Ecclesia Græca concedo; in Latina, nego conseq. uti enim dictum, specificam & individualem determinationem materiæ in Ordinatione Christus reliquit Ecclesiæ, unde aliud signum sacramentale potestatis sacerdotalis potuit determinari pro Græca; aliud pro Latina Ecclesia.

Ad sextum respondeo, sensum esse, Sacramentum adæquatè, etiam quoad collationem potestatis in corpus Christi verum, non esse iterandum: non verò quòd non sit iterandum quoad partem omissam, quæ est collatio potestatis in corpus Christi mysticum.

11. Inferes primò: Officium Presbyteri esse, Eucharistiam conferre & distribuere, absolutionem à peccatis impertiri, vel indignis denegare, solenniter ex officio baptizare, infirmos inungere, Episcopos juvare in prædicatione Verbi divini &c.

12. Inferes secundò: Probabiliter ad valorem materiæ in ordinatione sacerdotali requiri, ut calix, qui traditur, sit consecratus: quia per vasa non consecrata, nec proinde ad Sacrificium Missæ propriè & proximè destinata non videtur sufficienter significari ministerium altaris, & potestas sacrificandi.

§. IV.

Materia & forma Diaconatûs ac cæterorum Ordinum.

Quæres primò: Quæ sit materia & forma Diaconatus?

Respondeo primò: Materia est traditio libri Evangeliorum, forma verò illa verba ab Episcopo superaddita: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini, &c.* Ità constat ex Florentino expressè docente, Diaconatum conferri per dationem libri Engeliorum.

Respondeo secundò: Probabiliter in Ordinatione Diaconi materia particularis est etiam impositio manuum Episcopi. Ita Bellarminus, Conink, Magnificus P. Wibmperger. Et ratio est primò: quia ille ritus pertinet ad materiam Sacramenti, per quam confertur gratia: sed confertur gratia per impositionem manuum Episcopi: quia Episcopus adjungit illa verba: *Accipe Spiritum S.* per quæ tùm in Episcopo & Sacerdote significetur productio gratiæ, non est ratio, cur non etiam significetur in Diacono. Secundò: Quia D. Dionys. Eccles. hier. c. 5.

c. 5. docet, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum consecrari per manuum impositionem. Tertiò: quia Concilium Carthaginense IV. c. 4. docet, Diaconum per impositionem manûs Episcopi ordinari. Dixi: *probabiliter pertinere* ad materiam Diaconatûs; quia graves DD. & major pars Thomistarum etiam tenent oppositam sententiam, censentes, impositionem manuum Episcopi tantùm esse cæremoniam; non autem materiam Diaconatûs, eò quòd per solam traditionem Evangeliorum, non autem per impositionem manuum significetur specialis potestas & ministerium Ordinis; cùm enim Episcopus manum Diacono imponit, adjungit hæc verba: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus.* per quæ verba nullum peculiare ministerium significatur.

14. Quæres secundò: Quæ sit materia & forma Subdiaconatûs?

Respondeo: Esse traditionem calicis vacui cum patena: formam verò, illa verba Episcopi: *Videte, cujusmodi ministerium vobis tradam.* Ita deducitur è præcitato Florentino, & Concil. Carthag. IV. communique sensu DD. Et ratio est: quia per ejusmodi traditionem convenienter significatur principale ministerium Subdiaconi, quod est Sacerdoti celebranti sacra vasa ministrare.

15. Dices: In Ordinatione Diaconi materia essentialis est traditio libri Evangeliorum, cur non etiam in Ordinatione Subdiaconi traditio libri epistolarum? cùm utrobique significetur secundarium ministerium per adjuncta verba, in Diaconatu, *Accipe potestatem legendi Evangelium*; in Subdiaconatu, *Accipite librum epistolarum, & habete potestatem legendi eas*, &c.

Respondeo: Quia per traditionem calicis vacui cum patena jam significatur munus primarium Subdiaconi: econtra in Diaconatu, quia non habetur competens signum, quod directè denotet munus primarium Diaconi, deferendi corpus & sanguinem Domini: idcirco ad materiam hujus Ordinis determinatur signum directè significativum actûs secundarii, qui est legere Evangelium, & tantùm indirectè significativum muneris primarii, quod est ministrare Sacerdoti circa consecrationem & dispensationem Corporis Domini, prout explicat S.D.

16. Quæres tertiò: Quæ sit materia & forma Minorum Ordinum?

Respondeo: Esse traditionem certæ materiæ, per quam ministerium illius Ordinis designatur: & forma sunt verba ab Episcopo adjungi solita; sic Ostiarius ordinatur per traditionem clavium Ecclesiæ; Lector per traditionem libri continentis divinas Scripturas, aut lectiones. Exorcista per traditionem libri exorcismorum, Acolythus per traditionem urceoli vacui. Forma Ostiarii consistit in iis verbis: *Sic agite, quasi DEO reddituri rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Forma Ordinis Lectoris sunt illa verba: *Accipite, & estote verbi DEI relatores, habituri, si fideliter & utiliter adimpleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum DEI bene administrârunt ab initio.* Forma Ordinationis Exorcistæ sunt sequentia: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.* Forma Acolythatûs est: *Accipite urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* Ita habetur in Pontificali Romano.

17. Quæres tamen quartò: An non materia particularis Acolythatûs consistat in traditione ceroferarii, & forma particularis illa verba adjungi solita: *Accipe ceroferarium cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda luminaria Ecclesiæ mancipari in nomine Domini?* Probabiliter affirmant plerique RR. eò quòd Concilium Carthaginense & Pontificale Romanum æqualiter loquantur, & Episcopus æqualiter utrumque applicet Ordinando. D. Th. tamen, quem communiter sequuntur Thomistæ, videtur stare pro sola traditione urceoli q. 37. a. 5. ad 6. ita loquens: *Principalior actus Acolythi est, quo ministrat in urceolo; quàm quo ministrat in candelabro, licèt denominetur ab actu secundario propter hoc, quòd est magis notus, & magis proprius ei, & ideo in datione urceoli imprimitur Acolytho character.*

18. Inferes ex dictis: Officium Diaconi esse portare Corpus Christi in vase, panem & vinum à Subdiacono ministratum disponere suo loco, Sacerdoti & Episcopo in Missa, & omnibus Sacramentis ministrare, Evangelium in Missa canere, ex commissione Sacerdotis Eucharistiam populo dispensare, ex eadem commissione baptizare & prædicare. Officium Subdiaconi primarium esse, ministrare Diacono calicem cum patena in Missæ Sacrificio; secundarium canere epistolam, aliaque præstare, quæ in Pontificali enumerantur. Officium Minorum Ordinum ea exequi, quæ per formam Ordinis specialiter exprimuntur, & per traditionem materiæ significantur.

ARTICULUS III.

De Ministro, subjecto, & effectu SS. Ordinum.

§. I.

Minister SS. Ordinum.

1. CONCLUSIO. *Proprius & Ordinarius Minister validæ Ordinationis est omnis Episcopus, legitimè consecratus.* Ita Trid. sess. 23. c. 4. & can. 7. & constat primò ex perpetuo usu ac traditione Ecclesiæ, quæ certum est divinæ institutionis indicium. Colligitur quoque ex Act. 6. ubi Diaconos à solis Episcopis legimus ordinatos; item ex can. Apost. 1. & 2. ubi dicitur: *Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis, Presbyter, & reliquus Clerus ab uno Episcopo ordinatur.* Secundò: Quia in sacr. Script. neminem, quàm Apostolos legimus ordinâsse: Apostoli autem habebant ordinem & gradum episcopalem.

Ter-

Tertiò hâc congruentiâ: quia ministeria & officia in populo distribuere spectat ad Principes: sed Ecclesiæ Principes sunt Episcopi: ergo Ecclesiastica ministeria distribuere, quod fit per ordinationem, proprium est munus Episcoporum. Quartò. Proprius Minister Ordinationis est, qui vi suæ consecrationis accipit potestatem Ordinandi: sed hanc accipit Episcopus: ergo.

2. Dixi tamen: *Proprius & ordinarius Minister*, quia Minister extraordinarius saltem minorum Ordinum juxta stylum & praxin Ecclesiæ possunt per S. Pontificis commissionem; & sunt de facto Abbates infulati in ordine ad suos Religiosos. Et ratio est, quòd, cùm isti Ordines non habeant valde propinquum respectum ad Sacramentum Eucharistiæ, eorundem collatio non omnino videatur excedere dignitatem characteris sacerdotalis. Sed

3. Quæres primò. An etiam Majorum Ordinum collationem S. Pontifex simplici Sacerdoti possit committere?

Respondeo primò: Certum haberi apud DD. Catholicos, Ordinationem Presbyteratûs nulli alteri, quàm Episcopo committi posse. Nam primò nullum tale privilegium legitur, ulli non Episcopo aliquando fuisse concessum. Secundò ita affirmant plurimi SS. PP. citati apud Esparz. hic q. 105. a. 3. Tertiò, quia aliàs Episcopus non esset omnino proprius Minister Ordinationis: si enim Presbyteratus ab alio quàm Episcopo conferri possit, non est, cur non omnes alii similiter à non Episcopo conferri possint.

4. Respondeo secundò. Quod attinet Ordinem Diaconatûs & Subdiaconatûs esse dubium inter Authores, dum alii affirmant, alii negant privilegium ordinandi Diaconos & Subdiaconos Abbatibus Cisterciensibus concessum, & ab iisdem esse usurpatum, quæ cùm sit quæstio facti, in dubio est relinquenda: si tamen verum sit, tale privilegium à S. Pontifice fuisse concessum, hoc ipso etiam probabile erit, ejusmodi Ordinum collationem simplici Sacerdoti committi posse, ne S. Pontificem in re tanti momenti errâsse, temerè asseramus. Aliàs sicut Ecclesiæ praxi conformius, ita & probabilius erit, ejusmodi SS. Ordines per solos Episcopos conferri posse.

5. Quæres secundò. Quid ad licitam Ordinationem ex parte Episcopi requiratur?

Respondeo. Requiri, ut præter statum gratiæ (quem in Ministro solennitatis esse necessarium, constat ex dictis de sacr. in gen.) observentur leges à SS. Canonibus præscriptæ: uti primò ex parte suæ personæ, ne sit aliquâ censurâ Ecclesiasticâ, vel irregularitate innodatus, sitque jejunus. Secundò, quoad modum conferendi, ut observet ritus & cæremonias ab Ecclesia præscriptas. Tertiò, quoad circumstantiam temporis, ne Majores Ordines conferat extra Sabbatum 4. Temporum, item Sabbatum ante Dominicam Passionis & Resurrectionem Domini juxta *c. de eo autem. de tempore Ordinationum.* Mendicantes tamen, & qui gaudent eorum privilegiis SS. Ordines, etiam extra tempora à jure præscripta possunt suscipere. Quartò. Quoad locum, ne ordinet extra suam Diocesim juxta Trid. sess. 6. c. 5. de reform. Quintò. Quoad personam ordinandam, ut illa sit subdita, vel, si non subdita, habeat veras dimissoriales, sit bene examinata quoad legitimos natales, ætatem, probitatem, scientiam, dispositionem, & titulum mensæ.

§. II.

Subjectum SS. Ordinum.

6. CONCLUSIO. *Subjectum Ordinationis validæ est solus & omnis homo baptizatus sexûs masculini.* Prima pars inde patet, quòd Baptismus sit janua omnium Sacramentorum; & prius sit in Ecclesiam ingredi, quàm in eâ gradum & præeminentiam consequi.

Secunda pars, quæ fœminas excludit, & admittit infantes, quoad exclusionem fœminarum probatur primò ratione S. D. hîc q. 39. a. 1. subjecto, cui repugnat significatio Sacramenti, etiam repugnat Sacramentum: sed sexui fœmineo repugnat significatio Sacramenti Ordinis: ergo & Sacramentum. Min. prob. Omnis Ordo significat gradum alicujus præeminentiæ in Ecclesia Dei: sed hic repugnat sexui fæminino, tum quia Apostolus 1. Tim. 2. dicit: *Mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum*: tum quia de individuali ratione fœminarum est status subjectionis, juxta illud Gen. 3. *Sub viri potestate eris.* Probatur secundò ex *can. Diaconissa q. 7.* ubi dicitur, ipsas esse *incapaces sacerdotii.* quod confirmat Epiphanius hæresi 49. ergo similiter sunt incapaces aliorum Ordinum; nam Ordines inferiores ex sua natura & institutione tendunt ad sacerdotium tanquam terminum.

7. Cæterùm, quòd etiam infantes sint capaces validæ ordinationis, constat primò ex *c. un. de Cler. per saltum promoto.* ubi præmisso, quòd aliquis infra discretionis annos Ordines receperit, respondet Innoc. III. id validè factum fuisse. Secundò probatur hâc ratione: Omne illud Sacramentum validè confertur infanti, quod ad suæ essentiæ constitutionem absolutè non requirit actum proprium suscipientis: sed Sacramentum Ordinis ad suæ essentiæ constitutionem non requirit actum proprium recipientis. Major patet exemplo Baptismi & Confirmationis, quæ validè conferuntur infantibus, etiam parentibus invitis; quia ad constituendam ipsorum essentiam non concurrit actus suscipientis; econtra matrimonium & pœnitentia ab infante recipi non possunt, quia eorum essentiam actus suscipientis ingreditur. Neque Sacramentum Extremæ Unctionis, quia ab illo saltem actus proprius suscipientis essentialiter connotatur. Min. est certa: quia S. Ordinatio non est aliud, quàm collatio potestatis spiritualis per characteris impressionem, nec se habet per modum judicii vel contractûs.

8. Dices primò. In primitiva Ecclesia erant Diaconissæ & Presbyteræ: ergo etiam fœminæ sunt capaces S. Ordinis. Secundò: Si fœminæ

essent incapaces prælationis & præeminentiæ in Ecclesia Dei, etiam non possent esse Prophetissæ, vel Abbatissæ: consequens est falsum: ergo.

Tertiò. Non potest alicui imponi obligatio, neque potest quis in novum statum transferri sine suo consensu; sed per SS. Ordines homo transfertur in novum statum, & si sint Ordines majores, ipsi imponitur onus perpetuæ continentiæ: ergo requiritur consensus ipsius: sed infantes nullum habent consensum: ergo.

Respondeo ad primum. Diaconissas & Presbyteras antiquitus fuisse appellatas, non quòd essent ejusmodi S. Ordine insignitæ, sed vel quia ipsarum mariti erant tali ordine initiati, vel quia ipsis tanquam senioribus & prudentioribus cura & instructio Catechumenarum demandabatur.

Ad secundum Respondeo. Prophetiam non dicere quandam præeminentiam gradûs Ecclesiastici, sed tantùm donum & gratiam gratis datam. Abbatissæ verò tantùm habent prælationem jurisdictionis, non autem præeminentiæ in ministerio Altaris.

Ad tertium Respondeo: Posse transferri hominem in novum statum sine suo consensu, quando illa translatio est favorabilis, ut patet exemplo Baptismi: infanti autem ordinato confertur merus favor, nempe potestas sacra munia obeundi; neque foret obligatus ad servandam continentiam, aliaque onera, si post adeptum usum rationis liberâ determinatione vellet abstinere ab exercitio SS. Ordinum, & statum matrimonii amplecti. Si tamen amplecteretur exercitium SS. Ordinum, hoc ipso quoque teneretur ad servandam continentiam, & onera tali statui annexa. Ita communiter DD. Sed

10. Quæres primò. An servi validè, ordinari possint? Respondeo: Ipsos validè sed non licitè Ordinari. Ita habetur in toto Tit. Juris *de servis non ordinandis.* Ubi pro servo Ordinato nesciente vel concedente Domino statuitur perpetua pœna suspensionis ab executione SS. Ordinum.

11. Dices. Subjectio impedit fœminam à valida susceptione Ordinum: ergo & servum. Respondeo negando conseq. nam subjectio fœminarum est juris divini & naturalis; servorum verò tantùm legalis.

12. Quæres secundò. Utrùm adulto nec habitualem quidem habenti voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, validè tamen conferri possit. Respondeo negativè; quia ut suppono ex Tr. d. sacr. in gen. nulli adulto Sacramentum aut gratia Sacramenti confertur sine aliquâ cooperatione liberi arbitrii, nec transferri potest in novum statum sine aliquo suo consensu: atqui minor consensus, quàm habitualis, haberi non potest: ergo.

13. Quæres tertiò. Etiamne amenti validè conferatur hoc Sacramentum?

Respondeo affirmativè, nisi priùs aliquando constitutus in usu rationis, contrariam habuerit voluntatem hactenus non revocatam. Ratio primi est, quòd amentes quoad receptionem Sacramentorum comparentur infantibus. Ratio secundi est, quòd in tali casu adesset dissensus habitualis: at Sacramenta nolenti & quomodocunque repugnanti validè non conferuntur: ergo nec in tali casu Sacramentum Ordinis validè conferri posset.

14. Quæres quartò. Quid ad licitam Ordinationem requiratur in suscipiente?

Respondeo. Præter generales conditiones, quas etiam alia Sacramenta vivorum requirunt, adhuc requiri aliquas conditiones negativas, aliquas positivas. Ex positivis conditionibus est primò ætas legitima, qualis ex jure Trid. sess. 23. c. 12. de reform. ad Presbyteratum est annus 25. inchoatus, ad Diaconatum 23. ad Subdiaconatum 22. ad Episcopatum annus tricesimus completus. Secundò Titulus mensæ, hoc est certa & indubitata materia, ex quâ quis congruè sustentari possit, estque triplex, patrimonii, beneficii & paupertatis Deo per solenne votum promissæ, ut habetur in Trid. sess. 21. c. 2. Tertiò requiritur morum honestas, vitæ probitas, & scientia ad Ordinem, quem quis suscipit, sufficiens. Quartò requiritur, ut si non sit subditus Episcopi Ordinantis, exhibeat litteras dimissoriales ab alio Episcopo, qui sit vel originis, vel domicilii, vel beneficii.

15. Negativa conditio est carentia defectuum & inhabilitatum, quæ in jure exprimuntur, uti ne ordinandus sit servus, ne ratiociniis & ære alieno obstrictus, ne sit illegitimus, corpore vitiatus, mutilus, bigamus, irregularis, prout habetur *in c. ut filii & seqq.* de servis non ordinandis.

16. Quæres quintò: Quo jure SS. Ordinibus annexum sit votum perpetuæ continentiæ?

Respondeo: Jure humano & positivo. Ita S. D. 2. 2. q. 88. a. 11. in c. Et probatur primò ex praxi Ecclesiæ, quæ in Concilio Lateranensi sub Innocent. III. Græcis majoribus Ordinibus initiatis permisit usum conjugalem: velut etiam D. Gregorius M. l. 1. Regist. ep. 42. Subdiaconis Siciliæ, ut uterentur uxoribus ante ordinationem ductis, permisit. Nec tertiò extat ulla lex divina, quæ conjugium Ordinatis prohibeat. Interea notandum: licèt Ecclesia Græca suis Ordinatis permiserit, ut uxoribus uterentur, quas ante ordinationem duxerant; nunquam tamen in ulla Ecclesia permissum fuisse, ut post susceptos SS. Ordines durante Ecclesiastico statu & Ordinum administratione uxores de novo ducerent, prout est videre apud Arcudium & alios DD.

§. III.

Effectus SS. Ordinum.

17. CONCLUSIO PRIMA. *Effectus Sacramenti Ordinis primarius, est augmentum gratiæ sanctificantis habens jus ad specialia auxilia conferenda pro ministerio altaris & actu cujuslibet Ordinis proprio debitè obeundo.*

Ratio primi est: quia hoc est Sacramentorum non mortuorum sed vivorum; ideoque ipsius proprius effectus non est prima gratia, sed secunda, hoc est, augmentum gratiæ, quod significatur

gnificat Apostolus 2. Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis.*

Ratio secundi est: quia effectus Sacramenti proprius, est gratia sacramentalis specificè distincta ab omni aliâ; sed per jus ad specialia auxilia actûs & finis Sacramenti propria distinguuntur ab omni alia: ergo.

18. CONCLUSIO secunda. *Alter effectus principalis hujus Sacramenti est character, hoc est, qualitas supernaturalis animæ indelibiliter inhærens, per quam Ordinatus àn on Ordinatis distinguitur, & intrinsecè perficitur ad actus supernaturales divini ministerii efficiendos.* Constat ex Trid. sess. 23. can 4. & ex iis, quæ de charactere in Tr. de Sacr. in gen. dicta sunt. Illa nimirum Sacramenta novæ legis imprimunt characterem, per quæ homo ad certum statum in Ecclesia Dei initiatur, & quæ perpetuò sunt irreiterabilia: sed ita se habet Sacramentum Ordinis: ergo imprimit characterem.

19. Quæres primò. An quilibet Ordo imprimat distinctum characterem?

Respondeo affirmativè; & Ratio est primò, quia tot sunt distincti characteres, quot sunt potestates & Ecclesiastica ministeria adæquatè distincta: sed quilibet Ordo habet talem potestatem & ministerium distinctum: ergo. Secundò, quia quilibet Ordo, etiam ab aliis separatus, est intrinsecè & perpetuò irreiterabilis. Tertiò, quia qui per saltum fuisset Ordinatus, ut v, g. Subdiaconatum ante Minores, vel Diaconatum ante Subdiaconatum recepisset, non ideo de novo Ordinaretur: ergo supponitur vi illius pecculiaris Ordinationis recepisse proprium characterem.

20. Quæres secundò. An partialis Ordinatio Sacerdotis per impositionem manuum, & Ordinatio Episcopi specialem imprimant characterem?

Respondeo. Tam negantem quàm affirmantem esse probabilem. Negans communior est inter Thomistas, & conformior ad textum, qui habetur in supplemento D. Th. q. 44. a. 5. Cujus ratio est primò: quòd per illas Ordinationes non conferatur potestas adæquatè distincta; sed tantùm aliquod complementum & extensiva perfectio prioris potestatis: sic enim potestas absolvendi in Sacerdote non tribuit ipsi officium adæquatè distinctum à potestate consecrandi, sed complementum ipsius. Secundò, si potestas absolvendi in Sacerdote, & consecratio Episcopalis superadderent novum ac distinctum characterem, non foret ratio, cur non valeret Episcopatus non Sacerdoti collatus, vel potestas absolvendi data ante potestatem consecrandi: atqui consequens est absurdum; certum quippe est esse dependentiam essentialem Episcopatûs à Sacerdotio, & potestatis absolvendi à potestate consecrandi, ita ut Sacerdotium quidem sinè Episcopatu, & potestas consecrandi sinè potestate absolvendi, non autem è converso potestas absolvendi sine Sacerdotio possit consistere. Sequela prob. Eò quòd distinctæ Ordinationes v.g. Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotis, imprimant distinctos characteres, ideo, tametsi aliquis per saltum ordinaretur, nec servaretur debita subordinatio, valida tamen esset Ordinatio, nec deberet reiterari: ergo pariter si Ordinatio Sacerdotis, quâ accipit potestatem absolvendi, imprimeret distinctum characterem ab illo, qui imprimitur per Ordinationem, quâ accipit potestatem consecrandi; item si consecratio Episcopalis imprimeret distinctum characterem à consecratione Sacerdotali, valeret utraque Ordinatio, etiamsi debitâ & à Christo instituta subordinatio non servaretur.

Altera quoque & affirmans sententia, eaque communis apud Moralistas, & Recentiores est valde probabilis, & captu facilior, quam amplectitur Magnificus P. Wibmperger q. 3. §. 2. Ejusque ratio est primò, per quamlibet essentialem materiam & formam, quâ confertur specialis & indelebilis potestas relata ad Corpus Christi verum vel mysticum cum infusione gratiæ, imprimitur character: sed per materiam & formam Episcopatûs, sicut etiam per particularem materiam & formam Presbyteratûs & probabiliter Diaconatûs, confertur distincta & specialis potestas exercendi functionem sacram relatam ad Corpus Christi verum, vel mysticum, illaque indelebilis & interabilis unà cum infusione gratiæ: ergo per talem materiam & formam imprimitur character. Major prob. quia character ipse formaliter nihil est aliud, quàm ejusmodi potestas: ergo collatâ ejusmodi potestate confertur character, prout patet paritate & inductione aliorum Ordinum. Secundò: Si non produceretur novus character; deberet prior character per illam novam ordinationem fieri extensivè perfectior, ut loquuntur hujus sententiæ Authores: sed illa extensiva perfectio vel esset modus intrinsecus, vel denominatio extrinseca & nova deputatio Dei? non modus, quem universim respuimus; non extrinseca solùm deputatio & denominatio, quia per illas materias & formas prædictas confertur gratia Spiritûs S. & indelebilis ac initerabilis potestas, quàm per materiàs & formas aliorum Ordinum; cùm ergo istorum Ordinum potestas non sit denominatio extrinseca, ut est communis DD. contra Durandum, non est, cur Episcopali potestati, aliisque præmemoratis denegetur.

Ad oppositum fundamentum Respondetur negando sequelam. Nam ratio, cur Episcopatus ante Presbyteratum, & potestas in Corpus Christi mysticum ante potestatem in Corpus Christi verum conferri non possit, hæc est; quòd sint characteres inadæquatè distincti, quorum posterior priorem essentialiter includit & præsupponit, estque complementum ipsius: quod non reperitur inter characteres Ordinum, qui sunt ab invicem adæquatè distincti.

21. Dices primò. Sacramentum Eucharistiæ per se loquendo sub duplici specie non confert majorem gratiam quàm sub una: ergo neque per subsequentem particularem materiam & formam Sacramentum Ordinis confert diversum chara-

characterem. Secundò: In Extrema Unctione, ubi concurrunt plures materiæ & formæ particulares, effectus solùm confertur in ultima unctione: ergo idem dicendum de Sacramento Ordinis.

Respondeo ad utrumque, negando consequentiam. Et ad I. est disparitas, quòd internus effectus refectionis spiritualis sit ejusdem rationis, sive per modum cibi, sive per modum potûs conferatur: in duplici verò particulari Ordinatione duplex conferatur potestas diversæ rationis, adeòque & duplex character. Ad II. quoque diversitas est, quòd diversitas unctionum tantùm sit materialis juxta diversitatem sensuum, atque omnes ad unicam tendant significationem alleviationis infirmi, & remissionis peccatorum, quæ in ultima unctione completur; atqui duæ Ordinationes particulares inter se etiam formaliter, significatione practicâ gratiæ & potestatis spiritualis distinguuntur.

DISPUTATIO LII.

De Sponsalibus.

MAtrimonium in Novo Testamento ad Sacramenti dignitatem elevatum sub duplici ratione spectari potest; primò ut est contractus civilis, seu in officium naturæ; secundò, prout est Sacramentum. Priori consideratione ad ipsa mundi cunabula; posteriori ad institutionem Christi suam refert originem. Prius de illo tanquam contractu civili fidelibus infidelibusque communi; posteriùs de illo tanquam Sacramento differemus; atque in vestibulo de Sponsalibus seu Matrimonii præambulo, quæ ad theologicum forum pertinent, discutiemus.

ARTICULUS I.

De natura Sponsalium.

SUMMARIA.

1. *Definitio Sponsalium.*
2. *Promissio Sponsalium non sunt Sponsalia.*
3. *Gratuita promissio ex parte unius non facit Sponsalia.*
4. *Sponsus post contracta Sponsalia fornicans in confessione tenetur exprimere circumstantiam Sponsalium.*
5. *Diversa nomina Sponsalium, Matrimonii, conjugii, nuptiarum.*
6. *Requiritur consensus determinatus,*
7. *Signo externo expressus.*
8. *An sufficiat taciturnitas?*
9. *Quando ficta promissio obliget?*
10. *Promissio per verba negativa non inducit obligationem Sponsalium.*
11. *Quale procuratorium requiratur ad contrahenda Sponsalia inter absentes.*
12. *Non sufficit generale mandatum ad quævis negotia.*
13. *Nec generale mandatum ad quærendam & ducendam uxorem,*
14. *Iuramentum non retractandi, non impedit, ut subsecuta retractatio invalidet contractum Sponsalium per Procuratorem initum.*
15. *Valida sunt clandestina Sponsalia.*
16. *Matrimonium clandestine contractum non valet in vim Sponsalium,*
17. *Ætas requisita ad contrahenda Sponsalia.*
18. *Septennium non debet esse impletum mathematicè;*
19. *Impedimenta Sponsalium.*
20. *Invalida sunt secunda Sponsalia.*
21. *Votum simplex castitatis regulariter irritat Sponsalia.*
22. *Uti & votum ingrediendi Religionem.*

§. I.

Sponsalia, quid sint nominis & rei?

1. SPonsalia à spondendo dicta, eò quòd olim parentes vel amici spondebant pro uxore, quæ exinde Sponsa, & futurus maritus Sponsus dicebatur, in proprio sensu sunt *futurarum nuptiarum mutua promissio*, ut habetur *l. 1. ff. de Sponsalibus.* Dicitur primò *futurarum nuptiarum*, per quæ distinguuntur ab ipso contractu Matrimonii; unde etiam Sponsalia fiunt per verba de futuro: *Ducam te in uxorem.* Matrimonium verò per verba de præsenti: *Duco te, et mea uxor, &c.* Et in jure contractus Matrimonii etiam Sponsalia de præsenti, ipsa verò Sponsalia, de quibus loquimur, Sponsalia de futuro appellantur. Dicitur secundò, *mutua promissio*, nimirum ex parte utriusque: quia Sponsalia sunt contractus onerosus, qui requirit conventionem reciprocam, per quam contrahentes ex vi contractûs sibi mutuò obligentur. Idque significant Canonistæ, cùm dicunt: Sponsalia non claudicare, hoc est, vel ex parte utriusque, vel ex parte neutrius esse valida. Ex quibus.

Inferes primò. Non fore Sponsalia, siquis diceret: *promitto tecum inire Sponsalia*; quia hæc verba tantùm significant promissionem Sponsalium, non autem Matrimonii futuri.

3. In-

Inferes ſecundò. Si quis gratuitò promitteret matrimonium alterâ parte non repromittente, non quidem fore Sponſalia, propter defectum reciprocæ promiſſionis, & obligationis, ipſum tamen promittentem fore obligatum ad eandem ducendam, ſi velit: non quidem ex vi & natura Sponſalium, ſed tamen ex natura promiſſionis alterius conſenſu acceptatæ. Dixi: *Si gratuitò promitteret:* quod tunc contingit, quando alteri liberum relinquit, ut poſſit repromittere, vel non. Nam ſi promittat ſub conditione onerosâ: Si tu repromittis, ad nihil tenebitur, niſi pars altera vel ſtatim vel intra terminum præfixum repromittat; quem vel promittens exſpectare, vel intra illum ſuam promiſſionem revocare tenebitur. In dubio verò, an quis gratuitò vel oneroſè & ſub conditione promiſerit, præſumitur quis potiùs promiſiſſe ſub conditione: quia præſumitur promiſiſſe juxta naturam Sponſalium, & ſine ſuo præjudicio.

4. Inferes tertiò: Sponſum poſt contracta Sponſalia cum alia quàm Sponſa fornicantem, teneri in confeſſione præter fornicationem exponere circumſtantiam Sponſalium, quia poſt illum contractum fornicatio contrahit novam ſpeciem injuſtitiæ contra fidem mutuò datam in Sponſalibus: licèt enim non violetur per talem fornicationem jus in re & perfectum, quod primùm acquiritur per contractum Matrimonii; violatur tamen jus inchoatum & ad rem, quod Sponſa acquiſivit in corpus Sponſi vel è converſo.

5. Inferes quartò: Nomen Sponſalium abſolutè prolatum non ſignificare Sponſalia de præſenti, ſeu contractum matrimonialem, ſed Sponſalia de futuro. Ipſa quoque nomina *matrimonium, conjugium, nuptiæ*, quamvis vulgò confundantur, inſpecta tamen verborum proprietate diverſam habere ſignificationem: nam matrimonium à materna circa prolem cura denominatum potentiam generandæ prolis in rigore includit; conjugium à jugo derivatum ſolummodò vinculum conjugale ſignificat, neque conſummationem Matrimonii involvit, per textum in *c. cùm initiati. 5. & ſeq. 27. q. 2.* Nuptiæ hinc dictæ, quòd olim puellæ cum viris traderentur, pudoris cauſa ſolerent velamine obnubi, ut dicitur in *c. nec illud 5. cauſ. 30. q. 5.* propriè denotant illam ſolennitatem, qua Sponſa ad virum deducitur: quo ſolùm ſenſu tempore Adventûs & Quadrageſimæ nuptiæ prohibentur. His poſitis, ulteriùs

§. II.

Requiſita conſenſûs ſponſalitii.

6. Quæritur primò: Qualis conſenſus ad Sponſalia requiratur?

Reſpondeo: Requiri conſenſum determinatum utriusque partis ſigno aliquo externo expreſſum. Primæ partis ratio eſt: quia cùm Sponſalia ſint præambula Matrimonii, ideo ſicut Matrimonium fit inter determinatas perſonas, ſic & Sponſalia. Unde ſi Titius promitteret tribus ſororibus, ſe unam ex iis indeterminatè ducturum, & illæ repromittant, nulla erunt Sponſalia, nec reſultabit impedimentum publicæ honeſtatis; cùm non magis cum una determinatè, quàm cum omnibus contrahat. Niſi unam ex iis tribus determinaverit, vel per electionem, vel per copulam; tunc enim ſtatim fient Sponſalia cum illa, ut habet Sylveſter V. Matrimonium, aliique.

Secundæ partis ratio eſt: quia nec ſola promiſſio interna, nec ſola promiſſio externa poteſt ſufficere. Non ſola interna: quia licèt homo DEO ſcrutanti corda poſſit obligari ſolo actu interno, non tamen homini, cui non niſi modo humano, adeòque ſenſibili, obligari poteſt. Nec ſola promiſſio externa poteſt ſufficere; quippe quæ, ſi animus promittendi deſit, non eſt promiſſio, ſed fictio promiſſionis. 7.

Requiritur ergo & conſenſus internus, & ſigna externa eundem exprimentia, non determinata, ſed talia, quæ ſufficiant ad exprimendum conſenſum internum. Unde in foro etiam externo aliquando ſufficit acceptatio annuli, appenſio torquis aut alterius arrhæ ſponſalitiæ, ſi juxta loci conſuetudinem Sponſalia ſignificent, maximè cùm mentio & tractatio de nuptiis præceſſit. Imò etiam ſilentium liberorum & pupillorum ſufficit, quando partes pro filiis malitiæ capacibus, aut tutores, vel curatores pro pupillis præſentibus & conſciis ac tacentibus ſpondent, ex *c. un. §. fin. de deſponſ. imp. in 6.* Et tradit Navarrus in ſum. c. 22. n. 58. Porrò, ſi Matrimonium promittenti pars altera nihil reſpondeat, non ideo repromiſiſſe Sponſalia cenſebitur: quia illa regula, *qui tacet, conſentire videtur*, de eo ſolùm procedit, quod tunc agitur aut dicitur, non de quocunque alio contingenter connexo: hîc autem ſupponitur, non fuiſſe factam mentionem repromiſſionis, nec proinde pars tacens in illam conſenſiſſe cenſebitur. 8.

Dixi etiam, *in foro externo*: nam in foro interno omne illud ſignum ſufficit, à quo contrahentes mutuum conſenſum ſufficienter intelligunt; ut cum Valentia docent Sangallenſes hîc q. 1. dub. 1.

Quæres ſecundò: An aliquando ex ficta promiſſione Matrimonii oriri poſſit obligatio ad ſervandam fidem? 9.

Reſpondeo: Quamvis ex ficta promiſſione nulla poſſint oriri Sponſalia, defectu voluntarii conſenſûs eſſentialiter ad Sponſalia requiſiti; tamen ex alio capite & contractu fictè promittentem obligari ad ſervandam fidem & promiſſionem, quando nimirum ſub ſpe & promiſſione Matrimonii virginem defloravit; quia in omni contractu, in quo intervenit do ut des, facio ut facias, oritur obligatio juſtitiæ commutativæ, vi cujus quàm primùm unus contrahentium rem in contractum deductam ex ſua parte implevit, alter quoque ex ſua parte tenetur implere quod promiſit, prout dicitur in Tr. de reſtit. Cùm ergo pro Matrimonio promiſſo Virgo ſuum corpus deflorandum actu tradidit, ſicque ex ſua parte contractum impleverit, ideo etiam promittens & ab initio tenebatur habere veram voluntatem promittendi, &, ſi non habuerit,

tenetur deposita simulatione eandem ducere, sitque ex sua parte contractum implere. Cujus tamen doctrinæ limitationes (ut si sit magna disparitas inter defloratam & promittentem, eaque cognita fuerit defloratæ; si simulatio promittentis poterat esse aliunde cognita, si se virginem simulavit, cùm non esset &c.) plures tradunt Authores in Tr. de restit. & Sanch. de Matrim. l. 1. d. 10. vide quæ ibidem dixi.

10. Quæres tertiò: An per verba negativa Sponsalia contrahantur? e.g. *nullam aliam ducam, nisi te?*

Affirmativa placet Menochio de præsumpt. l. 3. præsumpt. 3. n. 8. & pluribus aliis. Negativa verior videtur, quam tenent Covarr. p. 2. c. 4. §. 1. Guttier. Can. qq. l. 1. c. 21. n. 13. & seqq. quia juxta communem usum ejusmodi dictiones faciunt sensum conditionatum, cùm de promissione & obligatione agitur: e.g. *nullam religionem ingrediar, nisi Capuccinorum,* facit hunc sensum: *Si fiam Religiosus, fiam Capuccinus. Nulli nisi tibi domum vendam*; idem est, ac: *Si domum vendidero, tibi vendam.*

11. Quæres quartò: Quid requiratur ad contrahenda Sponsalia inter absentes?

Respondeo: Sponsalia contrahi possunt inter absentes per Procuratorem, qui in hunc finem speciale mandatum habeat, ut habetur *c. fin. de Procurat. in 6.* quia, cùm Sponsalia habeant naturam contractûs, ideo sicut alii contractus, ita & Sponsalia & Matrimonia inter absentes per Procuratorem contrahi possunt.

Dixi: *Qui speciale mandatum habeat*: ea quippe triplex est differentia inter sponsalitium seu matrimonialem, aliosque contractus, quòd Sponsalia & Matrimonia alieno nomine per Procuratorem contrahenda requirant speciale mandatum, cùm in aliis contractibus Procurator ad negotia generaliter constitutus sufficiat. Secundò, in aliis contractibus Procurator possit per substitutum aliqua negotia exequi; non autem in causa Sponsalium & Matrimonii. Tertiò, quòd Procurator in aliis negotiis constitutus efficaciter non revocetur, nisi revocatio fuerit ipsi insinuata & notificata; in Sponsalium verò & Matrimonii contrahendi negotio cit. *c. fin.* §. 1. sufficiat revocatio ex pœnitentia principalis contrahentis habita ante actualem contractum, eumque reddat irritum, quantumvis neque Procurator, neque Sponsa de hac revocatione quicquam sciant. Ratio additur in textu cit. cap. quia ad Matrimonium requiritur consensus verus, & naturalis, non sola juris subtilitate effictus.

12. Unde inferes primò: Generalem facultatem Procuratori datam ad quosvis contractus ineundos, non sufficere, ut possit loco sui principalis Sponsalia, vel Matrimonium contrahere: nam in generali procuratorio gravissima negotia non includuntur, sed illa quæ sunt minoris momenti per text. *in Clement. 2. de Procurator.* sed principalem obligare ad matrimonium cum certa persona contrahendum, est negotium gravissimum: ergo in generali mandato utcunque clausulato non comprehenditur.

Inferes secundò: Non sufficere generale 13. mandatum ad quærendam uxorem, quam Procurator idoneam judicaverit, & Matrimonium cum ipsa contrahendum, prout quondam Eliezer fuit missus ab Abrahamo ad quærendam Isaaco uxorem. Gen. 24. Hâc enim ratione, ut lepidè loquitur Reverendissimus D. Gregor. Kimpfler l. 4. Decretal. tit. 1. non duceretur uxor, sed adduceretur, cùm ob ignorantiam personæ, cum qua contrahit Procurator, desit naturalis & deliberatus consensus essentialiter requisitus.

Inferes tertiò: Etiamsi principalis juramentò promisisset, voluntatem non mutare & revocare mandatum, si tamen revocet, quantumvis revocando peccet contra religionem jurisjurandi, contractum tamen sponsalitium non tenere, 14. defectu scilicet consensûs per revocationem subtracti.

§. III.

Requisita ex parte contrahentium.

Quæres primò: An post Tridentinum Sponsalia 15. clandestinè contracta valida sint & licita?

Respondeo: Etsi clandestinè contrahentes per accidens peccare possint, si ex contemptu vel temerè hoc faciant insciis parentibus, quorum deberent consilium inquirere; per se tamen loquendo licitè & validè ita contrahi; quia Constitutio Tridentini, cùm sit correctoria Juris communis, non debet extendi ultra casum Matrimonii clandestini; adeòque Sponsalia relinquuntur sub dispositione Juris communis, juxta quam validè & licitè etiam clandestinè fieri possunt. Sed

Quæres secundò: An Matrimonium clande- 16. stinè contractum, post Tridentinum & ubi illud receptum est, valeat saltem in vim Sponsalium?

Respondeo negativè cum communi; quia contractus ab initio nullus non transit in alium contractum, nisi jura specialiter ordinent: sed ille contractus Matrimonii ab initio fuit nullus; prout decernit Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matrimonii, dum clandestinè contrahentes ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit. Similiter post Tridentinum, & ubi illud receptum est, Sponsalia conditionata per copulam clandestinam subsequentem non transeunt in absoluta; cujus ratio est, quòd conditionata transire non possunt in absoluta, nisi conditione verificatâ; sed licèt antiquo jure per copulam subsequentem tanquam maritali affectu factam censeretur deponi conditio (velut etiam ubi Trid. non est receptum) illa tamen non deponitur post Tridentinum, eò quòd copula clandestina subsequens non nisi affectu fornicario exerceri possit.

Quæres tertiò: Quænam requiratur ætas ad 17. contrahenda Sponsalia?

Respondeo: A jure determinatum esse septennium, ante quod nulla inter promittentes exurgit obligatio, vel honestas publica, nisi malitia suppleat ætatem, hoc est, nisi ante hanc ætatem adsit sufficiens judicium discernendi vim & objectum obligationis. Si enim malitia supplere potest ætatem respectu matrimonii, ut patet ex *c. 9 de.*

de Sponſ. impub. multò magis in Sponſalibus, quæ multis ex cauſis diſſolvi poſſunt. Porrò hæc ætatis determinatio conſtat ex *c. litteras*, & *c. acceſſit de Sponſ. impub.* ejusque ratio eſt, quòd circa hanc ætatem præſumatur in pueris adeſſe ſufficiens judicium ad intelligendam obligationem Sponſalium: quòd ſi tamen etiam in ſeptennio manifeſtè conſtaret non adeſſe ſufficientem uſum rationis, etiam Sponſalia fieri non poſſent; ut patet ex ratione legis.

18. Controvertunt etiam Authores, utrùm hoc ſeptennium debeat eſſe mathematicè (hoc eſt, ut nulla poſtremæ diei hora deficiat) vel tantùm moraliter completum? Maximè probabilis videtur ſententia Sanch. l. 1. d. 16. & Leſſii de Jure & Juſt. c. 41. n. 59. ſaltem neceſſarium eſſe & ſufficere, ut ultima dies ſit inchoata: quia ex duplici cauſa jura certam præſcribunt ætatem; prima eſt, quòd ante illam ætatem præſumantur aliqui non ſatis idonei ad aliquid agendum, vel contrahendum. Altera eſt, quòd velint favere contrahenti, aut aliquid agenti; ita ut ſi ante præſcriptam ætatem contraxerit, vel illud egerit, poſſit in integrum reſtitui, & nequeat obligari tali contractu, lege, &c. In priori cauſa ſufficit ultima dies præſcriptæ ætatis inchoata, ut patet à paritate teſtamenti, *in l. à qua ætate. ff. qui teſtam. facere poſſunt.* In ſecunda requiritur, ut ætas præſcripta ſit exactè completa. Cùm igitur ob priorem cauſam Sponſalibus ætas ſit determinata, ideo ſicut ad factionem teſtamenti ſufficit, ut ultima dies anni 14. ſit inchoata, ſic ad contrahenda Sponſalia ſufficit, ut ultima dies ſeptennii ſit inchoata.

§. IV.

Impedimenta Sponſalium.

19. Quæritur: Quænam ſint impedimenta Sponſalium?

Reſpondeo: Præter defectum ætatis, de quo modò dictum, impedimentum dirimens ſive invalidans Sponſalia eſt omne illud, quod contractum & ſtatum matrimonii reddit invalidum vel illicitum. Ratio primi eſt: quia ad impoſſibile nemo ſe obligare poteſt: ſed matrimonium cum impedimento dirimenti eſt nullum, & ut ſic impoſſibile: ergo ad illud nemo ſe obligare poteſt. Unde tametſi fuiſſet facta promiſſio matrimonii ſub conditione impetratæ diſpenſationis; ipſa tamen Sponſalia non conſtituit, niſi poſt impetratam diſpenſationem. Ratio ſecundi eſt: quia ad rem illicitam obligare ſe nemo poteſt: Nec refert quantumvis ejusmodi promiſſio foret juramento firmata, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis. *c. quanto 15. de Jurejur.*

Hinc ſequitur primò: Nulla eſſe Sponſalia, ſi alteruter è Sponſis jam cum alio contraxit Sponſalia: quia ſecundùm leges juſtitiæ res uni obligata, alteri rurſus obligari & promitti non poteſt, quamdiu prior ſuo juri non renunciavit. Nec refert, quòd ſecunda Sponſalia fuerint firmata per copulam, vel juramentum. Nam illa copula poſt Tridentinum, & ubi illud receptum eſt, non eſt maritalis, ſed fornicaria. Juramentum quoque, ut dictum, non eſt vinculum iniquitatis. Aliud dicendum, ſi ſecunda Sponſalia eſſent de præſenti, tunc enim non promitteretur, ſed fieret matrimonium & corpus actu traderetur: quamvis autem res uni obligata non poſſit alteri validè promitti, poteſt tamen validè tradi. 20.

Sequitur ſecundò: Votum etiam ſimplex caſtitatis regulariter invalida reddere Sponſalia, hoc ipſo quia habens votum ſimplex caſtitatis regulariter illicitè contrahit matrimonium. Dixi *regulariter*, quando nimirum (ut ordinariè fit) promittitur, vel initur matrimonium propter annexum jus petendi & reddendi debitum. Nam ſi (quod eſt extraordinarium) iniretur matrimonium alio fine, nempe legitimandæ prolis, vel ſpecialis divinæ inſpirationis, ut erat conjugium Beatiſſimæ Virginis, etiam promiſſio talis Matrimonii, non obſtante voto ſimplici caſtitatis, eſſet licita & valida. 21.

Sequitur tertiò: Eâdem ex cauſa invalidè contrahi Sponſalia ab habente votum vel juramentum ingrediendi Religionem, accipiendi SS. Ordines, vel non ineundi matrimonium: hæc omnia quippe ſtatum matrimonii reddunt illicitum. 22.

ARTICULUS II.

De effectu Sponſalium.

SUMMARIA.

§. I.

Obligatio mutua Sponſorum.

CONCLUSIO PRIMA. *Effectus Sponſalium eſt, ex juſtitia obligare contrahentes ad celebrandum ſuo tempore matrimonium; atque ad cavenda omnia, quæ obſtant Sponſalium fidei & executioni, excepto Religionis ingreſſu.*

Prior pars probatur: Omnis contractus præsertim onerosus, parit in contrahente obligationem suo tempore id præstandi, quod in contractum fuit deductum: Sed sponsalia sunt contractus onerosus: ergo in contrahentibus pariunt obligationem exequendi suo tempore & contrahendi Matrimonium promissum & deductum in contractum Sponsalium.

Posterior pars probatur: quia sicut contrahens & promittens præcepto affirmativo obligatur suo tempore implere promissionem; ita præcepto negativo justitiæ stringitur abstinere ab omnibus, quæ contractûs executioni adversantur: sed contractus sponsalitius obligat ad antecedens: ergo etiam ad consequens.

Tertia pars constat: quia quod solvit Matrimonii rati vinculum, multò magis solvit vinculum Sponsalium; sed ingressus Religionis solvit vinculum Matrimonii rati, ut infra dicetur: ergo multò magis vinculum Sponsalium.

2. Hinc Colliges primò. Sponsum sine legitima causa à Sponsalibus resilientem, aut Matrimonii celebrationem recusantem, eamve nimiopere protelantem, graviter peccare contra justitiam, quia non stando promissis alteri parti gravem infert injuriam: quippe, tametsi per Sponsalia nondum fiat reciproca traditio corporum, quâ constituatur jus in re, fit tamen promissio hujus traditionis, quâ nascitur jus ad rem; quocirca Sponsum vel Sponsam fornicantem peccare contra justitiam, atque circumstantiam Sponsalium teneri aperire in confessione suprà dictum.

3. Colliges secundò. Sponsum injustè resilientem à Sponsalibus per Judicem Ecclesiasticum compelli posse ad implenda Sponsalia, quandoque etiam per Judicem sæcularem. Prior pars liquet ex *c. ex litteris, de Sponsalibus*, decernente, talem Ecclesiasticâ censurâ cogendum esse, nisi rationabilis causa obstiterit. Ratio patet; quia ad Judicis officium pertinet, curare, ut cuique suum reddatur; quod est ex justitia debitum; utque injuriæ ab innocentibus arceantur: cùmque cognitio causarum sponsalitiarum & matrimonialium pertineat ad forum ecclesiasticum, ecclesiastici quoque Judicis interest, curare, ut contractus Sponsalium impleatur.

4. Dixi tamen primò *compelli posse*; quia Judex non semper tenetur, quando nimirum prudenter præsumere & timere potest, si Sponsum resilientem cogat ad implenda Sponsalia, gravia inde incommoda & scandala oritura: quo casu præstabit contrahentes disponere ad Sponsalia mutuò remittenda, ut sapienter monet Reverendissimus D. Oberascher l. cit. cum Sanch. l. 1. de Sponsal. disp. 29. quæ tamen si absint; Judex non tantùm potest, sed etiam ex officio tenetur Sponsum nolentem compellere.

5. Dixi secundò. *Quandoque etiam per Iudicem sæcularem*: quando nimirum non agitatur quæstio Juris, an Sponsalia sint validè contracta, vel adsit legitima causa illa dissolvendi, cujus cognitio utique spectat ad Judicem Ecclesiasticum, sed pura quæstio facti, quòd fides sit servanda Sponsalium, de quorum validitate non dubitatur, prout cum Sanchez docet præcitat. D. Oberascher.

Colliges tertiò. Si sponsalitio contractui nullum certum tempus adjectum sit (nam si sit adjectum, observandum est ex justitia) implendum esse proximâ occasione accommodâ juxta qualitatem personarum, exigentiam temporis, & loci consuetudinem; nam ut dicitur in *l. sæpe. ff. de Sponsal. Sæpe justæ ac necessariæ causæ non solùm annum, vel biennium, sed etiam triennium & quadriennium trahunt Sponsalia, aut valetudo Sponsi Sponsæve vel mores parentum*, &c. Ita tradit Coninc disp. 22. n. 2. Palaò disp. 1. de Sponsf. p. 2. Oberascher l. cit. Salmantic. cit. p. 7. 6.

Dices primò. Qui post emissum votum ingrediendi Religionem cum alia carnaliter peccâsset, non tamen peccâsset contra Religionem; neque teneretur hanc circumstantiam exponere in confessione: ergo neque, qui fornicatus esset post contracta Sponsalia & factam Matrimonii promissionem, peccabit contra justitiam, &c. Secundò: Si fornicatio Sponsi contraheret specialem malitiam repugnantem honestati justitiæ; pertineret ad speciem adulterii: consequens non est admittendum, quia adulterium non est nisi accessus ad nuptum vel nuptam. 7.

Respondeo ad primum. Disparitatem esse quòd, qui vovit Ingredi Religionem, non ideo vovit castitatem; unde Deo nullam infert injuriam; cùm votum ingrediendi Religionem adhuc possit implere; tametsi peccaverit contra castitatem; At verò Sponsus fornicandò infert comparti injuriam, quippe cui per Sponsalia jus est acquisitum ad corpus Sponsi sibi Matrimonialiter tradendum: neque potest usus corporis alteri concessus, comparti contrahenti non esse contumeliosus. Ad secundum nego sequelam, quia juxta D. Th. 2. 2. q. 154. a. 8. in c. adulterium est *alieni thori violatio*: neque perpetratur nisi violandò jus in re, fornicatio autem desponsati solummodo violat jus ad rem. Non tamen inficior, quòd saltem reductivè & remotè ejusmodi peccatum ad speciem adulterii pertineat, in quantum est violatio contractûs sponsalitii, qui est quoddam præambulum & præliminare matrimonii.

§. II.

Impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

Alter effectus validorum Sponsalium est impedimentum publicæ honestatis, lege Ecclesiastica introductum *c. Sponsæ* 8. *de Sponsalibus* & passim *caus. 27. q. 2.* in eo consistens, quòd, qui cum una contraxit Sponsalia, nec licitè, nec validè, nec ipsâ vivente, nec mortuâ possit cum proximis ipsius consanguineis Sponsalia aut Matrimonium contrahere; non ideo solùm, quòd, Sponsam suo jure privare nequeat (ex hac enim ratione non impediretur, ipsâ saltem mortuâ cum ejus consanguinea Sponsalia contrahere, vel ducere de præsenti) sed quia SS. Canones ad similitudinem affinitatis loc. cit. introduxerunt impedimentum hoc publicæ honestatis: sicut enim ex conjunctione corporum sive legitima, sive fornicaria nascitur affinitas; sic ex affectio- 8.

ne & conjunctione animorum in Sponsalibus interveniente ejusmodi singularis familiaritas & quasi affinitas in communi hominum æstimatione contracta censeatur, ut inhonestum videatur, cum consanguinea Sponsæ contrahere Matrimonium.

9. Hoc impedimentum jure antiquo primùm citato ad quartum usque gradum consanguineorum extendebatur, hodie tamen publica honestas est limitata ad primum solummodo gradum, nempe matrem, filiam, & sororem Sponsæ; ac vice versâ ex parte Sponsæ ad patrem, filium, & fratrem Sponsi, per Concil. Tridentin. sess. 24. de reform. Matrim. c. 3.

Inferes ex dictis primò. Ex Sponsalibus nulliter contractis nullum oriri impedimentum publicæ honestatis; unde si quo casu ex aliquo impedimento v. g. propter simplex votum castitatis promissio Matrimonii fuisset invalida, tamen contrahens ex postfacto posset in conjugem ducere sororem Sponsæ, cum qua contraxerat, ex dispositione Tridentini cit. c. 3. Aliud dicendum, si Sponsalia fuerunt mutuò consensu dissoluta, tunc enim durare impedimentum publicæ honestatis verius est, per *c. accessit. de Sponsal. impub.* ubi decernitur, è Sponsalibus impuberum oriri impedimentum publicæ honestatis, licèt fuerint legitimè dissoluta.

11. Inferes secundò. Limitationem publicæ honestatis ad primum gradum à Tridentino factam, tantùm pertinere ad Sponsalia de futuro; & in Matrimonio rato adhuc extendi usque ad quartum gradum; neque enim dispositio Tridentina correctoria juris communis à Sponsalibus de futuro extendi debet ad Matrimonia, in quibus est dispar ratio, siquidem solenniter & publicè contrahuntur; unde etiam, tametsi Matrimonia ob latens impedimentum nulliter fuissent contracta, manet tamen impedimentum publicæ honestatis: atque ita declaravit Pius V. in Bulla data 5. Nonas Julii an. 1568. Quæ extat in Bullario novo ordine sexagesima secunda, dictum decretum Tridentini in *c. 3. de Reform. Matrim.* esse solummodò intelligendum de Sponsalibus de futuro, de cætero impedimentum publicæ honestatis relinqui sub dispositione juris antiqui.

Inferes tertiò. Per impedimentum publicæ honestatis nullum generari præjudicium primis Sponsalibus; unde si heri cum Berta, hodie cum sorore ejus Caja contrahis, obligaberis ducere Bertam, quia isti jus quæsitum, quod per subsequentia Sponsalia propter publicam honestatem invalida auferri non potuit: neque publica honestas agit retro ut dissolvat Sponsalia præcedentia, juxta expressum textum in *c. un. de Sponsal.* Aliud dicendum foret, si sororem Cajam etiam carnaliter cognovisses; tunc enim neutram sororem ducere posses in uxorem; non Cajam propter impedimentum publicæ honestatis; non Bertam propter impedimentum affinitatis ortum è carnali commercio cum ejus sorore. 12.

Inferes quartò. Ex Sponsalibus conditionatis ante impletam conditionem non oriri impedimentum publicæ honestatis per text in *c. un. §. ille verò. de Sponsal.* in 6. neque enim Sponsalia conditionata ante impletam conditionem ullum producunt effectum. 13.

ARTICULUS III.

De Sponsalibus conditionatis & modificatis.

SUMMARIA.

1. *Quando conditio impossibilis, vel turpis habeatur pro non adjecta?*
2. *An licita & valida sint Sponsalia sub conditione dispensationis?*
3. *Quæ conditiones tollant valorem Sponsalium?*
4. *Conditio honesta, possibilis de futuro suspendit valorem Sponsalium.*
5. *Conditiones repugnantes fini Matrimonii invalidant Sponsalia.*
6. *Potest adjici in Sponsalibus pœna pro injustè resiliente.*
7. *Jura, quæ opponuntur, sunt intelligenda de justè resiliente.*

§. I.

Quomodo obligent Sponsalia conditionata.

1. Suppositis quæ dixi de promissionibus conditionatis & modificatis Tract. 13. disp. 4. 5. a. 1. §. 3. 3.

Quæritur primò utrùm in Sponsalibus de futuro conditiones impossibiles & turpes de futuro ut *si digito cœlum tetigeris, si priùs corporis tui usum dederis*, habeantur pro non adjectis, prout illas vult haberi in Matrimonio S. Pontifex in *c. fin. h. t.*

Respondeo cum communi DD. Haberi pro non adjectis, & præsumi in foro externo, joci tantùm causâ non seriò fuisse appositas, nisi ex aliis circumstantiis constet, seriò, & non joci causâ fuisse appositas, vel animum contrahendi defuisse: etsi enim ista sit juris præsumptio, quod joci causâ apponantur, non tamen est de jure, sed tam per probationes, quàm præsumptiones contrarias elidi potest; ita si Lutheranus Catholicæ promittat Matrimonium; eâ conditione: *si religionem Catholicam deserueris*; seriò egisse censebitur, quamvis conditio sit turpis: si nobilis ad rusticam dicat: *Ducam te, si in agro tuo aurum creverit*, ob disparitatem natalium in ipsa promissione potiùs quàm conditione lusisse censebitur.

Quæres secundò. An licita & valida sint Sponsalia inter habentes impedimentum dirimens, sub conditione, si Summus Pontifex dispensaverit? 2.

Respondeo affirmativè cum communi: quia hoc casu contrahentes se obligant ad petendam dispensationem; & eâ obtentâ Matrimonium contrahendum; quorum neutrum est aliquid impo-

impossibile vel inhonestum: neque refert, quòd tempore Sponsalium sint inhabiles ad contrahendum Matrimonium de præsenti: nam etiam impuberes sunt inhabiles ad contrahendum Matrimonium, inter quos tamen contrahi possunt Sponsalia.

3. Quæres tertiò. Quænam conditiones appositæ relinquant, aut quæ tollant valorem Sponsalium?

Respondeo primò. Si conditio sit de præsenti, vel præterito, e. g. *Ducam te, si sis primogenita, si non habuisti alium maritum, &c.* Sponsalia sunt valida stante conditione; invalida, si conditio subsistat; quia valor promissionis conditionatæ dependet à veritate conditionis, ut habet S. D. in suppl. q. 47. a. 1.

4. Respondeo secundò. Si conditio sit de futuro, eaque possibilis & honesta, suspendit valorem Sponsalium, usque dum conditio fuerit impleta & verificata: tunc enim Sponsalia transeunt in absoluta, & statim obligant, e. g. *ducam te, si dederis in dotem mille aureos*, numeratis tot aureis in dotem tenebit contractus: quia hæc est natura contractûs initi sub conditione de futuro, ut hâc purificatâ perinde obliget, ac si fuisset absolutus.

5. Respondeo tertiò. Si conditiones appositæ pugnent contra finem, substantiam, & bonum Matrimonii, nulla sunt Sponsalia.

Nota: Bonum Matrimonii esse triplex, vinculum indissolubile, fidem thori conjugalis, & prolis generationem: unde potest aliqua conditio apponi, quæ ejusmodi fini intrinseco & substantiæ matrimonii repugnet, sive illa sit honesta, sive inhonesta, e. g. *Ducam te, si promittis mecum in perpetua castitate vivere; sumpto pharmaco sterilitatem procures*, hoc quippe repugnat bono & generationi prolis. Dicimus ergo, ejusmodi conditionem appositam invalidare contractum sponsalitium; quia non præsumitur habere verum consensum de ineundo Matrimonio, qui apponit conditionem pugnantem cum substantia & intrinseco fine Matrimonii; sed ejusmodi conditio pugnat cum substantia & fine intrinseco Matrimonii, quo conjuges sibi mutuò tradunt jus in sua corpora ad finem procreandæ prolis, quam traditionem apposita conditio perpetuæ castitatis excludit. Sed de hoc paulò inferiùs plura.

§. II.

De pœna apposita Sponsalibus?

Quæres quartò. An licitè ac validè Sponsalibus possit apponi pœna luenda parti à contractis Sponsalibus injustè resilienti, quemadmodum ejusmodi pœnæ conventionales aliis contractibus possunt & solent apponi? 6.

Non posse eam partem ad pœnam luendam obligari, quæ justo titulo resilit à Sponsalibus, clarè evincitur ex *c. gemma. de Sponsal.* & *l. Titia ff. de V. O. l. ult. cod. de Sponsal.* Igitur solummodò quæritur de pœna luenda parti injustè resilienti. Ad quam quæstionem

Respondeo. Potest licitè & validè contractui sponsalitio adjici certa pœna solvenda ab eo qui injustè resilierit. Ita Coninck disp. 22. dub 5. Suarez to. 2. de Relig. l. 2. de juram c. 23. n. 5. Palao disp. 1. de Sponsal. p. 9. n. 3. Layman L. 5. Tract. 10. p. 1. de Sponsal. c. 1. n. 8. Oberascher Tract. 2. c. 1. §. 4. in fine. Ratio est: Si irritè adjiceretur pœna solvenda ab injustè resiliente, causa foret, quòd pœnæ adjectio impediret libertatem Matrimonii (hæc quippe est causalis Adversariorum) sed non impedit; ergo. Minor probatur primò: Censura Judicis Ecclesiastici, quâ feritur injustè resiliens, non impedit libertatem futuri Matrimonii: ergo multò minùs aliqua moderata pœna conventionalis. Secundò conventio de solvendis arrhis in duplum vel quadruplum statuta jure Civili in resiliente injustè locum habet etiam in contractu sponsalitio per *l. mulier. C. de Sponsal.*; neque impedit libertatem Matrimonii, quamvis fortè excedat quantitatem pœnæ conventionalis: ergo neque pœna conventionalis est vetita aliquo jure, aut adversa libertati Matrimonii. Accedit Novella 18. Leonis Imperat. in qua ejusmodi pœna approbatur, neque à jure Canonico clarè & liquidò reprobatur.

Opponuntur in contrarium aliqui textus è præcitatis juribus desumpti, quibus prohibetur adjectio talis pœnæ. Sed respondetur, jura non loqui de pœna adjecta pro injustè, sed solùm pro justè resiliente, prout ex ratione adjuncta dilucidè potest colligi; ajunt enim, *quòd metus hujus pœnæ solvendæ impediret libertatem Matrimonii, multi enim justas causas resiliendi habituri, metu hujus pœnæ etiam inviti ad nuptias adigerentur.* At quomodo impeditur vel imminuitur libertas in injustè resiliente, qui ne quidem causam & facultatem habet resiliendi, atque hoc ipso graviter peccat, quòd resiliat? 7.

ARTICULUS IV.

Quomodo Sponsalia dissolvantur?

SUMMARIA.

1. *Sponsalia inter puberes mutuo consensu solvuntur.*
2. *Item per Matrimonium cum altera validè contractum.*
3. *Nec est obligatio ad priorem redeundi, si conjux moriatur.*
4. *Solvuntur Sponsalia per fornicationem unius sive carnalem, sive spiritualem.*
5. *Per notabilem personæ immutationem.*
6. *Per ingressum Religionis.*
7. *Egressus tamen tenebitur ducere Sponsam volentem.*

8. *Sol-*

8. Solvuntur per S. Ordinis susceptionem.
9. Per votum Religionis.
10. An etiam per votum simplex castitatis?
11. Solvuntur per quodlibet impedimentum dirimens Matrimonii.
12. Per lapsum diei conventionalis.

1. Sponsalia dissolvi possunt primò mutuo consensu, si sint inter puberes contracta, ut habetur *c. præterea de Sponsal.* Nam contractus naturâ suâ dissolubilis, ex iisdem causis dissolvi potest, ex quibus constituitur: cùm ergo Sponsalia mutuo consensu puberum constituantur; mutuo quoque consensu dissolvi possunt. Dixi, *si inter puberes contracta*, nam, ut dicitur in *c. de illis. de despons. impub.* quando impuberes contraxerunt Sponsalia, debent expectare annos pubertatis, quos assecuti, libere, si velint, à Sponsalibus resilire, eaque dissolvere poterunt.

2. Secundò solvuntur Sponsalia per Matrimonium validè cum altera contractum: ut habetur in *c. si inter de Spons.* licèt enim taliter contrahens graviter peccet contra fidem datam alteri; nihilominus cùm duo vincula inter se incompatibilia concurrunt, illud tenet, quod fortius est: sed hic fortius est vinculum Matrimonii rati, & traditio de præsenti, quàm Sponsalia, & soli promissio traditionis: ergo.

3. Sed etiamne illa Sponsalia ita extinguuntur, ut, si secunda Sponsa, cum qua contractum est Matrimonium, moriatur, nulla sit amplius obligatio ad priorem Sponsum redeundi? Respondeo: Nullam amplius esse obligationem ad priorem Sponsam redeundi; quia per sequens Matrimonium priora Sponsalia non sunt suspensa, sed extincta, ut colligitur ex textu *c. si inter, de Sponsalibus. & c. 1. de Sponsa duorum.* Cujus ratio est, quòd, cùm concurrunt obligationes ejusdem rationis; prior extinguitur per fortiorem supervenientem; sicuti votum strictioris Religionis omnino extinguitur per professionem in Religione laxiori. Unde nulla est paritas, quam opponunt, & in qua fundantur Adversarii, quòd simplex votum Religionis non extinguatur; sed suspendatur tantùm per posteriorem traditionem incompossibilem Matrimonii consummati; nam istæ obligationes sunt distinctæ rationis, dum una fit homini, altera Deo. In nostro autem casu sunt ejusdem rationis, dum utraque fit homini. Ita Sanch. l. 1. d. 48. n. 3. qui tamen rectè addit, si Sponsus Virginem, cum qua priora Sponsalia contraxit, sub spe Matrimonii defloraisset, teneri soluto posteriori Matrimonio eam ducere, non vi Sponsalium, quæ extincta sunt; sed ratione damni illati, & præstandæ satisfactionis.

4. Tertiò solvuntur Sponsalia per fornicationem alterius sive corporalem esto illa fuerit à fœmina violenter extorta, sive spiritualem, hoc est, hæresin, aut idololatriam, ut habetur in *c. raptor 27. q. 2. & c. non solum C. 28. q. 1.* Et ratio primi est, quòd Sponsi videantur hanc tacitam conditionem includere in promissione Matrimonii, nisi fuerit peccatum contra leges Matrimonii, nam frangenti fidem fides frangatur eidem, & nisi fuerit facta notabilis immutatio personæ, qualis etiam censetur, si Sponsa fuerit violenter cognita, tametsi fidem ipsa non fregerit. Ratio secundi est, periculum perversionis sive Sponsi, sive liberorum, qui ex illo conjugio nascerentur. Huc pertinet aliud quodvis grave crimen, ex quo altera pars notabiliter fit vilior, ut furtum, homicidium item; si Sponsa in se permittat turpes tactus, & oscula: ex hoc enim fit vilior & habetur pro impudica: quòd si uterque tam Sponsus quàm Sponsa essent fornicati, solum Sponsum, non autem Sponsam resilire posse, docet communis DD. præter Sanch. quia fornicatio fœminæ multò turpior, & propter prolis incertitudinem censetur multò periculosior, quàm fornicatio viri.

5. Quartò solvuntur Sponsalia per quamlibet talem mutationem supervenientem, quæ, si fuisset præscita, alterum meritò absterruisset à contractu; ut primò, si dos promissa non detur *c. de illis. de condit appos.* Secundò, si ex statu honesto alteruter vel uterque redigatur in egestatem. Tertiò: si ex parte alterutrius supervenerit notabilis deformitas; v. g. si Sponsa oculum, vel nasum amiserit. Quartò: si morbo contagioso laborare incipiat. Quintò: Si fiat infamis. Sextò: si cognoscatur esse truculentis moribus; quæ causa cùm sit sufficiens ad divortium juxta *c. ad litteras de. restit. spol.* erit à fortiori sufficiens ad solvenda Sponsalia.

Quintò solvuntur Sponsalia per solum ingressum Religionis etiam ante professionem, primò, quia ingrediens Religionem ex sua parte sufficienter declarat, se renunciare Sponsalibus, ideoque pars altera eximitur ab obligatione. Secundò: quia multò minus requiritur ad dirimenda Sponsalia, quàm Matrimonium ratum: cùm ergo Matrimonium ratum dissolvatur per ingressum Religionis professione firmatum; Sponsalia dissolventur per solum ingressum Religionis hondum professione firmatum. 6.

Sed solvunturne Sponsalia ex parte utriusque, ita ut ingressus Religionem, si ante professionem ad sæculum redeat, non teneatur Sponsam ducere? Affirmativam amplectitur Sanch. d. 42. ex eo fundamento, quòd proportionaliter ita se habeat Novitiatus Religiosus ad Sponsalia; sicut Professio ad Matrimonium ratum: ergo sicut favore Religionis ista totaliter extinguit Matrimonium ratum, sic eodem favore novitiatus extinguit obligationem Sponsalium, nisi quis fraudulenter esset Religionem ingressus, animo statim egrediendi, & sic Sponsam decipiendi; fraus enim nemini patrocinari debet *c. ex tenore de rescr.* 7.

Opposita tamen, quam etiam vocat probabilissimam, verior est primò; quia, licèt ingrediens cedat jure suo, non tamen manens in sæculo. Secundò non apparet magna mutatio conditionis & status, si ad sæculum redeat, & quamvis esset, tamen pars in sæculo manens; illam tolerare posset. Tertiò vota quæcunque simplicia per Novitiatum non extinguuntur sed suspenduntur: ergo similiter obligatio Sponsalium. Facilè etiam respondeo ad fundamentum oppo-

oppositum: magna enim est disparitas inter Novitiatum in ordine ad solvenda Sponsalia à Professione in ordine ad solvendum Matrimonium ratum; nam solutio Matrimonii rati videtur provenire ex speciali concessione & privilegio Christi, cujus quoad novitiatum nullum extat vestigium. Deinde novitiatus nullam includit obligationem faciendæ professionis, uti tamen Sponsalia includunt obligationem Matrimonii contrahendi.

8. Sextò solvuntur Sponsalia per Ordinis sacri susceptionem: quia sacer Ordo reddit inhabilem ad Matrimonium contrahendum. Dico *sacri*, quia huic soli annexum est votum continentiæ, non item Minoribus, qui propterea non solvunt Sponsalia.

9. Septimò solvuntur Sponsalia per votum Religionis, juxta communem DD. (nisi Sponsa fuisset deflorata sub spe Matrimonii, quo casu non esset licitus ingressus Religionis) quia cùm Sponsalia contrahens sibi reservârit jus ingrediendi Religionem, & consequenter jus eandem vovendi, ad hoc votum implendum obligabitur, nec ab illo impediri poterit.

10. Sed etiamne solvuntur Sponsalia ex parte utriusque per votum simplex castitatis vel SS. Ordinum post Sponsalia emissum? Respondeo. Utramque sententiam esse probabilem. Affirmans est communior Theologorum, & præcipuè Thomistarum, ad mentem D. Th. in 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. dicentis: *Simili modo obligat votum simplex, sicut Sponsalia, unde propter votum simplex sunt Sponsalia dirimenda.* Ita docet Ledesma, Sotus, Gonett, Lessius & alii. Cujus sententiæ fundamentum est, quòd in contractu Sponsalium tacitè intelligatur contineri ista conditio, nisi perfectiorem vivendi modum elegero: atqui votum castitatis & continentiæ (quod etiam in SS. Ordinibus continetur) est de meliori bono. Opposita & negativa est communior Canonistarum, quam sequitur Sanch. d. 46. & habet istud fundamentum; quòd Deus non acceptet promissionem rei priùs alteri promissæ, in ipsius præjudicium: unde equum Petro promissum non possum promittere Ecclesiæ: cùm igitur per sponsalia Sponsus suum corpus promiserit Sponsæ, ejusdem promissio Deo facta per votum non acceptatur in quantum præjudicat Sponsæ, bene autem in quantum est in præjudicium voventis, qui licèt teneatur cum Sponsa Matrimonium contrahere, & conjugi petenti debitum reddere, non tamen poterit ex sua parte debitum exigere, aùt Sponsâ mortuâ ad alia Sponsalia, vel nuptias transire. Ipsi tamen Sponsæ liberum erit à vovente castitatem resilire; siquidem per tale votum Sponsus censetur tacitè Sponsalibus renunciâsse; res etiam notabiliter fuissent immutatæ, dum soli deinceps Sponsæ onus petendi debitum incumberet.

Octavò solvuntur Sponsalia per quodlibet impedimentum dirimens Matrimonium, quia cùm ipsum Matrimonium reddat illicitum & invalidum, hoc ipso tollit Sponsalium obligationem, quod etiam communiter extenditur ad illud impedimentum, quod licèt non sit certum, est tamen communi fama vulgatum, ratione scandali, quod ex tali Matrimonio in populo oriretur. 11.

Nonò solvuntur Sponsalia per lapsum diei conventionalis; quando videlicet terminus præfixus contrahendo Matrimonio contrahentium culpâ elabitur; ut colligitur ex *c. sicut ex litteris 22. de Sponsalibus.* Item cùm Sponsus in longinquas terras domicilium transfert, juxta *c. de illis, 5. de Sponf.* præsumitur enim tunc Sponsus ex sua parte renunciâsse Sponsalibus. 12.

DISPUTATIO LIII.

De Matrimonio tanquam contractu civili.

MAtrimonium sic dicitur, quasi *Matris munium*, hoc est, officium, eò quòd in concipienda, gestanda, parienda, & alenda prole usque ad ætatem adultiorem potiores sint partes, & major cura Matris, uti econtra providere proli jam adultæ de competenti hæreditate, paternæ magis curæ incumbit, ideoque talis hæreditas à patre Patrimonium denominatur: illud nunc sub ratione civilis contractûs consideramus ejusque essentiam, & objectum disquirimus.

ARTICULUS I.

SUMMARIA.

1. *Definitio Matrimonii.*
2. *Triplex finis, in quem Matrimonium referri potest.*
3. *Divisio Matrimonii in legitimum, ratum, &c.*
4. *Triplex bonum Matrimonii.*
5. *Duplex acceptio Matrimonii, in fieri & facto esse.*
6. *Matrimonium in fieri formaliter consistit in mutuo consensu, &c.*
7. *Matrimonium in facto esse consistit in mutua relatione conjugum.*
8. *Matrimonium in facto esse formaliter distinguitur à Matrimonio in fieri solùm in genere physico, non in genere moris.*
9. *Matrimonium formaliter non consistit in copula conjugali.*

§. I.

§. I.

Prænotanda.

1. Notandum primò. Matrimonium rectè describi à Magistro Sententiarum, quòd sit *viri & mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Ubi primò loco generis ponitur *conjunctio animorum*, hoc est mutuus consensus viri & fœminæ, (utpote sine quo nullus contractus subsistit) Secundò per modum differentiæ additur *maritalis*, ad excludendas alias conjunctiones fraternas filiales &c. & ad designandum, quòd iste consensus sit contractus, quo uterque conjugum alteri traditur in suum corpus ad usum finemque Matrimonii. Dicitur tertiò *viri & fœminæ* in singulari, ad excludendam polygamiam jure naturæ prohibitam. Dicitur quartò *inter legitimas personas*, hoc est, nullo impedimento à tali contractu prohibitas; Ac tandem *individuam vitæ societatem retinens*, quo indicatur indissolubile vinculum Matrimonii, seu mutua obligatio conjugum ad perpetuò convivendum.

Notandum secundo: Matrimonium posse in triplicem finem referri: primò in officium naturæ, hoc est, liberorum procreationem pro conservatione speciei humanæ; secundò in remedium concupiscentiæ; ac tertiò ad significandam collationem gratiæ, & mysticam unionem Christi cum Ecclesia, quâ posteriori ratione elevatur ad rationem Sacramenti.

2. Notandum tertiò: Matrimonium aliquod dici *legitimum & non ratum*, aliud *ratum & non legitimum*: aliud *legitimum & ratum*. Legitimum & non ratum est Matrimonium inter infideles & Judæos contractum juxta leges cujusque loci: quod quia dissolvi potest, juxta infra dicenda, non ratum appellatur. Ratum non legitimum est, quod inter Christianos & fideles contrahitur contra aliquas leges canonicas, non quidem irritantes, sed tamen prohibentes, aut impedientes contractum, de quibus suo loco. Legitimum & ratum est, quod fideles servatis Canonum legibus & solennitatibus celebrant. Quod rursus vel est initiatum, hoc est, mutuo consensu initum, ex quo jam resultat indissolubile vinculum Matrimonii, & sic communiter Matrimonium ratum nominatur: vel est consummatum per copulam carnalem, & tunc aliquando perfectum, non perfectione essentiali, sed accidentali, ut ex dicendis constabit.

3. Notandum quartò: Bonum Matrimonii triplex numerari. Primò bonum Sacramenti, quod est vinculum indissolubile & individua vitæ societas. Secundò bonum prolis, hoc est, susceptio & educatio liberorum. Tertiò bonum fidei, hoc est, mutuæ obligationis ad corporis usum alteri extraneo non concedendum.

4. Notandum quintò, accipi posse dupliciter: semel pro ipso, permanente statu Matrimonii, & sic dicitur in facto esse: & semel pro actuali ingressu in talem statum, seu pro inchoatione Matrimonii, & sic dicitur Matrimonium in fieri. His positis, sit

§. II.

Resolutio quæstionis.

CONCLUSIO. *Matrimonium in fieri formaliter consistit in mutuo consensu, sine traditione & acceptatione corporum signis externis manifestata. Matrimonium autem in facto esse consistit formaliter in vinculo conjugali, hoc est, mutua relatione conjugum, connotante mutuam corporum traditionem, in qua fundatur.* Sic videntur conciliari posse Thomistæ, quorum aliqui in vinculo, alii in consensu constituunt essentiam Matrimonii. 5.

Prima pars probatur primò: Matrimonium in fieri est de genere contractuum: sed in Matrimonio non alibi reperitur ratio contractûs, quàm in illo mutuo consensu, traditione & acceptatione corporum: est enim, ut dictum, contractus ultro citroque obligatio: quæ tunc fit in Matrimonio, quando conjuges tradunt invicem jus ad usum proprii corporis pro fine Matrimonii. 6.

Secundò: Matrimonium, quod est in officium naturæ, est à Christo elevatum, ut sit Sacramentum novæ legis causativum gratiæ: sed hoc non est aliud, nisi ipse contractus, & mutuus consensus conjugum: ergo Matrimonium, ut est in officium naturæ, formaliter consistit in mutuo consensu conjugum, non quidem ut est in facto, sic enim est aliquid permanens: ergo ut est in fieri. Minor probatur: Omnia Sacramenta novæ legis præter Eucharistiam consistunt in aliquo transeunti: sed in Matrimonio nihil transit, quàm consensus per signa externa manifestatus: ergo Matrimonium à Christo elevatum ad esse Sacramenti formaliter consistit in illo mutuo consensu: ideoque S. D. in suppl. q. 44. a. 1. vinculum Matrimonii appellat rem, hoc est, effectum Sacramenti, non autem partem Sacramenti.

Secunda pars probatur: Matrimonium in facto esse est conjunctio permanens inter marem & fœminam: sed hoc est ipsum vinculum Matrimonii; unde etiam durante hoc vinculo matrimoniali formaliter durat & permanet Matrimonium, eo sublato cessat: ergo formaliter consistit in hoc vinculo. quod autem hoc vinculum sit de genere relativorum, inde constat, quòd per hanc conjunctionem vir ad mulierem dicat habitudinem mariti, & mulier habitudinem uxoris, ac proinde istud matrimoniale vinculum nil aliud sit à parte rei, quàm mutua coordinatio maris & fœminæ ad officia maritalia; ideoque si in distinctione Matrimonii ly *conjunctio* sumatur activè, significat Matrimonium in fieri, hoc est, mutuum consensum; si sumatur passivè, significat Matrimonium in facto esse, hoc est, mutuam istam coordinationem, in illo consensu fundatam, & ex eo resultantem. 7.

Dices: Si Matrimonium in facto esse consisteret in relatione fundata in mutuo consensu, tunc toto genere distingueretur à Matrimonio in fieri: sed hoc dici nequit ex duplici capite. Primò: quia sequeretur, quòd inter eosdem conjuges simul darentur duo Matrimonia formaliter distincta; 8.

Secundò; quia, quæ distinguuntur ab invicem, ut in fieri & facto esse, tantùm accidentaliter distinguuntur, uti patet in calore: sed ita distinguuntur Matrimonium in facto & in fieri: ergo.

Respondeo: Matrimonium in facto esse formaliter toto genere distingui à Matrimonio in fieri, in esse physico, & ita esse Matrimonia inter eosdem conjuges in esse physico formaliter distincta; quia unum est causa & fundamentum, alterum verò est effectus & relatio; non autem in esse & genere moris, eò quòd relatio vinculi matrimonialis à suo fundamento nempe præcedente contractu denominationem accipiat, & utraque ad invicem moraliter coordinetur. ex quo patet solutio ad primam probationem: Ad secundam respondeo: Ea, quæ distinguuntur ut in fieri & facto esse, tantùm accidentaliter distinguuntur, nisi id, quod dicitur esse in fieri, sit ipsum fieri, concedo; secùs, nego. sed Matrimonium ita est in fieri, ut sit ipsum fieri, hoc est, actio & consensus transiens, ex quo resultat relatio vinculi matrimonialis.

Inferes ex dictis, Matrimonium formaliter non consistere in ipsa copula, aut jure ad petendum, vel obligatione mutuâ ad reddendum debitum. Primam partem contra Julianum probat D. August. primò quòd hâc ratione non fuisset conjugium inter Beatissimam Virginem & D. Josephum, quod repugnat S. Scripturæ. Secundò, non permaneret Matrimonium inter senes & effœtos conjuges: tertiò hâc ratione adulteria forent Matrimonia. quartò, Matrimonium ratum est verum Matrimonium absque copula. Secundæ partis ratio est primò: quòd jus & obligatio possit cessare per adulterium alterius conjugis, item per ingressum in Religionem, non ideo tamen cessante Matrimonio. Secundò, quia secundùm verba S. Scripturæ & communem sensum SS. Patrum, erat verum Matrimonium inter Beatissimam Virginem & S. Josephum, & tamen obligatio reddendi debitum fuit voto castitatis perpetuò impedita. 9.

ARTICULUS II.

De objecto consensûs matrimonialis.

SUMMARIA.

1. *Consensus mutuus est de essentia Matrimonii.*
2. *Potest esse purus, vel conditionatus.*
3. *Objectum consensûs matrimonialis est jus mutuum in corpora.*
4. *Consensus maritalis saltem implicitè fertur in copulam.*
5. *Verum fuit matrimonium inter Beatissimam Virginem & S. Josephum.*
6. *Matrimonium respectu totius generis humani est juris naturalis præceptivi.*
7. *Fornicatio intrinsece mala.*
8. *Fuit in omni statu honestum Matrimonium.*
9. *Polygamia an, & quomodo dispensabilis?*
10. *In conjugibus est obligatio justitiæ reddendi debitum.*
11. *Matrimonium validè contrahitur inter absentes.*

§. I.

Statuitur objectum consensus.

1. CErtum est primò. Consensum utriusque conjugis signis expressum, ita esse essentialem Matrimonio, ut eo non subsistente nullum sit Matrimonium. Unde si DEUS virtute sui supremi dominii viro traderet potestatem in corpus alicujus mulieris (prout aliqui censent actum in Osea Propheta, cùm DEUS jussit ipsum accedere ad mulierem fornicationis, & ex ea suscipere liberos) consuetudo cum tali muliere non quidem esset fornicaria, eò quòd non accederet ad non suam, postquam à DEO accepisset potestatem & jus in corpus ipsius: non tamen foret Matrimonium nec in fieri, nec in facto esse. non in fieri, quia deesset consensus, qualis ad contractum essentialiter requiritur: non in facto, quia istud mutuum consensum ceu fundamentum essentialiter præsupponit. Dici tamen posset Matrimonium virtualiter, vel æquivalenter, quia per divinam concessionem æquè habe-ret jus in corpus mulieris ad liberos inde suscipiendos, quàm si per contractum, & consensum mulieris illud acquisivisset.

2. Certum est secundò: Hunc matrimonialem consensum posse esse purum seu absolutum, & conditionatum: quia natura contractûs est, ut fieri possit purè, vel conditionatè. Excipitur tamen conditio impossibilis juxta dicta in præced. Disp. de Sponsalibus conditionatis, ut *si digito cœlum attigeris*: hæc enim habetur pro non adjecta, juxta *c. 1. de condit. app. in 6.* Item quæ fini intrinseco & substantiæ Matrimonii est contraria: ut, *si me non cognoveris, si prolis generationem evitaveris*, &c. tunc enim contractus est nullus per *c. ult. t. eod. in 6.* quia, ut, inquit S. D. q. 48. a. 1. ad 3. *illa conditio explicita, non solùm actui, sed etiam potestati contrariatur copula carnalis, & ideo est contraria Matrimonio.*

3. CONCLUSIO. *Objectum formale immediatum consensus matrimonialis, est jus mutuum in corpus proprium*: illud enim est formale & immediatum objectum in aliquo contractu, quod explicatur dari & accipi per illum, veluti patet in emptione & venditione: sed contrahentes in contractu Matrimonii explicant, se sibi invicem tradere jus in corpus proprium: ergo.

Sed etiamne consensus maritalis necessariò fertur in copulam?

Respondeo: Non quidem esse necessarium, ut explicitè, bene tamen ut implicitè feratur in copulam,

pulam, adeòque contrahentes tacitè consentire in usum Matrimonii saltem quatenus ex vi præsentis contractûs, in actu primo, & quoad usum juris. Ratio est: qui consentit in translationem dominii alicujus rei, quæ ex sua natura ordinatur ad talem usum, ad minùs implicitè consentit in talem usum, si non in actu secundo, saltem ut in actu primo, & quoad jus, illâ re utendi, quod etiam vocatur usus juris: sed traditio & acceptatio corporum in matrimonio ex sua natura ordinatur ad copulam carnalem, tanquam necessarium medium ad susceptionem prolis, qui est finis intrinsecus Matrimonii: ergo etiam in illo consensu matrimoniali fit saltem implicitus & tacitus consensus in copulam.

Addidi tamen terminos limitantes, *implicitè, quatenus ex vi præsentis contractûs*, & *quoad usum juris*: nam primò validus est contractus matrimonii, quantumvis alter conjugum habeat expressum animum ingrediendi Religionem: ubi ille contrahens non potest habere explicitum consensum in copulam actualem: tantùm igitur potest habere implicitum, & quantum ad jus copulæ competens vi præsentis contractûs. Secundo: Validum est votum Religionis, quantumvis habeat aliquis simul intentionem illud nunquam servandi: ergo validus erit contractus & obligatio Matrimonii, quantumvis ex alio capite v. g. voto accedat voluntas nunquam habendi copulam carnalem.

5. Et hinc salvatur veritas Matrimonii inter Beatissimam Virginem & S. Josephum, D. Henricum & Kunigundam, Marcianum & Pulcheriam: quamvis enim tunc non potuerit adesse consensus in ipsam copulam, impediente nimirum proposito, & in primo quidem etiam voto perpetuæ Virginitatis, tamen aderat consensus implicitus quoad usum juris, quia quantum est ex vi præsentis contractûs, ita jus in suum corpus mutuò tradiderunt, ut tamen distincta voluntate & intentione actualem usum facti invicem concedere noluerint.

§. II.

Corollaria.

6. Inferes primò: Matrimonium respectu totius communitatis generis humani esse juris naturalis etiam præceptivi, quamvis respectu singulorum tantùm sit juris naturalis permissivi, nisi in extraordinario casu, quo alii homines ad propagationem generis humani deficerent, ut tempore primorum parentum, & post diluvium. Ratio est, quòd bonum & conservatio speciei sit ex dictamine naturæ, hæc autem in tota communitate nequit sine Matrimonio conservari: adeòque ratione totius communitatis, & illorum, à quibus in aliquo casu totius communitatis conservatio dependet, urget præceptum naturale Matrimonii; quod tamen singulos homines non obligat, eò quòd istud bonum sufficienter obtineri possit, quamvis plurimi vivant in cælibatu. Hinc

7. Inferes secundò: Fornicationem, & multò magis voluntariam pollutionem esse intrinsecè malam, & omni casu illicitam, quia ab intrinseco infert privationem finis à natura intenti, qui est propagatio speciei, bonum & educatio prolis.

8. Inferes tertiò contra Simonem Magum & alios quosdam hæreticos: Matrimonium, ejusque actum, nisi per malas circumstantias vitietur, in omni lege fuisse & esse honestum, quia finis ad quem ex natura ordinatus, est honestus, estque actus justitiæ propriè dictæ.

9. Inferes quartò: Polygamiam ex parte viri, hoc est, pluralitatem maritorum respectu unius uxoris nullo jure & statu permissam ac permissibilem esse: quia videlicet permixtio seminum & incertitudo patris principaliter pugnat contra bonum prolis. Econtra polygamiam ex parte fœminæ, hoc est, pluralitatem uxorum respectu unius mariti, quamvis sit jure tam divino, quàm naturali prohibita, tamen esse dispensabilem, & aliquando, nimirum in veteri testamento dispensatam: quia, ut inquit S. D. hæc polygamia non est contra primarium finem Matrimonii, qui est procreatio & educatio prolis, sed tantùm contra secundarium, qui est pax domestica, & maritalis, quæ inter plures uxores perquam difficilè conservatur. Potest autem DEUS jure sui supremi dominii in præceptis naturalibus secundariis dispensare, non quidem (ut supp. ex Tr. de Legibus) propriè dictâ dispensatione auferendo efficaciam legis, sed impropriè, immutando nimirum materiam legis, quo modo DEUS in antiquo testamento cum antiquis Patriarchis, eorumque posteris in gente Judaica dispensavit: ante quam dispensationem (quæ iisdem Patriarchis probabiliter per divinam revelationem innotuit) post diluvium factam ob generis humani necessitatem, polygamia à Lamech filio Caini introducta, erat illicita & peccaminosa.

10. Inferes quintò: Esse in utroque conjugum obligationem justitiæ ad reddendum debitum alteri comparti exigenti, à qua obligatione etsi grave periculum corporis excuset, (ut si conjux esset leprosus) quia conservatio suiipsius est potior, quàm propagatio speciei, tamen ab hac obligatione nec excusat sanctitas diei, quamvis utique sit de decentia, iis diebus abstinere ab actu conjugali; neque paupertas & multitudo liberorum, cùm procreatio liberorum sit ipse finis, ad quem debitum ordinatur: neque malam intentionem petentis debitum in finem capiendæ voluptatis; tum quia illa intentio solùm venialiter mala non impedit jus petendi debitum: tum quia reddens debitum se tantùm habet permissivè ad illam malitiam venialem.

11. Inferes sextò: Matrimonium validè posse contrahi inter absentes: quia contractus etiam inter absentes per litteras vel Procuratorem celebrari potest: sed Matrimonium formaliter est contractus: ergo.

DISPUTATIO LIV.

De Matrimonio, ut est Sacramentum.

CONsideratis, quæ ad essentiam matrimonialis contractûs præcisè à ratione Sacramenti pertinent: nunc illa tractamus, quæ eidem conveniunt in ratione Sacramenti, nimirum ministrum, materiam & formam, tum intrinsecam, tum extrinsecam, eamque tam substantialem, quàm accidentalem, ac tandem impedimenta ipsius Matrimonii.

ARTICULUS I.

An & quando Sacramentum Matrimonii sit institutum?

SUMMARIA.

1. *Matrimonium est Sacramentum novæ legis.*
2. *Quo tempore Matrimonium sit institutum?*
3. *Hæreticorum objectiones depelluntur.*
4. *Non licet Christianis, in Matrimonio separare Matrimonii contractum à Sacramento.*
5. *Potest tamen dari inter ipsos Matrimonium validum in ratione contractûs, quod non sit Sacramentum.*
6. *Matrimonium per Procuratores, aut litteras contractum est verum Sacramentum.*
7. *Quadam instantia in contrarium.*
8. *Disparitas inter Matrimonium & alia Sacramenta.*
9. *Qui per Procuratorem contrahit Matrimonium, debet conari, ut eo tempore sit in statu gratiæ.*
10. *In lege Moysis Matrimonium non fuit Sacramentum.*
11. *Nec est, si alter conjugum sit infidelis.*
12. *Matrimonium tamen hæreticorum est Sacramentum.*
13. *Peccat contrahens in statu peccati mortalis.*

§. I.

Veritas Catholica.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Matrimonium est Sacramentum novæ legis à Christo institutum.* Ita definitum à Flor. in Decr. un. & Trid. sess. 24. can. 1.

Colligitur primò ex verbis Apostoli Ephes. 5. ubi postquam Apostolus dixerat, viri & uxoris mutuam consensionem repræsentare divini Verbi cum humana natura hypostaticam unionem, & ejusdem cum Ecclesia conjunctionem per fidem & charitatem; ideoque maritis præcepit, *ut diligerent uxores, sicut Christus Ecclesiam*, tandem subintulit & conclusit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Secundò constat ex SS. PP. nominatim Augustino l. de bono conjug. c. 18. dicente: *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Et c. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis conjugalis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Et lib. de fide & oper. *In civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.*

Probatur ratione; Signum sensibile & practicum gratiæ sanctificantis permanenter à Christo institutum, est verum Sacramentum: sed tale signum est Matrimonium: ergo est verum Sacramentum. Minor probatur: nam primò est actio sensibilis, nempe contractus per signa externa notificatus; secundò à DEO institutus: *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. Est evectus ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam & charitatem, ut habet Apostolus loc. cit. & quidem ad gratiam contrahentibus tribuendam, quam quadruplicem enumerat Apostolus 1. Tim. 2. *Salvabitur conjux per filiorum generationem, si permanserit in fide* (contra perfidiam) *& dilectione,* (contra odium) *& sanctificatione* (contra immunditiam) *cum sobrietate,* (contra intemperantiam.)

Ratio quoque congruentiæ est; quia Christus in institutione Sacramentorum providit remedia pro specialibus difficultatibus in vita Christiana occurrentibus: sed Matrimonii status habet speciales difficultates: ergo conveniens fuit, ut ad illas difficultates superandas institueretur speciale remedium & adjutorium gratiæ, quod fit elevando Matrimonium ad esse sacramentale. Minor constat primò, quia Matrimonium in nova lege est monogamum & indissolubile. Secundò, quia usus Matrimonii inflammat concupiscentiam, & absorbet rationem. Tertiò, educatio liberorum & supportatio mutuarum infirmitatum est admodum onerosa &c. Unde

CON-

2. CONCLUSIO SECUNDA. *Matrimonii Sacramentum fuit institutum à Christo vel eo tempore, quando nuptiis interfuit in Cana Galilaa, aut intra illos 40. dies, qui intercedunt Resurrectionem & Ascensionem.* Primæ opinionis congruentia est paritas à Baptismo: is enim censetur institutus à Christo, quando Christus à Joanne baptizatus aquas sanctificavit: ergo tunc Matrimonium fuit à Christo institutum, quando illud suâ præsentiâ & suo miraculo conversionis aquæ in vinum (quo commodè significatur elevatio Matrimonii ad esse sacramentale) honoravit. Secundæ opinionis ratio est, quòd, cùm dicat Apostolus, Christum tunc apparuisse crebrò Apostolis docentem & *loquentem de regno Dei*; communis sit sententia DD ea tunc Apostolis à Christo tradita & instituta esse, de quorum institutione nullum aliud determinatum tempus ex historia Evangelica desumi potest.

3. Dices primò. Si Matrimonium foret Sacramentum, foret perfectius virginitate: sed consequens est contra Apostolum 1. Cor. 7. ergo. Secundò: Matrimonium primorum parentum æquè significabat conjunctionem inter Christum & Ecclesiam, nec tamen erat Sacramentum. Tertiò: In omni Sacramento assignabile est verbum & elementum: sed Matrimonium potest carere verbis, cùm possit solis nutibus contrahi: ergo non est Sacramentum.

Respondeo ad primum. Matrimonium foret perfectius virginitate in ratione Sacramenti, concedo; in ratione status, in quo subjectum constituitur, nego. Et in hac posteriori acceptione Apostolus virginitatem Matrimonio prætulit; quia per virginitatem homo magis propiùsque Deo conjungitur, & *cogitat, quæ Domini sunt*. Ad secundum distinguo antecedens: æquè significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia speculativè, concedo; practicè, nego. In novo autem testamento Matrimonium conjunctionem Christi cum Ecclesia etiam practicè significat, in quantum secum affert ipsam gratiæ sanctificantis participationem. Ad tertium respondeo. Si in Matrimonio desint verba formalia; non tamen deesse virtualia, hoc est, signa consensum contrahentium sufficienter exprimentia; quæ sufficiunt ad contractûs matrimonialis Sacramentum; siquidem est de natura contractûs, ut possit signis ejusmodi perfici.

§. II.

Separabilitas inter rationem Sacramenti & contractûs civilis.

4 CErtum est ex dictis, sola Matrimonia Christianorum fuisse elevata ad esse & dignitatem sacramentalem. Igitur controversia solùm est, utrùm inter ipsos Christianos possit dari Matrimonium validum in ratione contractûs civilis & naturalis, quod tamen non sit validum in ratione Sacramenti? sive an ratio contractûs & Sacramenti sint separabiles in Matrimonio fidelium? e. g. Si contrahentes facerent intentionem faciendi contractum, non autem Sacramentum? Respondeo. Etiamsi nullo casu liceat Christianis separare rationem contractûs à ratione Sacramenti; tamen absolutè posset inter Christianos Matrimonium esse validum in ratione contractûs legitimi, quin tamen esset validum ratione Sacramenti. Ita Vasq. Martinon, Dicastillo, Gonett contra Suarez.

Primæ partis ratio est primò: Quòd nunquam liceat agere contra institutionem Christi: at Christus instituit, ut Matrimonium fidelium esset Sacramentum. Secundò, quòd nunquam liceat ponere materiam & formam Sacramenti non posito ipso Sacramento; & impedito effectu Sacramenti. Tertiò, quia Christianus tenetur ritu & more Christiano, non Ethnico, aut Judaico contrahere Matrimonium.

5. Secundæ partis ratio est: quòd Christus elevando res quasdam naturales & morales ad esse Sacramenti, nihil abstulit de earundem natura physica vel morali, sed tantùm aliquid superaddidit; ita ut, si quid desit, quò minùs ex iis fiat Sacramentum, nihil tamen de naturali ipsarum efficacia tollatur, veluti constat ex inductione aliorum Sacramentorum: nam si quis sine intentione faciendi Sacramentum infantem ablueret, prolatâ super ipsum formâ Baptismi, nihil deesset ad rationem Baptismi seu ablutionis naturalis, quantumvis nullum conficeretur Sacramentum: ergo similiter cùm Christus contractum legitimum Matrimonii elevârit ad esse Sacramenti, quantumvis defectu intentionis nullum fiat Sacramentum, nihil tamen obest, quò minùs fiat contractus civilis, si adsint debitæ conditiones; præsertim cum nullum sit fundamentum è S. Scriptura talem inseparabilitatem inter rationem contractûs & Sacramenti adstruendi: ex eo quoque quòd Concilia universaliter affirment, Matrimonium fidelium esse Sacramentum, tantùm infertur, quòd ordinariè sit, possit & debeat esse Sacramentum; ex quo tamen non impeditur quin aliquando per accidens unum ab altero separari possit.

§. III.

An Matrimonium inter absentes contractum possit habere rationem Sacramenti?

DUplici modo contrahi potest inter absentes; nimirum vel per procuratorem; vel per literas: nec dubium est juxta superiùs dicta de Sponsalibus, Matrimonium in ratione contractûs civilis sive per procuratorem observentur conditiones ibidem indicatæ, & adhibeatur præsentia Parochi cum duobus testibus; jure Tridentini non tantùm ad Sacramenti, sed etiam ad valorem contractûs matrimonialis requisita. Controversia igitur est, an hoc modo contractus matrimonialis initus habere possit rationem Sacramenti, ubi Cajet to. 1. opusc. tr. 12. q. 2. & Canus l. 8. c. 5. negativam, Sotus, Navarrus, & communis Doctorum affirmativam tuentur.

6 CONCLUSIO. *Matrimonium contractum per procuratores, & per litteras inter Christianos est verum Sacramentum novæ Legis.* Ita comm. Pro-

Probatur primò. Matrimonium validum in ratione contractûs civilis inter Christianos est Sacramentum, nisi intentio sit contraria, juxta dicta in priori §. sed Matrimonium contractum per procuratorem, aut per litteras, est validum in ratione contractûs civilis: ergo est Sacramentum. Neque enim Christus in institutione hujus Sacramenti aliquid mutavit ex parte contractûs, sed addidit, eundem elevando ad dignitatem Sacramenti.

Secundò. Matrimonium per procuratores, aut litteras contrahitur sciente & tolerante Ecclesia, habeturque pro rato & indissolubili, æquè ac Matrimonium inter præsentes contractum: ergo non est, cur ipsi denegetur ratio Sacramenti.

Tertiò. Ubi est materiæ & formæ debita applicatio, ibi fit Sacramentum: sed in ejusmodi contractu matrimoniali est debita applicatio materiæ & formæ: nam, ut mox dicetur, materia est traditio, forma est acceptatio mutua corporum, quæ exprimitur tum per procuratorem nomine mandantis, tum à comparte acceptante, cujus interest, nec deest quicquam ex essentialibus; ergo per talem contractum fit Sacramentum.

7. Unde non refert primò, quòd alia Sacramenta requirant præsentiam subjecti, cui conferuntur. Secundò, quòd contractus matrimonialis jure Tridentini fieri debeat in præsentia parochi, & duorum vel trium testium. Tertiò, quòd mandans possit incidisse in amentiam, vel dormire, tempore quo procurator ipsius nomine contrahit; ex quo sequitur, ipsum vel recepturum in somno augmentum gratiæ absque suo actu, si sit priùs in statu gratiæ constitutus, vel peccaturum mortaliter, si non sit in statu gratiæ, eò quod obicem ponat, ne Sacramentum possit suum effectum producere.

8. Respondetur enim ad primum. Nullum aliud Sacramentum habere rationem contractûs, sicut Matrimonium: unde mirum non est quòd absenti conferri nequeat: Matrimonium verò regulatur juxta naturam contractuum, ideòque etiam absenti & solùm moraliter per procuratorem præsenti conferri potest. Ad secundum respondeo: Omninò formam Tridentini, ubi receptum est, debere servari, & ideo cùm procurator exponit consensum sui mandantis, eumque de præsenti reciprocè à Sponsa recipit, debere intervenire præsentiam parochi cum testibus à Tridentino requisitam. Ad tertium respondeo: Nullum esse inconveniens, ut homo in somno vel amentia recipiat sacramentalem gratiam ex opere operato, dummodò priùs habuerit intentionem ejusmodi Sacramentum recipiendi hactenus non interruptam, ut patet ex iis, quæ dixi de Sacram. in gen. Similiter non est absurdum, ut quis in somno peccet mortaliter omittendo aliquem actum, cujus omissioni per somnum culpabilem causam dedit, prout dixi in Tract. de pecc. person.

9. Atque idcirco, qui mittit procuratorem ad contrahendum Matrimonium, graviter obligatur curare, ut sit in statu gratiæ pro eo tempore, quo verisimiliter judicat, Matrimonium à procuratore suo nomine fore contrahendum, cùm hæc sit necessaria dispositio ad dignam receptionem Sacramenti, prout tradit cit. Oberascher §. 2.

§. IV.

Quædam Corollaria ex dictis.

Colliges primò. Matrimonium in lege naturæ & Moysis non fuisse Sacramentum, sed contractum legitimum & civilem: quia non habetur ullum Fundamentum è S. Scr. dicendi, quòd per illud homines fuerint sanctificati. Neque dicas: Patriarchas antiqui testamenti fuisse sanctiores multis contrahentibus in nova lege; quia sanctitas Ministri non dat rationem Sacramenti, sed institutio Christi. 10.

Colliges secundò, Idem dicendum esse de Matrimonio unius fidelis cum altera persona infideli. Nam non nisi fidelium contractus matrimonialis est elevatus ad esse sacramentale: sed contractus essentialiter includit consensum plurium: ergo, nisi uterque sit fidelis, ille contractus non elevatur ad esse Sacramenti. Confirmatur: Acceptatio alterius compartis in conjugem pertinet ad formam hujus Sacramenti: sed acceptatio facta à non baptizato non potest esse pars & forma Sacramenti Matrimonii: ergo si acceptatio fiat à non baptizato, deest pars formalis adeòque essentialis Matrimonii. Unde cùm Apostolus 1. Cor. 7. dicit, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, non est intelligendus de perfecta sanctitate gratiæ, sed vel de sanctitate legali, & extrinseca, vel de præparatione quadam ad veram sanctitatem; quia nimirum propter conversionem mulieris fidelis, vir infidelis habet majorem facultatem & viam ad fidem Christianam. 11.

Colliges tertiò: Matrimonia hæreticorum vel unius personæ catholicæ cum altera hæretica esse Sacramentum, dummodo habeant generalem intentionem contrahendi, quo modo fideles contrahunt. Ratio est, quòd legitimus contractus matrimonialis baptizatorum à Christo est elevatus ad rationem Sacramenti: sed Matrimonia hæreticorum sunt legitimi contractus baptizatorum, neque supponitur aliquid de esse ex parte intentionis, aut materiæ & formæ: ergo. 12.

Colliges quartò. Illicitè contrahi Matrimonium cum conscientia peccati mortalis, eò quòd sit Sacramentum vivorum, quod pro sua prævia dispositione requirit statum gratiæ. Si tamen Matrimonium fuerit contractum cum obice sive culpabili sive inculpabili gratiæ, valde probabile est, quòd remoto illo obice conferat gratiam, ne conjuges fructu & effectu Sacramenti perpetuò careant; siquidem Matrimonium inter eosdem conjuges ampliùs iterari non potest. 13.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Materia, forma, & ministro Matrimonii.

SUMMARIA.

1. *Materia & forma Matrimonii sunt verba contrahentium, quatenùs exprimentia consensum reciprocum.*
2. *Sub ratione traditionis sunt materia, & forma sub ratione acceptationis.*
3. *Minister Sacramenti sunt contrahentes.*
4. *Corpora contrahentium sunt materia remota.*
5. *Varia differentia Matrimonii ab aliis Sacramentis.*
6. *Conjuges in statu peccati mortalis contrahentes non graviter peccant propter indignam administrationem Sacramenti.*
7. *Definitur Sacramentum Matrimonii.*
8. *Ætas requisita ad Matrimonium.*
9. *Subsistit Matrimonium post legitimam ætatem contractum, tametsi contrahentes nondum essent habiles ad usum Matrimonii.*
10. *Potest dispensari ex gravi causa, ut contrahatur ante annos pubertatis.*
11. *Matrimonia impuberum non semper valent in vim Sponsalium.*
12. *Consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii.*
13. 14. *Consensus conditionatus impletâ conditione sufficit ad Sacramentum Matrimonii.*
15. *Objectiones diluuntur.*
16. *Exponitur Testimonium D. Thomæ.*
17. *Tempore impleta conditionis non est necesse repeti solennitates Tridentini.*
18. *Solvuntur objectiones.*
19. *Excipiuntur conditiones potestativa.*

§. I.

Determinatio Materiæ, formæ, & ministri.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Materia & forma Matrimonii sunt verba contrahentium, quatenùs exprimentia reciprocum consensum & mutuam traditionem & acceptationem corporum: ita ut ille consensus, quatenùs est traditio, habeat rationem Materiæ; quatenus autem est acceptatio, habeat rationem formæ.* Ita comm. cum S. D. in 4. d. 26. q. 2. a. 1. ubi hæc habet: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quædam Sacramentale.*

Ratio primæ partis est: Quod constituit essentiam contractûs Matrimonialis, constituit essentiam istius Sacramenti: sed verba contrahentium (sive formalia sive virtualia, hoc est, nutus, scripta, vel alia signa in defectu verborum mutuum consensum sufficienter exprimentia) quatenùs exprimentia & includentia mutuum consensum internum, constituunt essentiam contractûs: ergo. Major patet primò: quia Christus instituens Sacramentum Matrimonii non immutavit naturam contractûs Matrimonialis, sed eundem solummodò assumpsit ad dignitatem Sacramenti. Secundò, Quia in tantum Christus elevat Matrimonium ad esse Sacramentale, in quantum est significativum suæ unionis cum Ecclesia; sed hoc habet in quantum est contractus pariens indissolubilem unionem: ergo. Minor constat ex natura contractûs civilis, qui mutuâ traditione & acceptatione perficitur. Confirmatur: Tam de ratione Sacramenti seu signi sensibilis, quàm etiam de ratione contractus civilis sunt signa externa; sed hæc sunt verba contrahentium exprimentia mutuum consensum, ergo.

Secunda pars deducitur ex priori; Id quod est determinabile, habet rationem Materiæ, & econtrà quod est determinativum habet rationem formæ in aliquo composito physico, vel morali; sed traditio in contractibus habet se per modum determinabilis, & perficitur, determinatur, ac completur per acceptationem: ergo traditio facta signo sensibili habet rationem Materiæ; acceptatio verò rationem formæ. Cùm igitur eadem verba contrahentium & traditionem & acceptationem significent, ideò sub ratione traditionis Materia; sub ratione verò acceptationis sunt forma hujus Sacramenti. 2.

CONCLUSIO SECUNDA. *Minister hujus Sacramenti sunt ipsimet contrahentes.* Ratio ex dictis est, quia Minister Sacramenti est, qui applicat formam Materiæ; sed hanc applicant ipsi contrahentes, ergo ipsi sunt ministri. 3.

Inferes primò. Corpora contrahentium esse Materiam remotam hujus Sacramenti; quia nimirum sunt objectum ipsius contractûs Matrimonialis: objectum verò circa quod versatur materia proxima & actio Sacramenti, est Materia remota ipsius. 4.

Inferes secundò. Matrimonii Sacramentum multùm differe ab aliis tam quoad Materiam, quàm quoad formam, & ministrum: nam in aliis forma consistit in verbis formalibus; in Matrimonio autem sufficiunt verba virtualia, hoc est, signa qualiacunque internum consensum exprimentia. Secundò. Aliorum Sacramentorum adæquata Materia sunt res; Matrimonii verò Materia adæquata possunt esse verba, non quidem quatenùs verba formaliter, sed quatenùs sunt res quædam virtualiter, nempe sensibilis traditio corporum. Ex quo satisfit Florentino asserenti, omnia Sacramenta tribus perfici; *rebus tanquam Materia, &c.* Tertiò in aliis Sacramentis Materia & forma realiter distinguuntur: in Matrimonio verò tantùm moraliter & virtualiter. Quartò. In aliis Minister Sacramenti ab ejusdem subjecto distinguitur; in Matrimonio autem minister à subjecto non distinguitur; cùm ipsi contrahentes sint sibi invicem ministri: quæ omnes differentiæ oriuntur ex natura contractûs qui veluti huic Sacramento est essentialis, ita & specialis. 5.

6. Infe-

6. Infeses tertiò. Conjuges cum conscientia peccati mortalis contrahentes Matrimonium, quamvis graviter peccent propter indignam susceptionem Sacramenti, non tamen propter indignam administrationem; quia nimirum non sunt Ministri sollennitatis; de quo vide quæ dixi de sacr. in gen.

7. Inferes quartò. Sacramentum Matrimonii rectè describi, quòd sit *Sacramentum nova legis, quo vir & mulier legitimè invicem tradunt jus in sua corpora, in ordine ad perpetuam vita societatem, & prolem Christianè suscipiendam & educandam*; hác quippe definitione tam forma, quàm materia proxima & remota unà cum fine intrinseco Sacramenti exprimitur.

§. II.

De quibusdam requisitis, ut consensus mutuus Sacramentum constituat.

Certum est primò, ad consensum pro Matrimonii Sacramento sufficientem requiri omnes conditiones, quas postulat contractus in genere; ut quòd debeat esse verus, non fictus, aut simulatus; à libera voluntate & humano modo procedens, non vi coactivâ injustè extortus; imò nec gravi metu, ut deinceps de Matrimonii impedimentis specialiter dicendum recurret.

Certum est secundò. Requiri quasdam solennitates tanquam formam extrinsecam contractûs matrimonialis, de quibus art. seq. Ita hoc loco pro solvendis quibusdam dubiis moveri solitis,

8. Quæres primò. Qualis ætas sit requisita ad validè contrahendum Matrimonium?

Respondeo requiri utroque Jure Civili & Canonico annos pubertatis, qui in masculo præsumuntur expleto anno 14. & in fœmina anno 12. ut habetur passim toto tit. de despons. impub. ubi tamen hæc est Juris Canonici à jure Civili diversitas, quòd per jus Canonicum huic præsumptioni non tantum tribuatur, quin, *si malitia ætatem suppleat.*, hoc est, si ante præscriptos annos aliunde constet de sufficienti prudentia & potentia generandi, pro valore Matrimonii judicetur, possitque inter eos consistere Matrimonium, qui tamen jure civili juxta numerum annorum impuberes habentur, per text. & DD. in *c. puberes. 3. c. de illis* 9. & *c. fin. de desponsat. impub.*

9. Quæres secundò. An, si masculus decimo quarto anno & fœmina duodecimo anno adhuc sint inhabiles ad usum Matrimonii, Matrimonium contractum sit validum?

Respondeo affirmativè, quia in hac ætate indistinctè ab utroque jure habiles reputantur: nec temporale impedimentum tollit valorem contractûs matrimonialis juxta *c. firmiter de frig. & malefic.*

10. Quæres tertiò. An ex gravi causa, v. g. inter Principes pro bono pacis, vel utilitatis publicæ ante annos pubertatis contrahi possit Matrimonium?

Respondeo. Posse per Summi Pontificis dispensationem hoc modo Matrimonium contrahi, tametsi certò constet de contrahentium inhabilitate ad usum Matrimonii tempore contractûs, dummodo sufficienter intelligant & intendant contractum Matrimonii. Ratio est: quòd præscriptio ætatis non sit juris naturalis, sed positivi, cui proinde per dispensationem derogari potest: impotentia quoque generandi, nisi sit perpetua, valori Matrimonii non obsistat, ut habetur *c. ex litteris. 3. c. fraternitatis 6. de frig. & malefic.* Colligitur etiam ex *c. 2. de desponsat impub.* ubi Summus Pontifex inquit: *Districtiùs prohibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem à legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi fortè aliquâ urgentissimâ necessitate talis conjunctio toleretur:* ubi Summus Pontifex admittit casum, in quo ejusmodi conjunctio tolerari possit.

Quæres quartò. An saltem Matrimonia impuberum valeant in vim Sponsalium, prout videtur asseri in *c. fin. h. t.* 11.

Respondeo. Accedente intentione restrictiva ad solum contractum matrimonialem Matrimonia impuberum ne quidem vim Sponsalium obtinent, cùm sint simpliciter nulla, ut docet Sylv. V. Matrimonium. Unde Summis Pontificis dispositio cit. l. procedit solùm ex præsumptione, quòd contrahentes voluerint se obligare omni meliori modo.

Quæres quintò. An ad Matrimonia validè, 12. vel licitè contrahenda à filiisfamilias requiratur consensus parentum?

Respondeo. Quantumvis filiifamilias possint graviter peccare, si sine præscitu, aut contra rationabilem voluntatem parentum præsertim cum personis suâ conditione indignis, cum generis & sanguinis contumelia contrahant, valere tamen contracta Matrimonia. Ratio primæ partis est: quia per ejusmodi contractum & præteritionem parentum potest graviter violari reverentia parentibus debita, adeòque contractus esse illicitus & peccaminosus. Secunda pars est decisa à Trident. sess. 24. de reformat matr. c. 1. & habetur *c. cùm virum. 12. de Regular. c. sufficiat. 27. q. 2.* Cujus ratio est, quòd in his, quæ statum vitæ concernunt, filiifamilias liberam electionem habent, neque coguntur sequi voluntatem parentum, juxta præcitat. *c. cum virum.* Atque ita docet comm. Doctorum, exempla è S. Scriptura & testimonia SS. Patrum cumulatim adducentium.

§. III.

De consensu conditionato.

Quæres sextò. An consensus conditionatus 13. constituat Matrimonii Sacramentum?

Suppono primò. Si consensus matrimonialis habeat adjunctam conditionem de præsenti: ut *si pater tuus est mortuus, si es filia Titii*, confestim fieri Sacramentum, si conditio subsistat: eà verò non subsistente, neque contractum, neque Sacramentum subsistere. Secundò, si conditio necessariò sit futura, statim constitui vali-

validum contractum, adeòque & inter Christianos Sacramentum: quia tunc conditio jam est præsens in sua causa. Tertiò: Si conditio sit impossibilis, aut turpis, quando ex circumstantiis colligitur, non adfuisse animum serium contrahendi, nullum fieri Matrimonii contractum, & Sacramentum: si absint ejusmodi circumstantiæ, in foro externo præsumi, fuisse animo jocandi appositas, adeòque favore Matrimonii haberi pro non adjectis, ut dicitur in *c. ult. de condition. appos. Si conditiones appositæ Matrimonio turpes, aut impossibiles fuerint: debent propter favorem ejus, pro non adjectis haberi.* Procedit ergo quæstio de consensu matrimoniali dato sub conditione honesta de futuro possibili, substantiæ ac fini Matrimonii non repugnante, e. g. *si pater tuus consenserit,* (nam repugnantem jam antè removimus) de quo equidem Certum est quartò, contractum per ejusmodi conditionem suspendi, ut non sit completus, priusquam conditio impleatur: sed difficultas est, utrùm impletâ conditione mox resultet Sacramentum Matrimonii absque oppositione novi consensûs, adeò ut contrahentes statim fiant conjuges, recipiantque gratiam sanctificantem, tametsi fortè dormiant? an verò novus consensus requiratur? Utraque sententia est tam ab authoritate, quàm ratione probabilis.

14. Respondeo: Matrimonium condionatè initum, secutâ conditione *purificatur & convalescit,* fitque verum Sacramentum absque novo consensu. Ita Salmantic. c. 7. dub. 1. n. 67. cum communissima Canonistarum, quibuscum ex Theologis tenent Cornejo, Card. de Lugo, Sanch. Laym. Coninck, Herinx, Dicastillo, Palao, aliique apud citatos Salmantic.

Ratio est: Christus instituendo Sacramentum Matrimonii non mutavit naturam contractûs, sed eandem elevavit solummodo ad rationem Sacramenti: atqui est de natura contractûs, ut possit conditionatè iniri, utque impletâ conditione mox purificetur, & convalescat ut habetur *l. hac venditio. ff. de contrah. empt. l. potior. ff. qui potior. &c.* ergo eadem est natura contractûs matrimonialis: sicuti propterea etiamā per Procuratorē & inter absentes nemine contradicente, legitimè celebratur: atqui hoc ipso contractus matrimonialis etiam est Sacramentum: nam omnis contractus matrimonialis legitimus & completus inter fideles est Sacramentum: sed impletâ conditione contractus Matrimonii est legitimus & completus: ergo est Sacramentum. Minor patet inductione omnium contractuum civilium, ipsiusque contractûs sponsalitii, qui omnes secutâ conditione purificantur, & transeunt in absolutos, moxque suum effectum tribuunt.

15. Opponitur primò authoritas Doctoris Angelici in 4. d. 29. q. un. a. 3. ad quæstiunc. 3. ita loquentis: *Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras, & tunc est Matrimonium; quia talia futura jam sunt præsentia in suis causis: aut est contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem est judicium de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de futuro, unde non facit Sacramentum.*

Secundò in *c. super eo. de condit. apposit.* Pontifex duo dicit: inprimis ejusmodi consensum (*accipio te in meam, si pater tuus consenserit*) non esse verum consensum matrimonialem, licèt per verba de præsenti exprimatur, eò quòd in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistat. Deinde; siquis conditionatè contraxit cum fœmina, impletâ conditione cogendum esse ad contrahendum: sed si contractus subsisteret, frustrà cogeretur ad contrahendum. Tertiò: Consensus ab initio non fuit sufficiens ad constituendum contractum & Sacramentum Matrimonii, neque fit sufficiens per eventum conditionis, neque enim per illum ponitur novus consensus, aut prior perficitur, qui ceu actus internus, qui jam pridem transiit, ab externo eventu non potest perfici: ergo requiritur novus consensus ad constituendum Matrimonium.

Ad primum respondeo: Testimonium illud D. Thomæ non esse tam clarum pro opposita sententia, uti communiter jactatur; non enim determinat S. Doctor, an secutâ conditione contractus Matrimonii fiat purus, & absolutus, sed tantùm quòd tempore, quo per verba de præsenti contrahitur Matrimonium sub conditione de futuro, nondum sit Matrimonium perfectè contractum, sed ad instar sponsalium de futuro dependeat à secutura conditione, adeò ut pendente conditione possit contrahens cum alia contrahere; quod omnino verum est: nam sicut sponsalia quodammodo dependent à futuro consensu de præsenti; sic Matrimonium conditionatum à futura impletione conditionis. 16.

Ad secundum respondeo: Illo loco (ut patet legenti) Summum Pontificem ad hoc, de quo requisitus erat, respondere: non esse cogendum ad consummandum Matrimonium ante impletam conditionem, qui sub conditione contraxerat, unde Tò *contrahendum* ibidem ponitur, pro consummandum, uti præcedentia verba evincunt.

Ad tertium Respondeo: Primum consensum fuisse sufficientem suppositâ nimirum positione conditionis: unde eventus conditionis non ponit novum consensum, sed apponit necessarium requisitum, quod prior consensus apponi voluit, ut suum sortiretur effectum: qui tametsi formaliter transierit, virtualiter tamen & moraliter usque ad eventum conditionis perseverat.

Quæres septimò: An repetendæ sint præscriptæ solennitates Tridentini, quando impletur conditio casualis? 17.

Respondeo: Quamvis ex authoritate Theologorum affirmativa sit valde probabilis; negativam tamen, quæ est recepta apud Canonistas, esse non minùs probabilem ex ratione. Ratio est primò; quia ex Tridentino non plus requiritur, quàm ut Matrimonium coram Parocho & testibus contrahatur: atqui contrahitur Matrimonium non quando impletur conditio, sed quando con-

consensus conditionatus exprimitur, tametsi Matrimonium tunc nondum sit perfectum: ergo sufficit, quòd tunc adhibita fuerit solennitas Tridentini. Secundò: A Tridentino solennitas apponitur Matrimonio juxta naturam actuum conditionalium: sed est de natura actuum conditionalium, ut solennitates apponantur, non quando impletur conditio, sed quando actus ponitur; imò conditio impleta retrotrahitur ad tempus contractûs initi, ac perinde habetur, ac si contractus ab initio fuisset purus & absolutus, ut patet in solennitate septem testium requisita ad testamentum; in præsentia & authoritate tutoris requisita ad validum contractum pupilli. Tertiò: Quamvis matrimonialis contractus propter occultum impedimentum ab initio fuerit nullus, tamen ad ejus convalidationem non est necessarium, ut repetantur solennitates Tridentini: ergo neque est necessarium, ut repetantur, quando impletur conditio.

18. Dices: Tunc primùm perficitur Sacramentum Matrimonii, quando impletur conditio: sed tunc requiritur assistentia Parochi, quando perficitur Sacramentum: ergo. Secundò: Ideo requiritur assistentia parochi & testium, ut Matrimonium probari possit: sed probari non posset, nisi parochus & testes æquè haberent notitiam conditionis impletæ, quàm consensûs inchoati; siquidem iste ante impletam conditionem mutari potuit: ergo.

Respondeo ad primum, negando minorem: tunc enim requiruntur solennitates, quando contrahitur Matrimonium: sed contrahitur quando datur consensus conditionatus, esto nondum sit perfectum Matrimonium & Sacramentum. Ad secundum distinguo majorem: requiritur assistentia &c. ut Matrimonium aliquo modo & quoad aliqua probari possit, concedo; omni modo, & quoad omnia, à quibus ejus valor dependet, nego: non enim plus requirit Tridentinum, quàm ut coram testibus Matrimonium contrahatur; quoad alia verò nihil innovat, sed in antiqui juris dispositione relinquit.

Meritò tamen excipiuntur à præcedenti 19. assertione conditiones (ut vocant) potestativæ, quæ videlicet ab alterius contrahentium voluntate dependent: ut, *duco te, si intra annum non ingrediar Religionem. Si Salisburgo velis discedere &c.* cùm enim ejusmodi conditiones non retrotrahantur, neque Matrimonium contractum censeatur, quando talis conditio apponitur, sed quando completa est, per claros textus in *l. qui balneum* 9. §. 1. *l. potiori.* 11. *ff. qui potiores*: ideo completâ solùm conditione adhibendæ erunt solennitates Tridentini. Ita cum Baldo, & Fach. Reverendiss. D. Kimpfler h. t.

Sed hæc quidem in theoria; in praxi verò & conscientia cùm circa valorem Sacramentorum teneamur sequi tutiorem, suadendum erit, ut impletâ conditione contrahentes coram parocho & testibus suum consensum renovent: siquidem sententiæ hoc requirentes sunt verè probabiles & tutiores.

ARTICULUS III.

De solennitatibus Matrimonii.

SUMMARIA.

1. *Quæ sint solennitates Matrimonii?*
2. *Aliquæ sunt substantiales, aliæ accidentales.*
3. *Tridentinum formaliter nihil mutavit circa materiam sacramentalem Matrimonii.*
4. *Absentia Parochi non suppletur per alios testes.*
5. *Ubi Tridentinum non est receptum, valet clandestinitas.*
6. *Testium præsentia æquè requiritur ac Parochi.*
7. *Præsentia non debet esse successiva, sed simultanea.*
8. *Non sufficit physica, sed requiritur etiam moralis.*
9. *Non requiritur specialis conditio testium.*
10. *Etiam hæretici obligantur decreto Tridentini, ubi semel est publicatum.*
11. *Parochus Catholicus licitè assistit Matrimonio hæreticorum.*
12. *Conditiones requisitæ ex parte Parochi.*
13. *Conditiones requisitæ ex parte Sacerdotis substituti.*
14. *Quibus casibus valeat Matrimonium contractum sine assistentia Parochi.*
15. *Qualis assistentia requisita respectu vagorum?*
16. *Denunciationes non necessariò sunt in Ecclesia & inter Missarum solennia.*
17. *In qua parochia facienda denunciationes?*
18. *A quonam facienda?*
19. *An per tres continuos festivos dies?*
20. *A quo in denunciationibus dispensari possit?*
21. *Parochus non potest dispensare, nisi in urgentissima necessitate.*
22. *Causa dispensandi.*
23. *Quid observandum in benedictione nuptiarum?*

§. I.

Certa præmittuntur de substantiali solennitate.

Sicut in aliis actibus civilibus alia est forma 1. intrinseca, alia extrinseca, consistens in præscriptis à Jure solennitatibus; quæ iterum vel est essentialis, si prætermissâ observatione illarum

latum actus declaratur irritus; alia accidentalis, quæ non est de necessitate, sed præcepto, ideoque sine justa & rationabili illius observantia actus quidem est illicitus, non tamen invalidus: ita celebrationi & contractui matrimoniali præter formam intrinsecam consistentem in mutua acceptatione corporum, seu jurium ad usum corporis pro fine procreandæ prolis, præscripta est à Tridentino forma extrinseca, consistens in quibusdam solennitatibus, quæ sess. 24. de reform. matrim. c. 1. his verbis enarrantur: *Sancta Synodus &c. præcipit, ut deinceps antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis festis diebus in Ecclesia inter, Missarum solennia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium contrahendum. Quibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto vel dicat, Ego vos conjungo in nomine Patris, &c. vel aliis utatur verbis juxta receptum locorum ritum.* Et postea. *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabit, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & tales contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat, &c.* Ex quibus constat, jure positivo Tridentini requiri trinam denunciationem præviam, copulationem seu benedictionem Parochi, ejusdem Parochi testiumque præsentiam. De quibus

2. Suppono primò. Non omnes ex præmissis solennitatibus esse de forma substantiali & valore Matrimonii, sed solam assistentiam Parochi cum duobus vel tribus testibus: huic quippe soli S. Synodus adjungit terminos irritantes, adeòque juxta tradita in Tract. de Leg. illa sola solennitas contractui est substantialis, cujus omissio tam in foro conscientiæ quàm externo contractum matrimonialem reddit irritum; reliquæ verò solennitates sunt cæremoniæ accidentales, quarum omissio facta sine rationabili causa, actum reddit illicitum, non tamen invalidum.

3. Suppono secundò. Per hoc Decretum nihil fuisse directè & formaliter mutatum circa materiam aut formam hujus Sacramenti à Christo instituti; quia sicut à Christo institutum est, ut contractus legitimus matrimonialis esset Sacramentum, sic etiam nunc post Tridentinum: sed tantùm fuit aliquid mutatum indirectè & materialiter, in quantum Tridentinum determinavit, ut præsentia Parochi & testium antiquo jure requisita ut contractus matrimonialis esset licitus, nunc etiam esset sollennitas requisita ad valorem & substantiam ipsius, ita ut illâ prætermissâ contractus esset nullus & irritus adeòque ex consequenti incapax ut sit materia Sacramenti, quod est materiam Sacramenti mactare indirectè & materialiter. Hinc

§. II.

Corollaria de præsentia Parochi & testium.

Inferes ex dictis primò. In terris, ubi Tridentinum est receptum, nullo casu, aut necessitate fieri posse, ut valeat Matrimonium sine Parochi præsentia contractum, etiamsi contraheretur in præsentia Judicis, Notarii, aliorumque testium, aut licèt contrahentes ignorarent decretum Tridentini; quia lex universalis & ex motivo universali tenet etiam in quocunque casu particulari, quantumvis motivum legis in illo casu particulari deficiat; actus quoque, qui ex defectu debitæ formæ nullus est, per invincibilem ignorantiam convalidari non potest. 4

Inferes secundò. Catholicos in terris gentilium hæreticorum, aliorumque locorum versantes, ubi Tridentinum non est receptum, sicut & ipsos hæreticos non observatâ formâ Tridentini validè contrahere, quia præsentia Parochi & testium non nisi ex obligatione Tridentini requiritur: sed Tridentinum in ejusmodi terris non obligat; ipsius enim obligatio tantùm incipit post 30. dies à facta publicatione, in his autem terris, ut supponitur, non est facta publicatio: ergo. 5

Inferes tertiò. Eadem necessitate ad valorem Matrimonii requiri præsentiam testium, quâ requiritur præsentia Parochi: quia eodem modo Tridentinum loquitur de præsentia testium, ac de præsentia Parochi. 6

Inferes quartò. Prædictam præsentiam debere esse simultaneam, non successivam: ita ut non sufficeret, si contrahentes suum consensum jam Parocho, postea testibus declararent: nam Concilium utitur particula copulativa & finis quoque istius præcepti est, ut matrimonium, si negetur, probari possit: hoc autem non æquè obtineri potest per testes successivè, quàm simultaneè adhibitos. 7

Inferes quintò. Prædictam præsentiam Parochi & testium non tantùm debere esse corporalem, sed etiam moralem, hoc est, ut sciat & advertat, hic & nunc Matrimonium contrahi: unde non satisfieret Tridentino, si Parochus interesset contractui dormiens vel ebrius, vel aliter distractus, ut nesciat, quid fiat: requiritur enim ipsorum præsentia tanquam testium, per quos Matrimonium probari possit, testis autem esse non potest, qui nescit quid agatur. 8

Inferes tamen sextò. Sufficere quoscunque testes, etiamsi non sint rogati, vel etiam inviti, aut contradicentes, aut sub alio prætextu vocati, vel ab Episcopo prohibiti, excommunicati, &c. Idem est de Parocho, cùm enim verba Tridentini ex parte Parochi vel testium non requirant specialem conditionem, eaque ceu correctoria Juris antiqui sint strictæ interpretationis, non est ratio specialem conditionem in ipsis exigendi. Neque Parochus adest ut Minister Sacramenti, sed ut testis: atqui testis ut loquitur Juris-Consultus in *l. coràm, ff. de V. O. scire non etiam velle debet, nam & invito rectè fit quod jussus est &c.* 9

10. Inferes septimò. Hæreticos viventes inter Catholicos, ubi publicatum est Tridentinum, teneri ad observandas solennitates; siquidem non minùs obligantur legibus Ecclesiasticis, quàm Divinis & naturalibus, ut aliunde suppono.

§. III.

Quæstiones de solennitate substantiali resolvuntur.

11. Quæres primò. An Catholicus Parochus licitè assistat Matrimonio hæreticorum, si quos habeat in sua parochia?

Respondeo affirmativè cum Layman, & communi, nihil enim obest licitæ assistentiæ; siquidem etiam Matrimonium hæreticorum est Sacramentum, etsi fortè hæretici peccent in statu peccati contrahendo; ipse tamen non est minister Sacramenti, sed testis solummodo, hæretici quoque cum Catholicis permixti nec in sacris, nec politicis sunt vitandi, nisi denuncientur.

12. Quæres secundò. Qualis debeat esse parochus assistens Matrimonio?

Respondeo primò. Parochi nomine intelligitur omnis ille qui in alterutrum contrahentium habet ordinariam jurisdictionem sive mediatam, sive immediatam. Sanchez l. 3. disp. 27. cum communi, Unde si contrahentes sint ex diversis parochiis, vel episcopatibus, alteruter Parochus sive Sponsi, sive Sponsæ validè Matrimonio assistet, cùm ratione sui parochiani etiam indirectè acquirat jus in alterum contrahentem connexum cum illo.

Respondeo secundò. Parochus proprius habetur hoc loco, qui est Parochus domicilii, sive in cujus parochia alteruter contrahentium habet domicilium: unde etiam, siquis in duabus parochiis haberet domicilium, posset alterutrius Parochi assistentiam adhibere pro libitu.

Respondeo tertiò. Non est necesse ut Parochus assistens sit Sacerdos; quia hæc assistentia non pertinet ad potestatem Ordinis. Ita declaravit Congregatio Cardinal. anno 1593. Neque refert, quòd Tridentinum dicat: *Qui aliter quam coram Parocho, vel alio Sacerdote &c.* quia τò *alius* sæpè cadit super aliquid diversæ qualitatis ab antecedente, uti ex illo Lucæ 23. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*, notat Coninck disp. 27. n. 21.

13. Quæres tertiò. Qualis debeat esse Sacerdos loco Parochi assistens?

Respondeo. Requiritur primò, ut sit verè Sacerdos: hanc enim qualitatem expressè postulat Tridentinum. Secundò, ut licentiam habeat à Parocho, vel Superiore ipsius. Tertiò, ut hæc licentia non sit tantùm præsumpta, vel innixa ratihabitioni de futuro, quemadmodum proportionaliter dixi de licentia necessaria pro foro pœnitentiæ. Ex quo sequitur, quamvis parochus hanc facultatem assistendi non possit committere puro Clerico, qui non sit Sacerdos, posse tamen committere cuicunque simplici Sacerdoti, tametsi foret excommunicatus; sicut nec ipse Parochus per excommunicationem impeditur à valida assistentia Matrimonii, cùm ista assistentia non requiratur ut actus jurisdictionis, sed ut testis qualificati ab Ecclesia constituti. Neque est facienda paritas ab aliis testimoniis, à quibus personæ infames excluduntur per *c. decernimus, de sent. excom.* quia hîc requiritur solùm facultas attestandi pro certitudine & favore Matrimonii, illic verò pro veritate judicii & fori contentiosi.

Quæres quartò. An detur casus, in quo valeat Matrimonium contractum sinè assistentia proprii Parochi, in loco ubi Tridentinum est publicatum? 14.

Respondeo. Dari, primò, si in loco, ubi Tridentinum est receptum, nullus inveniatur Parochus aut Sacerdos, nec in propinquo haberi possit, prout fit in multis terris Indiæ, Æthyopiæ, vel regionibus hæreticorum, ubi parochi latent metu persecutionis: tunc enim duos testes sufficere ad Matrimonii valorem, declaravit Clemens VIII. Et Congregatio Cardinal. apud Coninck disp. 27. n. 11. & Theologos S. Galli tr. 4. q. 2. dub. 2. §. 10 Secundò, Quando fideles in facie Ecclesiæ ob latens impedimentum invalidè contraxerunt, de quo paulò infra ulteriùs dicendum.

Quæres quintò. Quâ ratione possint contrahere Matrimonium, qui certum domicilium non habent, ut milites, & vagabundi? 15.

Respondeo. Eos, qui certo domicilio carent, illum habere pro proprio Parocho, in cujus parochia tenent hospitium, qui proinde ipsorum Matrimoniis validè assistet, præhabitâ tamen priùs diligenti inquisitione & consultatione Episcopi, juxta decretum Tridentini sess. 24. de reform. Matrim. c. 7.

§. IV.

De solennitatibus accidentalibus.

Suppono ex dictis denunciationes non esse de necessitate & valore Matrimonii, sed tantùm præcepti Ecclesiastici à Tridentino eo fine præscripti, ut habitâ inter plures notitiâ de Matrimonio contrahendo, tantò citiùs veniri possit in notitiam impedimenti, siquod fortè subesset: quod præceptum transgredi sine legitima excusatione, vel dispensatione haud dubiè est grave peccatum. 16.

Quæres igitur primò. An denunciationes necessariò in Ecclesia, & inter Missarum solennia fieri debeant, prout videtur indicare Tridentinum?

Respondeo. Posse istas denunciationes etiam alio tempore & loco decenti institui, si frequens populus illuc confluat, v.g. ad publicam processionem, vel concionem in campis institutam; siquidem per hoc abundè satisfit fini & menti Tridentini, quæ potiùs est attendenda, quàm verba; ipsa quoque Matrimonia ob rationabilem causam extra Ecclesiam celebrari possint. Sanch. l. 3. disp. 6. n. 9. cum communi.

Quæres secundò. An sufficiat, ut denunciationes fiant in una Ecclesia, vel parochia? 17.

Respon-

Respondeo. Si ambo contrahentium domicilium habent in eadem parochia, in qua volunt contrahere, sufficit, ut in eadem parochiali Ecclesia fiant denunciationes; si verò sint ex duabus parochiis, ex una Sponsus, & Sponsa ex altera, sicut etiam si unus, vel ambo conjuges in alio loco longiori tempore fuissent commorati, denunciationes faciendæ forent in utroque loco. Imò verò si in loco, ubi contrahunt Matrimonium, non nisi modico tempore, vel ad celebrandum solummodo Matrimonium commorantur, non in loco, ubi Matrimonium copulatur, sed ubi longiori tempore domicilium fixêre, denunciandum esse Matrimonium docet Barbosa de offic. & pot. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 11. aliique: quia mens Tridentini est, ut ibi denuncientur Matrimonia, ubi facilè innotescere possunt impedimenta, siqua intercedant.

18. Quæres tertiò. An denunciationes necessariò fiant à proprio Parocho?

Respondeo. Parochum, à quo denunciationes fieri debent, ex mente Tridentini non tam esse Parochum domicilii, qui assistere jubetur Matrimonio, quàm Parochum loci, in quo contrahentes majorem vitæ partem transegerunt, secundùm priùs dicta. Cùmque Tridentinum nihil determinaverit, quibusnam personis licentiam denunciandi Parochus committere possit, non tantùm Sacerdoti, sed & Clerico, imò etiam æditùo committi posse, atque ita in multis locis consuetudine receptum esse, docet Sanch. cit. disp. 6. n. 5.

19. Quæres quartò. Sintne denunciationes tribus continuis festis diebus faciendæ?

Respondeo. Posse ex rationabili causa denunciationes licitè fieri etiam die feriali, quando tunc est magnus populi ad Ecclesiam concursus; & aliquando festivo die intermedio denunciatio intermitti, quando festa sunt sibi nimiùm propinqua, ut in Paschate. Ratio est: quòd utroque modo satisfiat intentioni Tridentini priùs expositæ; neque ita satisfieret, si tribus festis nimium sibi propinquis denunciationes instituerentur; siquidem brevitas temporis impediret, ne facilè impedimenta agnosci & detegi possent. Ita Sanch. Coninck, Oberascher.

20. Quæres quintò. Quis & ex quibus causis super tribus denunciationibus dispensare possit?

Constat ex Tridentini textu cit. sess. 24. de reform. matrim. c. 1. factam Episcopis potestatem, ut si Matrimonium malitiosè impediendum prævideant, pro sua prudentia & judicio vel tantùm semel, vel primùm post contractum Matrimonium, vel omnino nunquam faciant denunciari. Unde de aliis ab Episcopo distinctis personis institutâ quæstione

Respondeo primò. Hanc potestatem dispensandi potest Episcopus delegare Vicario Generali, Decano rurali, vel Parocho. Ita Navar. Guttier. contra Menoch. & Gomez. Ratio est, quòd Episcopus delegare potest, quæ sibi tanquam ordinario competunt: sed potestas dispensandi in denunciationibus, ipsi tanquam Ordinario competit: ergo eam delegare potest. Minor probatur: Potestatem quam, Episcopus ipso jure generaliter & ratione officii accipit, illam tenet ut ordinarius: sed hanc potestatem ipso jure Tridentini generaliter accipit, & ratione officii: ergo.

21. Respondeo secundò. Parochus propriâ authoritate in denunciationibus dispensare non potest; nam cùm Tridentinum nullam ejusmodi facultatem parochis concesserit, reliquit intactam juris antiqui in *c. fin. de clandest. desp.* & Concilii Lateranensis dispositionem, vi cujus Parochus dispensare non potest. In extraordinario tamen casu necessitatis, ubi periculum in mora, recursus ad Episcopum moraliter impossibilis, ut si miles desponsatus subitò avocetur ad castra, &, nisi statim copuletur, in continuo periculo fornicationis futurus (qualem casum sibi contigisse refert Reverendiss. D. Oberascher) siquis in articulo mortis ad effectum legitimandæ prolis contrahere velit cum sua concubina, aut aliunde ex ipsa mora grave periculum immineat, posse Parochum immediatè assistere Matrimonio; quippe lege Ecclesiasticâ denunciandi in tali casu necessitatis non obligante; & vel unam solam, vel nullam pro casûs exigentiâ denunciationem præmittere, observat Barbosa, Guttier. Et memoratus D. Oberascher.

22. Respondeo tertiò. Causæ, ex quibus Episcopus dispensare potest in denunciationibus, sunt variæ; ut si Matrimonium timetur malitiosè impediendum, si instante jam tempore Quadragesimæ nuptiæ sine gravi incommodo differri nequeant, si scandalum timeatur, &c. & universim quoties vel notabilis utilitas contrahentium, vel probabile damnum suadet omitti, vel abbreviari denunciationes. Ita Authores citati.

23. Quæres sextò. Quidnam sit observandum circa benedictionem nuptiarum?

Respondeo. Nuptiæ sunt benedicendæ à proprio contrahentium Parocho, aut alio Sacerdote, de illius licentia, prout (juxta antiquissimum Ecclesiæ morem circa primas nuptias) in terminis præscribit Tridentinum cit. c. 1. idque in templo inter Missarum solennia, prout determinavit S. Congregatio Rit. anno 1630. die 13. Julii. Cæterùm, an & quando secundæ nuptiæ sint benedicendæ (quæ si sint ex utraque parte secundæ, de jure benedici prohibentur) ex cujusvis Diœcesis consuetudine, ac Rituali peti debet.

ARTICULUS IV.

De indissolubilitate Matrimonii.

SUMMARIA.

1. *Matrimonii indissolubilitas alia quoad vinculum, alia quoad thorum.*
2. *Matrimonium Christianorum ex duplici titulo est indissolubile.*
3. *Indissolubilitas Matrimonii rati & consummati quoad vinculum est juris Divini.*
4. *Matrimonium legitimum consummatum quomodo jure divino & naturali sit indissolubile.*
5. *Omne Matrimonium cosummatum est indissolubile jure naturæ.*
6. *An Judæis licitum dare libellum repudii?*
7. *Quomodo Matrimonium ratum non consummatum sit quoad vinculum insolubile?*
8. *Solvitur per solennem professionem votorum.*
9. *An ex natura religiosæ professionis?*
10. *Veriùs ex privilegio Christi Domini.*
11. *S. Pontifex potest dispensare in Matrimonio rato.*
12. *Item in Matrimonio legitimo non consummato infidelium.*
13. *Matrimonium ratum, & consummatum fidelium est indispensabile quoad vinculum.*
14. *Matrimonium consummatum infidelium non est dispensabile, nisi in casu, de quo Apostolus loquitur.*
15. *Qui plures uxores habuisset, ad fidem conversus, regulariter debet servare primam.*
16. *Vinculum Matrimonii rati non solvitur per susceptionem SS. Ordinum.*
17. *Prima causa separationis quoad thorum est adulterium unius.*
18. *Secunda hæresis, apostasia, magia.*
19. *Tertia sævities.*
20. *Quarta professio Religiosa.*
21. *Quinta susceptio SS. Ordinum.*

§. I.

Indissolubilitas Matrimonii consummati.

1. PRæmittendum primò. Dupliciter Matrimonium dissolvi posse, quoad thorum solummodo, vel quoad vinculum. Quoad thorum fit dissolutio, seu separatio, quando conjuges liberantur ab obligatione cohabitandi, & reddendi debitum; non ideo cessante vinculo, quo prohibentur ad alias nuptias transire; quoad vinculum fit dissolutio, quando utrique vel alterutri fit liberum, ad alias nuptias transire: adeóque totus Matrimonii status dissolvitur.

2. Præmittendum secundò. Matrimonio Christianorum competere indissolubilitatem ex propria ratione & significatione, quam habet propter elevationem ad esse Sacramenti, sic enim specialiter significat unionem Christi cum Ecclesia. Sicut autem duplex est significatio Matrimonii, ita etiam duplex est significatio Matrimonii. Una est unio Christi cum Ecclesiæ per gratiam & charitatem, quâ Christus unitur cum qualibet anima fideli, ceu vivo membro Ecclesiæ; quæ per quodlibet peccatum mortale dissolvi potest, & hæc unio significatur per Matrimonium ratum. Altera est unio per carnem, sive unio hypostatica per assumptionem nostræ naturæ, eaque indissolubilis; & hæc significatur per Matrimonium consummatum. Cujus differentiæ ratio petitur primò ex Apostolo Ephes. 5. ubi priusquam diceret, Sacramentum hoc magnum est, præmisit illa verba & erunt duo in carne una, quod fit per copulam, ergo Apostolus voluit, quòd perfectissima unio Christi cum Ecclesia, quæ est per Incarnationem, per quam nimirum Christus eadem caro factus est cum Ecclesia, significetur per Matrimonium consummatum. Petitur secundò ex c. *debitum. de bigamis.* ubi Summus Pontifex hanc reddit rationem, cur maritus defunctæ ante consummationem Matrimonii, si aliam uxorem ducat, non incurrat irregularitatem bigamiæ, quia matrimonium ante copulam non significat unionem Christi cum Ecclesia per carnem; si enim eam significaret, jam esset bigamus, quia non esset unus unius Sponsus, sicut Christus est unius Ecclesiæ Sponsus, è cujus significationis defectu oritur irregularitas bigamiæ impediens susceptionem Ordinum. His positis

3. CONCLUSIO PRIMA. *Indissolubilitas Matrimonii simul rati & consummati quoad vinculum est juris divini, ac sola alterius conjugis morte dissolvitur.* Ita communis omnium Catholicorum.

Constat primò ex verbis Christi Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Et 1. Cor. 7. *His qui Matrimonio conjuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Rom. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, &c. quæ saltem de Matrimonio consummato necessariò sunt intelligenda. Secundò. Matrimonium ratum & consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per carnem: ergo sicut illa est insolubilis, sic & ista.

4. CONCLUSIO SECUNDA. *Matrimonium etiam legitimum consummatum, prout est in officium naturæ, tam in præsenti lege gratiæ, quam olim in lege naturæ est jure divino indissolubile quoad vinculum, excepto casu, quo alteruter conjugum convertitur ad fidem, & alter sine contumelia Creatoris non velit cohabitare cum illo.*

Ratio primæ & secundæ partis est: quia lex Christi loc. cit. Matth. & Lucæ 16. absolute prolata, ligat omnes homines & Christus Judæis libellum repudii allegantibus, dixit: *Ab initio non fuit sic.* quo significabat etiam in lege naturæ Matrimonium insolubile. Tertia pars constat, quia verba Apostoli continent expressam

sam dispensationem in hoc casu, quo conjux Infidelis conjugem conversum in sua fide quietè vivere non permittit.

5. CONCLUSIO TERTIA. *Omne Matrimonium consummatum est etiam jure naturæ indissolubile.*

Ratio est primò: quòd dissolutio Matrimonii consummati repugnet bono prolis, quem tamen finem per consummationem Matrimonii natura unicè intendit: Secundò Poligamia, seu pluralitas uxorum est jure naturæ prohibita: ergo etiam dimissio uxoris.

6. Dices. Quo pactò igitur Judæi poterant per libellum repudii dimittere suas uxores? Respondeo. Per dispensationem divinam expressam Deuteron. 24. & Malach. 2. neque enim placent, qui dicunt, repudium fuisse permissum Judæis non ut licitum, sed ut minùs malum: non enim credibile est, quòd DEUS toto tempore Judaismi permiserit Israëlitas etiam pios & sanctos laborare ignorantiâ, qui illo repudio tanquam licito, & divinitùs concesso utebantur.

§. II.

Indissolubilitas Matrimonii rati.

7. CONCLUSIO QUARTA. *Matrimonium ratum est Jure tam divino, quàm naturali quoad vinculum insolubile, ita tamen ut per solennem professionem alicujus Religionis dissolvi possit.* Ita comm.

Prima pars constat primò ex c. 19. Matth. ubi Christus: *Dico autem vobis, quia quisquis dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Constat secundò ex Trid. sess. 24. de matrim. ubi indissolubilem nexum Matrimonii refert ad principium mundi, cùm primus parens humani generis divini Spiritûs instinctu pronunciavit; *hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* atqui tunc erat Matrimonium ratum, nec erat aliud præceptum, quàm divinum & naturale. Tertiò, tam Matrimonium ratum est essentialiter Matrimonium, & in sua definitione includit indissolubilitatem quàm Matrimonium consummatum: ergo etiam ipsi competit indissolubilitas ex natura rei. Quartò: Si Matrimonium non esset jure naturæ indissolubile, non esset ratio, cur non mutuo contrahentium consensu aliisve causis naturalibus dissolvi posset, quemadmodum sponsalia & alii contractus dissolvuntur.

8. Secunda pars est definita cit. sess. 24. can. 6. his verbis: *Siquis dixerit Matrimonium non consummatum per solennem professionem Religionis alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Constat etiam ex toto Tit. *de convers. conjugatorum*, & Ecclesiæ praxi. Sed

9. Quæres primò. Quo jure fiat Matrimonii dissolutio per Religiosam professionem, naturali, an divino positivo?

Ex natura professionis Religionis dissolvi est multorum sententia, eò quòd Religiosa perfectio sit quædam mors civilis & spiritualis, juxta illud Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo.* Unde sicut mors naturalis dissolvit Matrimonium consummatum, ita mors ista spiritualis dissolvit vinculum spirituale Matrimonii rati.

Probabilius tamen est, hanc dissolutionem non ex natura professionis, sed speciali privilegio divino in favorem statûs Religiosi provenire. Nam primò, si Matrimonium esset dissolubile ex natura alterius causæ naturalis, jam non esset ex natura rei indissolubile: consequens est contra primam partem conclusionis, ipsosque Adversarios: ergo. Sequela patet: quia, si Matrimonium ratum per subsequentem fornicationem, aut consummationem alterius Matrimonii dissolveretur, hoc ipso non esset ex natura rei indissolubile. Secundò est ex natura contractûs, ut res uni tradita alteri ampliùs absque consensu Domini tradi non possit: sed per Matrimonium ratum corpus conjugi jam erat traditum; ergo ex natura Matrimonii deberet inferri, quòd per solenne votum DEO non ampliùs validè tradi posset. Tertiò: Renunciatio honorum & bonorum sine ingressu Religionis & solenni voto sunt quædam mors spiritualis, nec tamen dissolvunt Matrimonium: Quartò. Vinculum Matrimonii non habet incompatibilitatem cum ingressu Religionis, uti patet in vinculo Matrimonii consummati.

Quintò. Pro certo effectu assignanda est 10 certa causa: sed hæc non est natura Religiosæ Professionis, ut hucusque probatum; non etiam dispensatio Summi Pontificis, cùm sit maximum dubium, an Summus Pontifex non tantùm generali, sed etiam speciali lege dispensare possit in Matrimonio rato: ergo ad certiorem aliquam causam est recurrendum, qualis melior assignari nequit, quàm Christi ipsius privilegium; cujus indicium est primò, quòd Alexander III. In *c. ex publico 7. de convers. conjug.* dicat, istud deduci *ex interpretatione S. eloquii.* Secundò, quòd ista consuetudo fuerit observata ab initio Ecclesiæ, quod est infallibile signum, quòd Apostoli ita acceperint ab ipsomet Christo.

Inquis. Cur Christus non similiter dispensavit in Matrimomio consummato? Respondeo: quia istud significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia per carnem, & ex dissolutione tam proli quàm conjugi relictæ grave damnum emergeret, quod non emergit ex dissolutione Matrimonii rati.

Quæres secundò. An Summus Pontifex 11. possit dispensare in Matrimonio rato?

Respondeo affirmativè. Ratio est primò. In dubio standum est sententiæ Superiorum per *c. ad aures. de temporibus Ordin.* sed varii Pontifices dispensarunt in matrimonio rato: ita enim D. Antonin. refert se vidisse bullas Martini V. & Eugenii IV. idque factum ad suam petitionem à Paulo III. & Pio IV. testantur Navarrus in sum. de Gregorio XIII. recenset Henriq. l. 11. de matrim. c. 8. cùm ergo hæc res sit dubia, standum est potiùs pro Summo Pontifice. Secundò: Si hoc Summus Pon-

Pontifex non potest; ideo foret, quia indissolubilitas Matrimonii rati est juris naturalis: sed hæc ratio non impedit: ergo. Minor probatur: Vel esset de jure naturæ ut Matrimonium ratum omnibus modis esset insolubile, vel ut tantùm sit insolubile mutuo consensu, & privatâ authoritate & ... alia causa naturali. Non primum, quia vel hæc indissolubilitas ipsi competit, ut est Sacramentum, & ex ratione suæ significationis, vel ut est in officium naturæ; non ex ratione Sacramenti & significationis, quia sic significat tantùm unionem solubilem Christi cum Ecclesiæ membris per gratiam; non ut est in officium naturæ, quia sic nullo casu posset dissolvi; quod falsum esse constat ex dictis. ergo tantùm indissolubilitas ex mutuo consensu specialiter est juris naturalis: hæc autem non prohibet, quin ob gravissimas causas supremum caput Ecclesiæ, cui moraliter subjectæ sunt contrahentium, sicut & voventium voluntates, possit tale Matrimonium dissolvere.

§. III.

Corollaria.

12. Inferes ex dictis primò. Longè magis posse Summum Pontificem dispensare in Matrimonio legitimo non consummato infidelium, posito quòd ad fidem convertantur; cùm enim non conveniat illi Matrimonio significatio sacramentalis, minorem habet indissolubilitatem, quàm Matrimonia rata fidelium.

13. Inferes secundò. Matrimonium ratum & consummatum fidelium non dissolvi quoad vinculum, quamvis uterque conjugum mutuo consensu Professionem Religiosam emiserit: est enim specialiter & omnibus modis indispensabile propter significationem unionis inseparabilis, quam Christus habet cum Ecclesia per carnem.

14. Inferes tertiò. Nec Matrimonium consummatum infidelium esse à Summo Pontifice dispensabile, quia licèt non habeat insolubilitatem ex significatione & ratione Sacramenti, habet tamen ex eo, quòd per illud conjuges efficiantur una caro, & ipsius dissolutio repugnaret bono prolis & redundaret in injuriam alterius conjugis; unde etiam de hoc Matrimonio Christus dixit, *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Tantùm igitur ad divinam potestatem pertinet in dissolutione ejusmodi Matrimonii dispensare, qualem dispensationem in casu, quo conjunx infidelis nolit sine injuria creatoris cohabitare cum conjuge conversa, indicavit Apostolus 1. Cor. 7. dicens: *Si infidelis discedit, discedat,* prout interpretatur Innocentius III. in *c. quanto, & c. gaudemus. de divortiis.*

15. Inferes quartò. Siquis ad fidem conversus, antea plures uxores habuisset, teneri relictis posterioribus manere apud primam, si ipsa sine contumelia creatoris cohabitare consenserit; quia cum ipsa sola legitimum Matrimonium contraxerat.

Inferes quintò. Vinculum Matrimonii rati non dissolvi per susceptionem SS. Ordinum, etiam ipsius episcopatûs; quia talis facultas ex nullo jure aut traditione constat: nec est paritas cum Religiosa Professione, cui tale privilegium divinitus concessum est, eò quòd sit mors spiritualis, eique solennitas voti castitatis sit quasi ex natura rei competens. 16.

§. IV.

Solubilitas Matrimonii quoad thorum.

Quæres: Ex quibus causis conjuges quoad thorum separari possint? 17.

Respondeo primò. Possunt conjuges separari quoad thorum ex causa adulterii: ubi conjux innocens potest divertere ab adultero etiam non expectata judicis sententia, ut habetur Matth. 5. & 19. totoque *tit. de divortiis.* quia frangenti fidem fides non est servanda. Dixi primò: *Possunt*: non enim tenetur, sed potest innocens nocenti condonare injuriam, quòd si fecerit, non poterit ex postfacto à nocente divortium petere, aut facere. Dixi secundò: *Conjux innocens*: nam si & ipse simili crimine se obstringat, injuriæ compensantur, nec licebit conjugale thorum deserere. *c. penult. & ult. de adult. c. significasti. de divort.* Quòd si verò post factam separationem alter conjugam innocens etiam committat adulterium, tenebiturne conjugem adulteram rursus ad thorum recipere? Utramque partem probabiliter tuentur Doctores. Affirmativa etiam post judicis sententiam videtur verior, quam docuit D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 6. Coninck, Theologi S. Galli: quia etiam per judicis sententiam alteri solummodo tanquam innocenti tribuitur jus sese separandi à thoro alterius: ergo sublatâ per simile crimen innocentiâ illud quoque jus aufertur; & paria delicta mutua compensatione tolluntur *c. penult. c. tua fraternitas de adult.* Dixi tertiò: *non expectata judicis sententiâ*: quia jus divertendi ab adultero obtinetur ipso jure divino & naturali, nisi ratione vitandi scandali in foro externo opus sit judicis sententiâ, ut fiat separatio quoad cohabitationem.

Secunda causa divortii faciendi est, cùm alter conjugum incidit in hæresin, vel apostasiam à fide: quo casu innocens non tantùm potest, sed, si sit magnum perversionis periculum, etiam tenetur à nocente recedere; quòd si propriâ authoritate fecerit, tenebitur redire ad conjugem, si ille relictâ hæresi ad veram fidem, & frugem redierit, utpote sublato perversionis periculo: si verò separatio facta fuerit authoritate judicis, non tenebitur redire, tametsi alter resipuerit, cùm propter lapsum in hæresin jus in conjugem separatam per judicis sententiam irrevocabiliter ademptum fuerit. *c. de illa. 3. de divort.* Idem dixeris, si alter conjugum fieret veneficus, cùm ab ejusmodi hominum peste præsentissimum tam animæ, quàm corporis periculum immineat. 18.

Ter-

19. Tertia causa est sævities & truculentia, ex qua alter conjugum grave vitæ corporisque periculum & viro constanti metuendum, meritò pertimescit, ut si maritus fiat furiosus, si ebriosus, & in ebrietate gravia verbera & vulnera infligere solitus: quo casu mulier à viro discedere, & à judice divortium obtinere poterit; cùm grave periculum fugere cujlibet sit jure naturæ concessum. Id tamen divortium non erit suâpte naturâ perpetuum, sed tamdiu durabit, donec sævitia abscesserit, quo casu mulier ad maritum redire tenebitur.

20. Quarta est professio votorum unius vel utriusque conjugis facta in aliqua approbata Religione: quæ tametsi vinculum conjugale non solvat, jus tamen petendi debiti extinguit: Ut tamen professio sit valida, oportet adesse consensum alterius conjugis, sine quo professus teneretur redire ad conjugem & petenti debitum reddere, quamvis petere non posset, cùm se ad castitatem voluerit obligare, quantum potuit. *c. placet 12. de converf. conjug.*

Quinta est susceptio SS. Ordinum, de quâ 21. idem proportionaliter, quod de S. Professione sentiendum: quò etiam pertinet, si conjuges mutuo consensu vovêre castitatem: hoc ipso quippe sibi invicem remittunt obligationem reddendi, & tollunt jus petendi debitum. Coninck, Lessius, Layman, aliique.

ARTICULUS V.

De Matrimonii impedimentis impedientibus.

SUMMARIA.

1. *Datur in Ecclesia potestas statuendi impedimenta Matrimonii.*
2. *Dividuntur in impedientia & dirimentia.*
3. *Singula exponuntur.*

1. NOtandum primò. Dari in Ecclesia potestatem nôn tantùm aliquando matrimonia prohibendi, sed etiam impedimenta illud dirimentia & irritantia statuendi, prout definitur à Trid. sess. 24. c. 4. quandoquidem bonum & tranquillitas Reipublicæ Christianæ plurimùm dependet à connubiis bene initis. Cujus etiam potestatis usum (esto aliàs probabiliter posset competere Principibus Civilibus, quatenus matrimonium est contractus civilis in officium naturæ) sibi Ecclesia reservavit, eò quòd Matrimonium inter fideles sit Sacramentum, prout indicat cit. Trident. can. ult. definiens, quòd causæ matrimoniales spectent ad Judicem Ecclesiasticum.

2. Notandum secundò. Impedimenta dividi in minora & impedientia tantùm, hoc est, quæ faciunt, ne Matrimonium licitè contrahatur, quamvis contractum in suo valore subsistat; & in majora seu dirimentia, hoc est, quæ faciunt, ut Matrimonium nec licitè nec validè possit contrahi, adeòque contractus cum tali impedimento initus, sit nullus & irritus.

3. His positis. Quæres, quæ, & quot sint impedimenta impedientia?

Respondeo. Esse his versibus comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque catachismus, crimen, Sponsalia, votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primò *Ecclesiæ vititum* significat prohibitionem Ecclesiæ, Episcopi, vel Parochi, vel generalem, ut est, ne sine præviis denunciationibus contrahatur, vel specialem, factam ex gravi causa; v. g. quia dubium est de aliquo impedimento dirimente, vel inhabilitate inter sponsos.

Secundò *Tempus feriarum* significat tempus ab Adventu, usque ad Epiphaniam inclusivè; & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ; quo tempore etsi non prohibeatur contractus & consummatio Matrimonii, prohibetur tamen publicatio, benedictio, & festivæ solennitates nuptiarum.

Tertiò *Catechismus* significabat instructionem baptizandi solenniter factam, ex qua antiquitus resultabat quædam cognatio spiritualis; quæ tamen unà cùm hoc impedimento hodie exolevit.

Quartò. *Sponsalia* impediunt ex suprà dictis Matrimonium cum altera quàm dia non sunt ritè dirempta.

Voti nomine intelligitur votum simplex Religionis vel, castitatis vel, non nubendi.

Sextò. *Crimen* significat varia crimina, ut uxoricidium, cædem Presbyteri, raptum alienæ sponsæ; desponsationem cum moniali, incestum cum consanguineis uxoris viventis, item pœnitentiam solennem propter, quæ crimina & causas jure antiquo interdictum erat conjugium cum quacunque persona, suntque omnia his versibus comprehensa.

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solenniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hac conjugium sociandum.

Verùm hæc impedimenta criminis per non usum sublata docent Navarr. Sanch. Laym. aliique.

ARTICULUS VI.

De impedimentis dirimentibus.

SUMMARIA.

1. *Quæ sint impedimentia dirimentia?*
2. *Quadruplex modus errandi in contrahendo Matrimonio.*
3. *Alius error antecedens, alius concomitans.*
4. *Quid sit conditio servitutis?*
5. *Error substantialis est impedimentum jure naturæ dirimens.*
6. *Error circa conditionem jure positivo dirimit.*
7. *Quandonam dirimat error in qualitate?*
8. *Quo voto dirimatur Matrimonium?*
9. *Quid & quotuplex sit cognatio?*
10. *Quid gradus, & quomodo accipienda graduum distantia?*
11. *Exponitur impedimentum consanguinitatis,*
12. *Cognationis spiritualis* 13. *Et legalis.*
14. *Quo crimine dirimatur Matrimonium?*
15. *Disparitas cultûs exponitur.*
16. *Item impedimentum Ordinis.*
17. *Ligaminis, seu vinculi matrimonialis.*
18. *Impedimentum publicæ honestatis.*
19. *Creatur ex Matrimonio rato etiam invalido.*
20. *Quid & quale sit impedimentum affinitatis.*
21. *Primus gradus affinitatis in recta Linea probabiliter dirimit jure naturæ.*
22. *Quid & quotuplex impedimentum impotentiæ?*
23. *Perpetua dirimit jure naturæ.*
24. *Impedimentum vis.* 25. *Et raptûs.*

1. IMpedimenta dirimentia 14. sequentibus versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc sociare vetant connubia, facta retractant.

§. I.

Exponuntur tria prima impedimenta Error, conditio, votum.

2. PRimum impedimentum est *error* interveniens in Matrimonii contractu, qui potest esse quadruplex. Primò circa substantiam personæ, si contrahas cum Berta, existimans esse Mæviam. Secundò circa conditionem personæ; si ducas servam, existimans esse liberam. Tertiò circa qualitatem, si ducas informem, existimans formosam. Quartò circa bona fortunæ si ducas pauperem, putans esse divitem.

3. Cæterùm error potest esse vel antecedens, & dans causam contractui, ut si error non esset, non contraxisset, isque facit contractum simpliciter involuntarium, juxta dicta in Tract. de actibus hum. vel concomitans, qui habet se per accidens, & tantùm facit, ut actus sit non voluntarius.

4. Conditio quoque servilis hoc loco non denotat qualemcunque conductitiam, vel adscriptitiam servitutem, sed servitutem rigorosè sumptam & ingenuitati oppositam, quâ mancipia constituuntur, quæ non sunt sui juris, & à Domino pro libitu vendi possunt. His positis

Quæres primò, Qualis error dirimat Matrimonium? 5.

Respondeo primò. Error substantialis circa personam contractum matrimonialem reddit jure naturæ irritum, sive sit antecedens, sive concomitans. Ratio est: quod sit de essentia contractûs præsertim matrimonialis, ut sit liber & voluntarius; sed si error sit circa personam, sive sit antecedens, sive concomitans, actus non est est voluntarius: ergo neque subsistit essentia contractûs. Unde non est facienda paritas ab aliis Sacramentis, quæ per errorem personæ recipientis non invalidantur, e. g. valet baptismus collatus fœmellæ, quem erroneè putabas esse masculum; valet absolutio data Petro, quem erroneè judicas esse Paulum: nam ibi persona solummodo obit partes subjecti, sed in consensu matrimoniali etiam partes objecti, & materiæ sacramentalis.

Respondeo. secundò. Error circa conditionem jure positivo dirimit Matrimonium per *c. 2. & fin. de conjug. serv.* quod tamen impedimentum fundatur in dictamine æquitatis naturalis; ut enim argumentatur S. D. in suppl. q. 51. a. 1. ad 3. est æquitati naturali consentaneum, ut contrahentes Matrimonium æqualem afferant suorum corporum potestatem in finem generationis: sed hanc persona servilis & mancipium nequit afferre, quippe dominio alterius totaliter subjectum, ut ab ipso vendi & in longinquas terras ablegari possit, ex quo secundum impedimentum manet explicatum. 6.

Respondeo tertiò. Error circa qualitatem & bona fortunæ non dirimit Matrimonium, nisi redundet in individualem singularitatem personæ. Quia per se loquendo tantùm est error accidentalis, qui non obest contractûs matrimonialis substantiæ; unde tenebit Matrimonium, si quis ducat corruptam, quam putabat virginem, pauperem quam putabat locupletem &c. Dixi: *nisi redundet* &c. quod fit, si qualitas expressè deducatur in contractum: *Duco te si, es primogenita* &c. aut ex circumstantiis colligatur, quod sit principale motivum contrahendi, ut si Regina primogenitum Regis poscat in Matrimonium, aliàs neutiquam nuptura. 7.

Quæres secundo: Quale votum dirimat Matrimonium? 8.

Respondeo: Matrimonium dirimitur & irritatur (1) per votum solenne in approbata Religione emissum (2) per votum solenne perpetuæ castitatis majoribus Ordinibus annexum (3) per votum simplex castitatis in Soc. I. emissum post biennium Novitiatûs.

Primam & secundam partem decrevit Tridentinum sess. 24. de Matrim. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in SS. Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumq́ validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Ratio quoque suffragatur; quia res uni semel perfectè tra-

tradita invalidè submittitur alterius dominio & potestati: sed per votum homo Deo sui corporis dominium perfectè tradit: ergo illud invalidè per contractum matrimonialem submittit hominis potestati & dominio. Tertiam partem probat Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, quâ etiam ad Matrimonium contrahendum redduntur inhabiles, qui in Societate Jesu vota simplicia emiserunt, quamdiu nimirum fuerint membra ejusdem Societatis. An porrò vota solennia Religiosæ professionis jure naturæ vel ecclesiastico Matrimonium dirimant, à multis hic fusè disputatur. Existimo juxta alibi dicta in sensu composito statûs Religiosi jure naturæ dirimere; absolutè verò ad dirimendum Matrimonium etiam suam firmitatem ab ecclesiastico jure accipere per *c. un. de voto & voti redempt.* unde si Summus Pontifex in votis solennibus dispenset, (quod fieri posse & factum esse probat non solùm certissima historia S. Casimiri, cujus fidem Pe. Labat frustrà vocat in dubium, sed etiam Angeli de Jogosa, de quâ vide Gramondum in Historia Gall.) etiam auferetur ex consequenti impedimentum Matrimonii contrahendi.

§. II.

Cognatio.

9. COgnatio est triplex, naturalis, spiritualis & legalis. Cognatio naturalis seu carnalis consanguinitas dicitur, & est vinculum personarum contractum per carnalem propagationem ab eodem stipite descendentium, vel ascendentium. In hac tria præcipuè considerantur: *stipes, linea, & gradus*; stipes à similitudine arboris dicitur illa persona, à qua aliæ personæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt, sive ex qua ducuntur lineæ & gradus, eaque ad constituendum gradum alicujus lineæ non computatur. Linea est ordinata collectio personarum ab eodem propinquo stipite descendentium diversos gradus continens & cognationes distinguens. Estque triplex. Una ascendentium, seu linea recta superior, in qua continentur personæ, ex quibus originem ducimus; altera descendentium, seu linea recta inferior, ubi sunt personæ, quæ ex nobis traxerunt originem. Tertia collateralis, sive transversa, in qua continentur personæ, quæ nec è nobis, nec nos ab ipsis originem duximus, sed tamen ab uno communi stipite proveniunt, veluti frater & soror. Et hæc est aliquando æqualis, cùm personæ æqualiter distant à communi stipite, ut in dato exemplo, aliquando inæqualis, cùm distant inæqualiter, ut frater & fratris filius, ubi frater à communi stipite, nimirum patre, uno gradu distat; fratris filius secundo.

10. Gradus describitur, quòd sit distantia unius personæ ab altera in eadem linea, seu scala consanguinitatis. Ad quorum discrimen discernendum sequentes regulæ sunt observandæ. Primò in linea ascendente & descendente, tot sunt gradus, quot sunt personæ dempto stipite: ideo pater & filius sunt consanguinei in primo, avus & nepos in secundo gradu. Secundò: In linea collaterali, quod gradibus utraque persona distat à communi stipite, tot gradibus distant inter se, ideo patruelis & consobrini distant in secundo gradu lineæ transversæ inter se, quia totidem gradibus distant ab avo & avia. Tertiò: Si linea transversa sit inæqualis, tunc quot gradibus persona remotior distat à communi stipite, tot gradibus ipsæ personæ distant inter se, juxta *c. fin. de consang.* ideo patruus vel amita in secundo gradu conjunguntur cum liberis fratris sui: quia isti totidem gradibus distant ab avo suo.

His positis: Consanguinitas in linea recta est impedimentum dirimens respectu ascendentium & descendentium usque in infinitum, idq; probabiliùs jure naturali non tantùm in primo gradu, sed etiam in reliquis, uti communiùs docent Doctores ex *l. nuptiæ ff. de ritu nuptiarum* & *§. ergo non. instit. de nupt.* In linea verò collaterali est impedimentum dirimens usque ad quartum gradum inclusivè, & quidem jure ecclesiastico per *c. non debet. de consang. & affin.* cùm jure antiquo fuerit dirimens usque ad septimum gradum per *c. ad sedem 35. q. 5.* in primò tamen gradu probabilius etiam jure naturæ est impedimentum dirimens, ut colligitur ex *c. gaudemus. de divortiis*, ubi S. Pont. innuit conversos ad fidem separandos esse, si in primo gradu contraxerant. 11.

Cognatio spiritualis est, quæ oritur è generatione spirituali per Baptismum & confirmationem ut habetur toto *t. de cogn. spir.* estque duplex, una inter baptizantem & confirmantem, item patrinum levantem ex una, & inter baptizatum vel confirmatum ex altera parte, quæ vocatur paternitas, secunda est inter baptizantem, vel confirmantem, & patrinum tenentem ex una, & inter parentes naturales baptizati ex altera parte, quæ dicitur compaternitas, & secundùm constitutionem Trident. sess. 24. c. 2. ulteriùs se non extendit. 12.

Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione seu arrogatione legitima & perfecta, quâ videlicet authoritate Principis persona extranea sui juris existens assumitur in filium, vel nepotem, quæ propter reverentiam, quam adoptatus adoptanti debet, dirimit Matrimonium inter adoptantem ejusque ascendentes, & adoptatum, ejusque descendentes, qui tempore adoptionis in ipsius potestate fuerunt, ut docet Sanch. l. 7. d. 63. n. 34. ex *§. ergo non omnes Instit. de nupt.* idque tametsi adoptio dissolvatur, manet enim nihilominus reverentia, quam adoptatus debet adoptanti. In linea autem transversa non ultra primum gradum & ad legitimos saltem liberos adoptati, ac pro eo solùm tempore, quo manet sub legitima potestate adoptantis hoc impedimentum extenditur juxta *c. un. de cogn. leg.* *§. inter eas quoq. Instit. de nuptiis.* 13.

§. III.

Crimen, disparitas cultûs, Sacer Ordo, Ligamen.

QUæres primò: Quodnam sit impedimentum criminis? 14.

Respondeo: Impedimentum criminis est cædes mariti vel uxoris, hâc intentione patrata ab adulteris, ut ipsi postea inter se Matrimonium possint contrahere; respectu quorum proinde est impedimentum dirimens, respectu aliorum verò tantùm impediens. Nomine igitur criminis intelligitur homicidium & adulterium, quod in quatuor casibus

bus Matrimonium dirimit: Primò, cùm committitur adulterium cum promissione signis externis indicata & ab altero acceptata, post mortem conjugis Matrimonium contrahendi, etiamsi non fiat machinatio in vitam conjugis. *c. super hoc. c. significasti. de eo qui duxit. &c.* Secundò: Interfectio unius conjugis communi conspiratione patrata
14 cum expressa intentione Matrimonium contrahendi, quamvis non accesserit adulterium. *c. laudabilem. de convers. infidelium. c. siquis vivente 31. q. 1.* ad quod proinde tria requiruntur, mors actu illata & secuta, & non tantùm intentata; utriusque mediata, vel immediata cooperatio, & motivum contrahendi Matrimonium. Tertiò: ut prædicta interfectio alterius conjugis sit conjuncta cum adulterio. *c. significasti.* Quartò: Si vivente altero conjuge contrahat cum altero de præsenti. *c. cùm haberet. c. significasti. c. veniens. de eo, qui duxit. &c.*

15 Quæres secundò: Quale impedimentum sit cultûs disparitas.

Respondeo: Disparitas cultûs hoc loco significat diversitatem Religionum inter baptizatum, & non baptizatum: quod quidem impedimentum non est jure naturali, sed ecclesiastico & antiquissima Ecclesiæ consuetudine introductum; siquidem constat, Jacobum filias Laban gentilis, & Moysen Sephoram filiam Jethro accepisse in conjuges. Hinc colliges non esse impedimentum dirimens diversitatem Religionis inter Catholicum & Acatholicum, quorum uterque est baptizatus.

Quæres tertiò: Sed eritne saltem illicitum, ut Catholicus cum hæretica contrahat Matrimonium?

Respondeo cum communi Doctorum: Ex rationabili & justa causa, præsertim ubi Catholici hæreticis permixti habitant, unamque Rempubl. constituunt, ejusmodi Matrimonia licitè celebrari, quales causæ esse possunt pax inter Christianos Principes, & spes alterum conjugem convertendi ad fidem. Ubi verò est periculum tum propriæ perversionis, tum liberorum, ut sæpe adesse solet, erit illicitum cum hæretica persona contrahere, ideoque in variis Conciliis & Capitulis Juris Canonici prohibitum, ut *c. non oportet. 28. q. 1. & c. decrevit. de hæret. in 6.*

16 Quæres quartò: Quodnam sit impedimentum S. Ordinis?

Respondeo: Hoc nomine denotantur SS. Ordines majores habentes annexum solenne votum castitatis, qui constituunt impedimentum dirimens Matrimonii post SS. Ordinum susceptionem contrahendi, juxta Trident. sess. 24. can. 9. & *c. cùm sis de convers. conjug.* de quo jam aliàs dictum.

17 Quæres quintò: Quodnam sit impedimentum ligaminis?

Respondeo: Hoc nomine indicatur perpetuum Matrimonii vinculum, quo conjuges impediuntur vivente comparte ad alia vota transire, juxta superiùs dicta de insolubilitate Matrimonii. Unde etiam patet hoc impedimentum provenire non solùm ex jure ecclesiastico, sed etiam divino & naturali; neque posse conjugem, de alterius conjugis morte dubium, licitè ad novas nuptias transire, priusquam conjugis moralem certitudinem obtinuerit, cujus cognitio ad Ordinarium pertinebit.

§. IV.

Impedimenta publicæ honestatis & affinitatis.

Quæres primò: Quodnam sit impedimentum publicæ honestatis? 18

Respondeo: Honestas seu impedimentum justitiæ publicæ honestatis, est propinquitas, & imperfecta quædam affinitas ex legitimis Sponsalibus Matrimonio rato proveniens, & robur trahens ex institutione Ecclesiæ. Quia nimirum indecorum videbatur Ecclesiæ, ut quis in uxorem acciperet consanguineam illius, cum qua priùs Sponsalia contraxerat, voluit ut tale Matrimonium esset irritum, idque impedimentum appellavit, justitiam publicæ honestatis: quod jure novo Tridentini sess. 24. c. 3. tantùm oritur ex validis Sponsalibus, & non extenditur ultra primum gradum consanguinitatis. Id verò, quod oritur ex Matrimonio rato, adhuc dirimit usque ad quartum gradum inclusivè: Sic enim interpretatur Tridentinum Pius V. in Bulla *ad Romanam* his verbis: *Idcircò motu proprio authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus & definimus, decretum Concilii Tridentini omnino intelligendum esse & procedere in Sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio (sicut præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, in quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.*

Quæres secundò: An impedimentum publicæ honestatis oriatur ex Matrimonio rato, & ex certa causa invalido? 19

Respondeo affirmativè: nisi Matrimonium ratum foret invalidum ex defectu consensûs, vel propter impedimentum publicæ honestatis. Ita Layman l. 5. tract. 10. p. 4. c. 9. Oberascher §. 7. Ratio est: Impedimentum publicæ honestatis manet in eo statu, quo erat de jure antiquo, ex parte Matrimonii rati juxta præcitatam declarationem Pii V. Sed jure antiquo Matrimonio rato & invalido (excepto defectu consensûs & impedimento publicæ honestatis) oriebatur hoc impedimentum: ergo etiam nunc oritur, prout declarat Congregatio Cardinal. à Rebello relata, oriri impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus de præsenti etiam nulliter contractis omissâ formâ decreti Tridentini sess. 24. c. 1.

Quæres tertiò: Quid & quale sit impedimentum affinitatis? 20

Respondeo: Affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali, sive licita, sive illicita, estque inter fœminam & consanguineos mariti, & inter virum ac consanguineos uxoris usque ad quartum gradum, si copula fuerit conjugalis & licita; si verò sit illicita, usque ad secundum gradum inclusivè, prout statuitur à Trid. c. 4. Inter ipsos autem consanguineos mariti & uxoris nullum contrahitur impedimentum affinitatis; ideoque duo fratres possunt ducere duas sorores, ex *c. super his. de consang. & affin.* Porrò regula discernendi distantiam in gradibus affinitatis hæc est: Tot gradibus aliquis est affinis mariti, quot gradibus est consanguineus mulieris, & è converso: ideo si meus frater ducat Mæviam, illa mihi est affinis in primo gradu.

Quæ-

21. Quæres quartò. An aliquis gradus affinitatis jure naturæ Matrimonium dirimat?

Respondeo. Affinitas in nullo gradu lineæ transversæ dirimit matrimonium. Constat exemplis S. Scripturæ; ubi Jacobus duas sorores sibi conjuges habuit. Gen. 29. adeoque junctas in primo gradu transversali affinitatis. Thamar quoque Gen. 38. successivè nupsit duobus fratribus.

Dixi: *lineæ transversalis*; nam, utrùm affinitas in gradu primo lineæ rectæ, hoc est, inter privignum & novercam ac inter vitricum & privignam ipso jure naturæ Matrimonium reddat irritum, controvertitur inter Authores. Affirmativa videtur verior: nam & Apostolus 1. Cor. 5. ejusmodi damnatum concubitum vocat fornicationem, quæ nec inter gentes auditur; & Summi Pontifices nunquam in ejusmodi casu dispensârunt; in profanis quoque historiis ac fabulis insanus amor novercæ erga privignum reprehenditur: maxima quoque irreverentia erga patrem committitur, si privignus cum noverca misceatur; siquidem ipsa cum patre per conjugalem copulam facta est una caro. Exemplum Regis Seleuci, quo Statonicam uxorem filio suo Antiocho ex alia matre nato cessit in conjugem, parùm probat in contrarium; nam una hirundo non facit ver, & in cæca gentilismi nocte nihil novi aut rari fuit etiam in naturæ jura impingere.

§. V.

Reliqua impedimenta Matrimonii exponuntur.

22. Quæres primò. Quænam impotentia constituat impedimentum dirimens Matrimonii?

Notandum. Impotentiæ nomine intelligi incapacitatem sive ex parte viri, sive ex parte mulieris aut utriusque ad humanam completam copulam carnalem, quæ aliquando provenit à causis naturalibus, aliquando ab extrinseco, ut castratione vel maleficio dæmonis. Estque alia perpetua, quæ nullo medio naturali, secluso vitæ periculo, aut gravissimi morbi, neque per exorcismos Ecclesiæ tolli potest. Alia est temporalis, quæ tantùm ad tempus durat, & citra miraculum, aut gravissimum corporis incommodum absque peccato & superstitiosis incantationibus medio naturali vel spirituali per exorcismos tolli potest. Item alia est impotentia absoluta respectu omnium, alia respectiva respectu istius tantùm vel illius personæ.

23. Respondeo. Imponentia perpetua, quæ sine miraculo aut vitæ periculo tolli non potest, est impedimentum dirimens Matrimonii; ita habetur *c. quod sedem. & c. fraternitatis, de frig. & malefic.* Ratio est: Ubi impossibile est objectum contractûs matrimonialis, ibi nec contractus matrimonialis subsistere potest: sed inter impotentes prædicto modo impossibile est objectum contractûs matrimonialis, quod est copula conjugalis in finem generandæ prolis; ergo & contractus matrimonialis non subsistit. Unde dicitur: *Impossibilium nulla est obligatio, & inhabilitas ad solvendum, est etiam inhabilitas ad promittendum.*

Hinc Colliges primò. Si impotentia conjugum non antecedat sed superveniat Matrimonio jam contracto, non dirimere matrimonium; quia quod, semel fuit validum, estque suâpte natura perpetuum, non reddi potest invalidum.

Colliges secundò. Si impotentia sit absoluta, Matrimonium absolutè dirimi respectu omnium; si sit respectiva, tantùm dirimi respectu quorum est impotentia.

Colliges tertiò. Hoc impedimentum non tantùm esse juris ecclesiastici, sed etiam naturalis; quia obligatio ad impossibile ex natura rei est nulla; sed contractus matrimonialis cum prædicta impotentia est obligatio ad impossibile: ergo ex natura rei est nullus.

Cæterùm, si dubium sit, an impotentia sit temporalis, vel perpetua, ejusmodi personis per *c. laudabilem* conceditur spatium trium annorum, quo possunt conatum adhibere ad copulam maritalem, tametsi per accidens pollutio eveniat; eo autem elapso, & nullo secuto eventu, authoritate Ecclesiæ separandi sunt conjuges, & conjugi ex parte cujus nulla est impotentia ad copulam cum alia comparte habendam, danda facultas ad alias nuptias transeundi.

Quæres secundò. Quale impedimentum sit vis, seu violentia? 24.

Respondeo. Intelligi gravem metum injustè ab extrinseco incussum in ordine ad Matrimonium contrahendum. Ita habetur in *c. veniens de sponsal.* quod impedimentum est juris positivi; quia tametsi contractus metu initi non sint hoc ipso simpliciter involuntarii, quia tamen maximè decet Matrimonia esse libera, jura statuerunt, ejusmodi Matrimonia ex gravi & injusto metu inita nullum obtinere valorem.

Quæres tertiò. Quodnam sit impedimentum raptûs? 25.

Respondeo. Raptus est violenta abductio fœminæ renitentis, de qua jure novo Tridentini sess. 24. c. 6. statutum, ut dirimat Matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa est in potestate raptoris. Unde sequitur primò non esse impedimentum dirimens, si ipsa liberè consenserit in sui abductionem, licèt invitis parentibus. Secundò. Cessare impedimentum, si fuerit à raptore in libertatem & locum tutum reposita, sicque consenserit in matrimonium. Tertiò. Non esse impedimentum dirimens, si mulier virum rapiat, quia iste casus est de raro contingenti, & Tridentinum solùm loquitur de raptore & rapta. Sed quid si non Matrimonii, sed libidinis causa puellam raptor abducat? Affirmant aliqui esse impedimentum, eò quòd causa libidinis non auferat rationem veri raptus, de quo loquitur Tridentinum; Sanch. verò l. 7. disp. 13. n. 4. aliique negant, eò quòd hoc impedimentum sit inductum, ut consuleretur libertati Matrimonii, quæ tunc solùm periclitatur, cùm puella matrimonii contrahendi causâ violenter abducitur; pro quâ sententia Præpositus allegat quandam Declarationem S. Congregationis Cardinalium.

De impedimento clandestinitatis defectu solennitatum priùs dictum.

ARTICULUS VII.

Quomodo impedimenta tolli, & Matrimonia invalidè contracta reconvalidari debeant.

SUMMARIA.

1. *Quando Matrimonium sit invalidum in facie Ecclesiæ?*
2. *Quid agendum conjugi conscio occulti impedimenti dirimentis?*
3. *Apud quem sit potestas dispensandi?*
4. *E quibus causis dispensare possit Episcopus?*
5. *Impedimentum dirimens jam contracto Matrimonio superveniens obligat nocentem, ne ante impetratam dispensationem possit debitum petere.*

1\. Quæres primò. Quid sit necesse, ut Matrimonium in facie Ecclesiæ invalidè contractum fiat validum?

Respondeo. Si Matrimonium occultè fuit invalidum defectu consensûs ex parte utriúque sufficere, ut uterque signo sensibili renovet consensum non repetitis solennitatibus: si ex parte unius tantùm, sufficere, ut ipse suum consensum signis externis alteri parti exhibeat; etiamsi ille nesciat hoc fieri in ordine ad revalidandum Matrimonium. Ita Sanc. Bonac. & alii. Quòd verò solennitates Tridentini non necessariò sint repetendæ, ratio est; quia lex odiosa non est extendenda ad casum, qui sub fine & ratione legis non comprehenditur sed sub ratione & fine legis à Tridentino latæ: ne videlicet Matrimonium abnegari possit: ergo. quòd si autem impedimentum & nullitas Matrimonii foret publica & notoria, ob contrariam rationem etiam solennitas Tridentini foret de novo adhibenda. Imò Sanch. l. 2. de matrim. disp. 40. n. 10. existimat, ut matrimonium coram parocho & testibus denuò celebretur, sufficere, quòd impedimentum aliàs occultum ipsis sit notum quippe cùm iis constet de nullitate Matrimonii, ipsi non possunt esse testes valoris, sed nullitatis Matrimonii.

2\. Quæres secundò. Quid igitur sit agendum, si defectus valoris proveniat ex aliquo occulto impedimento dirimente: v. g. consanguinitatis, & affinitatis?

Respondeo primò. Si conjugi constet de tali impedimento, & nullum inde periculum vitæ, famæ, scandali timeatur debere illum conjugem admonere de hoc impedimento, & inducere, ut à petendo debito abstineat, quoúsque impetretur dispensatio: sicut & ipsa abstinere tenetur tam à petendo, quàm à reddendo debito, postea impetratâ dispensatione renovare consensum. Quòd si verò inde grave damnum timeat, ut si vir intelligens Matrimoni nullitatem ipsam desereret, vel nõ crederet impedimentum, &c. debet viro petenti debitum prudẽter aliquam excusatiõem prætendere, donec occultè impetret dispensatiõem. Quâ impetratâ potest à marito consensum absolutum de nòvo expiscari, factâ tantùm generica vel conditionatâ mentione impedimenti: v. g. *non ne ita me amas, ut etiam nunc me velis habere uxorem, etsi antea non fuissem tua uxor; vel etsi non fuisset inter nos verum Matrimonium?* Censet tamen Sanch. Coninc, Lessius, aliique: Si conjux etiam tali modo loquendi timeret repulsam, aliásve graves molestias, sufficere, ut sola pars impedimenti conscia consensum renovet, alterique declaret, obtento ab illo virtuali saltem consensu per redditionem debiti conjugalis.

Quæres tertiò. Quisnam posit, aut debeat in impedimentis Matrimonii dispensare? 3

Respondeo primò. Summus Pontifex potest directè dispensare in impedimentis jure ecclesiastico introductis; quippe cùm illorum obligatio sit ex jure & authoritate Ecclesiasticâ, eâdem authoritate tolli, & ex iisdem causis dissolvi potest, è quibus est orta. Quid Summus Pontifex possit in dispensandis votis, iisque quæ sunt juris Divini & naturalis dixi in Tractatu de legibus.

Respondeo secundò. Potest etiam Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus in variis causis & casibus. Ut primò, si propter petentium paupertatem, nimiámve distantiam sit nimis difficilis recursus ad curiam Romanam, & separatio conjugum non possit fieri sine gravi jactura famæ vel scandalo; neque ipsorum cohabitatio permitti propter periculum incontinentiæ. Secundò, si impedimentum occultum ad Episcopum deferatur, postquàm Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum communi opinione habetur pro valido. Tertiò, si matrimonium saltem ab altero conjugum sit bona fide contractum. Quartò, si in tali impedimento aliàs soleat dispensari. Addit Sanchez Episcopum dispensare posse etiam ante contractum Matrimonium, si postulet aliqua valdè urgens necessitas; nisi (quòd plures Episcopi obtinent) aliàs adsit privilegium in ejusmodi casibus & impedimentis dispensandi. 4

Quæres quartò. Quem effectum pariat impedimentum dirimens, si matrimonio jam contracto, vel etiam consummato superveniat? e. g. Si propter incestum cum sorore uxoris commissum incestuosus contrahat impedimentum affinitatis cum sua uxore? 5

Respondeo. Nocentem impedire à debito petendo, quousque dispensationem impetraverit; obligari tamen ad reddendum debitum, quoties uxor innocens petierit: quia ipsius delictum non debet cedere in præjudicium innocentis: prout habetur *c. 1. 2. & toto tit. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ.*

Hic septenos Sacramentorum; imò totius Theologici Cursûs rivos claudo, quos omnes in abyssalem sapientiæ æternæ fontem refundo, ejúsque Divino Nomini, gloriæ, & honori consecro, atque S. Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ judicio promptissimè submitto, ut si quid fortè ab illius sensu alienum exciderit, illud pro non dicto, aut scripto haberi velim.

INSTRU-

INSTRUCTIO PRACTICA DE OFFICIO PAROCHORUM

Aliorumque

CURATORUM

PRO TEMPORE PESTIS

expositorum,

JUSSU ET AUTHORITATE

Eminentissimi S.R.E. Cardinalis,

Celsiss. & Reverendiss. Principis, & Archiepiscopi Salisburgensis,

MAXIMILIANI GANDOLHI,

S. Sedis Apostol. Legati, Germaniæ Primatis, &c.

typis data.

Pro majori utilitate consultum videbatur, in fine attexere modum administrandi Sacramenta pestiferæ contagionis tempore, quem suæ Diœceseos Curatoribus præscripsit Celsiss. & Reverendiss. Princeps ac Archiepiscopus Salisburgensis.

ADMONITIO PRÆVIA GENERALIS
AD
PASTORES ET CURATOS,
De eorum Officio & Obligatione tempore Pestis.

PARS I.
De concernentibus ipsos Parochos & alios expositos.

Ex summi Pastoris exemplo & verbo constat; boni Pastoris officium exigere, ut quando salus spiritualis ovium periclitatur, etiam animam suam (id est, vitam corporalem) pro ovibus det & exponat. Hujus necessitatis nullum ferè certius, & communius tempus exstat, quàm tempus pestis, ubi, cùm in corpora grassatur pestis, & commune est vitæ periculum, etiam animarum ab inferno, prædone diabolo, par periculum imminet. Cui proinde à bonis Pastoribus etiam cum suæ vitæ periculo occurrendum esse, lex charitatis imperat; Nec tantùm charitatis, sed etiam lex justitiæ: quæ dictat, ut, qui bonorum temporalium stipendia pro cura animarum spirituali suscipiunt, eam tum temporis, cùm maximè necessaria est, non deserant, vel abjiciant.

1. Omnes igitur ad animarum curam constituti inprimis scire debent, nullatenus sibi licere in ingruentis pestilentiæ casu fugere ab ovibus suis & parochiis, ne quidem ad tempus etiam bimestre tantùm (secundùm quod aliàs à Concil. Trid. sess. 23. de Ref. c. 1. conceditur) recedere, nec posse officium per resignationem, aut alio quovis modo dimittere: nisi de alio idoneo Sacerdote ex licentia & arbitrio Superioris sufficienter provisum fuerit.

2. Quod quidem procedit, etiamsi pridem & multis annis ante tempus pestis officium curæ susceperint, & diligenter eò usque peregerint. Sicut enim milites maximè pro tempore periculoso prælii conducuntur, ita & Pastores animarum pro illo tempore conflictûs & necessitatis spiritualis præcipuè conducti, constituti & obligati ex omnium DD. sententia censentur.

3. Nec verò satis erit, si tempore pestis in loco parochiæ suæ resideant, & officia divina in Ecclesia celebrent, sed tenentur quoque personaliter Sacramenta necessaria infirmis, etiam peste infectis, etiam cum vitæ suæ periculo administrare: nisi fortè pro hujusmodi infectis alius Sacerdos, Superiorum judicio idoneus, haberi possit. Quo casu ordinarius Parochus vel curatus à personali administratione Sacramentorum, quamdiu alter substitutus superest, excusabitur, ut ita meliùs & securiùs aliis, peste non infectis, inservire & præesse possit. Ad quænam autem Sacramenta in specie, & in quantum teneantur Curati, infrà specialiùs declarabitur.

4. Et quia charitas ordinata incipit à se ipsa, studeant ante omnia Pastores animarum, suas quoque animas illo tam periculoso tempore curare: id est, sese DEO per veram pœnitentiam, quantum opus fuerit, non expectato mortis periculo, reconcilient; DEUM & Sanctos ejus, maximè speciales contra pestem Patronos pro sua & suarum ovium incolumitate ardenter deprecentur, de rebus suis temporalibus maturè disponant: vitam denique piam & immaculatam tunc præcipuè sectari ac conservare conentur, ut exemplar sui gregis effecti, tantò faciliùs per bonas & sanctas admonitiones ad bonum statum suos disponere queant.

5. Id verò, quod monet Princeps Apostolorum ep. 1. c. 5. pestis maximè tempore (utpote tunc singulariter necessarium) sibi dictum putent boni Pastores, ut *sobrii sint, & vigilent*: Quia dum mors inopinata sævit, etiam *adversarius noster diabolus* tunc *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, cui resistere oportet *in fide*, vivâ nimirum & instructâ plenâ ad DEUM con-

confidentia, sedula oratione, bona conscientia, & vigilantia circa suam, aliorumque salutem.

6. In hunc finem quàm maximè conducet, si maturè Pastor aliquos dies seligat, in quibus ab aliis temporalibus negotiis, quantum fieri potest, abstractus, sibi & soli DEO per pias preces & meditationes vacet, seseq; ad confessionem generalem peccatorum peragendã exactiùs præparet. Quam deinde, veluti ultimam vitæ suæ, magna cum cura peragat. Eaque peracta sibi etiam in futurum de aliquo Confessariõ, ad quem tempore pestis accedere possit, prospiciat. Cum hoc autem utiliter paciscetur de loco congruo, & certo tempore, quò in aura libera sub dio Sacerdos expositus possit accedere, & confessionem etiam clara voce peragere, servato, ad evitandum periculum contagionis, cùm accedet, spatio, ad novem vel decem passus inter ipsum & Confessarium interposito, eoque situ, quo aura magis à Confessario ad expositum, quàm ab hoc ad Confessarium feratur.

7. His præmissis generoso animo in gratissimum charitatis sacrificium Domino Deo se offerat, cum plena erga eum fiducia, & intentione sincera ad animarum salutem ob Dei amorem procurandam: sciens, se ingentem in cœlo mercedem pro temporali labore recepturum. Quam intentionem & fiduciam in ipso pestis tempore & officii sui actuali administratione continuò renovare oportebit.

8. Non igitur plùs æquo tunc vitam suam amet, aut sibi timeat, ne animas sibi commissas (quarum strictam rationem redditurus est) facilè ob vitæ suæ periculum Sacramentis, præcipuè S. Viatico destituat. Tunc enim maximè, ob dolores & tentationes ingruentes, & perseverantiæ finalis periculum, miserandæ oviculæ solatio indigent, & robore ad finaliter perseverandum: quod per SS. Sacramenta, & singulariter SS. Eucharistiæ, ingens ipsis præstabitur.

9. Committat ergo se totum divinæ providentiæ, quæ (præterquam, quòd plures cautelas sibi applicare possit, ne peste inficiatur) specialiter ipsi adstitura est, si recta intentione oves suas eo tempore pascat: nec permissura, ut pestem contrahat cùm suæ, aut animarum sibi commissarum dispendio.

10. Interim divinæ se committendo providentiæ, non negligat uti præservativis medicinalibus, & cautelis illis, quæ infrà tradentur. Maximè verò caveat, ne, ubi minimè opus est, nimis temerè se ingerat periculo infectionis, ægros infectos, aut eorum res tangendo, vel iis, ubi non est necesse, appropiando. Qui enim amat periculum, peribit in illo. Quod tunc maximè notandum, quando unus tantùm curatus in loco est, nec facilè alius pro eo inveniendus: & ita ex ejus infectione dispendium animæ eidem commissæ passuræ sunt.

11. Cæterùm cùm Pastores non minùs ovibus suis, quàm sibi, etiam ante tempus pestis, providere debeant; Hinc opus erit, ut ingruente luis pestilentis periculo maturè pro concione, vel in catechesi populum suum de rebus, pro eo tempore scitu necessariis, vel utilibus admoneant. Quæ singulatim in subsequentibus punctis expressimus.

PARS II.

De quibus Parochi suos in tempore pestis debeant admonere.

1. MOneant, ut, non expectata morbi præsentia, non differant, cum vero animi dolore sacrum pœnitentiæ tribunal accedere, Dominum Deum pro suis, aliorumque peccatis ferventer exorare, eleemosynis etiam, jejuniis, aliisq; piis operibus, & præsertim officiis charitatis erga proximum placare. Cùm enim pestis plerumque ob peccata hominum immitti à DEO soleat, nullum præsentius ad eam avertendam, seque ab ea tutandum remedium erit, quàm DEUM sibi & aliis conciliatum reddere, causamque tanti mali removere. Quò pertinet

2. Ut quia pœnitentia efficax non est, nisi defacto omnes obices peccati, divinæ gratiæ obsistentes, removeantur, si quid inimicitiarum, litium & offensarum cum aliis eis intercedat, studeant se sincerè cum proximis reconciliare, injustè parta, vel accepta, siquæ sunt, restituere, injurias, aut damna illata resarcire.

3. Ut etiamnum sani Patronorum cœlestium contra pestem, opem, & patrocinium diligenter implorent, nempe B. Virginem, SS. Sebastianum, Rochum, Carolum Borromæum, SS. Rupertum, Virgilium, Vitalem, Franciscum Xaverium, Cajetanum, Rosaliam, aut alios, prout cujusque devotio dictaverit, potentes apud DEUM intercessores invocando.

4. Moneant, quòd si pestis jam actu locum aliquem sub sua cura constitutum invaserit (quod DEUS clementer avertat) omnes, quantumvis sani adhuc & incolumes sibi videantur, se tamen in præsenti mortis periculo constitutos esse noverint: ideoque sibi ipsis per Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ devotam susceptionem, & possibilem animi ad bonam mortem dispositionem maturè consulant; ne, quod sæpe male cautis, & nimiùm de suis viribus præfidentibus contingit, illo malo subitò correpti, præveniantur, & (quod deterius) in malo fortè statu animæ sine Pœnitentiæ remedio è vivis abripiantur. Quibus addendum

5. Expedire, ut, si non antè jam fecerint, de rebus suis temporalibus maturè testamentum aut ultimam voluntatem condant, aut saltem aliâ ratione inter vivos disponant: ut ita curis hisce temporaneis vacui, eò expeditiùs saluti animæ suæ, & æternitatis negotio vacare possint.

6. Ut corporalia etiam præservativa contra hunc morbum maturè sibi comparare & applicare non negligant. qualia remedia, obvia & parabilia, infrà specialiter adjungemus.

7. Bene omnibus inculcent, ut peste jam grassante, qui se hoc malo afflatum senserit nullo modo, sive in Ecclesia, sive alibi, sese aliis hominibus immisceat, aut eis appropinquet, ne per hoc alios quoque inficiat. Quod si scienter fiat, sine gravi peccato contra charitatem proximi fieri nequit. Imò etiam, si in plateis fortè obvius alius se acce-

accedere aut colloqui velit: tunc talis, ut diximus, infectus, aut ab eo secedat, cautèque se subtrahat, aut, ne alter sibi appropinquet, ipse admoneat. Quòd si contigerit, ut talis aliquis, qui infectus videtur (etiamsi ipse hoc non adverrat in se ipso) inter homines conversetur, statim humaniter & discretè admoneatur à circumstantibus, ut se ab aliorum consortio sejungat, domum se conferat, si potest, ibique vel in alio loco congruo, ab hominibus remoto, & aperto sub aëre constituto, si fieri potest, Confessarium expectet.

8. Eadem cautela sanis suadeatur, ut non temerè se conjungant jam peste infectis, néve sine necessitate in præsens periculum se præcipitent. Si tamen ægris ex charitate (quæ in tanta necessitate summè laudabilis est) inservire velint, aut ex officio teneantur, plurimùm proderit, illos de remediis congruentibus, infrà ad finem specificandis, instruere: quatenus ita & ad se ipsos corporalibus subsidiis conservent, & aliis tantò magis in cura & officio charitatis prodesse queant.

9. Quicunque pro eo tempore in Ecclesia confitebuntur, in ipso actu confessionis cautè se gerant, os non versùs Sacerdotem, sed potiùs versùs tabulam vel imaginem in confessionali appensam convertant. Alii verò Confessionem expectantes non appropinquent, sed remotiùs subsistant: ut ita Confessarius cum pœnitente clariùs loqui, & liberiùs agere valeat.

10. Cùm Sacerdotem ad aliquem peste infectum vocaverint domestici, vel curá ejus gerentes, domi priùs portam, & fenestras aperiant, si tamen temporis frigidioris ratio & aëris temperies id patiatur. Item suffitum seu fumum ex aceto lateri candenti infuso, vel aliis rebus odoriferis infrà præscribendis faciant. In longa etiam pala præparatos habeat vivos carbones, quos possit Sacerdos ante portam domûs infectæ acerræ suæ, quam secum portari curabit, pro faciendo suffitu imponere. Ut porrò Sacerdoti innotescat faciliùs, sicubi in domo aliquâ infectâ ejus subsidio opus sit, faciant id per signum aliquod exteriùs fenestræ appensum, v. g. longius linteum, vel strophiolum, aut aliud quid simile, designari: ut ita ipse vel ejus minister in transitu id facilè animadvertere, & sic occasione uti possint.

11. Moneant, si æger nullius gravioris peccati sibi sit conscius, sed in bono animæ statu se versari, certò moraliter agnoscat, aliunde autem per accessum ad se Sacerdotem inficiendum esse, probabiliter prævideat, eum magnum opus charitatis facturum esse, si à Sacramentorum petitione, in illo casu sibi non necessariâ, abstineat: per quod utilitas spiritualis, quæ ex Sacramentorum perceptione reciperetur, satis, imò abundè compensari possit. Hâc enim ratione & sibi bene, & simul toti communitati optimè consulet: cui aliàs per infectionem Pastoris necessaria fortè auxilia subtrahentur. Imò casu, quo aliorum salutem ex infectione Sacerdotis periclitaturam quis sciret, ad omittendam Sacramentorum petitionem talis æger in se bene dispositus, ex charitate etiam in conscientia obligabitur. Secus esset, si plures Sacerdotes ægris providendis sufficientes tum temporis in eodem loco haberentur.

12. Seriò inculcent, ut si quis peste infectus mortuus fuerit, omnes caveant, illius vestes, linteamina, & præsertim lectos, & lectisternia ab ipso usurpata, sibi usurpare, multò magis exportare in publicum & exponere, vel tradere aliis (quantumvis pauperibus) accipienda, aut in fluvios projicere; quod sine gravi peccato facere non possunt. Per hoc enim aliorum etiam infectioni causam præberent, & pestem promoverent. Quid ergo cum rebus hujusmodi agendum? comburendæ erunt in loco aperto, id est sub dio, & patenti aëre, ut fomes pestis extinguatur.

13. Hæc verò duodecim puncta non opus est, ut omnia simul & semel Parochi & Pastores suis parochianis & auditoribus prædicent, & indicent sed successivè & repetitis vicibus. Inprimis quidem tria priora puncta maturè proponenda sunt, quamvis nullum adhuc præsens periculum subsit. His addant postea quartum, quintum & sextum, si propiùs jam periculum adesse existimetur: ut si jam vicinum locum vel parochiam pestis invaserit. Reliqua, etsi consultum sit, etiam tempus actu grassantis pestis populo tradi, tamen in ipso pestis tempore repetenda, & sæpius inculcanda erunt, ut meliùs ab omnibus teneantur. His præmissis ea, quæ in ipso pestis tempore maximè circa Sacramenta administranda observanda erunt, imposterum trademus.

CAPUT I.
De administrandis Sacramentis generalia.

§. I.
De obligatione administrandi tempore pestis.

1. Cùm ex sententia Medicorum & communi experientiâ manifestum sit, pestem esse morbum lethalem & contagiosum; qui subitò plerumque homines extinguat: hinc omnes eâ infecti censendi sunt esse in articulo mortis, & extremâ necessitate. Ideoque indubitatum est, quidquid pia mater Ecclesia in illo articulo extremè laborantibus permittit, id peste infectis etiam concessum esse.

2. Possunt peste infecti non solùm à proprio Sacerdote & Parocho, sed in absentia ipsius, sive justâ, sive injustâ à quocunq; alio Sacerdote, etiam excommunicato, degradato, imò hæretico (dummodo tamen periculum perversionis absit) Sacramenta ad salutem necessaria petere & accipere, & absolvi ab omnibus censuris & casibus reservatis.

3. Nec solùm peste de facto infecti, sed etiam alii, qui ratione loci & habitationis in eodem contagionis periculo, modo prædicto Sacramenta recipere & absolvi possunt. Imò si periculum sit tantum, ut quotidie plures subitò peste corripiantur, & moriantur, tenebuntur fideles etiam non infecti recipere Sacramenta necessaria. Quod maximè

ximè procedit, si probabiliter timeatur, Ministrũ vel Parochum tempore infectionis defuturũ esse.

4. Sacramenta, quæ hoc tempore administrare Parochi & Sacerdotes præcipuè tenentur, sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Unctio. Et quidem in gravi vel extremâ necessitate aliqua ex his etiam cum periculo vitæ conferre debent. Ut primò Sacramentum Baptismi, si nemo alius sit, qui ministret. 2. Sacramentum Pœnitentiæ, nisi Parocho moraliter certò constet, infectum esse in statu gratiæ. Sacramenta autem Eucharistiæ & Extremæ Unctionis tunc solùm cum præsenti periculo vitæ suæ conferre tenentur, quando aliud Sacramentum suscipere infecti non possunt, & tamen sunt in periculo salutis æternæ constituti. Diximus autem *præcipuè*: quia dari potest casus, sed rarus, ut etiam Sacramento Matrimonii teneatur assistere, ut infrà suo loco dicetur.

5. Tenentur autem pro administrandis Sacramentis Parochi & Curati ingredi ædes peste infectorum, si aliter Sacramenta prædicta ministrare non possint. Secus erit, si reverenter & commodè alio modo v. g. per fenestram possint ministrari, vel infectus in locum apertiorem & salubriorem sine periculo prodire vel deferri possit. Debet enim etiam infectus se accommodare Parocho & Pastori suo, ne sine causa periculo vitæ exponatur.

6. Tenetur præterea Parochus & Curatus accedere toties, quoties necessitas spiritualis animarum exegerit. Quòd si bis, tèr ve accesserit ædes alicujus infecti, nec eum invenerit dispositum, eaque indispositio proveniat ex natura & qualitate morbi, jubeat se vocari per domesticos infecti, vel alios tempore opportuno. Quòd si autem ex malitia sit repulsus, non tenebitur redire, nisi constet de seria resipiscentia, & emendatione.

7. Tenetur idem ad administranda Sacramenta omnibus infra fines suæ Parochiæ vel districtûs tempore infectionis existentibus, adeòque etiam viatoribus, peregrinis, vagis &c. quòd siquis non vagus ferè æquali tempore habitet in duabus Parochiis, tenebitur ille Parochus, in cujus parochia decumbit.

8. Sed quid si plures simul petant Sacramenta ab eodẽ Sacerdote? Succurret is semper magis indigentibus, seu in majori necessitate spirituali constitutis; & inter magis indigentes illis, qui Sacramento magis necessario indigent, v.g. Baptismo, vel Pœnitentiâ. Quòd si omnes æqualiter indigentes sint, prima cura erit Magistratûs, secunda parentum & consanguineorum, tum civium & subditorum, denique alienigenarum, juxta regulas justitiæ & charitatis. Si omnes æquales fuerint, locus erit discretioni & gratificationi ipsius Parochi.

9. Deficientibus vel absentibus sive justè, sive injustè, propriis Sacerdotibus & Parochis, tenentur quicunque Sacerdotes, sive Regulares, sive Sæculares ex charitate justitiâ legali subvenire extremè laborantibus, & ministrare Sacramenta. Unde & scire debent, quòd Episcopus & Prælatus Regularis illis hoc præcipere possit, illisque obedire teneantur etiam cum periculo vitæ in extrema necessitate Sacramenta administrando.

10. Sacerdos defacto expositus, si advertat sese infectum, maturè debet Superiorem, nempe Archidiaconum vel Decanum &c. aut ipsum Consistorium Archiepiscopale de hoc certiorare, ut ovibus de alio Sacerdote provideri possit: nisi ipse jam alium Sacerdotem curatum ad manum habeat, qui confessiones excipere, & alia Sacramenta administrare possit. Tenetur quippe ex officio omnibus modis, quibus potest, ovium suarum saluti prospicere.

§. II.

De modo ministrandi Sacramenta tempore pestis.

IN ipsa ministratione Sacramentorum generaliter observandum: quòd, licèt Minister ex officio justitiæ, vel charitatis, & virtute Religionis teneatur ordinariè adhibere certam ac tutam materiam & formam, tamen in extrema necessitate, si certa materia & forma adhiberi non possit, liceat, imò teneatur adhibere materiam saltem dubiam & incertam, ut saluti animæ consulatur, quantum fieri potest. Idem est, si sit dubium de dispositione debitâ vel sufficienti ipsius suscipientis. His tamen casibus sub conditione ministrandum est Sacramentum, ob illius reverentiam.

2. Modus ministrandi in genere (nam de specialibus infrà commodiùs dicetur, ubi de singulis in specie) iste est, ut inprimis omnia substantialia Sacramenti serventur. Deinde cæremoniæ graviùs obligantes, plures vel pauciores, juxta majorem vel minorem necessitatem suscipientis & periculum ministrantis, quæ quandoque etiam ab omnibus cæremoniis non substantialibus excusare possunt. Ut si sit periculum in mora in suscipiente, vel proximum periculum contagionis in ministrante. In hoc enim casu Ecclesia cæremonias Sacramentorũ præcipiens, nunquam obligare censetur.

3. Circa quæ omnino cavere debet Parochus, ne, dum tempore pestis nimis invigilat saluti unius, exponat alios periculo frustrandi Sacramentis & auxilio spirituali. Cùm enim obligatus sit toti communitati, ita debet servire uni, ut etiam se reservet aliis. Quod maximè observent illi, qui soli in aliquo oppido vel pago expositi sunt.

4. Si contingat, ut Sacerdos actu Missam celebrans vocetur ad Sacramentum moribundo administrandum, quod ei ad salutem est necessarium, v.g. ad baptizandum infantem aliis personis destitutum, vel communicandum ægrum in extremis laborantem: tunc, etiamsi jam consecrationem peregerit, Missam debet potiùs interrumpere, & Sacramentum ministrare. Quo peracto ad Sacrum perficiendum redibit.

5. Porrò pro scrupulis & anxietatibus cavendis vel resolvendis utilis est doctrina Tauleri, ut quando Pastor in administratione Sacramentorum tempore pestis, ubi subita pericula, & casus occurrunt, officium suum fecit, prout potuit, & prout tum temporis ipsi rationabiliter faciendum videbatur: si ex postfacto exsurgant ei cogitationes & scrupuli, v.g. *Tu potuisses meliùs hoc vel hoc facere &c.* sibi respondeat: *Officio suo satisfacit, qui id, quod faciendum est, meliori modo exequitur, quantum sibi tunc, cùm facit, constare potest, licet alioqui rectiùs fieri possit.*

CAPUT II.
De Sacramento Baptismi.

Omissis aliis scitu necessariis, iisque, quæ in Rituali Salisburgensi circa cæremonias continentur, quæ Parochos scire præsupponimus, quæ tempore pestis & maximè in præsenti periculo observanda sunt, hic tradentur.

§. I.
Observanda circa Baptismum & baptizandos.

1. Etsi Minister ordinarius hujus Sacramenti sit Sacerdos, tamen tempore pestis plerumque ipse ad baptizandum venire non tenetur, nisi infans non infectus, sed sanus ad Ecclesiam deportari possit. Sicut enim etiam aliàs communiter extra casum necessitatis ad baptizandum domum alicujus adire non tenetur: ita multò minùs tempore pestis cum vitæ periculo ad domum infecti accedere obligatur. Itaque tunc potest rectè Baptismum committere domesticis, ut obstetrici, etiam patri vel matri infantis, dummodo sciant formam Baptismi. Quòd si hi nolint, vel nulli adsint, vel formã omnino nesciant, nec facilè possint instrui, tunc ipse etiam cum proprio vitæ periculo obligatur ad conferendum Baptismum.

2. Quid si autem, dum Parochus aditurus domum infectam ad conferendum Baptismum infanti aliàs sine Baptismo morituro de vita periclitatur, prævideas per hoc plurium animarum interitum secuturum? Si moraliter id certò prævideat, non tenetur accedere, quia magis tenetur ad servandam plurium salutem spiritualem, quàm unius. Verùm non debet facilè sibi persuadere & credere, hoc periculum esse certum, etiamsi ipse solus sit in loco: tum quia cum divino auxilio ipse etiam à periculo moraliter certo servari poterit: & plerumque in ejus defectum ex divina vel humana providentia alius Pastor substitui poterit.

3. In dubio, an personæ domesticæ, de quibus dictum, idoneæ sint & sufficientes ad Baptismum debitè conferendum, expediet, ut Baptismo saltem à longè ipse intersit, & personam baptizaturam instruat, ipsi intentionem debitam, materiam & formam etiam in actuali ministratione, si opus videatur, suggerat. Quòd si interesse non possit, ob aliam necessariam occupationem, personam saltem baptizaturam evocatam per se, vel per alium idoneum in loco congruo priùs de forma & modo baptizandi instrui curet.

4. Tenentur autem in conscientia ex lege charitatis sub peccato mortali personæ domesticæ infantem infectum baptizare, si modum sciant, aut instrui possint, & ipse Pastor sine periculo proprio vel [illegible] occurrere ad baptizandum non possit. De qua obligatione seriò admonendæ sunt.

5. Quanquam alias etiam in casu necessitatis congruum sit, ordinem servari in baptizando, ut, si Sacerdos vel Diaconus adsit, Laici vel Clerici inferiores non baptizent, item Laicus Clerico, mulier viro in hoc officio cedat, saltem posito, quod æquè in modo conferendi Sacramentum instructi sint: tamen in casu pestis, ubi præsens periculum in mora est, non multùm ad hunc ordinem attendetur. Sacerdos tamen si adsit & baptizare statim velit, ac sine indecentia vel alio incommodo possit, sine dubio aliæ personæ in hoc officio ipsi cedere debent.

6. Contingere potest, ut Parochus vocetur simul ad baptizandum unum vel plures, & simul ad absolvendum vel communicandum ægrum. Hoc casu attendat inprimis, juxta superiùs dicta, quis in majori sit vitæ periculo constitutus; & hunc priùs accedat. Item si pro Baptismo aliæ personæ baptizaturæ adsint, ipse potiùs ad Pœnitentiæ vel Eucharistiæ Sacramentum ministrandum accedere debet. Aliàs, si hæ, de quibus diximus, personæ desint, accedat priùs ad infantem moribundum; quippe hic in extrema necessitate constitutus est, ut omnino se juvare non possit; quod tamen possunt alii moribundi per contritionem, si sine Sacramento decedant. Si simul baptizandus esset adultus & alibi infans, ex eadem ratione priùs baptizet infantem.

§. II.
Circa materiam, formam, & modum ministrandi Baptismum tempore pestis.

1. Constat materiam certam esse aquam elementarem, etiam non benedictam, sive sit frigida, sive calida (etiam naturâ suâ, ut sunt aquæ thermarum, aliæque sulphureæ) item pluvialis ex nive, glacie, grandine &c. naturaliter resoluta, sive pura, sive impura & mixta, uti lixivium & jusculum decoctum, dummodo plus aquæ quàm alterius substantiæ habeat. Talis igitur, qualis magis congrua & decens ad manum esse potest, tempore pestis usurpanda est.

2. Quòd si verò nulla ex his, quæ certam materiam præbent, ad baptizandum infectum, aliàs sine Baptismo decessurum, haberi potest, accipi debet etiam materia dubia, ut aqua rosacea, ex floribus & aliis rebus distillata: cum qua tamen sub conditione (*si hæc materia est sufficiens*) Baptismus conferri debet.

3. Urgente infectionis vel mortis periculo sive ex parte baptizantis, sive baptizati, ceremoniæ accidentales, alias in Baptismo servari solitæ, etiam à Sacerdote prætermitti debent.

4. Ablutio (quæ est materia proxima Baptismi) tempore pestis facienda est vel per infusionem cum longiori quodam instrumento, vel (præsertim si tale instrumentum non sit ad manum) per aspersionem, ita tamen, ut [illegible] de guttis aquæ cadat super baptizandum, quæ [illegible] nonnihil successivè possit defluere.

5. Si plures baptizandi sint, & sit periculum in mora, ne, si singuli particulariter baptizentur, alii sine

sine Sacramento decedant, baptizentur per aspersionem simul, additâ formâ in plurali: *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen.* Forma autem baptismi à latini idiomatis ignaris in linguâ vernaculâ rectiùs pronuntiatur.

6. Circa infantes nondum perfectè natos, si sit vicinum periculum mortis, pars illa, quæ extat, baptizari debet. Et quidem, si illa sit caput, absolutè; si pars alia corporis, sub conditione (*si ita capax sis*) forma baptismi proferatur. Si verò infans in utero decessurus existimetur, ante egressum vel emissionem partis, per obstetricem, si fieri potest, aut in hujus defectu per alium quemcunque cum instrumento congruo, & aquâ, nonnihil calefactâ, sub conditione tamen dictâ, baptizari debet. Verùm in his casibus, si contingat infantem postea integrè natum supervivere, sub conditione (*si non es baptizatus*) rebaptizari debet.

Casu quo Sacerdos, vel alius, qui formam baptismi sciat, aut proferre possit, per se ipsum accedere ad affundendam vel aspergendam aquam physicè non possit, & altera persona, quæ aquam ministrare possit, sit penitùs ignara, aut muta, tunc in extremo periculo (quod aliàs nunquam licet) sub conditione (*si sic valet Baptismus*) ita baptizetur; ut unus formam proferat, alter aquam ministret; Quia in extremo periculo sine irreverentiâ Sacramenti, quicunque modus probabilis ministrandi hoc Sacramentum licitè assumi potest.

CAPUT III.
De Sacramento Poenitentiæ.

PRætermittimus hic iterum ea, quæ de hoc Sacramento etiam extra casum necessitatis & pestis scire & observare debent Confessarii: sola, quæ tempori pestifero propria esse possunt, afferentes. Ubi quædam circa personas pœnitentium, quædam circa confessionem observanda erunt.

§. I.
Observanda circa personam ipsius Confessarii.

1. JAm suprà diximus, quòd, etsi in casu necessitatis ad audiendas confessiones subditorum Pastor etiam cum periculo vitæ teneatur, tamen ipse quoque infirmus se teneatur accommodare, ut, si fieri potest, periculo Pastor non exponatur. Hinc meritò infertur, obligari infirmum, ut, si fieri potest, sine gravi periculo vel incommodo, è cubiculo aut domo ad confitendum egrediatur, vel exportari se patiatur, vel saltem ad fenestram Parocho foris stante accedat, aut adportetur. Item cùm Pastor fortè ab homine infecto in plateâ jacente vocatur ad audiendam confessionem, non tenetur cum periculo suæ vitæ ad illum ex domo descendere, quando ipsum potest ex fenestrâ domûs audire.

2. Si Pastor sentiat, se ipsum peste infectum, tenetur abstinere ab audiendis confessionibus sanorum, quos à se infici posse metuit, nisi fortè è loco tam distanti, v. g. è fenestrâ possit ipsos audire, tali modo, ut nec ipsi, nec confitentibus grave incommodum sit timendum. Quo casu ad excipiendam confessionem teneri, lex certa charitatis dictat, ut ex superiùs dictis infertur.

§. II.
Circa personas confitentes.

1. SAlutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegat, ait PP. Cœlestinus in ep. ad Episc. Gall. Ex quo consequitur, tempore pestis neminem repelli debere à Sacramento Pœnitentiæ, etsi notorius peccator, excommunicatus, aut etiam hæreticus sit; dummodo spes emendationis affulgeat, & obstinatus in malo non sit. Ad obstinatos autem, utpote absolutionis incapaces & Sacramenti contemptores, si sufficienter de hoc constat, non quidem tenetur Pastor, præsertim cum periculo vitæ, accedere, faciet tamen præstans opus charitatis, si tales adeat causâ admonitionis & exhortationes ad pœnitentiam & conversionem.

2. Nec verò tantùm ad illos infectos tenetur accedere, qui Sacramentum hoc petunt, sed etiam ad eos, qui non petunt, si de eorum indigentiâ notitiam habeat, cùm ex officio teneatur succurrere ovibus in animæ periculo versantibus. Versantur autem in periculo salutis omnes adulti peccatores tempore pestis, cùm contritio, in tali præsertim morbo, sit valde difficilis & incerta, & aliàs obligati sint ad hoc Sacramentum recipiendum.

3. Sed quid si non petentes contemnant ipsum Sacramentum? tunc utique accedere ad illud ministrandum non poterit, sed ad exhortandum potiùs. Interim, quòd si infirmus Sacramentum non petat, nisi alia manifesta indicia accedant, minimè hoc est pro contemptu interpretandum. Imò potiùs ex morbi violentiâ talem inconsiderationem provenire est præsumendum.

4. Excusatur Pastor ab administratione hujus Sacramenti 1. Si infirmus paulò ante morbum contractum fuerit confessus, & prudenter præsumatur in statu gratiæ perseverare, 2. Si aliàs piæ vitæ assuetus, bonæ conscientiæ existere, aut verè contritus esse censeatur: tunc enim saltem aliis, de quorum salute majus est periculum, priùs succurrendum erit. 3. Si scrupulosus quispiam confessionem velit repetere: neque enim propter scrupulos hujusmodi hominum Pastor tenetur periculum vitæ subire, vel bonum commune, quod ex ipsius morte periclitabi-

tabitur, postponere. Excipitur casus, quo scrupulosus timetur in desperationem lapsurus, nisi denuo absolvatur.

5. Circa pueros, vel puellas minoris ætatis attendi debet, an purè innocentes, an verò jam doli capaces sint. Innocentes (quales communiter præsumuntur esse ante septennium) præsertim adhuc nunquam confessos, non tenetur accedere, cùm de salute non periclitentur.

Si verò doli seu peccati mortalis capaces sint, & de illis probabile dubium vel periculum est, quòd mortaliter peccaverint, tenetur ad ministrandum hoc Sacramentum ob periculum salutis ipsorum; tum quia in articulo mortis jure divino ad confessionem per se loquendo obligantur. Hos autem, si antea nunquam confessi sunt, debet priùs, quantum tempus & occasio permittet, instruere: & si de sufficienti rationis usu dubitet, sub conditione absolvere.

6. Amentes, si nunquam habuerunt usum rationis, non sunt absolvendi à peccatis, cùm nulla habeant, ideoque absolutionis sint incapaces. Si, antequam inciderent in amentiam, fuerunt usu rationis prædití, tum vel constat illos fuisse in malo statu, v. g. hæresis, concubinatûs, &c. & tunc, si sine signo pœnitentiæ in amentiam inciderunt, non sunt absolvendi, nisi fortè lucida aliqua intervalla intervenientis usûs rationis habuisse, probabiliter appareat; quo casu sub conditione absolvi poterunt, si probabilia signa pœnitentiæ edidisse videantur; Vel constat, illos honestè vixisse, non tamen Sacramentum pœnitentiæ petiisse, & tunc tenetur Pastor eos sub conditione, *si sint capaces*, absolvere. Forsan enim de suis peccatis conceperunt attritionem, cum desiderio sua peccata, præsertim in gravi vel extremo periculo vitæ, confitendi.

Cùm igitur sit saltem probabile, in mortis periculo constitutum, etiam sine aliquo signo pœnitentiæ, sub conditione absolvi posse, non est deneganda absolutio, per quam probabiliter ex attrito (si omnino contritus non fuisset) contritus fieri, & remissionem peccatorum consequi possit. De quo ampliùs dicetur infrà.

7. Si amentia vel phrenesis fuit ex ipso pestilentiæ morbo causata, ut sæpe solet, sunt absolvendi amentes sub conditione, quamvis constaret, illos in malo statu vixisse usque ad tempus, quo pestilentiæ morbo fuerunt infecti, dummodo saltem tempore pestilentiæ, antequam usum rationis perderent, aliqua emendandæ vitæ signa exhibuerint. De quolibet enim homine Christiano rectè præsumitur (nisi constet de contrario) ipsum pro tempore extremæ necessitatis sua peccata detestari, & omni meliori modò saluti suæ velle consulere, quantumvis antea flagitiosè vixerit. Et hæc videtur esse sententia S. Augustini l. 1. de adult. conjug. c. 16. & 18. ubi, cùm dixisset, etiam illos catechumenos esse baptizandos, qui adulterinis consortiis implicati, subitò essent sensibus destituti, subjungit: Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: neque ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.

§. III.

Circa ipsam Confessionem & ejus integritatem.

1. IN casu pestis, ubi plerumque tam confitenti quàm ipsi Confessario imminet grave periculum, pro generali principio teneant Pastores, materialem confessionis integritatem, quâ aliàs singula peccata mortalia quoad numerum & speciem integrè enumeranda sunt, necessariam non esse; imò nec, si velit æger, admittendam, nisi tali loco & situ, & in eo statu morbi, confessio ejus audiri possit, ut sine periculo aut aliorum ægrorum impedimento certò absolvi possit.

2. Igitur imminente periculo vel Sacerdotis, ne inficiatur, vel ægri confitentis, aut aliorum idem Sacramentum desiderantium, ne fortè ante absolutionem moriantur, sufficiet Pastori unum alterumve peccatum audire, & absoluto pœnitente ad secundum, ab isto eodem modo audito ad tertium, & sic deinceps ad alios, si plures sint, accedere. Imò si appareat, ægrum tardè & difficulter loqui, expediet potiùs, de uno alterove peccato interrogare, & sic ei absolutionem impendere.

3. Quòd si plures sint simul in eodem cubiculo vel lecto, ita ut sine infamatione sui nullus possit peccata singillatim confiteri, uti fit, cùm Nosocomia sive Lazaretha (ut vocant) sunt infectis repleta, sufficiet in tali casu, ut post exhortationem ad dolorem & confessionem generalem de suis peccatis vel singuli aliquod leve peccatum, vel grave, quod in tali hominum genere vel conditione parùm infame censetur (v. g. blasphemiæ in milite) confiteantur, & ita singillatim absolutionem recipiant. Quippe tunc à peccato confesso directè, & à reliquis non confessis absolvuntur indirectè.

4. Si verò periculum imminens etiam hanc confessionem particularem non admittat, tunc omnes in tali loco infirmi, & in conspectu Sacerdotis positi poterunt se se in genere accusare, & signa doloris ostendere, tundendo pectus, &c. Et tunc, si res ita exigere videatur, etiam unâ absolutione simul absolventur, prout in bello circa militum absolutionem servandum tradunt DD.

5. Si contingat, quòd æger huic confitendi modo, licèt à Confessario admonitus, nolit acquiescere, sed, ut integra ejus confessio audiatur importunè urgeat, & præsertim, si id denegaretur, periculum desperationis subesse videatur, integrè audiri debet, dummodo per hoc alii æquè vel magis indigentes non negligantur. Verùm, si mora sit longior, expediet non audire uno continuo tractu, sed subinde nonnihil ab ægro recedere ad fenestram vel ad atrium exterius, ut Confessarius ita liberiorem auram capere, vel etiam præservativa sua repetere possit, ne continuatâ inhæsione facilè contagionem contrahat.

6. Cùm sæpe accidat, ut æger, antequam confessionem faciat, usu linguæ destituatur, tunc si quidem signa doloris de peccatis exhibeat, absque

que dubio absolvendus est. etsi priùs nullam sacramenti fecerit mentionem, cùm ipsa signa locum confessionis tunc subeant, & petitio absolutionis sint. Si tamen dubium est, an illa signa doloris magis ex morbi violentiâ, quàm ex animi contritione procedant, absolvi debet sub conditione.

7. Posito autem, quòd æger nulla ampliùs doloris signa exhibeat in præsentiâ Confessarii: tunc si saltem de illis, vel etiam de petitione Confessarii, alii præsentes testentur, omnino absolvendus est, prout declaravit Paulus V. PP. in suo Rituali dicens: *Ægrotum, si desiderium confitendi sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendum esse.*

8. Casus magis dubitatus inter Doctores est: an, si moribundus nulla signa pœnitentiæ exhibeat, & exhibere possit, nec antè exhibuerit, neque Confessarium petierit, an absolvi possit? Verùm Pastores mitiorem sententiam hîc meritò amplectentur: & si, modò communi opinione & testimonio aliorum christianè vixerit, sub conditione, *si sit capax*, talem absolvant: quia, ut suprà diximus, in tali casu necessitatis etiam probabili materiæ forma est applicanda, si alia certior haberi nequit. Cùm igitur probabilis sententia plurimorum Doctorum judicio sit, quòd vita Christianè transacta pro mortis articulo vim petitionis confessionis contineat, & aliunde meritò dubitari possit, an non moribundus exhibeat quædam signa animi pœnitentis, v. g. vehementiorem respirationem, aut suspirium, quæ tamen ab adstantibus non notantur; quidni animæ saluti, quæ per absolutionem fortè juvari potest, consulendum sit? Et ita præter Doctorum consensum praxis communis piorum ac doctorum virorum exempla, præsertim Clementis VIII. Summi Pontificis, & Gregorii XV. dum adhuc esset Archiepiscopus Bononiensis, docuerunt. Et facit S. Aug. sententia allegata suprà de confitent. n. 7.

§. IV.

Circa formam Absolutionis.

1. Pauca hîc observanda sunt. Et inprimis, si non nimium urgeat periculum, & pœnitens usum vocis habeat, Sacerdos, priusquam pœnitentem absolvat, breviter conetur habere securitatem de bonâ dispositione pœnitentis quam pro illo articulo sufficientem habebit, si pœnitens interrogatus annuat, se ex corde omnibus inimicis propter Deum ignoscere; velle omnibus, quibuscunque est quomodolibet obligatus, quantum est ex suâ parte, satisfactum: velle deinceps, si & quamdiu Deus vitam dederit, ipsius mandata servare, dolere de omnibus peccatis, & suos dolores, mortemque ipsam conjunctam doloribus & morti Christi offerre in satisfactionem suorum peccatorum. Imò hæc duo ultima plerumque sufficient in iis, qui nullam justitiæ obligationem peccando contraxerunt. Si infectus aliàs pietati valde addictus fuerit, ex hoc ipso Confessarius bonam ejus dispositionem sine multis interrogationibus præsumet.

2. Casu quo æger pœnitens obligatus sit ad restitutionem, si pecuniam jam habeat in parato, quam tamen temporis & periculi ratio actu restitui tunc non patiatur, non quidem ipse Confessarius eam ad se recipiat, ne se contagionis periculo exponat; sed jubeat eam in aliquo sacculo concludi sigillo ægri signatam, cum appensâ schedâ ejus nomine, cui restituenda erit, v. g. Petri, Jacobi, &c. inscriptâ: eamque sic signatam in aliquo scrinio recondi, ut suo Domino aliquando consignari possit. Aliàs si pecunia parata non adsit, syngrapha debiti, post mortem suam ab hæredibus vel executoribus ultimæ voluntatis exolvendi, nomine ægri subscripta & sigillo signata conficiatur.

3. Si Pastor intelligat, pœnitentem esse aliquâ censurâ, v. g. excommunicationis, innodatum, si tempus patiatur, priùs à censûra quàm à peccatis absolvat. Modus autem absolvendi à censurâ in foro conscientiæ (de quo tantùm hîc agitur) communiter est: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis, &c. quam incurristi propter hanc causam N.* Si sit excommunicatus, additur: *& restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium.* Si sit suspensus; *executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum vel Beneficiorum.* Subjungat absolutionem à peccatis. *Deinde, ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.*

4. Verùm si periculum sit in morâ sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii, habitâ sufficienti materiâ & dolore pœnitentis, pro tali casû extremæ necessitatis, prout suprà expositum est, utatur formâ absolutionis ordinariâ: *Dominus Jesus Christus, &c.* & si hæc quoque ob periculi magnitudinem nimis prolixa videatur, utatur tantùm substantialibus verbis: *Ego te* (vel in plures, *vos*) *absolvo ab omnibus censuris & peccatis tuis* (*vel vestris*) *in nomine Patris, &c.*

§. V.

Circa satisfactionem.

1. Cùm satisfactio non sit essentialis, sed integralis pars pœnitentiæ, potest in gravi necessitate omitti. Ideo prudens Confessarius si viderit infectum impotentem moraliter vel physicè ad aliquem actum exercendum, non debet ei ullam imponere poenitentiam.

2. Si verò sit potens elicere vel aliquem actum externum, v. g. tunsionem pectoris, pronunciationem SS. Nominum Jesu, Mariæ & Joseph, vel saltem aliquod suspirium, aut actum internum exercere, poterit talis actus pro poenitentiâ utiliter imponi.

3. Inter hos autem actus internos utilissimi sunt plena resignatio in voluntatem Dei, & oblatio dolorum suorum ac mortis suæ in vulnera, Passionem, ac mortem Christi, devota invocatio, saltem mentalis (si voce fieri non potest) dictorum SS. Nominum (quæ apud plurimos in horâ mortis habet plenariam indulgentiam) & similes, quos sua devotio poenitenti vel Confessario suggeret.

CAPUT VI.

De Sacramento Eucharistiæ.

§. I.

Observanda circa ministrum hujus SS. Sacramenti.

1. PArochum obligari graviter ad hoc Sacramentum etiam cum certo periculo vitæ suæ ministrandum infectis, quando aliud remedium salutis non adest, jam suprà diximus. Raró autem & vix iste casus contingit: ordinariè enim infirmus in peccato mortali constitutus minori cum periculo vitæ Pastoris, & majori cum securitate salutis absolutionem suscipere, aut contritionem elicere poterit. Igitur communiter loquendo Pastor non tenetur S. Eucharistiam cum certo vitæ periculo ministrare.

2. Notetur tamen, quod dicitur, *Certo*, quod quidem moraliter intelligendum: ut si defacto omnes tali ægro ministrantes, aut eum accedentes infectionem passi & mortui sunt, aliàs enim, si sit tantùm commune periculum, quod per medicinas, & alias cautelas amoveri possit, item si Pastor per ministrationem hujus Sacramenti non subeat notabiliter majus periculum, quàm aliàs necessariò subiturus esset, obligatur ad S. Viaticum infecto petenti cum debitis cautelis inferiùs exponendis, ministrandum, etiamsi æger sit extra extremum periculum salutis.

3. Casu, quo contingat, quòd Parochus vel Sacerdos excipiendis confessionibus, aut pluribus aliis personis in loco distanti occupatus, non possit per se ipsum ad ægrum communicandum tam citò occurrere, Diacono, si adsit, id committere poterit, qui etiam ex Ecclesiâ ad infirmum Sacramentum deferat: uti ex antiquo Ecclesiæ usu, & veterum Conciliorum ordinatione licitum esse in tali necessitate probatur. Ex quo sequitur, non tantùm posse, sed etiam debere ei committi, si aliàs æger sine Viatico decederet. Imò etsi Sacerdos præsens sit, iniquè tamen Sacramentum infirmo denegaret, posset tali casu ipse Diaconus, etiam invito Sacerdote, Sacramentum ministrare.

4. Cùm graves DD. tradant, in casu necessitatis posse etiam per inferiores Clericos, imò & Laicum hoc Sacramentum ministrari, id eatenus saltem tempore pestis practicari poterit, ut, si Sacerdos ipse Communionem ministrare sine præsenti periculo, aut aliorum, quibus etiam succurrere debeat, dispendio nequeat, ministrari à personis prædictis permittat. Caveat tamen, ne personis suspectis, vel nimis imperitis, præsertim in absentiâ suâ, tantum Sacramentum concredat.

5. Si unus vel plures decedere deberent absque viatico, ob defectum hostiarum consecratarum, tunc Pastor celebrare potest, &, exigente magnâ necessitate spirituali, etiam debet, quantumvis non sit ampliùs jejunus. Cùm enim hoc sit præceptum Ecclesiæ tantùm, non censetur pia mater Ecclesia velle, ut cum dispendio animarum observetur. Interim, ne defectus particularum consecratarum, pro infirmis, qui talem celebrationem exigat, contingat, diligenter præcavere Parochus tenetur.

§. II.

Circa infirmos communicantes.

1. SI moribundo, nisi cum gravi irreverentia S. Viaticum dari non possit, dari non debet. Ob hanc causam non licet dare S. Viaticum, quando est morale periculum vomitûs, priusquam species sacramentales consumantur. Item si sit periculum, ne Sacramentum in stomachum demitti nequeat ob nimium linguæ tumorem, ariditatem, difficultatem respirationis, tussim, singultum, aut aliam similem passionem.

2. Ubi periculum non est certum, sed dubium, si illud per experimentum aliquod certificari possit, istud priùs tentandum est, v. g. danda hostia non consecrata, quam si ægrotus servare vel deglutire possit, eidem consecrata postea dari poterit. Si verò à dubio se Pastor expedire non possit, fortè ob periculum in morâ, neque moribundo S. Viaticum sit extreme necessarium necessitate medii (eò quòd per Sacramentum aliud ei subveniri, aut ipse per contritionem se se sufficienter juvare possit) tunc à S. Viatico ob reverentiam Sacramenti abstinendum erit.

3. Non tamen est contra tanti Sacramenti reverentiam illud tradi vel sumi sine cæremoniis, quæ alioquin sumptioni præmitti debent, quando vel ob grave periculum Pastoris, vel aliam similem urgentem causam, illæ præmitti aut servari non possunt. Tunc enim per ipsam externam devotam sumptionem, ac bonam internam animi dispositionem exhibebitur Sacramento sufficiens ac debita reverentia.

4. Ægrotus constitutus in peccato mortali, & destitutus facultate suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen S. Eucharistiæ (ut in casu sup. §. 1. n. 3. notato) debet conari elicere veram contritionem, priusquàm suscipiat idem Sacramentum. Absque contritione enim, saltem existimata ut tali, non esset debitè dispositus. Tum quia Sacramenta vivorum (inter quæ potissimùm est S. Eucharistia) per se à Christo sunt instituta ad causandum tantùm augmentum gratiæ, ac proinde suscipiens se tenetur, cùm potest, in statum gratiæ priùs constituere: tum quia incertum est, an etiam per accidens causent primam gratiam & justificationem, cùm plures DD. id negent.

5. Ubi æger usu rationis privatus fuerit ante Sacerdotis adventum, si quidem tamen Sacramentum antè petiit, aut si non petiit, vel in bono statu vixisse, vel saltem dolorem de peccatis elicuisse, prudenter præsumi potest, nihilominus ei Sacramentum ministretur, dummodo sine gravis irreverentiæ periculo dari possit.

6. Non

6. Non tenetur tamen æger ex vi præcepti divini aut humani sumere S. Viaticum; si tempore pestis, licèt sub alio titulo; ante tres; sex, imò decem dies communicavit: quamvis aliàs si sine periculo Sacerdotis fieri possit, consultiùs ex parte sua facturus sit æger, si Sacramentum repetat, & pro Viatico accipiat. Sed nec petenti in casu prædicto Sacerdos Sacramentum ministrare tenetur, si ipse periculum vitæ subiret.

7. Qui post sumptum Viaticum incidit in peccatum mortale, non tenetur ampliùs illud sumere, quia præcepto jam satisfecit: nec proinde obligatur ei Pastor Sacramentum de novo ministrare. Tenebitur tamen talis æger peccatum mortale hujusmodi confiteri de novo, etsi contritum se esse credat, si copiam Confessarii possit habere.

8. Pueris, si jam antea communicârunt aliquando, & aliàs dispositi sint, ministrandum est S. Viaticum à Pastore, sicut de adultis dictum. Si autem nunquam adhuc communicârunt, & nondum ætatis annum nonum vel decimum attigerunt (quo communiter ad communicandum admitti solent) non est necesse, ut eis ministretur, nisi prudentia ætatem suppleat, & priùs de hujus Sacramenti dignitate bene instructi id vehementer desiderent. Pueris infra septennium constitutis, & universim iis, qui sufficientem usum rationis non habent, ministrari non debet.

9. Peccatoribus etiam publicis hoc Sacramentum exhibendum est, si pro temporis necessitate pœnitentiam peccatorum exhibent: dummodo, si actu occasionem peccandi amovere possunt, id etiam faciant, aut si non possunt, saltem paratos ad eam posthac vitandam, & ad satisfactionem seu restitutionem, ubi opus est, faciendam se exhibeant. Estque horum publicorum peccatorum pœnitentia, si ipsi publicè exhibere non potuerint (sicuti eam exhibere tenebantur) per Sacerdotem publicanda: ut ita Sacramento Eucharistiæ debita reverentia servetur, & scandalum tollatur.

10. Si infectus quis occultus tantùm peccator sit, & publicè Sacramentum petat, etsi id sciat Pastor, tamen ei Viaticum denegare non poterit, nisi aliunde sine periculo accedere eum nequeat: quo casu opportunè se excusare poterit. Imò etiamsi absolutè posset accedere, tamen si de malo statu infecti certus est, sintque alii infirmi magis utiliter providendi, hos præponere licitè potest; nisi per accessum cum S. Viatico spem habeat secuturæ conversionis hujus peccatoris. Et quia hæc spes rarò penitùs abest, regulariter tergiversari non debet.

§. III.

Circa modum communicandi & præbendi S. Viaticum infectis.

1. Sicut aliàs in moribundis, ita neque in peste infectis requiritur, ut jejuni sint, cùm S. Viaticum recipiunt. Nec tantùm actu infectis, sed etiam de peste suspectis non jejunis ministrandum est, idque sive tempore antemeridiano, sive pomeridiano. Quòd si pestis valde invaluerit in loco aliquo, ut obvios quosque corripiat, tunc non solùm qui in domo peste infectâ convivunt, pro suspectis de peste rationabiliter habentur, sed etiam alii ejus incolæ.

2. Ex eadem ratione, si Pastor vel propter se, vel propter alios, quorum ei cura incumbit, Sacrum celebrare cogitur, & non jejunus sine periculo celebrare nequit, etiam sumpto cibo, vel præservativo aliquo celebrare poterit. Quod maximè locum habet, si se ipsum peste infectum sentiat, & nec Hostiæ consecratæ, nec alius Sacerdos ad manum sit: tunc enim, si potest, celebrare tenetur non jejunus.

3. Imò etiamsi de alterius Sacerdotis manu communicare posset, tamen adhuc non jejunus celebrare potest pro sumendo S. Viatico: dummodo celebrando non se exponat periculo morali, Missam non absolvendi & carendi Viatico. Quo casu potiùs tenetur sumere particulam jam consecratam, vel propriis manibus se communicando, vel ab alio Sacerdote, si habere potest: ne duplicis præcepti divini violandi periculo se exponat, scilicet carendi S. Viatico, & Sacrificium imperfectum relinquendi.

4. In modo administrandi S. Viaticum illud attendi debet, ut Sacramento, quantum fieri potest, exhibeatur debita reverentia; & simul amoveatur vitæ Pastoris periculum. Unde si superpellicium vel stola augeant periculum, sine illis Pastor ad pestiferos deferre, eisque ministrare poterit. Celebrare autem sine ullis vestibus sacris, nec ob dandum, vel accipiendum Viaticum licet; sicut nec sub una tantùm specie consecrare.

5. Si tamen necessitas expostulet, & aliæ minutæ Hostiæ ad manum non sint, poterit Pastor unam partem Hostiæ majoris pro Sacrificio consecratæ reservare ægroto pro Viatico, alteram tamen sumendo.

6. Quanquam modus ordinarius ægris etiam in mortis articulo S. Viaticum ministrandi sit, ut digitis Pastoris ori ægri imponatur, tamen in morbis valde contagiosis, ideoque maximè pestis tempore, observare illum non tenetur: imò nec debet, si ipse in loco aliquo solus sit, & inde vitæ suæ periculum immineret, ex quo oves Pastore destituerentur, atque Sacramentum aliàs sine periculo gravis irreverentiæ, uno ex modis infrà notatis administrari possit. Si autem sit extrema necessitas spiritualis ægri, & Sacramentum (ut sæpiùs contingere potest, v. g. si æger sit nimis inquietus, nec habeat ministrum, cui Sacramenti ministratio tutò committi possit) moraliter loquendo aliter ministrari nequeat, abjecto omni timore, & cum plena in DEUM fiducia, etiam suismet digitis ministrare debebit. Manus tamen statim deinde in aquam frigidam immergat, vel aceto lavet, ut in cautelis infrà dicetur.

7. Modi extraordinarii tempore pestis ministrandi Sacramentum magis probati possunt esse sequentes.

Primus modus est, ut in quodam cochleari parvulo [ita ut in ore ægri versari, & inverti possit] longum tamen stylum habente, ori ægri S. Hostia cochleari imposita inseratur,

Alter, ut, si fortè os ægri nimis siccum est ex calore morbi, in cochleari paulò capaciori vinum, aqua, vel alius liquor congruus infundatur, eique immissa S. Hostia, ab ægro cum liquore facilè sumatur & deglutiatur.

Tertius, ut ex alio mundo & honesto poculo, etiam vitreo [quod eò convenientius, quò pulchrius] & in mensa vel scamno decenter strato à Sacerdote relicta Hostia, liquori, ut diximus, immissa ab ægro ipso accepta, vel ei à Ministro porrecta sumatur ac hauriatur.

Quartus, ut accipiatur particula panis ordinarii, ægro congrui, & factâ cultro in eo scissurâ, in hac S. Hostia [vidente ægro, si fieri potest] imponatur, ut cum particula panis ab eodem ægro sumi possit.

Quintus denique, ut in particula corporalis discissi, aut saltem in pura & candida charta Hostia involuta, itidem super mensam paratam à Sacerdote deposita, ab ægro vel ejus ministro, particulâ corporalis vel chartâ nonnihil complicatâ quâ hostia tanquam in canali delabi possit, sic ori honestè imponatur.

8. Hi omnes modi pro diversitate circumstantiarum practicabiles esse possunt, dummodo quàm maximè caveatur, ne vel ipsa S. Hostia, vel ejus particula in terram delabatur. Unde si sine periculo lapsûs vel ex defectu instrumenti alterius, aut alia causa aliter sumi non possit, etiam propriis ægri vel ministri manibus, cum reverentia tamen qua fieri potest maxima, contrectari, & ita sumi poterit.

9. Si in instrumento, vel poculo, vel corporalis seu chartæ particulâ aliquid notabilis reliquiæ de Sacramento remanserit, quod ab ægroto ampliùs sumi non possit, juxta rubricas Missalis asservetur, v.g. in vino vel aceto, donec corrumpatur, & postea comburatur. Particulæ quoque corporalis vel chartæ, in quibus S. Hostia involuta fuit, comburendæ sunt.

10. Poculum verò [idem est de aliis hujusmodi, de quibus dictum, instrumentis] penès Pastorem remaneat, ut eò mundius sit, & decentiùs tractetur. Ipse quoque poculo, dum S. Viaticum dispensabit, tantum vini, seu liquoris infundat, quantum judicaverit esse necessarium, ne aut S. Hostia adhæreat poculo, aut cum difficultate & periculo ab ægro sumatur. Nec opus erit integram Hostiam imponere, sed imponi poterit particula ejus major vel minor, pro circumstantiarum exigentia.

11. Poculum vel instrumentum post communionem infecti non erit à Pastore immediatè attingendum, antequam hoc sit purgatum supra ignem, aut in aceto, quæ parata esse debent eodem loco, quo primùm Pastor posuit, ad S. Viaticū moribundo exinde ministrandum vel deferendum.

12. Ex quibus facilè colligitur, cum his cautelis vel modis ministrandi in tempore tantæ necessitatis [etsi aliàs non concessis] licitis & permissis, non esse tam periculosum SS. Eucharistiam pestiferis exhibere, quàm vulgò existimetur.

CAPUT V.
De Extrema Unctione.

HOc Sacramentum minùs necessarium est, quàm præcedentia. Unde regulariter, si infectus ex prioribus unum susceperit, vel suscipere possit, ad hoc administrandum Pastor non tenetur, præsertim cum vitæ periculo. Pro meliori tamen notitiâ quædam pro tempore pestis ad hujus Sacramenti administrationem scitu necessaria adjungenda censuimus.

§. I.
Observanda circa infirmos Extremam Unctionem suscipientes.

1. SUpponitur, omnibus adultis [actu tamen jam infirmis, non autem infirmorum, etiam peste infectorum, servitoribus] ministrari posse: pueris autem non, nisi usûs rationis & peccati, ideoque & Sacramenti Pœnitentiæ capacibus. Ubi enim peccata esse non possunt, nec peccatorum invenientur reliquiæ, quæ per hoc Sacramentum ex proprio effectu tolluntur. Econtra licet pueri nunquam communicaverint, tamen si confessi sint, aut confiteri potuissent, vel debuissent, tempore autem morbi confessionem peragere nequeant, inungi debent. In dubio, num capaces sint Extremæ Unctionis, juxta sæpius in simili tradita sub conditione [*si capax es*] administrari eis debet.

2. Non requiritur ad hoc Sacramentum defacto usus rationis, ideoque etiam amentibus, & ratione privatis, si tamen aliquando usum rationis habuerint, conferri potest, & in articulo mortis plerumque debet: dummodo sensum non amiserint in actu, vel actuali complacentia peccati gravis. His enim vel maximè pietatis officia impendi debent, qui se ipsos juvare nequeunt.

3. Etsi invitis nunquam conferatur Sacramentum, tamen etiam non petentibus, si necessitas spiritualis exigat, nempe si ex vi morbi usum loquelæ perdiderunt, debet conferri; modò tamen non fuerit aliquis notorius peccator, Sacramentorum contemptor, excommunicatus vel hæreticus, & in eo statu tempore morbi etiam volens perseveràris.

4. Quòd

4. Quòd si dubitetur, an aliquis de facto jam sit peste infectus: si dubium sit probabile, nec sit merus metus extrinsecus de morbo in futurum contrahendo, Extremâ Unctione provideri potest, sed sub conditione, *si capax es.*

5. Similiter sub conditione tali Sacramentum recipiet, si fortè quis jaceat inter cadavera, ut nesciatur, an vivat necne, si veritas certa explorari, aut Medicorum judicium expectari non possit.

§. II.

Circa requisita & modum ministrandi hoc Sacramentum.

1. Oleum olivarum solum esse materiam essentialem hujus Sacramenti, constat: quod quidem ab Episcopo specialiter consecratum esse debet. Verùm in casu necessitatis, si oleum infirmorum consecratum desit, etiam oleum catechumenorum, vel chrisma (ex oleo & balsamo mixtum) vel oleum omnino consecratum, imò & alio liquore commixtum, sub conditione tamen (*si sit materia sufficiens*) assumatur.

2. Quia tempore pestis ferè semper periculum est in mora, saltem ex parte administrantis Sacramentum, Sacerdos omissis precibus statim ad unctionem accedat, & singulos ex quinque sensibus, nempe unum occulum, unam aurem, nares, os, unam manum, uno brevissimo tactu inungat, simulque formam conjunctam pronuntiet: *Per istas sanctas unctiones & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen.*

3. Si periculum tantum sit, ut infirmus ante completas 5. unctiones moriturus videatur (quanquam hoc raró continget, si modus proximè relatus adhibeatur) tunc saltem una unctio in organo sensûs magis obvio fiat. Sed quia modus hic ministrandi est dubius, sub conditione. Si autem æger facilè supervivet, sit tamen in extrema necessitate, ut aliud Sacramentum nequeat suscipere, tum etiam cum certo periculo vitæ suæ 5. unctiones cum forma paulò antè descripta Sacerdos facere, vel si jam antè cum una unctione fecerit, sub conditione reiterare tenetur: ne dubium Sacramentum ministrando animam ægri periculo exponat.

4. Quia, si manu vel digito fieret unctio, id nimis periculosum esset, fiat virgâ aliquâ, seu perticâ, non facilè flexibili, in summitate bombyce, vel lino circumvoluta, eâque in oleo intinctâ. Peractâ unctione, si non ipsa virga, saltem id, quod extremitati de bombyce, vel lino alligatum fuerat, comburatur, virga verò, si eam conservare placet, aceto diluatur.

5. Si talis virga seu instrumentum ad manum esse non possit, & contactus manûs vel digiti sit periculosus, per distillationem olei super partem vel partes ungendas sacra unctio fieri poterit, sed, ob dubietatem, sub conditione, uti sæpius indicatum est.

CAPUT VI.

De Sacramento Matrimonii.

1. Quanquam tempus pestis non sit tempus nubendi, sed potiùs lugendi, & Deum pro peccatis deprecandi, aut se se ad vicinam aut subitò superventuram fortè mortem disponendi, contingere tamen potest, ut aliqua necessitas moralis dictet & impellat, etiam in mortis vicinia matrimonium contrahere. Unde

2. Quia ex constitutione Concilii Tridentini Matrimonia hodie sine præsentia & assistentiâ Parochi & testium validè contrahi non possunt: hinc si in locis peste infectis, ubi receptum est quoad illud punctum Concilium, sint ex ipsis etiam pestiferis, qui exsurgente aliquâ, ut præferunt, causâ matrimonium celebrare voluerint, tenetur Parochus in conscientiâ petentibus suam præsentiam commodare & assistere.

3. Causæ in eo articulo contrahendi sunt, vel esse possunt 1. Legitimatio prolis ex concubitu fornicario antehac conceptæ. 2. Fidei in defloratione virginis sub spe vel promissione Matrimonii factæ impletio. Et 3. quæ magis urgens est, periculi animæ aversio. Nam si timetur, ne infectus assuetus suæ concubinæ non possit deponere inordinatum affectum erga illam, medium bonum erit, actu ante mortem illam ducere.

4. Etsi verò in hoc tempore, cùm periculum in morâ est, nec tempus Quadragesimæ, vel Adventûs, nec alia impedimenta, si Superior adiri non possit, obstent, quin Matrimonium licitè contrahi possit, etiam sine præviis denunciationibus, vel saltem unâ tantùm præmissâ loco omnium: tamen Parochus debet aliqualem saltem informationem vel examen adhibere, an nullum impedimentum dirimens subsit, quod contractum reddat invalidum. Cognito enim impedimento nullatenus debent copulari, nisi habitâ ab Ordinario dispensatione.

5. Si fortè Matrimonium jam antè in facie Ecclesiæ contractum ob impedimentum latens fuerit validum, impedimento postea remoto, non opus erit novâ Parochi assistentiâ, sed (ut & extra tempus pestis) contrahentes inter se ipsos illud possunt ratificare.

6. Vas

6. Vagabundos quamvis extra tempus pestis non debeat Parochus copulare, nisi præviâ informatione & consensu Episcopi; tamen tempore pestis secus est, si tamen impedimentum dirimens non appareat, & infectus asserat, se causâ salutis animæ vel aliâ ex allegatis Matrimonium desiderare.

7. Consultum erit, ut si contrahens in apertum prodire non potest, & ex ingressu domûs infectio Pastoris timeatur, aut etiam partes tutò in conspectum venire non possint, petere, ut per procuratorem, vel per litteras Matrimonium contrahant, prout extra casum necessitatis possunt, sed non tenentur. Litteræ tamen, & consensus utriusque coram Parocho exhibeantur, & in litteris expressum esse debet, quòd contrahens non solùm ex tunc, tempore quo Parochus utrasque litteras accipit, faciat sui corporis traditionem, sed etiam alterius traditionem acceptet. Testes adhibeantur, quales pro tali casu inveniri possunt, cujuscunque conditionis sint.

CAPUT VII.

De Sepultura Tempore Pestis.


1. Etsi sepultura sit singulare opus misericordiæ, ac pietatis, & ad officium Parochi specialiter pertineat; tamen propter periculum infectionis tempore pestis Parochus ad sepeliendos ex eâ lue defunctos, & preces super eorum corpora ritu consueto celebrandas nullo modo debet accedere: multò minùs cadavera infectorum aut de peste suspectorum in cœmeterium vel Ecclesiam debet inferre, ne vel pestem in alios adhuc sanos propaget, vel hos omnino accessu Ecclesiæ absterreat.

2. Exequias tamen pro defunctis, etiam peste infectis, non prohibetur celebrare: dummodò ex domo infectâ nullus accedat & intersit. Imò universim, sicut pro vivorum incolumitate, ut initio monuimus, sic & pro defunctorum æterna Requie in Ecclesiâ Sacrificia & preces diligenter debet offerre. Ut saltem his hostiis, quas pestis absumpsit, contentus, & precibus ac Sacrificiis piorum placatus Dominus Deus, Angelo percutienti imperet, ut manum contineat, & plagas toti populo intentatas clementissima sua pietate ac misericordia remittat.

FINIS TOMI IV.



INDEX



INDEX ALPHABETICUS
Rerum & Verborum
TOMI QUARTI.

Jn

Com-

Quæ-

Ali-

Re-

Insti-

 Ad-

Pœnitentiæ Sacramentum.

Forma.

Meri-

S.

Sacerdos. Sacerdotium.

Sacramentum.

Quo-

Sacramentalia.

Sacrificium.

Sanctitas. Sancti.

Sanguis.

Satisfactio.

In



ER-



Errata Tomi IV. sic corrige.

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
1	*in proœm.*	*ult.*	aucapare,	aucupari.
2	*num.* 1.	2	in unitate,	in unitatem,
4	9	16	substantia.	subsistenria.
19	18	21	extrinsecè,	intrinsecè,
20	19	7	effectu,	affectu.
-	-	10	est.	inest.
39	6	27	ipsa,	ipsam.
42	2	16	executionis.	intentionis.
43	7	6	passibili.	impassibili.
62	11	32	velut,	vel ut.
70	8	11	quæ.	quia.
73	7	2	ipso,	ipsi.
-	-	*ult.*	Verbum,	Verbo.
77	4	7	relictæ,	relictâ.
79	8	9	si trinsecè.	sit intrinsecè,
82	*col.* 1	50	gradum.	gratum,
88	*n.* 16	4	qui non sunt,	qui sunt,
-	-	5	qui sunt.	qui non sunt.
91	5	23	Resurrectionis arduum.	Resurrectionis : arduum.
93	2	12	expleta & perfecta per.	expletâ per.
106	*col.* 2	7	circumscriptum Deitate,	incircumscriptum Deitate,
108	*n.* 10	1	meram,	veram.
109	*col.* 2	8	tam.	tantam,
110	*col.* 1	*ult.*	idem:	eidem;
111	*col.* 2	5	deferentem,	conferentem,
124	*n.* 4	4	in 5. yn. Gen. scitatâ.	in 5. Syn. Gen. citatâ,
125	*col.* 2	9	hâc,	hæc.
127	*Sum. n.*	10	sputa sanguinem.	puta sanguinem.
129	*col.* 1	*l.* 12	affligi.	affigi.
140	*n.* 6	14	propottionanti.	proportionati.
141	*col.* 2	7	perfectionem.	professionem,
142	*col.* 1	22	extrinsecè	extrinsecæ.
153	*col.* 1	9	circa quàm aliàs.	circa quam : aliàs,
154	*col.* 1	9	ubi.	uti.
-	10	*ult.*	proferret.	præferret,
158	*col.* 1	2	peccato Minister Sacramento.	peccat Minister Sacramenti,
-	-	4	administtationem.	administratione.
159	*n.* 16	8	confessio.	confectio.
194	*col.* 1	6	consequenter.	consequitur.
206	*n.* 11	1	graviter.	gravem.
169	*col.* 1	1	contulerint gratiam.	Notandum tertiò. Certum esse primò, quòd Sacramenta antiquæ legis nequæ propria virtute contulerint gratiam.
-	*n.* 6	13	dispositium.	dispositvum.
-	-	46	præsenti.	positi.
173	6	27	l. ò,	l de.
174	*Sum.*	29	vel.	sed
175	*n.* 2	13	deficiente.	definiente.
177	*col.* 1	2	subordinatis sicut.	subordinatis : ergo sicut.
-	*n.* 14	12	materialis est. physicum.	materialis . est physicum.
178	15	3	phisicam.	physicam.
-	16	17	non conferunt meritoriè.	non conferunt gratiam meritoriè,
180	26	18	qualitatem ad.	qualitatem, &
-	-	31	termino verò.	terminus verò,
-	-	42	extensivo.	extenso.
-	*col.* 2	11	quo.	quod.
183	*n.* 4	8	primi Corporis C.	Sanctiss. Corporis C,
210	*n.* 3	8	ut non per alium	ut non alium
-	4	10	conc. sub posteriori, nego.	nego. sub posteriori, conc.
212	2	30	privatum.	privativè.
215	6	3	absque intentionis.	absque intentione.
216	*col.* 1	29	pro datus,	prodatus,

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
220	*Sumar.*	13	debet fieri.	debet ferri.
221	*n.* 5	8	in quo fuse,	in quo confuse,
222	11	6	ideòque,	ideo.
-	15	*ult.*	nec peccatis personali Item.	nec peccatis personalibus Sacramentum pœnitentiæ esse non potest. Item.
225	*col.* 2	4	l. 1. cit.	l. primùm cit,
226	*col.* 1	11	ad Ministrum,	ad ministerium,
-	-	30	extingueret.	extinxerit.
229	*n.* 5	5	quia DEUS.	quia JESUS.
230	2	5	fluviatalis,	fluviatilis.
236	4	3	in c. cùm Matthæo,	in c. cùm Martha.
242	13	*ult.*	partiales,	partialis,
243	3	22	divinam,	dominicam,
245	*Sum.*	10	Etsi,	Et si.
147	*n.* 8	4	insinuatæ,	insinuata.
-	12	6	persuasionis,	perversionis.
249	12	34	de ista.	de isto,
251	1	6	inculpabilitas.	inculpābilis.
254	*Sum.*	2	admixti balsami.	admixtio balsami.
255	*n.* 4	9	speciali sacerdote.	simplici sacerdote.
258	1	24	quam nisi jubente.	quam non nisi jubente,
259	*proœm.*	6	exhaurit: submississimo.	exhaurit : sed submississimo,
263	*n.* 6	13	solitudinariè,	similitudinariè,
-	8	16	l. 3. non aliter,	l, non aliter.
267	*col.* 1	33	divi Thomæ.	divo Thomæ.
-	*n.* 25	33	existans.	existentis.
-	-	*ult.*	Dominium.	Dominicum;
269	4	7	in fontis.	in fontes,
-	-	16	Moysis,	Moyses,
272	1	3	numerant,	numerarent,
278	3	7	ex forma toiticea.	ex farina triticeâ,
290	13	40	non inciperet de novo. conc. quoad esse subsistens de novo, sic nego,	non inciperet de novo quoad esse subsistens de novo, conc. quoad esse unitum de novo, sic nego.
291	*in Tit. Art.*		accidentalibus.	accidentibus.
294	*n.* 6	23	radicaliter ; organizatum,	radicaliter organizatum,
298	15	6	significanter.	sufficienter,
300	5	3	deferri.	deserti.
307	*n.* 15	4	gratiam, constat,	gratiam. Constat,
314	22	16	ad pertinet.	pertinet ad.
315	*col.* 2	15	ut ut peccata.	ut peccata.
316	*n.* 1	8	factio Hostiæ.	fractio Hostiæ,
317	5	12	vi verborum consecrationis,	vi verborum, in quantum vi verborum consecrationis,
318	12	2	Sacti-tur Sacrificium,	Sacrificium,
319	*col.* 2	7	dub. n. 6.	dub. un.
320	*n.* 11	2	Missa profit. Singulis.	Missa profit singulis.
-	-	19	ergo sequela probatur,	ergò. Sequela probatur,
-	13	7	fructus tantò,	fructus finitus tantò,
321	*col.* 1		vel pro una	ut pro una,
-	*n.* 15	20	ad fructum (ut Scotus vocat)	ad fructum medium (ut Scotus vocat.)
321	*n.* 18	3	quocunque.	quodcunque.
323	31	17	sacramenti.	Sancti.
-	33	16	cum Sacerdote ritè.	cum Sacerdote offerente, quamvis in praxi vix contingat, ut Sacerdos ritè.
324	*col.* 2	1	non per subsequentem.	non manet per subsequentem.
-	*n.* 37	6	suspensus.	suspensa.
-	38	4	possit,	possis,
325	*Sum.*	14	vestium rituum.	vestium, & rituum.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	N	Lin.	Errata	Corrige
325	Sumar.	15	Ex ponitur,	Exponitur,
-	-	16	sacrum choatum.	sacrum inchoatum,
-	r. 3.	6	contractum,	contractam,
326	col. 2.	1	Judicet à Sacro.	judicet, abstinere à Sacro.
-	-	2	controversum, est an.	controversum est, an.
327	col. 1.	1	ægroti nisi, de novo conferret.	ægrotini- si de novo consecret.
-	n. 14.	27	festo docent,	festo, uti docent.
-	n. 15.	8	II. Canone.	II. In Canone,
328	n. 16.	12	de consecr, dist. S. D.	de consecr. dist. I, S, D.
-	-	17	Hujusque.	Hucusque.
330	col. 2.	1	pœnitentia ; est,	pœnitentia est.
-	-	17	qua pœnitentia disponit ad tristiam.	quia pœnitentia disponit ad tristitiam.
331	n. 8.	26	detestatiò peccat.	detestatio peccati.
-	-	32	affectivè intentativè,	affectivè & intentativè,
-	-	45	Mastrii q. 2. a. aliorúmque.	Mastrii q. 2. a 2. aliorúmque.
332	4	13	actione cum.	cum actione.
-	5	ult.	pœnæ, vindictæ commensuratæ, gravitati.	lege: pœnæ, & vindictæ commensuratæ gravitati,
333	7	28	a. S. D.	à S. D.
-	8	11	delectionem.	deletionem.
334	col. 1.	1	q. 1. a. q. 3.	q. 1. a. 1. q. 3.
-	-	43	Hier in ps.	Hier. in ps.
-	-	48	de peccatis, propriis.	de peccatis propriis.
-	n. 9.	9	sic omnine,	sit omnino.
-	col. 2.	4	fieri super.	ferri super.
336	n. 7.	5	sed aliena.	sed ad aliena,
337	col. 1.	8	persecutionis.	prosecutionis.
340	n. 2.	9	habitu, vel actus.	habitus, vel actus.
342	7	6	& intrinseco impedimento.	& intrinseco, sed extrinseco impedimento.
	10, antepenult.		Illa,	Ista.
346	col. 2.	9	eidem pro peccato.	eidem peccato.
	penult.		multò est veri ;	multò est verior ;
347	col. 1.	10	illud aversatur.	illud aversaretur,
-	-	52	contingit..	justificat.
-	n. 6.	18	divinæ obsistentia.	divinæ amicitiæ obsistentia,
349			aversum à DEO remissio.	aversum à DEO, remissio.
252	col. 2.	7	debitæ,	debitè.
353	Sumar.	6	reali,	veniali.
-	col. 2.	6	misericordiam.	miseriam.
-	-	8	justæ.	istæ.
354	col. 1.	3	impeditum.	impeditivum.
357	n. 12.	45	necesse esse.	necesse est.
359	2	14	ex antiquis PP.	ex antiquis DD,
363	col. 1.	22	obtinent, quatenus conjunguntur.	obtinet, quatenus conjungitur.
367	col. 1.	1	recuperarent,	recuperant.
-	n. 34.	3	docet.	dicit.
369	8	9	ejusdem ordinis rationis.	ejusdem ordinis & rationis,
370	15	4	Ratio : est quòd.	Ratio est, quòd.
373	col. 2.	17	propter obicem : indispositionis.	propter obicem indispositionis.
374	n. 2.	31	absque nulla.	absque ulla.
378	4. penult.		ut resultat,	ut resultet,
384	11	7	oppositam.	appositam.
385	3	3	confitendo.	confitendi.
386	9	4	Quò concidit.	Quò coincidit.
-	11	15	de peccatis non detur,	de peccatis dubiis non detur.
-	prol.	2	cor pectoris,	cor peccatoris.
88	col. 2.	10	constare.	consistere,

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
389	n. 3.	17	& propositum,	sed propositum,
-	5	9	proponeret peccata,	proponeret vitare peccata,
390	col. 1.	4	pœnitente à Confessarii.	pœnitentes à Confessariis,
-	Sumar.	8	de provisione,	de prævisione.
392	Sumar.	6	Etiamsi de peccatis.	Etiamsi dolor de peccatis.
-	col. 2.	22	de lege unica ordinaria,	de lege divina ordinaria.
401	n. 4.	3	semper se obligare.	semper per se obligare.
-	col. 2.	1	pœnitentiæ,	pœnitentia,
-	-	7	conflicto.	conflictu,
402	col. 2.	55	obligans.	obligantis
403	n. 12.	47	omissionis.	omissioni,
406	c. 1.	7	timorem incussit,	timorem incusserit,
-	-	8	communicationem.	comminationem,
-	n. 9.	13	Attritio primò, incipit &.	Attritio primò incipit, &
407	col. 2.	11	majorem alterius,	majorem amorem alterius,
408	n. 4.	8	diligens.	diligit,
		penult.	nec est.	qui nec est,
411	col. 2.	12	sit attritio.	ut attritio.
			non tribuere.	non potest tribuere.
417	col. 1.	1	cum : ergo.	cum Sacramento: ergo,
-	n. 5.	46	probationis majoris	probationis majorem,
420	prol.	15	veneranda.	verecunda,
-	col. 2.	2	Unde se sufficienter.	Unde non se sufficienter,
429	n. 13.	6	prælia,	prævia,
430	7	10	obligans,	obligat,
436	c. 2.	15	qui-.	quia
437	n. 2.	7	canorum.	canonum,
453	6	14	im-errore proportionatas.	improportionatas.
-	-	16	in invincibili, vel,	in invincibili errore, vel,
469	n. 18.	4	àn on.	à non.
473	col. 1.	1	de Spons.	de Despons,
476	n. 3.	8	si conditio subsistat,	si conditio non subsistat.
477	col. 2.	8	homicidium item ; si	homicidium : item si.
479	n. 1.	3	conjunctio maritalis,	conjunctio animorum maritalis,
-	4	1	Notandum 5. accipi,	Notandum 5. matrimonium accipi.
-	5	2	sine,	sive.
480	col. 1.	15	coordinetur,	coordinentur.
483	n. 5.	35	sive per procuratorem observentur.	sive per procuratorem, sive per litteras contrahi posse, dummodò observentur,
486	n. 11.	86	Summis Pont,	Summi Pont.
487	col. 1.	23	oppositione.	appositione,
492	n. 1.	8	utrioque,	utrique.
-	n. 2.	6	duplex est significatio matrimonii, ita.	lege, duplex est unio Christi cum Ecclesia, ita.
494	17	15	conjugale.	conjugalem,
497	col. 1.	21	Jogola.	Joyola.
498	col. 1.	14	Tertiò : ut.	Tertiò : si
-	n. 17.	11	priusquam conjugis.	priusquam de morte conjugis.
-	n. 18.		Sponsalibus, matrimonio.	Sponsalibus, & matrimonio.
499	n. 23.	1	Imponentia.	Impotentia.
500	1	17	sed sub ratione.	sed iste casus non comprehenditur sub,